A
7-368

Biblioteca Universitaria
GRANADA
S. A
15
254
1
14-234.

13. a. 8
4.

HOSPITAL REAL
ADA
S. A
7
Numero 368

de Colegio de la comp.a de Jesus de Granada

# SACROSANCTI CONCILII TRIDENTINI CANONES ET DECRETA.

B-5965

Item

DECLARATIONES CARDINALIVM CONCILII INTERPRETVM, ex vltima recognitione Ioan. Gallemart.

*Quibus iam primum acceſſerunt, non editæ etiam quædam hactenus, aut indigeſtæ, nunc ad ſedes ſuas reductæ.*

cum

CITATIONIBVS

IOANNES SOTEALLII Theol. & Horatij Lucij I.Cti.

*necnon*

*REMISSIONIBVS*

*P. Auguſtini Barboſæ, &c. vti latius in Præfatione ad Lectorem videre licet.*

GRANADA

*TVRNONI,*

Apud CLAVDIVM MICHAELEM Typographum Vniuerſitatis.

M. DCXXI.

i 15709140

No tienen autoridad ni se les debe darse fee ni credito en
juicio ni fuera del a las declaraciones del Concilio Tri
dentino que contienen estas Remissiones del dho Dor
Barbosa porque asi lo tienen determinado el Illmo
S. Arcobispo Inqor Genl y los ss del Consejo de la
Sta Genl Inqon para q se puedan leer, y vender,
sin incurrir en pena alguna estas dhas Remissiones
como al presente estan = En Gra a 29 de 9e de 1633
Don Luis Ignacio Guerrero Srio del secreto
del Sto offo de la Inqon de Granada

# TYPOGRAPVS LECTORI, S.

QVONIAM Pius IV. interdixerat, ne cui prouſ liberet, ſacra OEcumenici Tridentini Concilij decreta liceret exponere, priuataque auctoritate interpretari: ſed ſi cui dubium aliquid appareret; Sedem Apoſtolicam accederet: quæ per Illuſtriſſimos Cardinales, in eam rem delegatos, id reſolueret atque enodaret: Declarationes eiuſmodi Cardinalium, difficultatum Concilij Interpretum rogari, obſeruari, atque in veneratione haberi cœperunt. Manuſcriptæ, vt rara Chimelia, paucorum manibus ferebantur; donec in Germania, Galliis, Hiſpaniis, ac demum in Belgica typis vulgatæ, atque ex eruditorum virorum cenſurâ, Regum etiam Principumque priuilegiis donatæ, publici Iuris factæ, in oculos manúſque paſſim omnium deuenerunt. Putauerunt Typographi benè ſe atque ex publica re facturos, ſi lucernam accenſam ponerent non ſub modio, ſed ſuper candelabro, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt; omnibus, inquam qui in Eccleſia Chriſti verſantur, quibus Concilij latæ leges ſunt, ſi quâ parte obſcurius aliquid dictum fuerit, illuſtratæ appareant: quæque ad vnius forte poſtulationem elucidata ſunt, omnibus, quos eædem ſpinæ difficultatum, tribulique dubitationum pungerent, plana fierent. Sic Philoſophi aſſerunt bonum omne natura ſui eſſe diffuſiuum. Porro nullibi hactenus emendatius, quàm Duaci declarationes impreſſæ ſunt, ob operam & induſtriam Ioannis Gallemart S. T. Doctoris, & in Academia Duacena Profeſſoris, qui priores editiones recenſuit, limauit, ſummaque fide exemplorum varietatem recognouit. Cæterum, neſcio qua occaſione, fugit illius diligentiam, pars melior declarationum illa,

quæ cum die & conſule,ad finem aliorum exemplarium impreſſorum, manuſcriptorumque, à 21. Martij 1591. poſita erat. Itaque eam partem huic operi ad finem intexui,ſic tamen,vt in ordinem Concilij redacta ſit,ſingulæque declarationes ad ſua capita reuocatæ.Quibus aliæ (nimirum in quibus tempus & dies in margine additi non ſunt(acceſſerunt nonnullæ, ex fidelibus exemplaribus manuſcriptis, vno præſertim à viro quodam probè erudito in ipſa Vrbe deſcripto, ſuppeditatæ. Textum ipſum Concilij adiunxi,quo facilius Lector eum, declarationéſque ad eum relatiuas,ſimul capere poſſit. Acceſſerunt denique Remiſſiones P. Auguſtini Barboſæ, nullum etiam interpretationis priuatæ genus continentes, ſed nudas tantum Doctorum citationes, qui incidenter varia Concilij loca tractauerunt; de quibus audi ipſum Barboſa, eiuſve prologũ Apologeticum: [ de Conſilio, *inquit*, doctiſſimorum virorũ,qui diuini & humani Iuris peritiſſim extitêre, Bullæ Pij IV. prohibitionem ſolùm procedere in illis difficultatibus & interpretationibus, quæ peculiari ipſiuſmet conſtituentis declaratione egent non tamen, quæ ex iuris regularis & Doctorum reſolutionibus deciſæ manent,attenta prædictæ Bullæ diſpoſitione, probabilius iudicatum eſt, quia aliter neceſſariò pro deciſione cuiuſque dubij ſuper aliquo Concilij decreto excitati, & in ipſomet non deciſi, reiecta iuris diſpoſitione,ad Sedem Apoſt.recurrendum eſſe diceremus, contra mentem & aperta verba ipſius Bullæ:: *Si cui verò in eis aliquid obſcurius dictum & ſtatutum fuiſſe,eamque ob cauſam interpretatione aut deciſione aliqua egere viſum fuerit, aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſt.* Prædictam deinde Bullæ prohibitionem procedere ſolùm in interpretatione, quæ fit ex capite, & provt vnicuíque libet,non tamen in interpretatione iuris eiuſdem Bullæ procemialis ratio ſequentibus verbis apertè demonſtrat: *Ad vitandum præterea peruerſionem & confuſionem,quæ oriri poſſet,ſi vnicuique liceret,provt ei liberet,in decreta Concilij Commentarios & interpretationes ſuas edere.* Omnis

enim

enim iuris interpretatio non eſt prohibita, ſed illa tantùm, quæ fit, provt vnicuique libet, id eſt, ex capite, reſoluunt Caſſan. ad Conſuetudines Burgund. Rub. 2. §. 2. in princip. num. 13. Latè Perez in proœmio ad Leges Ordin. q. 2. De iure ergo communi non licet interpretari leges niſi Imperatori l. fin. Cod. de Legibus, & tamen licet eas declarare ſecundùm verum ſenſum & iuri conſonum ex Bart. in l. Omnes populi. q. 6. verſ. Tertio loco. nu. 65. ff. de Iuſtit. Valaſc. conſult. 41. n. 7. Sic etiam Leges Regię Luſitanorum non poſſunt interpretari ex Ordin. lib. 1. tit. 5 §. 5. quam tamen intelligendam eſſe de interpretatione hominis capitoſa, non verò de interpretatione iuris, reſoluit Valaſc. d. conſult. 41. num. 7. Quamobrem ſic eſſe accipiendam prædictam Pij IV. Bullam ex præcitatis iuribus non eſt qui dubitet, præcipuè cùm illius verba clarè inſinuent illo tantùm caſu locum habere, quo aliquid obſcurius dictum, & ſtatutum ſit, peculiarique declaratione egeat, quia tunc nullum poſſe, provt ei liberet, in Decreta Concilij Commentarios & interpretationes ſuas edere libenter fatemur, ad alios verò euentus vltra prædictum magni dubij, & peculiaris interpretationis caſum huiuſmodi diſpoſitionem, cùm ſit pœnalis, iuxta vulgares iuris regulas, non eſſe trahendam apertè colligitur, ſicut nec trahi ad interpretationes, quæ incidenter à Doctoribus ſuis in tractatibus, vel in ſcholis docendo fiunt: reſoluit P. Valer. Regin. in Praxi fori Pœnit. lib. 20. nu. 53. in fine. Non veniunt igitur reprehendendæ hæ non noſtræ, ſed Doctorum Remiſſiones, quas ex illorum libris collectas ſingulis ipſiuſmet Concilij Decretis & locis fideliter diſtribuendas curauimus, ſicut nec reprehenduntur Ioannis Sotealli, & Horatij Lutij ad marginem ſacri Concilij annotationes & concordantiæ, quia ſicut illæ nudam continent locorum ſacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum oſtenſionem, ita hæ nudas habent Doctorum allegationes, in quibus nec vllum quidem verbum ex noſtro capite adducimus, nullam eorum opinionem approbatione admittimus, vel reprobatione

cõfutamus, imò indicis officio fungentes Doctorum loca oſtendimus, vbi varia Concilij Tridentini decreta incidenter tractantur. Illuſtriſſimorum etiam Cardinalium inter has Remiſſiones aliquas inſeruimus deciſiones, quas, reiectis aliis quampluribus, à Doctoribus de illarum tenore atteſtantibus receptiores iudicauimus, ideoq; nullam adducimus, quæ ſuum non habeat auctorem, vt hîc tranſcriptæ illam habeant vim & auctoritatem, quam merentur Doctores, quos formalia eorum verba tranſcribẽtes, ad ipſarum pedes citamus. Pro quarum Deciſionum vi & auctoritate Lector adeat Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 11. art. 2. P. Martin. Delrio Diſquiſit. Magic. lib. 6. cap. 1. ſect. 3. in fine. Zerol. in Praxi Epiſcop. p. 1. verbo Auctoritas in fine, & p. 2. verbo Abſolutio in fine.] hactenus ille. qui deinde proteſtatur, ſe libellum ſubmittere correctioni ſanctæ Matris Eccleſiæ Rom. ſi quid minus conueniens dictũ fuerit, paratum mutare, pro non dicto haberi velle. Signis alphabeticis vſi ſumus; Latinis, ad deſignandas concordantias textus Concilij cum ſcripturis ſacris, & Iure Canonico, ab ipſo Ioan. Soteallo olim citatas: numeralibus, ad Declarationes Sacræ Congregationis; Græcis, ad Remiſſiones Barboſæ. Vale Lector & faue.

---

*Approbatio Hunnai notar. ad marginem.*

ANnotationes ad marginem, quæ huic Tridentini Concilij editioni acceſſerunt, nudam & fidelem continere oſtenſionem locorum vnde ſingula dogmata ſunt deſumpta, nihilque quod vel ad Canonum iſtius Concilij interpretationem pertineret, vel hæreſim ſaperet, ineſſe, atteſtor ego Auguſtinus Hunnæus, 8. Maij, 1570.

*Approbationes Declarationum & Remiſſionum &c. habentur in fine huius operis*

DESCRI-

# DESCRIPTIO
## TRIDENTINÆ
## CIVITATIS.

*TRidenti Ciuitas in finibus Venetiæ prouinciæ inter montes, in planitia poſita eſt: muris vallata lapideis, quam ex Septentrione abluit Atheſis fluuius, ambitu miliaris Itali. In ea vias latas, & lapidibus ſtructas, domus verò ita honorificas cernas, vt nouam, non veterem Ciuitatem præ ſe ferat. Templa ſatis pulchra conſpicias, ſed in omnibus ijs parum ſtructuræ. Arcem habet conſpicuam, vt domum auream dicas potiùs, & quam poſſint & Imperatores, & Reges percommodè inhabitare, à Bernardo Cleſio Tridentino Præſide auctam, & illuſtratam non multos antehac annos. Influit placidè in vrbem per muros ab Oriente aquæ riuus, ſuper quo ædificia ſericea, & molæ frumentariæ multæ ſunt, vnde item plurimi riuuli deducuntur per medias vias, in vſum & publicam commoditatem. Super Atheſim, ad portam quæ dicitur ſancti Laurentij, pontem habet magnificum, ſed ligneum, centum & quadraginta paſſuum longitudinis. Montes circum ſe habet niuibus continuè obſitos, ſcopuloſos, inacceſſos, præcipites, & ita præaltos, vt dicas, cœlum ſumma montium cacumina contingere. Fauces habet duas, quarum altera vergit ad Septentrionem, altera verò ducit veronam. Planitiem admodum paruam, ſed ridentem, & arboribus, & vitibus mirum in modum conſitam, quam Atheſis circuit, & lambit vndequaq;. Promiſcua habitantibus lingua, ſcilicet Teutonica & Itala, ſed Itali omnes etiam, cum placet, Teutonicè loquuntur. Tridentum Germanorum ſentina, Italorum verò refugium eſt, cùm quid infortunij illis occurrit. Parum frumenti, ſed plurimum vini perſuaue habent album, & ſubrubeum. Per æſtatem cælum temperatum eſt; diebus autem Canicularibus Sol apprimè feruens. Hiberno verò tempore propter niuium, & gla-*

*cerium ingentes horrores vix huiuſmodi regio habitari poteſt: ne-*
*que ſatis ſunt hominibus hypocauſta ad depellenda frigora, quæ eo*
*tempore tam magna ſunt, vt non ſinant aquas deſcendere in ter-*
*ram, ſed ſtatim venientes conuertant in niues. Et quod datur*
*miraculo, vt putei ipſius Ciuitatis per id tempus aquis omnino*
*careant. Boues, & vaccas pro mulis, aſellis, & equis onerarijs ha-*
*bent, cum eorum plauſtris tam ad res conuehendas facilibus, vt*
*ad montium cacumina ſic properent, ac ſi eſſent in planitie, à via-*
*rumq; publicarum curatoribus ita iuga aptata ſunt, vt vſque ad*
*culmen acceſſibile quorumcumq; montium ab eiſdem iri poſſit.*
*Nunc demum Ciuitas iſta, & opulenta, & clara effecta eſt pro-*
*pter Concilium, quod in ea fuit per plurimos annos, & nunc viget*
*maximè. Nam hîc conuenere quinque primum Cardinales Præ-*
*ſidentes, & Legati Concilij pro ſanctiſſimo D. N. Pio IV. Pont.*
*Opt. Max. Duo ſimiliter Cardinales, Lotharingus, & Madru-*
*tius, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi XXXIII. Epiſcopi*
*CCXXXV. Abbates VII. Ordinum Generales VII. cum*
*Theologis CXLVI. & vltrà ſæcularibus, & regularibus, Fer-*
*dinandique Cæſaris, Regis Galliæ, Hiſpaniarum, Portugalliæ,*
*Hungariæ, Boëmiæ, Poloniæ, Venetiarum, Septem Cantonum*
*Heluetiorum, Bauariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, & aliorum Prin-*
*cipum Eccleſiaſticorum Oratores.*

BVL-

# BVLLA INDICTIONIS
## SACRI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,
## *SVB PAVLO III. PONT. MAX.*

## PAVLVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI
*Ad futuram rei memoriam.*

INITIO noſtri huius Pontificatus, quem non ob me-
rita noſtra, ſed propter ſuam magnam bonitatem, Dei
omnipotentis prouidentia nobis commiſit, cernentes
iam tum in quas perturbationes temporum, quótque
incommoda rerum ferè omnium noſtra Paſtoralis ſolicitudo, & vi-
gilia eſſet vocata, cupiebamus quidem mederi Chriſtianæ Reip. ma-
lis, quibus illa iamdudum vexata, & propemodum oppreſſa eſt : ſed
ipſi etiam vt homines circumdati infirmitate, ad tantum onus tol-
lendum impares vires noſtras eſſe ſentiebamus, nam cùm pace opus
eſſe intelligeremus, ad liberandam & conſeruandam à plurimis im-
pendentibus periculis Remp. omnia inuenimus odiis & diſſenſio-
nibus plena, diſſentientibus præſertim Principibus iis inter ſe, qui-
bus ſumma rerum penè omnis à Deo permiſſa eſt. Cùm vnum oui-
le, & vnum Paſtorem Dominici eſſe gregis ad integritatem Chri-
ſtianæ religionis, & ad cœleſtium bonorum ſpem in nobis confir-
mandam, neceſſarium duceremus ; ſchiſmatis, diſſidiis, hæreſibus
erat Chriſtiani nominis diuulſa iam penè & lacerata vnitas. Cùm
tutam atque munitam ab infidelium armis atque inſidiis Remp.
optaremus noſtris erratis, noſtráque cũctorum culpa, Dei videlicet
ira peccatis noſtris imminente, Rhodus fuerat amiſſa, Hungaria ve-
xata, conceptum & meditatum contra Italiam, contráque Auſtriam
& Illyricum, terra maríque bellum : cum impius & immitis hoſtis
noſter Turca nullo tempore requieſceret ; noſtrorúmque inter ſe
odia & diſſenſiones ſuam benè gerendæ rei occaſionem duceret. Igi-
tur, vt dicebamus, in tanta hæreſum, diſſenſionum, bellorúmque
tempeſtate, tantíſque excitatis fluctibus, cùm eſſemus ad moderan-
dam & gubernandam Petri nauiculam vocati, nec viribus ipſi no-
ſtris ſatis fideremus, primùm coniecimus in Domino cogitatus no-
ſtros, vt ipſe nos nutriret, animúmque noſtrum firmitate & robore,
mentem conſilio ſapientiáque inſtrueret : deinde, animo repetentes

maiores noſtros, ſapientia admirabili & ſanctitate præditos, ſæpè in ſummis Chriſtianæ Reip. periculis remedium optimum atque opportuniſſimum, œcumenica Concilia, & Epiſcoporum generales conuentus adhibuiſſe; ipſi quoque animum ad generale habendum Concilium adiecimus; exquiſitiſque Principum ſententiis, quorum nobis videbatur vtilis in primis & opportuna ad hanc rem eſſe conſenſio, cùm eos tunc non alienos ab hoc tam ſancto opere inueniſſemus, OEcumenicum Concilium, & generalem eorum Epiſcoporum aliorúmque Patrum, ad quos pertineret, conuentum in ciuitate Mantuæ indiximus, Anno incarnationis Domini (ſicut litteris & monumentis noſtris teſtatum eſt) milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri tertio, ad x. Kalend. Iun. inchoandum; ſpem propè certam habentes fore, vt, cùm illic in nomine Domini eſſemus congregati, ipſe, ſicut promiſit, Dominus in medio noſtrum affuturus, & bonitate ac miſericordia ſua omnes temporum procellas, omniáque pericula ſpiritu oris ſui facilè depulſurus eſſet. Sed, vt ſemper inſidiatur piis actionibus humani generis hoſtis, primùm contra omnem ſpem & expectationem noſtram denegata fuit nobis Mantuana ciuitas, niſi aliquas conditiones ſubiremus ab inſtitutis maiorum noſtrorum, & conditione temporum, noſtráque ac huius ſanctæ Sedis, ac nominis Eccleſiaſtici dignitate libertatéque prorſus alienas; quas in aliis noſtris litteris expreſſimus. Quapropter alium inuenire locum, aliámque deligere ciuitatem neceſſe habuimus: quæ cum non ſtatim nobis occureret idonea & apta; ad ſequentes Kalend. Nouemb. prorogare Concilij celebrationem fuimus coacti. Interim ſæuus & perpetuus hoſtis noſter Turca, ingenti claſſe Italiam adortus, aliquot oppida in littoribus Apuliæ cepit, vaſtauit, diripuit, prædas hominum abegit: nos in maximo timore, & periculo omnium, muniendis litoribus noſtris, finitimíſque auxilio iuuandis fuimus occupati: nec tamen interea deſtitimus conſulere & hortari Chriſtianos Principes, vt de idoneo ad habendum Concilium loco quid ſentirent, nobis exponerent: quorum cùm eſſent incertæ variæque ſententiæ, tempuſque diutius, quàm erat opus, videretur extrahi; nos optimo animo, atque, vt arbitramur, etiam conſilio, Vincentiam elegimus, vrbem copioſam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia cùm aditum patentem, tum ſtationem omnibus liberam, atque tutam in primis in ſe habentem, ſed, cùm iam tempus longius progreſſum eſſet, nouæque vrbis electionem omnibus ſignificari conueniret; iámque Kalendæ Nouembris appetentes facultatem huius diuulgationis excluderent: hyemſque eſſet propinqua, rurſus altera prorogatione tempus Concilij differre in proximum ſequens ver, Maiique futuras Kalendas, compulſi fuimus. Quare firmiter conſtituta atque decreta, cùm & nos ipſos, & cætera omnia ad eum benè agendum, Deo iuuante, celebrandúmque conuentum pararemus, plurimum reputantes inter-

*Matth. 18.*

tereſſe cùm celebrationis Concilij, tum vniuerſæ Chriſtianæ Reipubl. Chriſtianos Principes pace inter ſe & concordia conſentire: cariſſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Chriſtianiſſimum Regem Franciſcum, duo præcipua Chriſtiani nominis firmamenta atque ſubſidia, orare atque obſecrare inſtitimus, vt ad colloquium inter ſe & nobiſcum vnà conuenirent; quorum quidem apud vtrúmque litteris, Nunciis, & à latere noſtro miſſis, ex venerabilium fratrum noſtrorum numero, Legatis, ſæpiſſimè egeramus, vt ex ſimultate & diſſidiis ambo in vnum fœdus & piam amicitiam vellent conuenire, labentibúſque ſuccurrere Chriſtianis rebus: quarum ſeruandarum cùm eſſet illis poteſtas à Deo præcipuè tributa, ſi id non agerent, & ad commune Chriſtianorum bonum ſua conſilia non dirigerent, acris & ſeuera ratio eidem Deo ab ipſis reddenda eſſet. Qui aliquando precibus noſtris annuentes, Nicæam ſe contulere, quò nos quoque longum iter, & ſenili ætati noſtræ vehementer contrarium, Dei & pacis conciliandæ causâ ſuſcepimus: neque prætermiſimus intereà, cùm tempus Concilij præſtitutum, Kalendæ videlicet Maiæ, appropinquaret, tres Legatos ſummæ virtutis ac auctoritatis, à latere noſtro, de numero eorumdem fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Vincentiam mittere, qui initium Concilij facerent, Prælatóſque vndique venientes exciperent; & ea, quæ iudicarent eſſe opus, agerent & tractarent, quoad nos, ab itinere & negotio pacis reuerſi, omnia accuratiùs dirigere poſſemus. Interim verò in illud ſanctum opus, maximéque neceſſarium, tractationem videlicet pacis inter Principes, incubuimus, & quidem omni animi ſtudio, omni pietate ac diligentia. Teſtis eſt nobis Deus, cuius freti clementia, noſmetipſos itineris, & vitæ periculo expoſuimus. Noſtra teſtis conſcientia; quæ nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut prætermiſſæ, aut non quæſitæ ad pacificandum occaſionis. Principes ipſi teſtes; quos tam ſæpè, támque vehementer Nunciis, litteris, Legatis, monitis, hortatu, precibúſque omnibus obſecraueramus, vt ſimultates deponerent, vt ſocietatem coirent, vt Chriſtianæ Reipubl. in maximum, & propinquum iam adductæ diſcrimen, communibus ſtudiis & ſubſidiis opitularentur. Iam verò teſtes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni nocturníque animi noſtri labores, grauéſque ſolicitudines, quas ob hanc rem & cauſam plurimas iam ſuſcepimus: nec tamen ad optatum exitum noſtra conſilia, & acta adhuc perducta ſunt. Ita enim viſum Domino Deo eſt: quem tamen non deſperamus aliquando optata noſtra benignius reſpecturum, ipſi quidem, quantum in nobis fuit, nihil quod eſſet noſtro Paſtorali officio debitum, in hac re omiſimus. Quòd ſi qui ſunt, qui actiones pacis noſtras in aliam interpretentur partem: dolemus quidem; ſed tamen in dolore noſtro gratias Omnipotenti agimus, qui ad exemplum & doctrinam patientiæ noſtræ ſuos voluit Apoſtolos haberi dignos, qui pro nomine IESV, qui pax noſtra

*Actor. 5.*
*Ephes. 2.*

noſtra eſt, contumeliam paterentur. Verùm in illo congreſſu colloquióque noſtro, quod Nicææ habitum eſt, etſi, peccatis noſtris impedientibus, inter duos Principes vera & perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ ſunt: quarum opportunitate nos ſperantes & ſacrum Concilium commodiùs celebratum iri, & deinde ex Concilij auctoritate perfici poſſe pacem; apud Principes inſtitimus, vt & ipſi venirent ad Concilium, & Prælatos ſuos præſentes ducerent, abſentéſque accerſerent. Qui cùm de vtróque ſe excuſaſſent; quòd & ipſis redire in regna ſua tum neceſſe eſſet; & Prælatos, quos ſecum habuiſſent, itinere atque impendiis feſſos atque exhauſtos, recreari & refici oporteret; nos hortati ſunt, vt aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilij decerneremus. Qua in re concedenda cùm eſſemus aliquantum difficiles, litteras interim à Legatis noſtris, qui Vincentiæ erant, accepimus, tranſacto iam, & longius præterito Concilij ineundi die, vnum vix, aut alterum ex externis nationibus Prælatum Vincentiam ſe contuliſſe. Quo nuncio accepto, cùm videremus eo tempore nulla iam ratione haberi Concilium poſſe, ipſis Principibus conceſſimus, vt differretur tempus agendi Concilij vſque ad ſanctum Paſcha, diémque feſtum futuræ Dominicæ reſurrectionis. Cuius noſtri præcepti, expectationiſque decretæ litteræ Genuæ anno Incarnationis Domini M. D. XXXVIII. IV. Kalend. Iul. factæ publicatæque ſunt, atque hanc dilationem eo propenſius fecimus, quòd pollicitus eſt nobis vtérque Princeps Legatos ſuos Romam ad nos ſe miſſurum, vt ea quæ ad perfectionem pacis reliqua eſſent, neque Nicææ ob breuitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur & tractarentur, & ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierunt, vt hæc pacificationis procuratio Concilij celebrationi præponeretur, cùm ipſum Concilium, pace facta, multo deinde vtilius & ſalutarius Chriſtianæ Reipubl. futurum eſſet, ſemper enim hæc pacis ſpes nobis iniecta Principum nos voluntatibus aſſentiri hortata eſt: quam ſpem vehementer auxit poſt diſceſſum à Nicæa noſtrum ipſorum duorum Principum inter ſe beneuola amicáque congreſſio: quæ maxima noſtra cum lætitia à nobis intellecta, confirmauit nos in bona ſpe, vt tandem aliquando noſtras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta eſſe crederemus. Hanc igitur pacis concluſionem cùm & expeteremus, & vrgeremus; nec ſolùm duobus antedictis Principibus, verùm etiam chariſſimo in CHRISTO filio noſtro, Ferdinando Regi Romanorum, videretur, actionem Concilij, niſi pace facta, ſuſcipi non oportere; cunctique à nobis per litteras ſuóſque Oratores contenderent, vt alias rurſus temporis prorogationes faceremus; præcipuè autem inſtaret Sereniſſimus Cæſar, promiſiſſe ſe demonſtrans iis, qui à Catholica vnitate diſſentiunt, ſe operam ſuam apud nos interpoſiturum, vt aliqua concordiæ ratio iniretur; quod ante ſuam in Germaniam profectionem aptè non poſſet fieri:

Nos,

Nos, eadem ſemper ſpe pacis & tantorum Principum voluntate adducti, cùm præſertim cerneremus, ne ad dictum quidem Reſurrectionis feſtum alios Prælatos Vincentiam conueniſſe, prorogationis nomen iam fugientes, quod tam ſæpè fruſtra fuerat repetitum, celebrationem generalis Concilij ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere maluimus: itaque fecimus, & de ſuſpenſione huiuſmodi litteras ad ſingulos ſupradictorum Principum decima die Iun. M. D. XXXIX. dedimus, ſicut ex illis perſpicuè poteſt intelligi. Ea itaque ſuſpenſione neceſſariò per nos facta, dum tempus illud magis idoneum à nobis, paciſque aliqua concluſio expectatur; quæ & dignitatem poſteà, frequentiámque Concilio & Chriſtianæ Reip. præſentiorem ſalutem erat allatura; Chriſtianæ intereà res in deterius quotidie prolapſæ ſunt, Hungaris, Rege ipſorum mortuo, Turcam vocantibus; Ferdinando Rege bellum in eos mouente; Belgis ad defectionem à Cæſare ex parte quadam incitatis: cuius defectionis comprimendæ cauſa per Galliam amiciſſimè, & cum Rege Chriſtianiſſimo concordiſſimè, magno beneuolæ inter eos voluntatis indicio tranſiens in Belgas Sereniſſimus Cæſar, & illinc deinde in Germaniam profectus, conuentus Germaniæ Principum & ciuitatum, tractandæ eius, quam dixerat, concordiæ cauſa habere cœpit. Sed cùm, ſpe pacis iam deficiente, ille quoque modus curandæ in conuentibus, tractandæque concordiæ ad maiores potiùs diſcordias concitandans aptus eſſe videretur: inducti fuimus ad priſtinum Concilij generalis remedium reuerti, idque per Legatos noſtros S. R. E. Cardinales, ipſi Cæſari obtulimus; quod etiam poſtremò, & præcipuè in Ratisbonenſi conuentu egimus; cùm illic dilectus filius noſter, Gaſpar tit. S. Praxedis, Cardinalis Contarenus, & ſumma doctrina & integritate, Legatum noſtrum ageret, nam cùm, id quod ne accideret, anteà veriti eramus, ex eius conuentus ſententia peteretur à nobis, vt àb Eccleſia diſſentientium quoſdam articulos tolerandos declararemus, quoad per œcumenicum Concilium illi executerentur & deciderentur; idque nobis vt concederemus, neque Chriſtiana & Catholica veritas, neque noſtra & Sedis Apoſtolicæ dignitas permitteret; palàm potius Concilium, vt quamprimum fieret, proponi mandauimus. Neque verò in alia vmquam ſententia & voluntate fuimus, quàm vt primo quoque tempore Concilium œcumenicum & generale congregaretur: ſperabamus enim ex eo & pacem populo Chriſtiano & Chriſtianæ religionis integritatem poſſe recuperari: verumtamen id cum bona gratia & voluntate Chriſtianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus; dum obſeruamus tempus abſconditum, tempus beneplaciti tui, ô Deus: aliquando tandem decernere compulſi ſumus, omne eſſe tempus beneplacitum Deo, cùm de rebus ſanctis, & ad Chriſtianam pietatem pertinentibus conſilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi noſtri cum dolore, rem Chriſtianam quotidie in peius ruere, Hungaria

ria à Turcis oppreſſa, Germanis periclitantibus, cæteris omnib. metu mœroréque afflictis, nullius iam Principis conſenſum expectare, ſed tantùm Dei omnipotentis voluntatem & Chriſtianæ Reipubl. vtilitatem attendere conſtituimus: Itaque cùm Vincentiam amplius non haberemus; cuperemúſque cùm vniuerſæ Chriſtianorum ſaluti, tum Germanicæ nationis incommodis in eligendo per nos nouo Concilij habendi loco conſulere: aliquótque locis propoſitis ipſam Tridentinam ciuitatem ab ipſis deſiderari videremus: nos etſi in citeriore Italia commodiùs omnia tractari poſſe iudicabamus, ad eorum tamen poſtulationes noſtram voluntatem paterna charitate deflex imus, itaque Tridentum ciuitatem elegimus, qua in ciuitate œcumenicum Concilium ad proximè venturas Kalendas Nouemb. haberetur, idoneum locum illum ſtatuentes, quò ex Germania quidem, aliiſque Germaniæ finitimis nationibus faciliimè, ex Gallia, Hiſpania, cæteriſque Prouinciis remotioribus non difficiliter Epiſcopi & Prælati conuenire poſſent. Dies autem Concilij ea à nobis ſpectata eſt, quæ ſpatium in ſe haberet & publicandi per Chriſtianas nationes noſtri huius Decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Quo minùs autem annuum tempus præfiniremus mutando Concilij loco, ſicut quibuſdam conſtitutionibus aliàs præſcriptum eſt, ea res fuit in cauſa, quòd longius extrahi ſpem ſanandæ aliqua in parte Chriſtianæ Reipubl. quæ tot detrimentis & calamitatibus affecta eſt, noluimus: & tamen videmus tempora; agnoſcimus difficultates: quid ſperari poſſit ex conſiliis noſtris, incertum eſſe intelligimus, ſed quia ſcriptum eſt, Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet: magis Dei clementiæ & miſericordiæ confidere, quàm noſtræ imbecillitati diffidere, conſtituimus. Sæpè enim fit in bonis operibus incipiendis, vt, quod humana conſilia non valent diuina virtus efficiat. Huius igitur ipſius Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ac beatorum eius Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque ſubnixi, de venerabilium item fratrum noſtrorum, S.R.E. Cardinalium conſilio & aſſenſu ſublata, amotáque ſuſpenſione, de qua ſuprà commemoratum eſt, quam per præſentes tollimus & amouemus, ſacrum œcumenicum & generale Concilium in ciuitate Tridentina, loco commodo & libero, omnibúſque nationibus opportuno, ad Kalend. proximas Nouemb. anni præſentis ab Incarnatione Domini M. D. X L I I. incipiendum, proſequendum, & eodem Domino adiuuante, ad ipſius gloriam atque laudem, & Chriſtiani totius populi ſalutem abſoluendum perficiendúmque indicimus, annunciamus, conuocamus, ſtatuimus, atque decernimus; omnes omnibus ex locis tã venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, quàm alios quoſcúmq; quibus iure aut priuilegio in Cõciliis generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi iuriſiu-

randi,

randi, quod nobis & huic ſanctæ Sedi præſtiterunt, ac ſanctæ virtute obedientiæ, aliiſque ſub pœnis iure aut conſuetudine in celebrationibus Conciliorum aduerſus non accedentes ferri & proponi ſolitis, mandantes, arctéque præcipientes, vt ipſimet, niſi fortè iuſto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certè per ſuos legitimos procuratores & nuncios, ſacro huic Concilio omnino adeſſe & interreſſe debeant. Suprà autem dictos, Imperatorem, Regémque Chriſtianiſſimum, necnon cæteros Reges, Duces Principes; quorum præſentia, ſi aliàs vmquam, hoc quidem tempore maximè ſanctiſſimæ CHRISTI fidei, & Chriſtianorum omnium futura eſt ſalutaris; rogantes atque obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei & Domini noſtri IESV-CHRISTI, cuius fidei veritas & religio, & intus & extra grauiter iam oppugnatur, vt, ſi ſaluam volunt Chriſtianam eſſe Rempubl. ſi ſe Domino obſtrictos & obligatos pro maximis illius erga ſe beneficiis intelligunt, ne deſerant ipſius Dei cauſam & negotium? ipſimet ad ſacri Concilij celebrationem veniant, in quo ipſorum pietas atque virtus communi vtilitati ſalutique ſuæ ac cæterorum & temporali & æternæ plurimum eſt profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere ipſi non poterunt, at graues ſaltem viros Legatos cum auctoritate mittant, qui perſonam Principis ſui quiſque & cum prudentia, & cum dignitate poſſint in Concilio referre. In primis verò vt id curent, quod ipſis facillimum eſt, vt ex ſuis cuiuſque regnis ac Prouinciis Epiſcopi, & Prælati ſine tergiuerſatione & mora ad Concilium proficiſcantur, quod maximè quidem à Prælatis Principibúſque Germaniæ Deum ipſum, atque nos impetrare æquum eſt, vt cùm eorum præcipuè causâ ipſiſque cupientibus Concilium indictum ſit, & in ea ciuitate indictum, quæ ab eis eſt deſiderata, non grauentur ipſi ſua cunctorum præſentia id celebrare & ornare; quo meliùs atque commodius, quæ ad integritatem, & veritatem Chriſtianæ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationémque malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe tam Principum, quàm populorum pacem, vnitatem, concordiámque pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum, & infidelium, quibus illi vniuerſam Chriſtianitatem obruere moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris conſultationibus præeunte, & lumen ſapientiæ ſuæ ac veritatis mentibus noſtris præferente, agi in dicto ſacro œcumenico Concilio, & conſpirante omnium charitate conſuli, tractari, confici ad optatoſque exitus deduci quamprimum & quam optimè poſſint. Atque vt noſtræ hæ litteræ, & quæ in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perueniant, neve quis illorum ignorantiæ excuſationem prætendat, cùm præſertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illæ eſſent intimandæ, tutus forſitan pateat acceſſus, volumus & mandamus, vt in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem diuinam

congre-

congregari ſolita eſt, palàm clara voce per Curiæ noſtræ curſores, aut Notarios aliquos publicos legantur, lectæque in valuis dictarum Eccleſiarum, itemq́ue Cancellariæ Apoſtolicæ portis, & Campi Floræ ſolito loco affigantur; vbi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquamdiu expoſitæ pendeant: cúmque inde amouebuntur, earum nihilominus exempla in eiſdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem, affixionémque huiuſmodi, omnes & quoſcunque, quos antedictæ noſtræ litteræ comprehendunt, poſt ſpatium duorum menſium à die litterarum publicationis & affixionis, ita volumus obligatos eſſe atque aſtrictos, ac ſi ipſiſmet illæ coram lectæ & intimatæ eſſent, tranſumptis quidem earum, quæ manu publici Notarij ſcripta aut ſubſcripta, & ſigillo perſonæ alicuius Eccleſiaſticæ, in dignitate conſtitutæ, munita fuerint, vt fides certa & indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę indictionis, annunciationis, conuocationis, ſtatuti, decreti, mandati, præcepti, & obſecrationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ M. D. XLII. XI. Kal. Iun. Anno VIII.

*Bloſius.*

Hier. Dand.

# SESSIO PRIMA SACROSANCTI OECVMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,

## SVB PAVLO III. PONT. MAX.

CELEBRATA DIE XIII. MENSIS DEC. ANNO DOM. M. D. XLV.

*Decretum α β γ δ ε ζ de inchoando Concilio.*

PLACET ne vobis, ad laudem & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus S. ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Chriſtianæ, ad extirpationem hæreſum, ad pacem & vnionem Eccleſiæ, ad reformationem Cleri & populi Chriſtiani, ad depreſſionem & extinctionem hoſtium Chriſtiani nominis, decernere & declarare, ſacrum Tridentinum & generale Concilium incipere, & inceptum eſſe? *Reſponderunt*, PLACET.

*Indictio futuræ Seſſionis*

Et cùm proxima ſit celebritas Natiuitatis Domini noſtri IESV CHRISTI; & ſubſequantur aliæ feſtiuitates labentis & incipientis anni; placet ne vobis primam futuram Seſſionem habendam eſſe die Iouis poſt Epiphaniam; quæ erit ſeptima menſis Ian. Ann. Dom. M. D. XLVI. *Reſponderunt*, PLACET.

A REMIS-

UNIVERSITARIA DE GRANADA

# REMISSIONES.

α AN *Concilium generale abſque auctoritate ſummi Pontificis celebrari poſſit?* Negat Bobadil. in ſua Politica lib. 2. cap. 18. num 194. *vbi etiam reſoluit, quod licet principes ſaculares non poſſint illud conuocare, poſſunt tamen per ſuos iudices ad illius agere obſeruantiam.*

β *An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare ſuper Concilium?* Affirmant, *ſi de eo faciat expreſſam mentionem, & non ſufficere clauſulam derogatoriam generalem*, Cott in memorab. verbo clauſula non obſtante, Rebuff. in Auth. habita, verbo examinatione pag. 580. cum ſeq. Cod. ne filius pro patre. & in praxi benefic. tit. de diſpenſat. ſuper defectum natal num. 14. Guttier. pract. lib. 3. quæſt. 17. num. 231. Aloyſ. Ricci. in collect deciſ. p. 4. collect. 1367. *propè finem* P. Henriq. in ſum. lib. 13. cap. 57. §. 1. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 2. verbo abſolutio, verſ. dico 5. ibi ſed ad hoc reſpondetur pag. 5. Flores. Vari. li. 1. quæſt. 10. num. 50. Steph. Gratia. diſcep. forenſ. cap. 397. à num. 35. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 8. art. 10. & tom. 3. quæſt. 36 ar. 2. & quæſt. 39. art. 4. P. Azori inſtit. moral p. 2. li. 5. cap. 14. col. 274. P. Valeri Reginald. in praxi fori pœnit lib. 5. art 2. *& quod conſtitutio Conciliaris tacitè continet clauſulam derogatoriam, & propterea ei non derogetur per clauſulas generales, reſoluunt* Caputaq. p. 1. deciſ. 268. Veral. deciſ. 176. Aloyſ Ricci. in collect. deciſ. p. 4. coll. 849.

γ *An Epiſcopus contra Concilium diſpenſet expreſſè vel tacitè?* Negant gloſſ. in cap. cùm dilectus, verbo in ætate, de elect Rebuff. in tract, Nominat. q. 5 nu. 30. Gutier. de Iuram. comfirm. p. 1 c 51. n. 24. & Canon li. 1. cap. 5. n. 10. P Henriq d. c. 57. §. 1. lit C. Stepha. Gratian. d. c. 397. n. 33. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. li. 31. c 27. nu. 202. in princip.

δ *An poſſit diſpenſare ex magna cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis?* Affirmant Tiraquell. de pœnis temper. in præfat. nu. 31. Lambert. de iure patronat. p. 1. lib. 2. artic. 19 quæſt. 7 princip. num. 2. Cott. in memorab. verbo Epiſcopus. Rebuff in praxi tit. de diſpenſat. ad plura benef. à num 30. Spin in ſpeculo teſtament. gloſſ. 15. princip. à num. 8. Humad in lib. 5 gloſſ. 12. in fine verſ. limitatur tit. 5. par. 1. P. Sanch. de Matrim. lib. 2. diſp. 40. à num. 2. Cened Pract. & Canon. quæſt. lib 1. quæſt. 30. à num. 5. Mich. Graſſ. tom. 1. commun. opin. lib. 1. tit. 2. num. 67. *vbi reſoluunt, Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper Concilium ex magna cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis, quando Concilium vel permittit diſpenſare, vel loquitur impersonaliter, nec vetando, nec permittendo, nec imponendo aliquam pœnam.*

v. Villalobos pum^a p^s. trat. 2 cap. 52. n^o. 1

ε *An omnia decreta Concilij contineant decretum irritans?* Affirmat Gonzal. ad reg. 8. cancel. gl 15. n. 37.

ζ *An*

*ʒ An Literæ & conſtitutiones contra Trid. reducendæ ſint ad ius commune? Affirmatiuè proprio motu definiuit Gregor. 13. prout teſtatur* P. Henriq. p. 1. ſum. lib 6. c. 6. §. in gl. lit R,

## SESSIO SECVNDA, CELEBRATA DIE VII. MENSIS IANVARII, M. D. XLVI.

### *Decretum de modo viuendi, & alijs in Concilio ſeruandis.*

SACROSANCTA Tridentina Synodus, *α in Spiritu ſancto β legitimè congregata*, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, agnoſcens cum B. Iacobo Apoſtolo, quòd [a] omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum; qui ijs, qui poſtulant à ſe ſapientiam, dat omnibus, affluenter, & non improperat eis; & ſimul ſciens, quòd [b] initium ſapientiæ eſt timor Domini: ſtatuit & decreuit *γ omnes & ſingulos Chriſti fideles, in ciuitate Tridentina congregatos*, exhortandos eſſe, prout exhortatur, vt ſe à malis & peccatis hactenus commiſſis emendare, ac de cætero [c] in timore Domini ambulare, & deſideria carnis non perficere, orationibus inſtare, ſæpius confiteri, Euchariſtiæ ſacramentum ſumere, eccleſias frequentare, præcepta denique Dominica, quantum quiſque poterit, adimplere, necnon quotidie pro pace Principum Chriſtianorum, & vnitate Eccleſiæ priuatim orare velint: Epiſcopos verò, & quoſcumque alios, in Ordine ſacerdotali conſtitutos; œcumenicum Conciliũ in ea ciuitate concelebrantes, vt aſſiduè in Dei laudibus incumbere, hoſtias, laudes, & preces offerre, ſacrificium Miſſæ quolibet ſaltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, ac [d] Spiritum ſãctum in diſcipulos infudit peragere ſatagant, facientes, ſicut idem

a *Iac.* 1.
b *Prou.* 1. *Pſalm.* 110
c *Prouer.* 1. & 9.
d *Act.* 2.

*a 1. Tim. 2.*

Spiritus ſanctus per [a] Apoſtolũ præcipit obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro Sanctiſſimo Domino noſtro Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cęteris, qui in ſublimitate cõſtituti ſunt, & pro omnibus hominibus: vt quietam & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Prætereà hortatur vt ieiunẽt ſaltem ſingulis ſextis Ferijs in memoriam Paſſionis Domini, & eleemoſynas pauperibus erogent: in eccleſia autẽ cathedrali ſingulis quintis Feriis celebretur Miſſa de Spiritu ſancto, cum litaniis, & aliis orationibus ad hoc inſtitutis: in aliis verò eccleſiis eadem die dicantur ad minus litaniæ, & orationes: [b] tẽpore autem, quo ſacra peraguntur, collocutiones, & confabulationes non fiãt; ſed ore & animo, celebrãti aſſiſtatur. Et quoniam [c] oportet Epiſcopos eſſe irreprehenſibiles, ſobrios, caſtos, domui ſuæ benè præpoſitos; hortatur etiam, vt ante omnia quilibet in menſa [d] ſeruet ſobrietatem, moderationemq́ue ciborum; deinde cùm in eo loco ſæpè otioſi ſermones oriri ſoleãt, vt [e] in ipſorum Epiſcoporum menſis diuinarum Scripturarũ lectio admiſceatur: familiares verò ſuos vnuſquiſque inſtruat, & erudiat, ne ſint rixoſi, vinoſi, impudici, cupidi, elati, blaſphemi, & voluptatum amatores, vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur; & in veſtitu, & cultu, & omnibus actibus honeſtatem præſeferant, ſicut decet miniſtros miniſtrorum Dei. Ad hæc, cùm huius ſacroſancti Concilij præcipua cura, ſolicitudo, & intentio ſit, vt, propulſatis hæreſum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, Iesv Christo, [f] qui vera lux eſt, annuente, candor puritáſque refulgeat; & ea, quæ reformatione egent, reformentur: ipſa Synodus hortatur omnes Catholicos hîc congregatos, congregandos, atque eos pręſertim, qui ſacrarum litterarum peritiam habent, vt ſedula meditatione diligenter ſecum ipſi cogitẽt, quibus potiſſimum viis, & modis ipſius Synodi intentio dirigi optatum effectum ſortiri poſſit: quo maturius & cõſultius damnari damnanda, & probanda probari queant: vt per

*b Infr in ſeſſ. 21. in decreto de obſeruandis in celeb. miſſ.*

*c 1. Tim. 3.*

*d Tit. 1. 3. Tim. 1. c. fi. 2 q. 7. cum ſim. com. Tolet. 3. ca. 7. conc. Rhemen. 6. 17. Euſeb. in 4. decret. & inf. Seſſ 25. c. 1. de refor.*

*e Euſeb. 1. epi. 3.*

*f Ioan. 1. c. cum ex.*

*Iniunctio de hæret.*

vt per totum orbem omnes vno ore, & eadem fidei confeſſione glorificent Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

In ſententijs verò dicendis, iuxta [a] Toletani Concilij ſtatutum, in loco benedictionis conſidentibus Domini ſacerdotibus, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falſis vaniſve, aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quidquid dicatur, ſic mitiſſima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendantur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur.

[a] *Conc. Toleț. 11. cap. 1. Conc. Conſtan. Seſſ. 1. in princ c in loco 5. q. 4. Vide & 4. Tolet. c. 3.*

δ *Inſuper ipſa ſacra Synodus* ſtatuit, ac decreuit, quòd, ſi fortè contigerit aliquos debito in loco [b] non ſedere, & ſententiam, etiam ſub verbo, Placet, proferre, Congregationibus intereſſe, & alios quoſcumq; actus facere, Concilio durante, nulli propterea præiudicium generetur, nullique nouum ius acquiratur.

[b] *Idem in concl. repetitur. Epiſcopis forma præſcripta eſt.* 1. Bracc. c. 24.

*Deinde indicta fuit futura Seſſio ad diem Iouis, quartam menſis Febr. proximè venturi.*

---

## REMISSIONES.

α IN *Spiritu ſancto legitimè congregata.* ] *Quod Spiritus S. Concil. generali legitimo immediatè aſſiſtat*, reſoluunt Iacobatius de Concil li. 10. art. 1. n. 205. Arag in 2. 2. D. Thomæ. q. 1. art 10. pag. 88.

β Vtrùm *generalia Concilia legitimè congregata in fidei, & in morum definitione errare poſſint?* Negant Campec. de Concil cap. 35. Canus in locis Theolog. lib, 5. cap. 4 concl. 9. Albertin. de agnoſc. aſſer. q 5. nu 7. & qu. 21 nu. 16 & qu 30. n 24 Iacob. lib. 6 de Concil. art 2. n. 155. & lib. 5 art. 11. n 14. Cordub. in quæſt lib. 4. q 1. cõcl. 9. Caſtr. aduerſus hæreſes li 1. c 6. & de iuſta hæret. punitione li. 1 c 5. Arag in 2. 2. D Thomæ q. 1. art. 10 pag. 8 1. col 2. verſ Sed eſt dubium, & verſ 2. concluſio Veg li. 9 in Concil. Trid. c. 39. P. Azor. inſtit mor. p. 2. li 5. c 4. col. 539 vbi reſoluit, Papam in his quæ ſunt fidei errare non poſſe.

γ *Omnes & ſingulos Chriſti fideles in ciuitate Tridentina congregatos* ] *An omnes fideles intereſſe debeant Concilio generali?* Vide Iacob. de Concil. lib. 1. art 2 Turrec. lib. 3. ſum. cap 12. cum ſeqq Guerr. in theſauro Chriſtianæ religionis cap. 52 § 7. *qui reſoluunt ad vocem deciſiuam ſolùm Epiſcopos alioſq; ſuperiores prælatos conuocari, cæteros*

*tamen eccleſiaſticos & ſæculares intereſſe poſſe abſque deciſiuo ſuffragio generale enim Concilium dici Synodum Epiſcoporum probat* cap. Romana Eccleſia 15. diſt. c. ſatis euidenter 96 diſt.

d *Inſuper ipſa ſacra Synodus, &c.* ] *Quis ordo in ſedendo, & ſubſcribendo, & in aliis actibus generalis Concilij ſeruandus ſit?* Vide caput final. 17. diſt cap. placuit ei. 1 diſt. 18 cap. Epiſcoporum 74. diſt Petr. à Monte de poteſt Pontif. tit. ordo aſſiſtentium in Concil. à nu. 1. & in Monarch. Concil. q. 5. Iacob de Concil. lib. 1 artic. 2. pag. 10. cum ſeqq. Roch. de Iure patron verbo Honorificum q. 42. Caſſan. in Catalogo gloriæ mundi p. 4. conſid 23. Guerr d c. 52. § 6.

## SESSIO TERTIA.

# CELEBRATA DIE IV. MENSIS FEBRVARII, M. D. LXVI.

### *Decretum de Symbolo fidei.*

*IN a nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis*, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Hæc ſacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum conſiderans, præſertim earum, quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæreſibus, & moribus reformandis, continentur, quorum cauſa præcipuè eſt congregata; agnoſcens autem cum [a] Apoſtolo, ß *non eſſe ſibi colluctationem* aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus ſpiritales nequitias in cœleſtibus, cum eodem omnes, & ſingulos in primis hortatur, vt confortentur in Domino, & in potentia virtutis eius, in omnibus ſumentes [b] ſcutum fidei, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, atque galeam ſpei ſalutis accipiant, cum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Itaque, vt hæc pia eius ſolicitudo principium, & progreſſum ſuum per Dei gratiam habeat, ante omnia ſtatuit, & decernit, præmittendam eſſe confeſſionem fidei [c] γ *Patrum*

a *Epheſ. 6.*

b *c. qui reſiſtit. 11. q. 3.*

c *Conc. Nicen. Conc. cā.*

*trum exempla* in hoc ſecuta, qui ſacratioribus Conciliis hoc ſcutum contra omnes hæreſes in principio ſuarum actionum apponere conſueuere: quo ſolo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. ✝ *Quare Symbolum fidei*, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidẽ Chriſti profitentur, neceſſariò conueniunt, ac fundamentum firmum & vnicum, contra quod [a] portæ Inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus eccleſiis legitur, exprimendum eſſe cenſuit, quod quidem eiuſmodi eſt.

*Rom ſub Iul. 1. Conc. Hippon. in prin. Conc. Conſtant. 6. act. 7. cum ſim. c. 1. diſt 15 c. baptizandus cum ſeq. de conſ. diſt. 4. c. 1. de ſum Trin.*

*a Matth. 16. c. in nouo 21 diſt. c. ſaluator. 1. q. 3.*

6 Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, & ex Patre natũ ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt; Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die, ſecundùm Scripturas; & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris; & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni nõ erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem; qui ex Patre Filióque procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

## *Indictio futuræ Seſſionis.*

Eadem ſacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſãcto legitimè congregata, in ea præſi-

præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, intelligens multos Prælatos ex diuerſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe, quò huc veniant; cogitanſq; omnia ab ipſa ſacra Synodo decernenda, eò maioris apud omnes exiſtimationis, & honoris videri poſſe, quò maiori fuerint, & pleniori Patrum conſilio, & præſentia ſancita & corroborata; ſtatuit, & decreuit, futuram Seſſionem poſt præſentem celebrandam eſſe die Iouis, quæ ſubſequetur Dominicam Lætare, proximè futuram: interim tamen non differri diſcuſſionem, & examinationem eorum quæ ipſi Synodo diſcutienda, & examinanda videbuntur.

---

# REMISSIONES.

α IN *nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis*] *Concord. Apoſtolus ad Coloſſ. ibi*, Quodcunque facitis in verbo, & opere, in nomine Domini Ieſu Chriſti facite, *Vide* Luſitanum Ioannem Vallenſem, Peixotium in addit. ad repet. Signaroli de Homedæ. ad Rub. Cod. Qui admitti, n. 1. cum ſeqq. Mozzi de contractib. tit. quomodo contractus deficiat, à n. 27. nouiſſimè Fr. Paulin. Berti Lucenſ. in praxi crim. Regul. tit 4. in princip. n. 6. Cald. Pereira de empt. c. 1. nu 2. & 14. latè Stephan. Gratian. deciſ. 1. per totam.

β *Non eſſe ſibi colluctationem*] concordat Apoſt. ad Epheſ. cap. 6. & cap qui reſiſtit 11 q. 1.

γ *Patrum exempla, &c.*] Concordant Concil. Nicænum, Concil. Roman. ſub Iulio. 1. Concil. Cōſtant. 6. act. 17 cap. 1. 19. diſt. c. baptizandos de conſecrat diſt. 4. c. 1. de ſumma Trinit.

δ *Quare ſymbolum fidei*] Symbolum dicitur à ſyn, quod eſt ſimul, & bolus quod eſt morſellus, quia vnuſquiſque Apoſtolorum ſuum morſellum, id eſt. partem ſuam appoſuit; gl in Rub. de ſumma Trinit. *Vel dicitur ſecundum Dionyſium à ſyn, quod eſt con, & bolyn, quod eſt ſententia, vel conuenientia, quia de omnium Apoſtolorum conuenientia ſtabilitum fuit*, Gregor. Lop. l. 1. verbo bocados, tit. 3 p. 1.

ε De fidei ſymbolo vide D. Aug. ſer. 115. & 119. D. Ambr. ſerm. 38. de Ieiuniis Quadrag. D. Hieron. epiſt. 61. ad Pammachium, Turrecrem. lib. 1. ſuæ ſum. cap. 19. Bannes in 2. 2. D. Thom. q. 1. ar. 9. Reper. Inquiſ. verbo Eccleſia, Ruffi. de ſymbolo fidei P. Azori. inſtit. moral p. 1. lib. 8. c 5. P. Ledeſ in ſum p. 1. tract. de doct. Chriſt. in princ.

SESSIO

# SESSIO QVARTA.

## CELEBRATA DIE VIII. MENSIS APRILIS. M. D. XLVI.

### *Decretum de Canonicis ſcripturis.*

SACROSANCTA OEcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus, puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur: quod promiſſum antè per Prophetas in Scripturis ſanctis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei Filius, proprio ore primùm promulgauit, deinde per ſuos Apoſtolos tamquam fontem omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, [a] *œ omni creaturæ prædicari iuſſit*: perſpiciensq́; hanc veritatem, & diſciplinam contineri *β in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus*, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſque peruenerunt, orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm noui Teſtamenti, cùm vtriúſque vnus Deus ſit auctor, necnon traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcipit, & veneratur. Sacrorum verò librorum [b] Indicem huic decreto adſcribẽdum cenſuit; ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint qui, ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt verò infraſcripti, *γ Teſtamenti veteris*, quinque Moyſi, id eſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus & ſecundus, qui dicitur Nehemias, To-

a *Mar. vlt.*

b *In can. Apoſt. c. 84. Innocen. 1. Epiſt 3 c. 7. Gelaſius in Conc. 70. Epiſ. Conc. Laodic. cap. 59. Conc. Carth. 3. cap. 47. c. ſanctæ Romana diſt. 15. & fine Epiſt. Eugen. in Conc. Florent. ad Armenos.*

bias, Iudith, Heſter, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, A *duo Machabæorum*, primus & ſecundus. Teſtamenti noui, quattuor Euangelia, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti: quattuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Thimotheum, ad Titum, ad Philomenem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ, Ioannis Apoſtoli tres, Iacobi Apoſtoli vna, Iudæ Apoſtoli vna, & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. *Si* ε *quis autem libros ipſos integros* 1 *cum omnibus ſuis partibus*, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit; & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit; anathema ſit. Omnes itáque intelligant, quo ordine, & via ipſa Synodus, poſt iactum fidei confeſſionis fundamentum, ſit progreſſura, & quibus potiſſimùm teſtimoniis, ac præſidiis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus, ſit vſura.

## DECLARATIONES.

1. *Cum omnibus ſuis partibus.* ] Etiam dicendum eſt, quod ne vel periodus, vel vna clauſula, vel dictio aut ſyllaba, iotáve vnum, repugnet in veteri vulgatæ linguæ Latinæ Editione. Quo ad oppoſitiones autem contextus Græci, aut Hebraici cum Latina vulgata editione, Cong. remiſit ad tertiam regulam Indicis ſub Pio Quarto editam.

Chartuſiani obligati ſunt vti veteri ac vulgatâ Editione ſacræ Scripturæ ſecundùm vſum S. R. E.

*Decre-*

## *Decretum de editione & vſu ſacrorum librorum.*

INſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ζ *ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur*, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit, & declarat, vt hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica hebeatur; & vt nemo illam reiicere quouis prætextu audeat, vel præſumat.

Præterea, η *id* [a] *coërcenda petulentia ingenia*, decernit, vt nemo, ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, θ *contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia*, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam [b] contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat; etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vmquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure ſtatutis puniantur.

*a cap. hæreſis, & c. Adam, in fin 24. q. 3. & infra, Seſſ. 13. cap. 1.*

*b Sic Synodus in Trull. c. 19. quam putant Conſtant. 6. c. exiit. circa fi. de verb. ſign. in 6. lib. 5.*

ι *Sed & Impreſſoribus* modũ in hac parte, vt par eſt, imponere volens, qui iam ſine modo, hoc eſt, putantes ſibi licere quidquid libet, ſine licentia ſuperiorum Eccleſiaſticorum, ipſos ſacræ Scripturæ libros, & ſuper illis annotationes, & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpe tacito, ſæpe etiam ementito prælo, & quod grauius eſt, κ *ſine nomine auctoris* imprimunt, alibi etiam impreſſos libros huiuſmodi temerè venales habent; decernit, & ſtatuit, vt poſthac ſacra Scriptura, potiſſimum verò hæc ipſa vetus & vulgata editio quã emẽdatiſſimè imprimatur; nulliq; liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis libros de rebus ſacris ſine nomine auctoris,

neque

*a Seſſ. 10. de impreſſione librorum, ſub Leone X.*
* vide poſt finem libri.

neq;illos in futurum vẽdere,aut etiam apud ſe retinere, niſi primùm examinati probatiq; fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis & pecuniæ, [a] in canone Concilij nouiſſimi Lateranẽſis appoſita.*λ μ *Et,ſi regulares* fuerint vltra examinationem & probationem huiuſmodi,licentiam quoq; à ſuis ſuperioribus impetrare teneãtur,recognitis per eos libris, iuxta formam ſuarum ordinationũ. Qui autem ſcripto eos communicant, vel euulgant, niſi anteà examinati probatiq; fuerint, eiſdem pœnis ſubiaceant quibus Impreſſores.Et qui eos habuerint vel legerint, niſi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur,atque ideò in fronte libri, vel ſcripti,vel impreſſi, authenticè appareat: idq; totum, hoc eſt,& probatio & examen gratis fiat:vt probanda probentur,& reprobentur improbanda. *Poſt ν hæc temeritatem* illam reprimere volens, qua ad profana quæque conuertuntur, & torquentur verba & ſententiæ ſacræ Scripturæ, ad ſcurrilia ſcilicet,fabuloſa,vana,adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos; mandat & præcipit, ad tollendam huiuſmodi irreuerentiam & contẽptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet verba Scripturæ ſacræ ad hæc & ſimilia audeat vſurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis,per Epiſcopos coërceantur:

*Indictio futuræ Seſſionis.*

ITEM hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit,& decernit, proximam futuram Seſſionem tenendam, & celebrandam eſſe Feria quinta, poſt ſacratiſſimum feſtum proximum Pentecoſtes.

---

## REMISSIONES.

α *Omni creaturæ prædicari iuſſit*] Concil illud Matth. vlt. Euntes ergo docete omnes gentes,*& illud* Mar. 16. Euntes in mundum vniuerſum prædicate omni creaturæ.

β *In*

β *In libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus* ] Vide Patrem Ioannem Azori inſtit.moral.p.1.lib.8 cap 4 q.1.*vbi q 2.vocat traditionem diuinam illam quæ in Scripturis non continetur expreſſè, ſed adhibito communi Patrum, vel Eccleſiæ ſenſu certa & neceſſaria conſequutione ex ſacris literis colligitur.* Et quæſt. 3. *quærit quænam ſint traditionum genera.*

γ *Teſtamenti veteris, &c.* Vide Patrem Ioannem Azori. inſtit. moral.p 1.lib 8.cap.1.q.4.

δ *Duo Machabæorum* ] Vide Arnald. Pontacum in annotat ad Euſebium Cæſar col.mihi 446.

ε *Si quis autem libros, &c.* ] Vide P. Ioannem Azori. inſtitutionum moral.p.2 lib.5 cap.8 col 556.

ζ *Si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, &c.* Vide P. Ioannem Azori inſtitutionum moralium p.1.lib.8.cap 3.q 2. *vbi q. 3. reſoluit quòd approbatione vulgatæ & Latinæ editionis non damnantur exemplaria Hebraica, vel Græca, ex quibus tamquam ex fontibus Latina editio fluxit, quæ quidem retinent ſuam fidem & auctoritatem, vbi incorrupta, & integra fuerint.*

η *Ad coërcenda petulantia ingenia* ] *Concordat* textus in cap. hæreſis, & in cap Adam in fine 24.q.3.

θ *Contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia* ] In Concilio Mileuitano capite 2 *decreuerunt Patres non aliter intelligenda eſſe verba ſacræ Scripturæ, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica ſemper intellexit.* Vide Sebaſt. Medices in ſumma omnium hæreſum p. 1.q. 2 Martin.de Ayal.de tradit.Eccleſiaſt aſſert. 5.Melchi.Can. de locis Theolog.lib 12. cap.7.Cordub lib 4. quæſt.Theolog q 1 præpoſit. 6.verſ.tertium ſignum veræ fidei. Cened. ad Decretal collect.8.n.5. cum ſeqq.P.Azori inſtit moral.p.1.lib.8 cap.2.quæſt.2.verſ.reſpondeo *vbi q. 3. an interpretari liceat Scripturam ſacram, non quidem contra vnanimen conſenſum Patrum, ſed præter illum duntaxat.* & q. 5. *quærit, quot ſenſus poſſit habere vnus Scripturæ locus, & reſpondet poſſe habere duos vnum literalem, alterum myſticum.*

ι *Sed & impreſſoribus, &c.* ] In Concilio nouiſſimo Lateranenſi ſeſſione decima de impreſſione librorum, *conſtitutum eſt quòd nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis libros de rebus ſacris ſine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primùm examinati probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis & pecuniæ* Vide P. Valeri.Reginald.in praxi fori pœnitent. lib. 19 cap.13. ſect.4.n 256 Caſtr.li.1.de poteſt.legis pœnal cap.8 verſ. eſt etiam quædam lex.Cou. lib.4.vari cap 17 n. 1. *verſ. at hiſce calamitoſis temporibus.* Fuſc.de Viſitat lib.2.cap.11. n. 9. Felician. de cenſur.tit.de excommunicat cap.24.verſ. qui librum, pag. 95. Andreæ. Gambar.de officio & poteſtate legati de latere, libro ſecundo num. 430. Cened. ad Decretal. collect. 8. numero ſeptimo. Petr. Azori. inſtit.moral. p. 1.lib 8 cap. 17.quæſt.1.*vbi q.2. idem reſoluit de quacunque ſcriptura.*

κ *Sine*

κ *Sine nomine auctoris* ] An ſufficiat ſi nomen certi Collegij, conuentus, vel vniuerſitatis apponatur? Affirmat Pater Ioannes Azori. inſtit. moral. part. 1. lib. 8 cap. 17 q. 3

λ *Etſi regulares* ] Vide Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. q. 8. art. 6.

μ *Niſi antè examinati, &c.* ] An comprehendat priuatas orationes, conciones, annotationes, & obſeruationes de rebus ſacris? Vide P. Azori. d. c. 17. q. 4.

ν *Poſt hæc temeritatem, &c.* ] An nefas ſit Scripturarum ſacrarum verba ad profanam & vanam interpretationem conuertere? Affirmat Pater Ioannes Azori. dict. lib. 8. c. 2. q. 4.

# SESSIO QVINTA,

## CELEBRATA DIE XVII. MENSIS IVNII, M. D. XLVI.

### *Decretum α. de peccato originali.*

a Heb. 11. b

b Epheſ. 4.
c Gen. 3.

Infrà 117. & 134.

VT fides noſtra Catholica, [a] ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, purgatis erroribus, in ſua ſinceritate integra & illibata permaneat; & ne populus Chriſtianus [b] omni vento doctrinæ circumferatur; cùm [c] Serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, eiuſque remedio non ſolùm noua, ſed vetera etiam diſſidia excitauerit: ſacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, iam ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, ſacrarum Scripturarum, & ſanctorum Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ iudicium, & conſenſum ſecuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur, ac declarat.

d Caleſtin. in Epiſt. 1. c. 4.

1 *Si* [d] *β quis non confitetur*, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, ami-

amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam præuaricationis huiuſmodi iram, & indignationem Dei, atque ideò mortem, quam anteà illi comminatus [a] fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, [b] qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, diaboli, totumque Adam, per illam præuaricationis offenſam, ſecundùm corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe; anathema ſit.

a *Gen. 3.*
b *Hed. 2. Conc. Arauſicanum. 1. c. 1.*

2 Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & [c] non eius propagini, aſſerit nocuiſſe; & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit; cùm contradicat Apoſtolo dicenti: Per [d] vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.

c *Rom. 5. 1. Corinth. 15. Conc Arauſicanum. 2. c.*
d *Rom 5. c. placuit, c. regenerante, & c quæris in fin. de cõſ. diſt. 4.*

3 *Si quis γ hoc Adæ peccatum*, quod origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus, ineſt vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedinm aſſerit tolli, quàm per meritum vnius mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, [e] qui nos Deo reconciliauit in ſanguine ſuo, factus nobis [f] iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio; aut negat ipſum Chriſti Ieſu meritum per Baptiſmi ſacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, tam adultis, quàm paruulis applicari, anathema ſit: quia non [g] eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. vnde illa [h] vox: Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: [i] Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

e *1. Tim. 2. Coloſſ. 1. c. multipl. de pœnit. diſt. 1.*
f *1. Cor. 1.*
g *Act. 4.*
h *Ioan. 1. c. nemo. de conſ. diſt 4.*
i *Gal. 3.*

4 *Si δ quis paruulos recentes* ab vteris matrum baptizandos negat, etiam ε ζ ſi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit [k] in remiſſionẽ quidem peccatorũ eos baptizari, ſed nihil ex Adã trahere originalis peccati, quod

k *Conc. Milenſitanum c. 1. Conc. Afric. c. 77 & c. placuit de conſ. diſt. 4.*

rege

regenerationis lauacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam; vnde fit conſequens, vt in eis forma Baptiſmatis, in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur; anathema ſit: quoniam non aliter intelligendum eſt id quod dixit Apoſtolus: [a] Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt: niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. [b] Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

*a Rom. 5. c. placuit c. Quæris in fi. & c. regenerante. de conſ. diſt. 4.*

*b Ioan. 3. c. ſi-lius, & c. non dubito. de conſ. diſt. 4. c. debitum cum ſeq. de bapt.*

5 *Si n quis per Ieſu Chriſti* Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; *aut 8 etiam aſſerit non tolli* totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; ſed illud [c] dicit tantùm radi, aut non imputari: anathema ſit. in renatis enim nihil òdit Deus: quia [d] nihil eſt damnationis iis, qui verè [e] conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem, qui [f] non ſecundùm carnem ambulant, ſed, [g] veterem hominem exuentes, & [h] nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes: innocentes, immaculati, puri innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt, [i] hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur. *Manere 1 autem in baptizatis* concupiſcentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit: quæ cùm ad [k] agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed vtiliter per Chriſti Ieſu gratiã repugnantibus non valet: quinimò, qui [l] legitimè certauerit coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando [m] Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè, & propriè in renatis pecca-

*c Ex c. 13. lib. 1. contra 2. Epiſt. Pelag.*
*d Rom. 8.*
*e Rom. 6. & c. propriè, de conſ. diſt. 4.*
*f Rom. 8. a.*
*g Coloſſ. 3.*
*h Epheſ. 4. c. quo modo renouari. de pœnitent. diſt. 2.*
*i Rom. 8. Gal. 3.*
*k Ex cap. vlt. li. 1. de pec. mer. & rem.*
*l Tim. 1.*
*m Rom 6. 7. & 8. Coloſſ. 3.*

tum ſit, [a] ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit; anathema ſit.

1 *Declarat* 1 *tamen hæc ipſa ſancta Synodus*, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; ſed obſeruandas eſſe [b] conſtititutiones fœlicis recordationis Xiſti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas 2 *innouat.*

a *Reſpicit.c.23. lib.1. contra 2. Epiſt. Pelag. & alios locos eiuſdem.*

b *In extrau.com. lib. 3. de relig. & vener ſanct. cap. 2. Graue nimis.*

vide poſt finē huius libri.

## DECLARATIONES.

1 *Declarat tamen hæc, &c.* ]Nemo cuiuſcumque ordinis gradus vel dignitatis exiſtat, in popularibus Concionibus, vel vbicunq; promiſcua virorum & mulierum multitudo conuenire ſolet, de controuerſia Conceptionis immaculatæ Dominæ noſtræ ex alterutra parte diſputare rationibus vel doctorum auctoritate, alteram ſententiam aſſerendo, & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipſa quæſtione cuiuſuis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere vel dictare præſumat. Qui contra fecerit, ſuſpenſionis pœnam à diuinis abſque noua declaratione ipſo facto incurrat, ſi modò fuit in ſacris conſtitutus, & quocunque prætereà gradu ſiue dignitate fungatur, illis omnibus ſit ipſo iure priuatus; & ad ea vel ſimilia munera obtinenda, vel obeunda, perpetuæ inhabilitatis, cenſuræ, ipſo etiam facto ſit obnoxius: ſuper quibus niſi à Romano Pōtifice pro tempore exiſtēte diſpenſari, ſiue abſolui non poſſit, & nihilominus alijs pœnis, ſi opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti menſura infligendis ſubijciatur. Ita Pius V. extrauagant. incipiente *Super.* Quamdiu tamen per Apoſtolicam Sedem altera pars deffinita non fuerit, oppoſitáque ſententia condemnata, liceat Viris doctis in publicis Academiæ diſputationibus, ſiue generalium, ſiue prouincialium Capitulorum (vbi alias interſunt qui rem capere poſſint, nec ſcandali vlla ſubeſt occaſio) de illa quæſtione diſſerere, & argumentis vtramlibet partem, vel aſſerere, vel impugnare: dummodo tamen neutra velut erronea præiudicetur, ſeruentúrque illa omnia, quæ à Sixto IV. prædeceſſore noſtro monſtrata ſunt.

Idem Pius pœnas à Sixto IV. contra aliter facientes ſtatutas, ibidem innouat. Conſtitutio Sixti exſtat in extrauagant. communibus de Rel. & ven. Sanct. c. *Graue nimis*, in qua condemnantes alteram partem, ipſo facto excommunicationem incurrunt, cuius abſolutio, (ſolo mortis articulo excepto) ipſi Pontifici Romano eſt reſeruata.

2 *Innouat, &c.* ] Et ſuper huius opinionis altercatione nullæ ſunt literæ Apoſtolicæ promulgandæ, cùm ſufficiant illæ Sixti IV.



Biblioteca Universitaria GRANADA

# REMISSIONES.

α VIde Nauar. in manu. prælud. 8. à princip P. Azori inſtit moral. p 1. lib. 3 cap. 31 & 32. de Iuſtitia originali, & lib. 4. cap. 25 de peccato originali.

β *Si quis non confitetur* ] Vide P. Ioannem Azori. dict. lib. 4. cap. 25. quæſt. 1.

γ *Si quis hoc Adæ peccatum, &c.* ] Vide P. Azori d. lib. 4. c. 26. *propè finem*. pag. 318. P. Vaſq. in to. 2. diſp. 151. num. 18. & 19

δ *Si quis paruulos recentes, &c.* ] Concilium Mileuitanum *dicit anathema iis, qui recentes natos paruulos baptizandos negant.* Vide Clem. Rom. lib. conſtit ca. 15. in fine P. Ægid. de Conink de ſacram. & cenſur. tom. 1. q. 68. n 55. P. Valent. diſp. 4. q 3. punc 3. eſſent 3. Patrem Valerium Reginald. in praxi fori pœnit lib. 27. num. 66.

ε *An poſſint baptizare infantes infideliũ inuitis parentibus?* Vide Gabr. Vaſquez in 3. p. D. Thomæ to. 2. diſp. 155 P. Ægid. d. to. 1. diſput. 68. art. 10. P. Soar d. diſp. 25. ſect 3. P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 27 num. 68 Afflict. deciſ. 151.

ζ *An Dominus teneatur ſua mancipia curare baptizari?* Vide Patrem Soares tom. 3 diſp 25 ſect 6. P. Vaſq. d. diſp. 155. c 7. P. Ægid. dicta diſput 68 num 87.

η *Si quis per Ieſu Chriſti &c.* ] Vide Cou. in cap. alma p. 1. §. 10 n. 11. P. Ægid d to 1. q. 69. art 6. n. 1. P. Valeri. Reginald d. lib. 27. num. 61.

θ *Aut etiam aſſerit non tolli.* ] Vide Card. Bell lib. 1. de baptiſm. cap. 13. P. Ægid. tom. 1 q. 69. art. 1 à num. 1.

ι *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, &c.* ] Vide P. Henriq. in ſum. p. 1, lib. 2. cap. 16. § 2. & §. 7. P. Ægid. d. q. 69 art 3. num. 6

κ *Declarat tamen hac ipſa ſancta Synodus, &c.* ] Quòd Beata virgo fuerit immunis à peccato originali, affirmant P. Henriq in ſum. lib. 3. cap. 11. §. 3. propè finem. Fr. Emman. quæſt. Regul. to. 1. q 57. Spin. in ſeculo teſtam. gloſ 3, princip. n. 17. Ceuall communium contra comm. q 346. P Martin. Delri. diſquiſit. magic. lib 4 cap 1. q. 3. ſect. 9. pag. 266. cum ſeqq. P. Paul. Comitol reſponſ. moral lib. 6. q. 40. P Azori. inſt. moral. p 1. lib 4 cap. 34. col 352 & p. 2. lib. 1. cap 21. col. 93. P. Soar. de Religione, tom. 1 lib. 2 cap. 8 num. 2. P. Gabr. Vaſquez in 3. p. D. Thomæ tom 2. diſp. 116. & nouiſſimè D. Fr Ægid. de præſentatione *de immaculata Virginis conceptione librum compoſuit. Et nouiſſimè in generali congregatione S. Romanæ Eccleſiæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, coram S. D. N. Paulo V. conſtitutum eſt, vt in poſterum nullus audeat in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis actibus publicis aſſerere quòd B. Virgo fuerit concepta in peccato originali, donec articulus ille à Sede Apoſt. fuerit definitus, ſequenti Breui.*

FERIA

# FERIA QVINTA DIE XXXI. AVGVSTI, ANNO A NATIVITATE

Domini noſtri Ieſu-Chriſti 1617. in generali congregatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in palatio Apoſt. in monte Quirinali, coram S. D. N. D. Paulo diuina prouidentia Papa V.

*SAnctiſſimus Dominus noſter poſt longam & maturam diſcuſſionem, auditis votis Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquiſitorum, re accuratè de diligenter perpenſa prouidè conſiderans, quòd quamuis in conſtitutione fœlicis record. Sixti IV. ſuper Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ, pro ſubmouendis inter Chriſtifideles ſcandalis, rixis & contentionibus edita, à S. Trid. ſynodo innouata, & deinde in alia conſtitutionis ſanctiſſ. Pij V. ſuper eadem re, quas ſimiliter ſanctitas ſua innouauit, cum quibuſdam prouiſionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſeruatione, relinquatur vnicuiq; libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtranq; partem, quòd ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutrà veluti erronea, aut hæretica damnetur. Nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, conluſionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatiſſima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa ſcandala, iurgia, & diſſenſiones: Propterea volens huiuſmodi ſcandala ex debito ſui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus & ſingulis cuiuſuis ordinis, & inſtituti Regularibus, & aliis quibuſcumque, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis cuiuſuis conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, etiam ſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua earum eſſet neceſſariò mentio facienda, vt in poſterum, donec articulus huiuſmodi à S. ſede Apoſtolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem ſuam, & ſedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeat in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcunq; actibus publicis aſſerere, quòd eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes autem eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit, ſubiacere deberi, & ſubiici cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum, & ſua ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi tamen prouiſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium*

*inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſuprà diſpoſita. Vlterius ſub eiſdem cenſuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta in peccato originali, in prædictis publicis actionibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſſè mandauit, vt extrà hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradicta constitutiones firmæ, & illeſæ remaneant, & exactè obſeruentur, perinde ac ſi præſens decretum non emanaſſet. Et ita decreuit, & mandauit vbicunque inuiollabiliter obſeruari, non obſtantibus in hac parte ſupradictis conſtitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus. Volens & decernens pro obſeruatione, & executione præſentis decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiuſmodi tranſgreſſores etiam Regulares cuiuſuis ordinis, & inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas & ſæculares perſonas, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ quam ſæcularis, tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, aliique ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnas coërcendi, ac puniendi. Voluit demum, ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, quod præſens decretum, ſeu illius exemplar ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac ſi vnicuique perſonæ itèr intimata fuiſſent. Quodq; præſentium tranſſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa.*

Andreas de Pitrinis ſanctæ Rom. & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

*Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Christi 1617. indict. XV. die verò 12. menſis Septembris, Pontificatus autem ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Pauli, diuina prouidentia Papæ V. anno 13. præſens Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, per me Franciſcum de Clericis ſanctiſſ. D.N. Papæ Curſorem.*

Siluerius Pontirolus Mag. Curſ.

*Romæ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſt. 1617.*

*Decre-*

## *Decretum de a reformatione.*

### Capvt I.

*Habentes ſtipendium pro lectione ſacræ Scripturæ, debent cogi per Ordinarios ad munus exequendum per ſe vel per alios, & qua via procurandum ſtipendium, ſi huc-uſque non fuerit conſtitutum.*

EAdem ſacroſancta Sinodus, piis ſummorum pontificum, & probatorum a Conciliorum conſtitutionibus inhærens, eaſque amplectens, & illis adiiciens; ne cæleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat; ſtatuit, & decreuit, quòd 1 ß *in illis Eccleſiis*, in quibus præbendæ, aut præſtimonium, ſeu aliud quouis nomine nũcupatum ſtipendiũ γ *pro lectoribus ſacræ* Theologiæ deputatum reperitur, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum Ordinarij eos, qui præbendam, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi obtinent, ad ipſius ſacræ Scripturæ expoſitionem & interpretationem 2 *per ſeipſos*, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum ab ipſis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, 3 *& aliis* locorum Ordinariis 4 δ *eligendum*, etiam per ſubtractionem fructuum, 5 *cogant, & compellant*. 6 *De cætero verò* præbenda, præſtimonium, aut ſtipendium huiuſmodi non niſi perſonis idoneis, & quæ per ſe ipſos id munus explicare poſſint, 7 *conferantur*: 8 *& aliter facta prouiſio nulla ſit* & inualida, 9 ε *In Eccleſiis autem Metropolitanis vel Cathedralibus*, ſi ciuitas inſignis, vel populoſa, ac etiam in collegiatis exiſtẽtibus in aliquo inſigni oppido, etiam nullius diœceſis, ſi ibi Clerus numeroſus fuerit, 10 *vbi nulla præbẽda*, aut prẹſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi deputatum reperitur, 11 *præbenda quomodocunq;*, præterquam ex cauſa reſignationis, 12 *primò vacatura*, cui aliud onus incompatibile iniunctum non ſit, ad eum vſum ipſo facto perpetuò 13 *conſtituta* & deputata intelligatur. Et quatenus in ipſis Eccleſiis nulla, vel non ſufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Epiſcop⁹ ipſe pro aſſignationẽ

*a Vide Concil. Later. ſub Innocẽ. 3. cap. 11.*

*c. quia, &c. fide mag. & infrà Seß. 21. de refor, cap. 18.*

*Infrà Seſſ. 24 c. 15. de reſor.*

fructuum 14. *alicuius ſimplicis beneficij*, eiuſdem tamen debitis ſupportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum ſuę ciuitatis, & diœceſis, vel aliàs, prout commodiùs fieri poterit, 15. *de capituli Conſilio* ita prouideat, vt ipſa 16. *ſacræ Scripturæ* lectio habeatur; ita tamen, vt quæcũq; aliæ lectiones, vel cõſuetudine, vel quauis alia ratione inſtitutę, propter id minimè pretermittantur. ⁋ *Eccleſiæ verò, quarum annui prouentus* tenues fuerint, & vbi tam exigua eſt Cleri, & populi multitudo, vt Theologiæ lectio in eis cõmodè haberi nõ poſſit, 17. *ſaltem* [a] magiſtrũ habeant ab Epiſcopo cũ conſilio Capituli eligendũ, qui Clericos, aliosq; ſcholares pauperes 18. *grammaticã* gratis doceat; vt deinceps ad ipſa ſacrę Scripturę ſtudia, annuente Deo, trãſire poſſint. 19. *Ideoq; illi magiſtro grãmatices* vel alicuius ſimplicis beneficij fructus, quos tãdiu percipiat, quamdiu in docẽdo perſtiterit, aſſignentur; dum tamen beneficiũ ipſum ſuo debito nõ fraudetur obſequio: vel ex Capitulari, vel Epiſcopali mẽſa condigna aliqua merces perſoluatur: vel aliàs Epiſcopus ipſe aliquã rationem ineat ſuæ Eccleſiæ, & diœceſi accõmodam; ne pia hæc vtilis, atque fructuoſa prouiſio quouis quæſito colore negligatur. In monaſteriis quoq; monachorũ, vbi cõmodè fieri queat, etiam lectio ſacræ Scripturę habeatur. qua in re ſi Abbates negligẽtes fuerint Epiſcopi locorũ, in hoc vt ſedis Apoſtolicę delegati, eos ad id opportunis remediis 20. *compellant*. In cõuentib. verò aliorũ Regulariũ, in quib. ſtudia commodè vigere poſſunt, ſacræ Scripturę lectio ſimiliter habeatur: quę lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialib. aſſignetur 21. *dignioriþ.* magiſtris. In gymnaſiis etiã publicis, vbi tã honorifica, & cæterorũ omnium maximè neceſſaria lectio hactenus inſtituta nõ fuerit, religioſiſſimorũ Principũ, ac Rerum publicarum pietate & charitate ad Catholicę fidei defenſionem, & incrementũ, ſanæq; doctrinę cõſeruationem, & propagationẽ inſtituatur: & vbi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur. Et 22. *ne ſub ſpecie* pietatis impietas diſſeminetur; ſtatuit eadẽ ſãcta Synodus, neminem ad huiuſmodi lectionis officiũ

[a] *Conc. Conſtantinop. 6. c. 5. cum alleg. à me in trac. de priu. ſchol. priu. 88. c. 1 & c. quia de mag. Conc. Lateran. ſub Alex. 3. c. 18. & ſub Inn. 3. c. 11. & infrà, Seſſ. 23. c. 18. de reſor. Clem. ne in agro de ſta. mon. c. 2. de mag.*

tam

ram publicè, quàm priuatim admittendum eſſe, qui priùs ab Epiſcopo loci de vita, morib. & ſciẽtia, 23 *examinatus, & approbatus* nõ fuerit: quod tamẽ de lectorib. in clauſtris monachorũ non intelligatur. 24 n θ *Docentes verò ipsã ſacrã Scripturã*, 25 *dũ publicè in ſcholis* ι *docuerint* † *&* 26 ξ *ſcholares*[a] qui in ipſis ſcholis ſtudẽt, 27 λ μ *priuilegiis* omnib. de perceptione fructuũ prębendarũ, ν *& beneficiorũ ſuorũ*, in abſẽtia à iure cõmuni conceſſis, plenè gaudeãt, & 28. *fruãtur.*

a c. fi. de magi alleg. in meo tract. de priuil. ſ. bal. priuil. 98.

# DECLARATIONES.

1 *In illis Eccleſiis, &c.* ] Vbi non eſt conſtituta præbenda Theologalis, & viget conſuetudo, quod detur à Capitulo ſtipendium perpetuum Theologo, qui docendi ibi officio fungatur, ea ſeruanda eſt: quod ſi illud etiam poterit Theologum reddere diligentiorem in ſui muneris functione, triennium eius conductioni, Ordinarius vna cum Capitulo præfinire debet.

2 *Per ſeipſos, &c.* ] Si Tehologus huiuſmodi habens præbendam, legitimè obtineret parochialem, teneretur in ea reſidere: amiſſis diſtributionibus quotidianis, & aliis emolumentis, quæ tantùm deſeruientibus dari ſolent: in officio autem, arbitrio Ordinarij, alium deputare debet, aſſignato ei competenti ſalario.

Quando Clericus ſæcularis idoneus non reperitur pro dicta præbenda ſtatuerunt Pius V. & Gregor. XIII. collationem huius Canonicatus ſuſpendendam eſſe, donec inueniatur idoneus Theologus ſæcularis ſi fieri poſſit: interim verò nullum eſſe ab Epiſcopo fructuũ ipſius Canonicatus cuſtodem aut curatorem deputandum, ſed eos omnes ſuperiori alicuius Monaſterij tradendos, qui curet, vt aliquis idoneus Theologus ex ſuis Regularib. publicè ſacram Scripturã in Cathedrali doceat prout hic mandatur, eiq; in primis neceſſaria ſubminiſtret ex dictis fructibus: quod ſi quid reliquum erit, in Monaſterij vſum conuertatur, *Doct. in cap.* Maioribus, *de præbẽdis, & magis in terminis gloſſ. in cap.* Quod nullus, *de Magiſt. in verb.* præbendæ.

3 *Et aliis locorum Ordinariis eligendum, &c.* ] Et ſi Ordinarius inferior fuerit negligens, putà Prior, Abbas Præpoſitus, & cæteri ſimiles alicuius Eccleſiæ collegiatæ, poterit Epiſcopus, in cuius Diœceſi ſunt ſupplere, id eſt, cogere.

4 *Eligendũ, &c.* ] Electio hęc ſoli Epiſcopo cõpetit, quia à Cõcilio in hoc decreto (cum de ſubſtituto eligendo agitur) ſoli Epiſcopo datur electio, & adiuuat exẽplũ Pœnitentiarij, licet conceptum alijs verbis.

5 *Cogãt & cõpellãt &c.* ] Si lectores iſti collatorib. inferiorib. sũt ſubiecti vt muneri ſuo ſatisfaciãt, per Epiſcopũ ſunt cõpellendi. Etenim Epiſcop' poteſt ſupplere negligentiã ſuperiorũ cõpellẽtium, ad eligendum eos qui ſtipendium pro huiuſmodi lectione obtineãt, licet Eccleſia eſſet exempta: qui quidem Epiſcopus id exequi volens, mo-

neat, terminum præfigat, & eo elapſo, ſuppleat cogendo vel eligendo.

6 *De cætero &c. quæ per ſeipſos &c.* ] Canonicatum & magiſtralem præbendam obtinens cum parochiali, ſi in ea (vt tenetur) reſideat fructus canonicatus & præbẽdæ percipere poteſt: ita tamen, vt quotidianas diſtributiones amittat, atque alia præterea, quæ abſentes iuſta de cauſſa percipere non poſſunt. In præbenda autem Magiſtrali idoneum virum ſibi ſubſtituat, qui ex veteri inſtituto annexum ſuæ præbendæ munus obeat ſacræ Scripturæ interpretandæ. *Idem ſuprà § Per ſeipſos, & Seſſ. 23. c. 1. de Refor. § Eum qui.*

7 *Conferantur &c.* ] A quo autem hæc collatio fieri debeat, Concilium non expreſſit. Quare pertinebit ad eum ad quem antea de iure ſpectabat *Idem infra §. Conſtituta.*

8 *Et aliter prouiſio facta, nulla ſit & inualida* ] Eãdẽ facultatẽ habebũt Ordinarij in Eccleſiis collegiatis, in eiſdẽ terminis Concilij, quando inferiores Ordinarij illarũ Eccleſiarũ fuerint negligentes, pręſertim cum in diſcurſu Scolaſticæ, neceſſe ſit explicare locos ſacrę Scripturę.

Non eſt ſatisfactum huic Decreto, ſi ſtipendium iam conſtitutum pro lectore Sacræ paginæ non ſufficiens, augeatur, vel per acceſſionem alicuius beneficij ſimplicis, vel per contributionem, &c. quando in illa Eccleſia adeſſet præbenda, quæ pro hac lectione, iuxta formam dicti Decreti, vniri poſſit.

Præbenda quæ vacat poteſt optari, nec illa poteſt erigi in Theologalem, quia Concilium loquitur de præbenda vacatura, cùm iſta non vacauerit: quia præuenta eſt à iure optandi, & ideo illa ſola dabitur Theologo quæ remanebit poſt optionem.

9 *In Eccleſiis autem Metropolitanis vel Cathedralibus* ] Per Decretum viſitationis Apoſtolicæ de conſtituenda præbenda vacatura non fiat præiudicium legitimo collatori, cùm vacauerit.

10 *Vbi nulla præbenda.* ] Vbi nullæ ſunt præbendæ, eo quod Canonicatus tantùm diſtributiones quotidianas habeant, idem ſtatuendum eſt, quod de præbendis, cùm illarum loco ſuccedant.

11 *Præbenda quomodocunq;.* ] Intelligitur etiam præbenda, cuius fructus omnes cõſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, ſicut reliquæ.

12 *Primò vacatura.* ] Non tamen in menſe Apoſtolico: quia non comprehenduntur ſub hoc Decreto præbendæ vacantes in menſibus reſeruatis, & idem ius in præbenda pœnitentiali. *Seſſ. 24. c. 8. de reformatione.* S.D.N ſentiens hoc decretum Concilij eſſe conditionatum, & requiri prius declarationem & actualem deputationem Epiſcopi, vt ſc. illa præbenda ſit Theologalis; reſpondit valere collationem præbendæ (quæ primum poſt Concilium vacauit) factam perſonnæ minus idoneæ, ad ſacram Scripturam per ſeipſum interpretandam, ſi nondum illa præbenda, actu fuerit deputata in Theologalem Nec eſt in optiõne Epiſcopi primam præbendam vacantem aſſignare pro Pœnitentiario licet ratione curæ animarum videatur magis neceſſarius, ſed debet pro Theologo propter verba huius Decreti, *ipſo facto.* Verum ſi magis expediens in aliquo loco particulari fuerit iudicatũ

vt

vt priùs de Pœnitentiario prouideatur, habenda eſt confirmatio in ſpecie à ſanctiſſima Sede Apoſtolica, ad omnẽ difficultatem tollendã,

Non debentur quidem lectori diſtributiones quotidianæ pro illis horis quibus legit, ex diſpoſitione Iuris & doct. per gloſſ. vlt. *in cap. Quia nonnulli de Magiſt.* quos dixit Sanctitas ſua non loqui reſpectu illius lectoris qui in Eccleſia ſua legit, vt facit iſte de quo in hoc textu: tamen ſanctiſſimus Dominus noſter Gregor. XIII. audita relatione Congregationis, ex gratia illa eſſe ei tribuendas non modo pro illis horis, vt ſi mane legit pro horis matutinis, & Miſſa ſolemni, ſed etiam pro tota die conſultus reſpondit.

13 *Conſtituta & deputantur intelligantur.* ] Huius beneficij collationem Concilium reliquit illis, ad quos de iure ante Concilium ſpectabat. Nec talis deputatio & inſtitutio habet locum in Canonicatibus & præbendis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis & affectis. Item ſi in præteritis menſibus Cardinalis haberet indultum à Sede Apoſtolica, deputationem tamen huiuſmodi præbendæ Concilium reliquit illis ad quos verè ante Concilium ſpectabat, quoniam ex hoc decreto hoc ſolum habetur quod in Theologalem erigatur. Electio verò ſoli Epiſcopo competit, quia à Concilio in hoc decreto, cum de ſubſtituto eligendo agitur, ſoli Epiſcopo datur electio, & adiuuat exemplum Pœnitentiarij, licet ſit conceptum aliis verbis. Nec ſucceſſori præiudicium factum eſt, ſi aliter per prædeſſorem fuit ſeruatum. Et id intelligendum eſt de iis canonicatibus Theologicis, qui erecti non ſunt ante Concil. Tridentinum. Secus ſi ante eſſent erecti: tunc enim ſeruandum eſt quod ante Concilium ſeruabatur Ita Congregatio in vna Aſtoricenſi cenſuit cum conſilio Capituli, ſi tamen ante Concilium in collatione requirebatur. *Idem ſupr § Eligendum.*

Hoc decretum habet locum etiam in Eccleſiis collegiatis, quarum præbendæ ſunt de iure patrio Laicorum, vt deputetur prębenda primò vacatura, concurrentibus omnibus requiſitis, pro vt hic: & perſona non erit nominanda ante vacationem, ſed electio perſonæ ſpectabit ad Epiſcopum, collatio verò, ad quem legitimè ſpectabat ante deputationem pręteritam. Non poteſt optari prębenda, quę fuit erecta & deputata in Theologalẽ pro Theologo, à ſequenti Canonico.

In Eccleſia verò Cathedrali, vel collegiata inſigni, quæ non eſt numerata vel Regularis, vel quæ nullas habet diſtinctas præbendas, Ordinarius, vt habeatur omnino lectio ſacræ Scripturæ, (cùm non poſſit in huiuſmodi Eccleſiis deputari præbenda primò vacatura) prouideat alia ratione, iuxta hoc Decretum. Ideóque erit procedendum, ſicut ſi Eccleſia eſſet exempta, quo ordine poterit hoc facere in negligentiam ſuperioris.

In præbenda primò vacatura poſt Concilium, locũ optio non habebit. Si autem de ea, quæ primò vacauit, prouiſum non fuit de Theologo, relictum eſt ordinariæ deciſioni Iudicum.

14 *Alicuius ſimplicis beneficij.* ] Vbi ſunt prębẽdę & canonicatus, non poteſt aſſignari aliud beneficiũ pro iſto Theologo, vel Pęnitentiario

15 *De Capituli concilio.* ] Hæc verba tantùm ad proxima ſunt referenda, cum agitur de aſſignatione & contributione.

In nonullis caſibus, veluti in materia correctionis morum, vbi Concilium expreſſè ſuſtulit appellationem, ea ſublata intelligitur quoad effectum dumtaxat ſuſpenſiuum, non autem deuolutiuum: quare auctoritas delegata, quæ Epiſcopis à Concilio tribuitur, non aufert ius illorum, ad quos legitimè interpoſita appellatione aliàs cauſſa deuolueretur.

Si in electione Theologi, vacante præbenda, inter Epiſcopum & Capitulum ſit controuerſia, ad Metropolitanum erit recurrendum, & eius iudicium ſequendum.

16. *Sacra Scriptura lectio* ] Satisfit Concil. etiam Scholaſticam Thologiam legendo.

De tempore, hora, & materia ſacræ Scripturæ vel Theologiæ, quæ in ſacra Scriptura continetur, ſuper qua legendum ſit, relinquitur arbitrio Ordinarij: poteſt tamen ipſe lector vacare à lectione tribus menſibus, ſcil. Iul. Auguſti, & Septembris.

17 *Saltem magiſtrum.* [Congregatio cenſuit, caſu quo deficit magiſter Grãmaticæ in vrbe, fieri non poſſe vt Curatus ruralis ibi habitet relicto idoneo Vicario & approbato ab Ordinario, cum congrua mercede in parochiali, etiamſi talis Curatus ſolemnibus ſaltem feſtis officium in parochia exercere vellet.

18 *Grammaticam gratis doceat.* ] Vbi eſt Laicus, qui Clericos Grammaticam doceat, ſi presbyter ad Parochialem Eccleſiam à ciuitate duo milliaria non diſtantem, deputetur, qui tamen ſuæ parochiæ diebus feſtis inſeruit, à reſidentia non excuſatur.

19 *Illi Magiſtro Grammatices.* [ In collatione Cathedræ legatur Grammatica, & præſuppoſito quod dictæ Cathedræ ſint annexa duo præſtimonia, quorum fructus ſint pro ſuſtentatione lectoris dictæ Cathedræ, pertineat ſimul ad Epiſcopum & Capitulum admittere Vicarium habentem poteſtatem.

20 *Compellant* ] Etiam Carthuſiani ſtrictioris Clauſulæ comprehenduntur ſub hoc Decreto.

21 *Dignioribus Magiſtris* ] Iſti lectores ſacræ Scripturæ in conuentibus Regularium non ſunt examinandi, & approbandi ab Epiſcopo loci, de vita, moribus, & ſcientia, vt infrà: cum Concilium videatur id committere Capitulis generalibus vel prouincialibus. Sed ſi in Eccleſia publicè populo Sacra ſcriptura legenda eſſet, tunc ſeruandum eſſet, quod in Prædicatore ſtatuitur infr. c. 2 de munere præd.

22 *Ne ſub ſpecie pietatis,* ] Ordinarius non poteſt examinare ſeu approbare de vita, morib. & ſcientia eos, qui Sacram ſcripturam interpretaturi ſunt in conuentib. Regulariũ: & multo minus eos, qui tali munere fungi volunt in clauſtro Monachorũ pro vt iam dictum eſt.

23 *Examinatus & approbatus.* ] Ad hoc examen tenentur etiam Ludimagiſtri, qui priuatim in domibus particularibus prima principia

Gram-

Grammaticæ docent vel aliarum ſimilium artium,qui etiam tenentur,vt ſupradicti,facere profeſſionem fidei,iuxta bullam Pij IV.Kal. Nouemb emanatam.

24 *Docentes ſacram ſcripturam* ] Congregatio cenſuit, docentes ius Canonicum in publica Vniuerſitate gaudere priuilegijs de percipiẽdis in abſentia fructibus ſuarum præbendarum, etiamſi præbendæ, quas obtinent ſitæ eſſent in cathedrali eiuſdem ciuitatis in qua publici lectoris munere funguntur. Non recipiẽt tamen diſtributiones illas quotidianas quæ ſolent accreſcere ſolis præſentibus, quod ſi omnes reditus Capituli huiuſmodi diſtributionibus conſtent, reputabuntur pro præbendis, & tales Doctores Iuris debebunt percipere diſtributiones, dimiſſa vna ex tribus partibus quæ inſeruientibus accreſcit.

25 *Dum publicè in ſcholis docuerunt.* ] Idem iudicandum de docentibus in Eccleſijs cathedralibus & collegiatis quod ad priuilegia, quando legunt Sacram ſcripturam.

Theologus legens,quamdiu legit,pro reſidente habeatur,& recipiat omnes fructus præter diſtributiones quotidianas,præſuppoſito quod adſit maſſa groſſa vel præbenda.

26. *Et Scholares.*] Non idem in Scholaribus;qui in Eccleſijs audiunt.

Scholares ergo audientes in Eccleſijs Cathedralibus,non gaudent ijſdem priuilegijs quibus ſtudentes in publicis Academijs, nec percipiunt diſtributiones quotidianas.

27 *Priuilegijs omnibus de perceptione fructuum.* ] Lectores non excuſantur à reſidentia in parochialibus,nec poſſunt habere beneficia incompatibilia ratione illorum priuilegiorum Non poſſunt etiam obtinere aliud beneficium incompatibile, nec beneficium curatum vel requirens reſidentiam, & legendo deſeruire per ſubſtitutum. Et contra contumaciam in non reſidendo, Epiſcopus debet procedere iuxta decretum Concil.ſeſſ.24 cap.12. & tempore quo (ceſſante legitima cauſa & iuſto impedimento)non reſederit, debet alium ſubſtituere ſumptibus illius, qui lectioni Sacræ ſcripturæ loco ipſius ſatisfaciat.

Lector Cathedralis Eccleſiæ non poteſt obtinere beneficium curatum,vel reſidentiam requirens, & legendo deſeruire per ſubſtitutum,& gaudere fructibus in abſentia, nec licet cum Doctorali Canonicatu obtinere aliud incompatibile, vt ſeruatur multis in locis. Nec concedenda eſt eis licentia vacandi à lectione, vt alibi munere prædicationis fungantur.*Supr.§ Priuilegiis*

28. *Et fruantur.* ] Idem cenſendum eſt de docentibus in Eccleſijs,ſc. quod quãuis à ſeruitio choriabsẽtes eſſent,poſſint percipere fructus ſuorum Canonicatuum, exceptis quotidianis diſtributionibus:tamen ex gratia diebus quibus legunt,habendi ſunt ſicut præſentes in choro,& inſeruientes:vt declarauit S. D N Gregorius, & ſupra declarauimus:ſed non gaudent iſti lectores Sacræ ſcripturę in Eccleſia

illis

illis priuilegiis quibus gaudent docentes in Scholis pub. *Idem ſuprà verb.* Non debentur.

Lectores hi non ſunt cenſendi præſentes matutinis, quæ ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine dicuntur ſero præcedenti pro die ſequenti.

# REMISSIONES.

α VIde Nauar. in manu c 27. n. 107 Medices in ſumma peccatorũ p. 2. c. tit. 3 q. 74. n. 109. Optimè Zerol in praxi Epiſcop p. 1. verbo præbenda Theologalis, pag mihi 299 P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. l. 20. nu. 53.

β *In illis Eccleſiis, &c.* ] ſacra Cardinalium congregatio ita cenſuit Vbi viget conſuetudo, quòd detur à Capitulo ſtipendium proprio Theologo, ea ſeruanda eſt: quòd ſi illud etiam poterit Theologum reddere diligentiorem in ſui muneris functione, triennium eius conductionis ordinarius vnà cum Capitulo præfinire debet. De hac reſponſione teſtatur Zerol. d. verbo præbenda Theologalis, verſ. Ad ſecundum.

γ *Pro lectoribus ſacræ Scripturæ* ] ſacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Quando clericus ſæcularis idoneus pro Theologal. præbenda non repetitur, collationem illius ſuſpendendam eſſe; donec inueniatur idoneus Theologus ſæcularis, cui fieri poſſit, & interim nullum eſſe deputatum cuſtodem, aut curatorem fructuum ipſius canonicatus, ſed eos omnes tradendos ſuperiori alicuius ordinis, qui curet, vt aliquis Theologus ex ſuis regularibus publicè in cathedrali Eccleſia doceat ſacram Scripturam, provt mandatur decreto Concil. cap. 1. Seſſ. 5. atque in primis neceſſaria ſubminiſtret ex dictis fructibus: quod reliquum fuerit, in vſum monaſterij conuertat. & in Concil Prouinciali Beneuentano cap. de præbendis Theolog. idem ſeruari reſoluit Zerol. d. verbo præbenda Theologalis, verſ. ad quintum.

δ *eligendum* ] ſacra Card congregatio ita cenſuit. A quo autem collatio præbendæ Theologalis fieri debeat, Concilium non expreſſit: quare pertinebit ad eum, ad quem antè de iure ſpectabat. De hac reſponſione teſtatur Gonzal. ad reg. 8. cancel. gl. 9. § 2. n. 83.

ε *In Eccleſiis* ] concordat text. in cap. quia, & in cap. finali de magiſtris.

ζ *Eccleſiæ verò, quarum annui prouentus, &c.* ] Zerol. in praxi epiſcopali p. 1. verbo præbenda Theologalis, verſ. ad 3.

η *Docentes verò ipſam ſacram Scripturam* ] An idem ſit, ſi doceant ius canonicum? Affirmat Nicol. Garc. de beneficiis p 3 c. 2 nu. 64.

θ Vtrum docentes in ſcholis Theologiam, vel ius canonicum, dum publicè in die docuerint, & ſtudentes in eis, excuſentur à reſidentia,

dentia & fructus ſuorum beneficiorum in abſentia percipiant? Vide ſcribentes in cap.fin de magiſt Nau in man.cap 25.nu.120, Rebuff. in praxi tit.de diſpenſat.de non reſid.num,15. & in tract. de priuileg. ſchol priuil.29.&31. Horat. Luti eod.tract.priuileg 99.& 100 Ludou. Lopez in inſtructor.conſcientiæ tom.1.c.149. verſ. ſed quotuplex. Viual.in candelab. aureo, in appendice c.9,nu.13 & 14.& verbo reſidentia nu 8.Hoied de incomparabil.benef.cap 17.num.28.Fr. Emman in ſum. tom. 1. c.33.nu.2. & tom. 2.c.36. nu.2. & in addit. ad bullam Cruciatæ cap. 2. ad 4. clauſulam nu. 27. Gonzal ad reg. 8.cancel.7.§.7.prooem. nu.180.Nicol.Garci.d p.3.cap.2 nu.54 cum multis ſeqq. Maynar. deciſ. 8.lib.1. Aloyſ.Ricci in collect. deciſion. collect 446.

ι *Dùm publicè in ſcholis docuerint* ] ſacra Cardinalium congregatio ſic cenſuit. Idem cenſendum eſt de docentibus in Eccleſiis,qui, quãuis à ſeruitio chori abſentes eſſent, poſſunt percipere fructus ſuorum canonicatuum, exceptis quotidianis diſtributionibus: ſed ex gratia diebus quibus legunt habendi ſunt ſicut præſentes in choro, & inſeruientes non modò pro illis horis, vt ſi manè legunt, pro horis matutinis, & Miſſa ſolemni, ſed etiam pro tota die, referunt Gonzal. ad reg. 8. cancel § 7. prooem. num. 180. Nicol Garci.d.c. 2.n.118.

κ *Scholares.*] An debeant eſſe in ſtudio generali,ſeu celebri Vniuerſitate? Affirmant Rebuff d priuil. 31.nu.8. Horat.Luti.ad finem dicti tract de his qui gaudent priuil ſcholaſt. n.23.ad finem. Perez.l.1.tit. 10.lib 1.ordin Zechi de Repub. eccleſiaſt.tit.de clericis n.7.verſ 28. Flores Vari. lib.3.qu.14.num.19. Zerol in praxi Epiſcop. verbo ſtudium § 4

λ Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit: Scholares in Eccleſiis cathedralibus non gaudent eiſdem priuilegiis, ſicut ſtudentes in ſtudiis publicis, vel academiis: interim tamen huiuſmodi ſtudentes in academiis non percipiunt diſtributiones quotidianas. refert Nicol.Garci d.c 2.n 117.

μ An ſcholaſtici otioſi, qui non ſtudent, & ſcholas non frequentant, gaudeant priuilegijs ſcholaſticorum, & abſentes cauſa ſtudij, fructus ſuorum beneficiorum percipiant? Negant Tiraq. in tract. ceſſante cauſſa p.1.n 213 Maſcard.de Probat.concl 1190.n.9.cum ſeqq.Fr.Emman.qu. Regular. tom.1.q.9.art.10.Proſper de Auguſtino in addi.ad Stephan Quarant.in ſumma bullarij,verbo,reſidentia, verſ. limita, pag. 443.

ν *Et beneficiorum ſuorum* ] Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Obtinentibus parochiales Eccleſias poſt Concilium Trid.ſtudendi licentia,atque in abſentia ſtudiorum cauſa fructus percipiendi non datur referunt poſt Gonzal. Proſper de Auguſtino vbi proximè verſ.item limita,& Nicol Gar.d.c.2.n.81.Farin.deciſ.29. Aloyſ.Ricc. in collect.deciſ p.3 collect 563.in med.& conſtitutum eſt in Concil. Prouinc.Brachar.4.act.3.c.9.

ξ *Docu-*

§ *Docuerint.* ] Quid ſi ſponte, & voluntariè legant ſine ſtipendio, & cathedra? Vide Gorc d.c.2 nu. 60 vbi reſoluit hoc non ſufficere: ſecus ſi legant cum licentia vniuerſitatis, ſeu clauſtri, ſiue collegij Doctorum.

## CAPVT II.

### *De Verbi Dei concionatoribus, & quæſtoribus eleëmoſynarijs.*

a *infr. Seſſ. 24. c. de ref.*
b *11. Tolet. c. 3.*

QVia verò α Chriſtianæ Reipublicę a non minùs neceſſaria eſt β *prædicatio Euangelij*, quàm lectio; & b hoc eſt γ *præcipuum Epiſcoporum munus*; ſtatuit, & decreuit eadem ſancta Synodus, 1 *omnes Epiſcopos*, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium. Si verò contigerit Epiſcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento; δ *iuxta formam* c *generalis Concilij* 2. *viros idoneos aſſumere* 3. *teneantur* ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubiaceat vltioni. Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes eccleſias quocumq; modo obtinent, 4. *per ſe, vel alios idoneos*, 3 *ſi legitimè impediti fuerint*, d diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis; docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoq; eis cum breuitate & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat; vt pœnam æternam euadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, etiam ſi ab Epiſcopi iuriſdictione quauis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet; etiam ſi eccleſiæ, quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio, etiam extra diœceſim exiſtenti, forſan annexæ, vel vnitæ, modo re ipſa in diœceſi ſint, prouida paſtoralis Epiſcoporum ſolicitudo non deſit; ne illud impleatur; e Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaq; vbi ab Epiſcopo moniti trium men-

c *Conc. Lat. ſub Inn. 3. c. 10. c. inter cætera, de off. iud. ord. Vide poſt finem huius lib.*

d *Conc. Conſtant. 6. c. 8. 6. c. xiij. §. habetur etiam. de ver. ſig. Conc. Lat. Vlt. Seſſ. 11.*

e *Hier. thr. 4.*

menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras eccleſiaſticas,ſeu alias,ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur; ita vt etiam,ſi ei ſic expedire viſum fuerit,vt beneficiorum fructib. alteri, quid præſter,honeſta aliqua merces perſoluatur, donec principalis ipſe reſipiſcens officium ſuum impleat.

Si quæ verò parochiales eccleſiæ reperiantur ſubiectæ monaſteriis in nulla diœceſi exiſtentibus; ſi Abbates,& regulares Prælatin prædictis negligentes fuerint; à Metropolitanis,in quorũ prouinciis diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, tanquam, quo ad hoc,Sedis Apoſtolicæ delegatis, compellantur.neque huius decreti executionem conſuetudo, vel exemptio,aut appellatio, aut reclamatio, ſiue recurſus impedire valeat, quouſque deſuper à competenti iudice,qui ſummariè, & ſola facti veritate inſpecta procedat,cognitũ,& deciſum fuerit.[a] ξ *Regulares verò* cuiuſcũque ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus & ſcientia examinati,& approbati fuerint,ac de eorũ licentia, *n* 5 *etiam in eccleſiis ſuorum Ordinum*,prædicare nõ poſſint:cum qua licẽtia perſonaliter ſe corã Epiſcopis præſentare,& ab eis benedictionem petere teneantur,6 *antequam prædicare incipiant*. 7 θ *In eccleſiis verò quæ ſuorũ Ordinũ non ſunt*, vltra licẽtiam ſuorum Superiorum [b] etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur; ſine qua in ipſis eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſunt. ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi 8 *concedant*.

ι *Si verò*,quod abſit,prædicator errores,aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiam ſi in monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet;Epiſcopus ei prædicationẽ interdicat. Quòd ſi hæreſes prædicauerit;contra eũ,ſecundum iuris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem 9 *procedat*; etiã ſi predicator ipſe generali,vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet. quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica,*κ & tãquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat*. Curent autem Epiſcopi, ne quis prædicator vel ex falſis informationibus, vel alias calumnioſè vexetur, iuſtámve de eis conquerendi occaſionem habeat.

[a] *Conc. Lat. vlt. Seſſ. 11. de modo præd.*

[b] *c. excommunicamus, § quia verò, de hæret. infr. Seſſ. 24. c. 4. de reform.*

λ *Caueant præterea Epiſcopi*, ne aliquem, vel eorum, qui cùm ſint nomine Regulares, extra clauſtra tamen, & obedientiam religionum ſuarum viuunt; vel Preſbyterorum ſæcularium, niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu in ſua ciuitate vel diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re ſancta Sedes Apoſtolica conſulatur; à qua priuilegia huiuſmodi, niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio ab indignis extorqueri veriſimile non eſt.

μ ν *Quæſtores* [a] *verò eleëmoſynarij*, qui etiam Quæſtuarij vulgò dicuntur, ξ *cuiuſcumq; conditionis exiſtant*, nullo modo nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant, & contrà facientes ab Epiſcopis, & Ordinarijs locorum, priuilegijs quibuſcumque non obſtantibus, opportunis, remedijs omnino arceantur.

[a] *Conc. Lat. ſub Inn. 3. c. 12. c. cũ ex eo. de pœnit. & remiſſ. clem. abuſionib. eo tit. infra Seſſ. 21. de refor. c. 9. c. vt officium § . conpeſcendi de hær. in 6.*

*Indictio futuræ Seſſionis.*

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit, & decernit, primam futuram Seſſionem tenendam, & celebrandam eſſe die Iouis, Feria 5. poſt feſtum B. Iacobi Apoſtoli.

*Prorogata deinde fuit Seſſio ad diem* XIII. *menſis Ianuarij*, M. D. XLVII.

## DECLARATIONES.

1 *Omnes Epiſcopos*, ] Epiſcopus vel debet per ſeipſum prædicare, vel ſumptibus ſuis alium conducere qui id munus exequatur.

2 *Viros idoneos aſſumere teneantur*, ] Seipſis ſolis abſque conſenſu Capituli, vt infra notatur, ſeſſ. 24. c. 4

Stante Decreto Concilij hoc c. & c. 4. ſeſſ. 24. deputatio prædicatoris in Cathedrali Eccleſia pertinet ad ſolum Epiſcopum: ita quod Canonici & Capitulũ non poſſint ſe intromittere in huiuſmodi deputatione, nec inconſulto, vel contradicente Epiſcopo aliquem ad prædicandum in Cathedrali etiam ex prædicatorib. ab ipſo Epiſcopo approbatis approbare, deputare ſeu admittere. Congregatio enim cenſuit ad ſolum Epiſcopum pertinere in ſua Cathedrali, nulla

habita

habita ratione conſuetudinis etiam immemorabilis, qua competeret Capitulo, vel de conſilio Capituli.

3 *Teneantur* ] Dum dubium eſt quorum ſumptibus conducendus ſit Concionator pro quadrageſima, debet Epiſcopus cum interim proprio ſumptu conducere.

Epiſcopus debet ſumptibus propriis conducere in Eccleſia Cathedrali aliquem prædicatorem, non obſtantibus quibuſcúmque conſuetudinibus & immunitatibus. vide c. 4. ſeſſ. 24 de Reform

Si communitas alicuius loci ſolet ex immemorabili conſuetudine, de mercede prędicatoris prouidere, ad eam de cætero tribuendam cogenda eſt.

4 *Per ſe vel alios idoneos, &c.* ] Ordinarius debet ipſe eligere Prædicatores, niſi in contrarium ſit conſuetudo ab immemorabili tempore citra, & ſi Curatores animarum per ſe volunt munus prædicationis obire, non debent impediri.

5 *Etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum.* ] Regulares in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare volentes, non tenentur ab Epiſcopo licentiam obtinere, ſed tantum à ſuis ſuperioribus, de vita, moribus, & ſcientia examinari & approbari debent, ac ab eis habere licentiam, & cum ea ſe perſonaliter coram Epiſcopo præſentare, ab eoque petere benedictionem, tametſi eam non obtinuerint.

6 *Antequam prædicare incipiant.* ] Si præſentatus fuerit prædicator idóneus Ordinario iuxta hoc decretum, non eſt ei deneganda licentia. Nec poterit Ordinarius ad libitum & ſine rationabili cauſſa ſuſpendere à prædicatione.

7 *In Eccleſijs verò.* ] Conſuetudine præſuppoſita, Prædicator deputatus ab Ordinario in aliquo populo prædicare in Eccleſijs Regularium (etiamſi eſſet alterius ordinis) poteſt, & Epiſcopus poteſt Regulares compellere, ſi noluerint admittere exterum in eorum Eccleſia ad prædicandum, vt ſeruetur conſuetudo: ſed ſi prędicatores eiuſdem ordinis haberi poſſunt, cæteris paribus ſunt præferendi.

8 *Concedant.* ] Et quando exprimitur (*de licentia ſui ſuperioris*) in Eccleſia ſeculari ſemper intelligitur Epiſcopus, niſi eſſet Eccleſia nullius diœceſis: nec obſtat ſi iſte ſuperior eſſet exemptus.

9 *Procedat.* ] Congregatio Concilij cenſuit, per confirmationem priuilegiorum Regularium, à Sancta ſede Apoſtolica, non derogatũ huic Decreto Concilij, niſi in ipſis priuilegiis appareat expreſſa diſpoſitio, quæ contraria ſit dictæ diſpoſitioni Concilij.

## REMISSIONES.

α Vide latè P. Valer. Reginald in praxi fori pœn. li. 18. n. 118 cum ſeqq Fr. Ioann de la Cruz. de ſtatu Relig. lib. 1. c. 7 nu. 2.

β *Prædicatio Euangelij.* ] Concordat Conc. Toletan 11. c. 2.

Concil. Carthag. 4. c. 20. c. Epiſcopus nullam 88. diſtinct. Repert. Inquiſiſ. verbo prædicatio, Quarant in ſumma bullarij, verbo prædicator.

γ *Præcipuum Epiſcoporum munus.* ] Declaratum fuiſſe per Clem. 8 non concedi prædicationem Epiſcopo extra ſuam diœceſim, cùm poſſit prohiberi ab Ordinario, cuius eſt diœceſis, teſtantur praxis Archiepiſ. Neapol, c. 58 & Stephan Gratian diſcept. forenſium c 393. à num 9. vbi num. 11 reſoluit quòd priuilegium Epiſcoporum, vt per vniuerſum mundum poſſint prædicare, iuxta illud Matth. 9. & Marc. vlt. & ca. in nouo 11. diſt intelligitur niſi in alienis diœceſibus prohibeantur ab Epiſcopis illius loci, quaſi poteſtas prædicandi ſit intelligenda in proprio populo, non in alieno. Fuſc. de viſitat. li. 2. c. 20. nu. 23. in fin.

δ *Iuxta formam generalis Concilij.* ] Scilicet Lateran. c 10. ſub. Innoc. III. Et refertur in ᶜ inter cætera, de officio iudicis ordinar.

ε *Si legitimè fuerint impediti.* ] Concordat Concil Conſtant. 6. c 8. c. exiit, § habetur etiam de verbor ſignificat. Concil. Lateran. vlt. Seſſ. 11. P. Valer Reginal. d lib 8 n. 19.

ζ *Regulares verò, &c.* ] Vide latè Fr. Emman. q. Reg. to 3. qu 32. ar. 1. cum ſeqq. P. Vale. Reginald in praxili 18. nu 123.

η *Etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum* ] Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Regulares in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare volentes non tenentur ab Epiſcopo licentiam obtinere, ſed tantùm à ſuis ſuperioribus, de moribus & ſcientia examinari, & approbari debere, ac ab eis habere licentiam, & cum ea ſe perſonaliter coram Epiſcopo præſentare, ab eóque petere benedictionem, tametſi eam minimè obtinuerint. refert Fr Emman. d. q. 32 art. 5 reſoluit P. Valer. Reginald. d. lib. 18. num. 123.

θ *In Eccleſiis verò, quæ ſuorum ordinum non ſunt, &c.* ] Gregor. XIII. conceſſit Societati Ieſu, quòd huius ſacræ religionis confeſſarij, ac prædicatores ab aliquo Ordinario ſemel approbati, & à ſuis ſuperioribus ad huiuſmodi munera deputati, quandocúmque, ſiue mari, ſiue terra iter faciunt, poſſint, non repugnantibus tamen curatis parochialium Eccleſiarum, verbum Dei prædicare; & quorumcúmque Chriſti fidelium confeſſiones audire, dummodo id non faciant in óppidis, aut locis, in quibus Ordinarij exiſtunt, niſi eorum licentia deſuper obtenta. refert Fr. Emman d q. 32. art. 6 vbi in fine dicit illo priuilegio frui Prædicatores ordinum Mendicantium, & alij, qui cum ipſis communicant in priuilegiis conceſſis, & condendis.

ι *Si verò.* ] Vide Fr. Emman. qu Regul. tom. 2. q. 32. art. 8.

κ *Et tanquam Sedis Apoſt. delegatus procedat.* ] Vide Fr. Emman qu. Reg tom. 1. q 8 art. 7.

λ *Caueant præterea Epiſcopi.* ] Vide Fr. Emman. q. Reg. tom. 3. q. 32. ar. 9.

μ *Quæſtores verò eleemoſynarij.* ] Vide Cened. ad Clem. & Extrauag. collect. 9. Fr Emman. d. q. 32. art. 11.

ν Con-

r Conſtitutum eſt apud Luſitanos per Ordin.regiam lib.5.tit 103. ne quæſtores alicuius Sancti nomine petitoria facientes permittantur, niſi regiæ literæ oſtendantur: ſi aliter factum ſit, omnes pecunias ab illis quæſitas quæſtori redemptionis captiuorum tradendas præcipit, vt per Cardo in praxi iudicum, & aduocat.verbo eleemoſyna,n.2.practicatum fuiſſe refert Cabed.p.1.deciſ.193 Similis apud Hiſpanos extat l.1.& 2.tit.8.li.1.ord.vbi Perez nuncl.1 tit.9 li.1 & l.37.tit.6 li.3 nouæ Recopil. vbi Azeued vide Auend de exequendis mand. lib 3 c 30 & apud Gallos idem regij Senatus decretis diſpoſitum aſſerit Renat. Chopin. de ſacra Politia, lib 3 tit 5. à nu. 23.

§ *Cuiuſcunque conditionis exiſtant.* ] An comprehendat Mendicantes religioſos pro ſuorum conuentuum ſuſtentatione eleemoſynas quæſtuantes? Negant Nauar.l 3 conſil.ti.de Regularib.conſ 79 n.3. latiſſimè Fr Emman qu.Reg tom.2.q.57.art.7.

## SESSIO SEXTA.

## CELEBRATA DIE XIII. MENSIS IANVARII M. D. XLVII.

### *Decretum de iuſtificatione.*

### PROOEMIVM.

CVM hoc tempore, non ſine multarum animarum iactura, & graui Eccleſiaſticæ vnitatis detrimento, erronea quædam diſſeminata ſit de iuſtificatione doctrina: ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, Eccleſiæ tranquillitatem, & animarum ſalutem, ſacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea nomine Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ III. Reuerendiſſimis Dominis, Dominis Io. Maria Epiſcopo Præneſtino, de Monte, & Marcello tit. S.Crucis in Hieruſalem preſbytero, S.Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis; exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus, veram ſanámque doctrinam ipſius iuſtificationis, quam Sol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus, [a] fidei noſtræ auctor, & conſummator, docuit

Apoſtoli tradiderunt, & Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto ſuggerente, perpetuò retinuit; diſtrictis inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prædicare, aut docere, quàm præſenti decreto ſtatuitur, ac declaratur.

## Capvt I.

### *De natura & legis ad iuſtificandos homines imbecillitate.*

PRimum declarat ſancta Synodus, ad iuſtificationis doctrinam probè & ſincerè intelligendam, oportere, vt vnuſquiſque agnoſcat, & fateatur, quod [a] cùm omnes homines in præuaricatione α *Adæ innocentiam perdidiſſent*; [b] facti immundi, &, vt Apoſtolus inquit; [c] natura filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali expoſuit, vſque adeò ſerui erant peccati, & ſub [d] poteſtate Diaboli ac mortis, vt non modo gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidẽ per ipſam etiam litteram legis Moyſis inde liberari, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, [e] viribus licet attenuatum, & inclinatum.

a *Cæleſt. 1. ep. 1. c. 4. 1. Corin. 1. Rom. 5.*
b *Iſai. 64.*
c *Eph. 2. a ſuprà Seſſ. 5. in princ.*
d *Rom. 6. & 3. Heb 2.*
e *Concil. 2. Arauſ. c. 23.*

## REMISSIONES.

α *Adæ innocentiam perdidiſſent.* ] Concordat Cœleſt. Pap. I. epiſt. 1. cap. 4. & illud ad Rom. 5. verſ. 12. *In omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*, & illud 1. ad Corint. 15 verſ 22 *in Adam omnes moriuntur*, & illud Iſa. 64. verſ. 6. *Facti ſumus, &c.*

## Capvt II.

### *De diſpenſatione, & myſterio aduentus Chriſti,*

QVo factum eſt, vt cœleſtis Pater, [f] pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Ieſum, filium ſuum, & ante legem, & legis tempore multis [g] ſanctis Patribus declaratum, ac promiſſum, cùm venit beata illa plenitudo [h] temporis, ad homines miſerit; vt & Iudæos,

f *2. Cori. 1.*
g *Gen. 49. cum ſim.*
h *Galat. 4.*

Iudæos qui ſub lege erant redimeret, & [a] gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. hunc [b] propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris; non [c] ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

*a Rom. 9.*
*b Rom. 3 & 4. Coloſſ. 2. 1. Tim. 2. & 2. Tim. 1. c. multiplex, de pœn. diſt. 1.*
*c 1. Ioan. 1. 2.*

## CAPVT III.

### *Qui per Chriſtum iuſtificantur.*

a VErum, etſi ille pro omnibus mortuus [d] eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed ij dumtaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur. Nam, ſicut reuera homines, [e] niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti; cùm ea propagatione, per ipſum dùm concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita, niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarentur, cùm ea renaſcentia per meritum paſſionis eius, gratia qua iuſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus gratias nos [f] ſemper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum, tranſtulitque in regnum filij dilectionis ſuæ: in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.

*d 2. Cor. 5.*
*e Alluſio ad verba Aug. epiſt. 89. Omnes qui renaſcuntur in iuſtificationē, & c quæ alibi crebrò inculcat. infr. Can. 1.*
*f Coloſſ. 1.*

---

## REMISSIONES.

a Vide Sayr. de Sacram. in genere lib. 1. cap. 2. quæſt 9 art. 3 verſ. Tertio.

## CAPVT IV.

### *Inſinuatur deſcriptio iuſtificationis impij, & modus eius in ſtatu gratiæ.*

a QVibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, vt ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur [g] filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam IESVM Chriſtum ſaluatorem noſtrum. quæ quidem tranſlatio poſt Euan-

*g Gal. 4. Tit. 3.*

gelium promulgatum, β *ſine lauacro* regenerationis, γ *aut eius voto* fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: [a] Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.

a *Ioan. 3. c. filius & c. non dubito. de conſec. diſt. 4.*

## REMISSIONES.

α Vide Sayr. de Sacram. in genere. lib. 2 cap. 1. quæſt. 9. art. 3. in fin. P. Ægid. de Conink. de Sacramentis, & cenſuris tom. 1 qu 68 à num. 23 Gabr. Vaſquez in 3. p. D. Thom. tom. 2. diſp. 151. n. 18. & diſput. 158 num 27.

β *Sine lauacro.*] Vide Sot. in 4 diſt 5. qu 1. art 2. col. 5. D. Thom. p. 3. q. 68. art 2. Veg in Conc. Trid. lib. 9. c. 4. fol. 220.

γ *Aut eius voto.*] Vide P. Ægid. dict. tom 1 q. 62. num 66.

## CAPVT V.

### *De neceſſitate præparationis ad iuſtificationem in adultis, & vnde ſit.*

α Declarat præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe: hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; vt, qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponantur, [b] ita vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui [c] illam & abijcere poteſt, neq; tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vnde in Sacris litteris, cùm dicitur [d]: β *Conuertimini ad me*, & ego conuertar ad vos: libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus: γ *Conuerte nos Domine ad te*, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri confitemur.

b *Infr Can. 3.*

c *Proſp. li. 2. de voca. gentium c. 28. & 29.*

d *Zach. 1 a. Ioel. 2. c. cõuertimini. de pœn. diſt. 1. Thren 5. d Hiere in fin. orationis, & cap. 31. c.*

## REMISSIONES.

α Vide Sot. in 4. diſt. 4. q 2 art. 5 col. 10. Nau. in man. ca. 1. nu 39. Balduin Iunium ſuper opera controuerſ Bellar. p. 2. l. 5. c 3. verſ.

verſ. Quæſt. 2. P. Ægid de Sacramentis, & cenſur. tom. 2. diſt 2 dub. 4. num. 34.

β *[C]onuertimini ad me.*] Concordat text. in cap conuertimini, de pœn. diſt. 1. & illud Zach. 1. verſ 3. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos*, & illud Ioël 2. verſ. 12. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.*

γ *Conuerte nos Domine ad te.*] Concordat illud Ierem. 31. verſ. 18. *Conuerte me, & conuertar*; & illud eiuſdem Ierem. in orat. verſ. 21. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.*

## Capvt VI.

### *Modus præparationis.*

α DIſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, [a] fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt; atq; illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiã eius, per [b] redẽptioné quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumq; tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiũt: β *ac propterea* mouentur [c] aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitẽtiam, quàm γ *ante Baptiſmũ* agi oportet: deniq; dum proponunt ſuſcipere Baptiſmú, inchoare nouam vitam, & ſeruare diuina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: [d] Accedẽtem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Et, [e] Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, [f] Timor Domini expellit peccatum. Et, [g] δ *Pœnitentiam agite*, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Et, [h] ζ *Euntes ergo docete omnes gentes*, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare, quæcumq; mandauit vobis. Denique [i] Præparate corda veſtra Domino.

a *Rom.* 10.
b *Rom.* 3.
c *Infr. c.* 14. & *Seſſ.* 14. *c.* 4. *de contritione.*
d *Hebr.* 11.
e *Marc.* 2. & *Matth.* 9.
f *Eccleſ.* 1.
g *Act.* 2. 6. *c. agunt, & c propriè de conſ. diſt.* 4.
h *Matth. vlt. Luc.* 24. *c.* 1. *c. ſi qua, & c propriè, de conſ diſt.* 4.
i 1. *Reg.* 7. *&c*

## REMISSIONES.

α Vide Balduin. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. p. 2. l. 5. cap. 3. verſ. quæſt. Pat. Ægid. de Sacram. & cenſuris, tom. 2. diſp. 2. dub. 6. n. 56

β *Ac propterea.* ] Vide Nau. in manu. c. 1 nu. 38.

γ *Ante baptiſmum.* ] Vide Nau. in c. vlt. de pœn. diſt. 7. num. 10. Pat. Henriq in ſum. lib 1. num. 5. Pat. Soar. diſput. 7. ſect. 4. § occurrebat. P Ægid q 62. art. 1 dub 2. n. 31. cum ſeqq.

δ *Vnde in ipſa iuſtificatione, &c.* ] Vide Gabr. Vaſqu. in 3. p. D. Thomæ tom 2. q. 19. diſp. 158. n 50.

ε *Et pœnitentiam agite* ] Concordat text in cap agunt, & cap. propriè, de conſecr. diſt. 4. & illud Actor. 2 verſ. 38.

ζ *Euntes ergo docete omnes gentes.* ] Concordat illud Matth, vltim. verſ. 19 & illud Marc. vlt. verſ. 15 & c. 1 c ſi qua. cap. propriè. de conſecrat diſt. 4.

## CAPVT VII.

### *Quid ſit iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ.*

α HAnc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorũ. vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit a hæres ſecundũ ſpem vitæ æternæ. Huius iuſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem, gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna: efficiens verò, miſericors Deus, qui gratuito b abluit & c ſanctificat, ſignans & vngẽs d Spiritu promiſſionis ſancto; qui eſt pignus hæreditatis noſtræ: meritoria autem, dilectiſſimus Vnigenitus ſuus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui, cùm e eſſemus inimici, propter nimiã caritatem, qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis f iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit. inſtrumentalis item, Sacramentum Baptiſmi; quod g eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli vnquam cõtigit iuſtificatio: demum vnica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt; ſed qua nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis

a *Tit. 3.*

b *1. Cor. 6.* c *Tit 3.* d *Eph. 1.*

e *Eph. 2. 2. Rom. 5.*

f *Eph. 2. 2. Rom. 4. d*

g *c. nihil eſt, de conſec. diſt 4.*

mentis noſtræ; & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur, & ſumus iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quam [a] Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. β *quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus*, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu [b] Chriſti communicantur: id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas [c] Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. λ *vnde in ipſa* iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & caritatem. [d] nam fides, niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit. qua ratione veriſſimè dicitur, [e] Fidem ſine operibus mortuam & otioſam eſſe. Et, In [f] Chriſto Ieſu neque circumciſionem aliquid valere, neque præputium; ſed fidem, quæ per caritatem operatur. Hanc fidem ante Baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditione Cathecumeni ab Eccleſia petunt, cùm petunt fidem, vitam æternam præſtantem; quam ſine ſpe & caritate fides præſtare non poteſt. vnde & ſtatim verbum Chriſti audiunt: [g] Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Itaque veram & Chriſtianam iuſtitiam accipientes, eam [h] ceu primam ſtolam, pro illa quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur ſtatim renati conſeruare, vt eam perferant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam.

a 1. Cor. 12. *Epheſ. 4.*
b *Phil. 3.*
c *Rom. 5.*
d *infr. c. 10.*
e *Iac. 2. in fin.*
f *Gal. 5. & c. 2. circumciſio de pœnit. diſt. 2.*
g *Matth. 19.*
h *Lu. 15. c. quomodo renouari. de pœnit. diſt. 2.*

---

## REMISSIONES.

[α] Vide Nauar. in man. cap. 11. num 13. ad finem. P. Ægi. de Coninck de Sacramentis, & cenſuris, tom 1 q 62 art. 4. dub. vnic. num. 128. & q 69. num. 8 & tom. 2, diſp. 2. dub. 2. num. 17. & dub. 10. num.

10.num 84 cum ſeqq. Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 2. cap 2. dub. 3 concl 1 reg. 1

β *Quanquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, &c* ] Vide Vaſquez in 3. p. D. Thomæ tom 2 diſp. 231. num. 7

γ *Vnde in ipſa, &c.* ] Vide Pat. Azori inſtit. moral. p. 1. lib. 9. cap. 3. quæſt. 3.

## CAPVT VIII.

### *Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis iuſtificari.*

a *Rom. 8.* CVm verò Apoſtolus [a] dicit, iuſtificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit; vt ſcilicet per fidẽ ideò iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis: b *Hebr. 11. infr. Can. 9.* [b] ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire: gratis autem iuſtificari ideò dicamur; quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur, c *Rom. 11. Epheſ. 2. Tit. 3.* ſi [c] enim gratia eſt, iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia.

## CAPVT IX.

### *Contra inanem hæreticorum fiduciam.*

*Tit. 3.* QVamuis autem neceſſarium ſit credere, neque remitti, neque remiſſa vnquam fuiſſe peccata, niſi gratis diuina miſericordia propter Chriſtum: nemini tamen fiduciam [d] & certitudinem remiſſionis peccatorũ d *infr. Can. 12. & 13.* ſuorum iactanti; & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti vel dimiſſa eſſe, dicendum eſt; cùm apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, imò noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui verè iuſti-

ficiat

ficati ſunt, abſque vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe iuſtificatos, neminemque à peccatis abſolui ac iuſtificari, niſi eum, [a] qui certò credat ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe; atque hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, déque mortis & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, déque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet, dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt; cùm nullus ſcire valeat certitudinem fidei, cui non poteſt ſubeſſe falsum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.

a *infr. Can. 14.*

## CAPVT X,

### *De accepta iuſtificationis incremento.*

SIc ergo iuſtificati, & amici Dei ac domeſtici facti, [b] euntes de virtute in virtutem, renouantur, vt Apoſtolus inquit, de die in diem: hoc eſt, mortificando menbra carnis ſuæ, & [d] exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem, per obſeruantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, *α in ipſa iuſtitia* per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt: [d] Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Et iterum: [e] Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. Et rurſus: [f] Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Hoc verò iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, ſpei, & caritatis augmentum.

b *Pſalm. 83. c. infr. Can. 24. 2. Cor. 4. in fin. Coloſſ. 3.*
c *Rom. 6. d.*
d *Apoc. vlt.*
e *Eccleſ. 18. c.*
f *Iac. 2. d.*

---

## REMISSIONES.

α *In ipſa iuſtitia* ] Vide Sayr. in claui regia, lib. 3 cap 4, & P. Azori. Inſt moral. p. 1. lib 4, c. 34. col. 551.

CAPVT

## CAPVT XI.

*De obſeruatione mandatorum, déq; illius neceſſitate, & poſſibilitate.*

NEmo autem, quantumuis iuſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſeruatione mădatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. nam [a] Deus [b] impoſſibilia non [c] iubet, ſed [d] iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adiuuat, vt poſſis. [e] Cuius mandata grauia non ſunt, cuius [f] iugum ſuaue eſt, & onus leue. qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt: qui [g] autem diligunt eum, vt ipſemet teſtatur, ſeruant ſermones eius. quod vtique cum diuino auxilio præſtare poſſunt. Licet enim in hac mortali vita quantumuis ſancti & iuſti in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoq; cadant, non propterea deſinunt eſſe iuſti [h]: nam [i] iuſtorum illa vox eſt & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra. quo fit, vt iuſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant, quò liberati iam à peccato, [k] ſerui autem facti Deo, [l] ſobriè, iuſtè, & piè viuentes proficere poſſint per Chriſtum Ieſum: per quem [m] acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. [n] Deus namque [o] ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatémque conſecuturum, etiam ſi Chriſto non [p] compatiatur, vt & conglorificetur. nam & Chriſtus ipſe, vt inquit Apoſtolus, [q] cùm eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam; & conſummatus, factus eſt omnibus, obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Proptereà Apoſtolus ipſe monet iuſtificatos, dicens: Neſcitis, quòd ij, qui [r] in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſic currite vt compre-

a *Ex Aug c. 43. lib. De nat. & gratia.*
b *1. Ioan. 5. infr. can. 18.*
c *Arauſ. 2. c. 25*
d *Vide Hieron. in Epiſt ad Cteſiphon 1. Ioan. 5.*
e *Matth. 11. Ioan. 11.*
f *Ioan 14. Cõc. Africanum. c. 81. 82. & 83.*
g *Conc Milenit. cap. 7. 8 & 9.*
h *Matth. 6. Luc. 11. c. vnum. 25. diſtin. c. adhuc &c. de quotidianis, de pœn. diſt. 3.*
i *Rom. 6.*
k *Tit. 2.*
l *infr. can. 10.*
m *Rom. 5.*
n *Aug. lib. De nat. & gratia. c. 20. & Proſ. Sent. 7. ad cap. Gallorum, & reſpon. ad 7. obiect. Vincen.*
o *Rom. 8.*
p *Phil. 2.*
q *Hebr. 2.*
r *1. Cor. 9.*

prehendatis. [a] Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Item princeps Apoſtolorum Petrus: [b] Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. [c] Vnde conſtat eos, orthodoxæ religionis doctrinæ aduerſari, qui dicunt, iuſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius eſt, pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſine illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam: [d] cùm ſcriptum ſit: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem: & de Moſe dicat [e] Apoſtolus, quòd reſpiciebat in remunerationem.

a 1.Cor.5.
b 2.Pet.1.
c *infr Can.* 25.
d *Infr.Can.*3. *Pſalm.*18.
e *Heb.*11.

## CAPVT XII.

### *Prædeſtinationis temerariam præſumptionem cauendam eſſe.*

NEMO quoque, quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſque adeò præſumere debet, vt certò ſe ſtatuat omninò eſſe in numero prædeſtinatorum [f]; quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatus aut ampliùs peccare non poſſit, aut, ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. nam, niſi ex ſpeciali reuelatione, ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

*Infr.Can.*15. & 16. *c. corripiantur.in fin* 24.*q.*3.
f *Ezech.*11. *Galat.*3.
g *Matth.*10 & 24. *c. ſuggeſtum.*7.*q.*1. & *c. non reneretebantur de pœ. diſt.*2 *infr. Can.* 16. & 24. *Ezech.* 3.

## CAPVT XIII.

### *De perſeuerantia munere.*

a SIMILITER de perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt: [g] Qui perſeuerauerit vſque in finē, hic ſal-

ſalutis erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, [a] qui ſtat, ſtatuere vt perſeueranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut [b] cœpit opus bonum, ita perficiet, operãs velle & perficere. Verumtamen qui ſe [c] exiſtimãt ſtare, videant ne cadant; & cum [d] timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes [e] quòd in ſpem gloriæ, & nondũ in gloriam renati ſunt de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum Diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent, dicenti: [f] Debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus. ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

a *Rom.* 14. *Phil.* 1. 2. *Cor.* 8.
b *Phil.* 1. & 2.
c 1. *Cor.* 10.
d *Phil.* 2.
e 1 *Pet.* 1. 4.
f *Rom.* 8.

---

## REMISSIONES.

Vide P. Ægid. de Conink de Sacram. & cenſuris tom. 2 diſp. 2 num, 154.

## CAPVT XIV.

### *De lapſis, & eorum reparatione.*

α Qui verò ab accepta [g] iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterũt, cum, excitante Deo per. Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti ámiſſam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iuſtificationis modus eſt lapſis reparatio: quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti [h] Patres aptè nuncuparũt. Etenim pro iis, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus Sacramentum inſtituit Pœnitentiæ, cùm dixit: [i] Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Vnde docẽdum eſt,

g *Infr. Can.* 23. & 29.
h *Hier. tom.* 1. *in Epiſt. ad Demet. quæ incipit, Inter omnes forſan ex Tertul. lib. de pœnit. c. ſecunda poſt naufragiũ, de pœn diſt.* 1.
i *Ioan.* 20. *Mat.* 16. *c. vt conſtitueretur.* 50 *diſ. c. vt euidenter* 1. *q.* 1. *cum ſim. infr. Seſſ.* 14. *de pœn. c.* 2. 3. & 4.

eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliá eſſe à baptiſmali; eaq; contineri non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, [a] aut cor contritum & humiliatum; verùm etiam eorumdem ſacramentalem Confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem Abſolutionem; itemq; Satisfactionem per ieiunia, eleëmoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto vnà cum culpa remittitur; β *ſed pro pœna temporali*; quæ, vt Sacræ litteræ docent, non tota ſemper, vt in [b] Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei quam [c] acceperunt, ingrati Spiritum ſanctum contriſtauerunt, & [d] templum [e] Dei violari non ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt: Memor eſto vnde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum: [f] Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Et rurſum: [g] Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.

a *Pſal. 50. e. ſacrificium. de pœn. diſt. 1.*
b *ita & Florent. Concil. in decretis Eugenii.*
c *Ephe. 4. g.*
d *1 Cor. 3.*
e *Apoc. 2. c. quia ſanctitus, 50 diſt. & c. miror. de pœn. diſt. 1.*
f *2. Cor. 17.*
g *Mar 3. & 4. Luc. 3.*

---

## REMISSIONES.

α Vide Savr. de Sacram. in genere, lib. 2. cap. 2. q. 8. art. 3. verſ. Quo ſuppoſito.

β *Sed pro pœna temporali, &c.*] Vide Fr. Emman. in explic. Bullæ Cruciatæ, fundam. 1. fol. 1. P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 4. n. 23.

## CAPVT XV.

### *Quolibet mortali peccato amitti gratiam, ſed non fidem.*

ADVERSVS etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui [h] per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt non modò infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iuſtificationis gratiam amitti; diuinæ legis doctrinā defendendo: [i] quæ à regno Dei nō ſolùm

h *infr. Can. 27.*
*Rom. 16.*
i *1. Tim. 1.*

ſolùm infideles excludit, ſed [a] & fideles quoque fornica-
*a 1.Cor.6.* rios, adulteros, molles maſculorum concubitores, fures, auaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteroſque omnes, qui lethalia committunt peccata; à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur.

## Capvt XVI.

### *De fructu iuſtificationis, hoc eſt, de merito bonorum operum, deq́; ipſius meriti ratione.*

[a] HAc igitur ratione iuſtificatis hominibus, ſiue acceptam gratiam perpetuò conſeruauerint, ſiue amiſſam recuperauerint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: [b] Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino, [c] non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et, Nolite [d] amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideò benè operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona [e] iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus, à iuſto iudice ſibi reddendam: non ſolùm autem ſibi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cum enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent; nihil ipſi iuſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quo minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint;

*b 1.Cor.15.*
*c Heb 6.e. non eſt tam iniuſtus, de pœn. diſt. 2.*
*d Heb.10. in fin. infrà c.26.*
*e 1.Tim.4.*

rint, conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur: cùm Chriſtus ſaluator noſter dicat: [a] Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ita neque propria noſtra iuſtitia, tamquam ex nobis propria ſtatuitur: neq; ignoratur aut repudiatur iuſtitia Dei. Quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iuſtificamur; illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum. Neq; verò illud omittendum eſt, quòd licet bonis operibus in Sacris literis vſque adeò tribuatur, vt etiam [b] qui vni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſua mercede cariturum: & Apoſtolus [c] teſtetur, id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: abſit tamen, vt Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, [d] vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt [e] eorum velit eſſe merita; quæ ſunt ipſius dona. [f] Et quia in multis offendimus omnes, vnuſquiſque ſicut miſericordiam & bonitatem, ita ſeueritatem & iudicium ante oculos habere debet, neque ſe ipſum aliquis, [g] etiam ſi nihil ſibi conſcius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda & iudicanda eſt, ſed Dei: [h] qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui, vt ſcriptum eſt, [i] reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.

*a Ioan.4.*
*b Matth. 10. in fin. & Ma 9. circa fi.*
*c 2. Cor. 4.*
*d 1. Cor. 1. in fi. 2. Cor. 10 in fin. Gal. 6. Hier. 9.*
*e Ex Epiſt. Caleſt. 1. c. 12*
*f Iac. 3.*
*g 1. Cor. 4.*
*h Ibid.*
*i Mat. 16. Rom 2.*

Poſt hanc Catholicam de iuſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter firmiterque receperit, iuſtificari non poterit; placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubiungere, vt omnes ſciant, non ſolùm quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeant.

REMISSIONES.

a Vide P. Vaſquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 2. q. 152. n. 10. P. Ægid de Sacram. & cenſuris, tom. 1. diſp. 2. dub 20. nu. 160. cum ſeqq. & diſp. 4. num. 15.



[library stamp]

# DE IVSTIFICATIONE.

## CANON I.

α Si quis dixerit, [a] hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vel per legis doctrinam fiant: abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo; anathema ſit.

*a ſupr. c. 1. & 3. Rom. 3. 1. Cor. 15.*

---

## REMISSIONES.

α Vide Sot. in 4. diſt. 14. q. 2 art. 5. n. 3. Nau in man. prælud. 3. nu. 10. cum ſeqq.

## CANON II.

Si quis dixerit, ad hoc ſolùm diuinam gratiam per Chriſtum Ieſum dari, vt facilius homo [b] iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſſit, quaſi per liberum arbitrium ſine gratia vtrumque, ſed ægrè tamen & difficulter poſſit; anathema ſit.

*b Conc Milenitanum c. 5. Conc. Afr c. 80. & c. vlt. de conſ. diſt. 4.*

## CANON III.

α Si quis dixerit, ſine præueniente [c] Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.

*c Conc. Arauſ. 2. c. 6. ſuprà c. 5. Rom. 5.*

---

## REMISSIONES.

α Vide Veg de Iuſtificat. q. 9. & 11. Caſtr. aduerſus hæreſes, verbo gratia. Nau. in man cap. 27. nu 290. P. Ægid. de Sacram. & cenſur tom. 2. diſp. 2. dub. 4 num 34.

## CANON IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti innanime quoddam nihil omnino agere; mereque paſſiué ſe habere; anathema ſit.

CANON

### Canon v.

Si quis liberum hominis [a] arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo imò titulum ſine re, figmentum denique à ſatana inuectum in Eccleſiam; anathema ſit,

*a Vide Aug. li. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. c. 2.*

### Canon vi.

α Si quis dixerit, [b] non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita, vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeòvt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudę, quam vocatio Pauli; anathema ſit.

*b Vide Aug. lib. 2. contra 2. Epiſt. Pelag. & Proſp. Sentent. 14. ad. cap. Gallorum, & reſpon. ad 10. obiect. Vincent. Ioan. 1. Conc. Arauſicanum 2. circa finem.*

---

## REMISSIONES.

α Vide Sot in. 4. diſt. 15 q. 1. art. 1. colum, 3.

### Canon vii.

α Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumq; ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementiùs quis nititur in ſe diſponere gratia, tanto eum grauius peccare, anathema ſit.

---

## REMISSIONES.

α Vide Nauar in comment. de Iubilæo, & indul. fo. 73. P. Azori. Inſtit. Moral. p. 1. lib. 8. cap. 15. col 826.

### Canon viii.

α Si quis dixerit, [c] gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit.

*c Pſal. 10. Luc. 12 & Mar. 9. in fi.*

---

## REMISSIONES.

α Vide P. Azori. d. cap. 15 col. 826.

### Canon ix.

α Si quis dixerit, [d] ſola fide impiū iuſtificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiā cōſequendā cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari atq; diſponi; anathema ſit.

*d ſuprà. c. 1. & 2.*

## REMISSIONES.

α Vide P. Gabri. Vaſquez in 3. D. Thomæ, tom. 2. diſput. 134. num. 36.

### CANON X.

*a ſup. c. 7. Gal. 2. & 5. Ephef. 1. & 4.* Si quis dixerit, homines [a] ſine Chriſti iuſtitia, per quã nobis meruit, iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe; anathema ſit.

### CANON XI.

α Si quis dixerit, homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus [b] eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.

*b Rom. 5.*

## REMISSIONES.

α Vide Sot in 4 diſt. 14. q. 2. art. 5. colum. 3 Nauar. in man. prælud. 5. num. 7. Sayr de Sacram. in genere, lib. 2. cap. 2. quæſt 9. art. 3. verſ. Quoad.

### CANON XII.

*c ſup. cap. 9.* Si quis dixerit, [c] fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua iuſtificamur; anathema ſit.

### CANON XIII.

α Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, vt credat certò, & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & in diſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa; anathema ſit.

## REMISSIONES.

α Vide Nau, in tract. de oration. cap. 22 num. 41.

### CANON XIV.

*d ſup. cap. 9.* Si quis dixerit, [d] hominem à peccatis abſolui ac iuſtifica-

ſicari ex eo, quòd ſe abſolui ac iuſtificari certò credat; aut neminem verè eſſe iuſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe iuſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici; anathema ſit.

CANON XV.

α Si quis dixerit, [a] hominem renatum, & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum; anathema ſit.

a *Aug. c. 13 lib. de correp. & gratia. ſuprà c. 12.*

REMISSIONES.

α *Prædeſtinatorum* ] Vide Nauar. in ca. nouit de Iudic. notab. 2. n 5.

CANON XVI.

Si [b] quis magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc α *ex ſpiciali* reuelatione didicerit; anathema ſit.

b *Aug. lib. de bono perſeu. c. 13. ſupra c. 12. & 23. Gal. 3. Ezech. 18.*

REMISSIONES.

α *Ex ſpeciali.* ] Vide Nauar. in man. cap. 1. num. 30. & cap. 11. nu. 7. & in tract de orat. Miſcel. 39 num 150 ad fin.

CANON XVII.

Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam cõtingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vt pote [c] diuina poteſtate prędeſtinatos ad malum; anathema ſit.

c *Concil. Arauſ. 2. c. 25.*

CANON XVIII.

α Si quis dixerit, [d] Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit.

d *ſuprà c. 11. 1 Ioan. 5.*

REMISSIONES.

α Vide Caſtr. aduerſus hæreſes, verbo præceptum, Nauar. in man. cap 11. ad finem, P. Ægidi. de Sacram & cenſur. tom. 1. diſp. 2. dub. 19. num. 154.

### CANON XIX.

Si quis dixerit,nihil præceptum eſſe in Euangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia , neq; præcepta , neq; prohibita,ſed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos;anathema ſit.

### CANON XX.

*a Similis error erat Begardorũ à Concilio Viẽnenſi damnatorum.ſup.c. 11.*

α Si quis hominem iuſtificatum , & a quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſeruantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum ; quaſi verò Euangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ,ſine conditione obſeruationis mandatorum ; anathema ſit.

## REMISSIONES.

α Vide Sayr.in claui regia lib.3.cap.4 P.Azor. inſtit. moral p.1.lib. 4.cap 54.col. 352. P. Valeri.Reginal.in praxi fori pœnit.lib 13.cap. 17 num.167.

### CANON XXI.

Si quis dixerit, Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe vt redemptorem cui fidant,non etiam vt legiſlatorem cui obediant;anathema ſit.

### CANON XXII.

*b ſuprà 15.*

α Si quis dixerit,[b] iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe ;anathema ſit.

## REMISSIONES.

α Vide P.Ægidi.de Sacramen.& cenſuris , tom. 1.q. 62.art 2.num. 105.& q.73.num 47.& 50.

### CANON XXIII.

*c ſuprà c.14.*

α Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit c amplius peccare non poſſe , neque gratiam amittere , atque ideò eum, qui labitur & peccat , numquam verè fuiſſe iuſtificatum;aut contrà,poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia,vitare.niſi ex ſpeciali Dei priuilegio,quémadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia;anathema ſit.

RE-

## REMISSIONES.

α Vide D. Thom. p.3. q 84. art. 16. & in 4 diſtin 4. q. 1. Sayr. in claui regia, lib. 6. cap 3. num 9.

## CANON XXIV.

Si quis dixerit, [a] iuſtitiam acceptam non conſeruari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo, & ſigna eſſe iuſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam; anathema ſit. *a ſuprà cap.10.*

## CANON XXV.

α Si quis in quolibet bono opere iuſtum [b] ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri; tantumque ob id nõ damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema ſit. *b ſuprà cap.11. in fin.*

## REMISSIONES.

α Vide Nauar. in cap 1. 14. quæſt. 1. num. 20.

## CANON XXVI.

Si quis dixerit, [c] iuſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo per eius miſericordiã, & Ieſu Chriſti meritum, ſi benè agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſq; [d] in finem perſeuerauerint; anathema ſit. *c ſuprà cap.16.* *d Matth.24.*

## CANON XXVII.

α Si quis dixerit, [e] nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio, quantumuis graui, & enormi, præterquam infidelitatis peccato ſemel acceptam gratiam amitti; anathema ſit. *e 1. Cor.6. ſuprà cap.15.*

## REMISSIONES.

α Vide P. Gabr. Vaſquez in 3. p. D. Thom tom. 2. diſp. 156. num 63. in fine.

CANON XXVIII.

α Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua; aut eum, qui fidem ſine caritate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.

REMISSIONES.

Vide Couar. in cap. alma p. 1, in initio in princ.

CANON XXIX

*a ſuprà c. 14.* α Si quis dixerit, [a] eum qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere; aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſa iuſtitiam recuperare ſine ſacramento Pœnitentiæ, prout ſancta Romana & vniuerſalis Eccleſia, à Chriſto Domino & eius Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſeruauit & docuit; anathema ſit.

CANON XXX.

α Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, [b] vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc in hoc ſæculo, vel in futuro in [c] Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit; anathema ſit.

*b Seſſ. 1. 4. c. 8.*
*c infrà Seſſ. 25. in princ.*

REMISSIONES.

α Vide Repertor. Inquiſit verbo culpa cum addit. P. Ægid. de Sacram & cenſur, tom 2. diſp. 11. num. 1. & nu. 36.

CANON XXXI.

*d ſuprà c. 11. in fin.* α Si quis dixerit, iuſtificatum peccare, [d] dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema ſit.

REMISSIONES,

α Vide Nauar. in man. cap. 17. num. 209 Ludou. Beiam. reſponſor. caſuum conſcient. p. 2. cap 24. fol. 234. P. Sanch. in præcepta Decalogi lib. 1. cap. 35. num 3.

CANON

## CANON XXXII.

a Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita; aut, ipſum iuſtificatum bonis operibus, quę ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum mébrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam glorię augmentum; anathema ſit.

## REMISSIONES.

a Vide Sayr. de Sacram. in genere lib 2. c. 2. q. 9. art. 3.

## CANON XXXIII.

Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de iuſtificatione, à ſancta Synodo hoc præſenti Decreto expreſſam, aliqua ex parte glorię Dei vel meritis Ieſu Chriſti Domini noſtri derogari, & non potiùs veritatem fidei noſtræ, Dei deniq́ue ac Chriſti Ieſu gloriam illuſtrari; anathemá ſit.

## DECRETVM DE REFORMATIONE.

## CAPVT I.

*Prælati non reſidentes minimè poſſunt ſuum myſterium implere: renouantur canones aliquando promulgati contra non reſidentes: modúſque datur contra Epiſcopos abſentes à propria diœceſi per ſex menſes continuos,*

a EAdem ſacroſancta Synodus, eiſdem præſidentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad reſtituendam collapsã admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, deprauatoſq; in Clero, & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens, ab ijs, qui maioribus eccleſijs pręſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Confidens itaque per Domini

ac Dei noſtri miſericordiam, prouidamque ipſius Dei in terris Vicarij ſolertiam, omnino futurum, vt ad eccleſiarum regimen, onus quippe Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quocúmque prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordiis vſque ad perfectiores annos per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta, teſtimonium præbeat, ſecundùm venerabiles beatorum [a] Patrum ſanctiones aſſumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus eccleſiis quibuſcumque, quouis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, vt [b] attendentes ſibi, & vniuerſo gregi, in quo ſpiritus Sanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, [c] in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ouium ſuarum, quorum [d] ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo iudice requirendus, cuſtodiæ minimè incumbant: cùm certiſſimum ſit, [e] non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum eſt, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſolicitudine, ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos: placuit ſacroſanctæ [f] Synodo *ß antiquos canones*, qui temporum atque hominum * iniuria penè in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes promulgatos innouare; quemadmodum virtute præſentis decreti innouat, ac vlterius, pro firmiori eorundem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus, in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere atque ſancire. *γ Si quis à Patriarchalis*, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali eccleſia ſibi quocumque titulo, cauſa, nomine, ſeu iure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præ-

*a in ſacerdotibus, &c. Epiſc. 61. diſt. c ſi. 59. diſt. & infr. Seſ. 14. de ref. c. 1.*

*b Act. 20.*

*c 2. Tim. 4. Ioa. 10. c. ſit rector. 43. diſt. c. aduerſus 1. q. 1. c. niſi de renunc.*

*d Ezech. 33. & 34. Act. 20.*

*e Epheſ 43. diſt. c. 1. 13. q. 1. & infr. Seſſ. 24. c. 1. in ſi de ref.*

*f c peruenit cũ multis ſeq. 7. q. 1. de cler non reſid. per totũ & c. cùm ex eo, de elect in 6.*

* al. incuria.

& præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu iuſtis [a] & rationabilibus [b] cauſis ceſſantibus, ſex méſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abfuerit: *δ quartæ partis fructuum vnius anni*, fabricæ eccleſiæ, pauperibus loci per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo iure incurrat. [c] Quòd ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit; aliā quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumacia, vt ſeueriori ſacrorum canonum cenſuræ ſubiiciatur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, pęna interdicti ingreſſus eccleſiæ eo ipſo incurrenda infra tres menſes per litteras ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipſos abſentes, pro vt cuiuſq; maior aut minor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate animaduertere, & Eccleſiis ipſis [d] *ε de Paſtoribus vtilioribus* prouidere poterit, ſicut in Domino nouerit ſalubriter expedire.

a *Vide Seſſ. 23. c. 1. de ref. vbi cauſæ ſub indicantur.*
b *c. ex tuæ, de cler. non reſid. c. quoniam. §. porro vt li. non conteſt.*
c *infr. Seſſ. 23. de ref. c. 1. & 2.*
d *c. ex part. de cl. non reſid.*

---

## REMISSIONES.

α Vide P. Valeri. Reginal. in praxi fori pœnitent lib. 30 tract 3. num. 58.

β *Antiquos canones.*] Videlicet cap perueni, cum multis ſequentibus 7. q. 1. c. cum ex eo, de elect. li. 6.

γ *Si quis à Patriarchali, &c.*] Vide P Azor. Inſtitut. Moral. part. 2. lib. 7. cap. 6. col. 825. Gonzal. ad reg 8. Cancel gloſſ. 41. num 9.

δ *Quartæ partis fructuum vnius anni, &c.*] Vide Fr. Emman. in addit. ad bullam Cruciatæ, par. 2. fol. mihi 215. verſo.

ε *De Paſtoribus vtilioribus*. Concordat tex. in cap ex tuæ, de clericis non reſidentib. cap. quoniam, §. porto, vt lite non conteſtat.

CAPVT

## CAPVT II.

*Nulli obtinenti beneficium quod requirit reſidentiam licet non reſidere, niſi ob rationabilem cauſam ab Epiſcopo approbandam; deputandi nihilominus Vicarij ob curam animarum, &c.*

1 EPiſcopis inferiores, quæuis beneficia Eccleſiaſtica 2. *perſonalem reſidentiam* de iure ſiue conſuetudine exigentia, 3. *in titulum ſiue Commendam obtinentes*, ab eorum Ordinarijs, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine, & diuini cultus augmento; 4. *locorum & perſonarum qualitate penſata*, 5. *expediens videbitur*, opportunis iuris remediis 6. *reſidere cogãtur*: β *nulliq́; priuilegia ſeu indulta perpetua de non reſidendo*, aut de fructibus in abſentia percipiendis, [a] ſuffragentur. Indulgentiis verò & diſpenſationibus temporalibus, ex veris & 7. γ *rationalibus cauſis* tantum conceſſis, & coram Ordinario legitimè probandis, in ſuo robore per manſuris: quibus caſibus nihilominus officium ſit Epiſcoporum, tanquam in hac parte à Sede [b] Apoſtolica delegatorum, prouidere, vt per deputationem idoneorum vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini, quoad hoc, priuilegio ſeu exemptione quacumque ſuffragante.

*a c. ſi de reſ. in 6.*

*b c. cùm ex eo, de elect. in 6. c. benefic de reg: eo lib. & inſr. Seſſ. 7. c. 5. & 7. de reſ.*

---

## DECLARATIONES.

De reſidentia Epiſcoporum amplè agitur Seſſ. 23. c. 1. de Reform.

1 *Epiſcopis inferiores* ] De reſidentia Parochorum vide ſimiliter vt ſupra: num. circa reſidentiam attenditur ordinariè diſpoſitio dict. c. 1. Seſſ. 23 de Refor.

2 *Perſonalem reſidentiam.* ] Obtinens beneficium, licet adſit titulus alicuius Sancti, dummodo ſit ſimplex, non tenetur in eo reſidere, nec eum ad reſidentiam poteſt cogere Epiſcopus.

3 *In titulum ſiue commendam, &c.* ] Quando Abbatia cura & cõuentu caret, non eſt Abbas cogendus reſidere, *Vide ſeſſ. 23. c. 1. de Ref. §. & alijs.*

4 *Loco-*

4 *Locorum & perſonarum qualitate penſata.* ] Nulli tamen eſt adiiciendum onus extra fundationem beneficij aut conſuetudinem.

5 *Expediens videbitur.* ] Per hoc non datur facultas Ordinariis diſpenſandi à reſidentia ex quauis ratione.

6 *Reſidere cogantur. &c.* ] Prouiſus ab inferiori collatore de beneficio perſonalem reſidentiam requirente, compellendus eſt per Ordinarium ad reſidendum.

Habens Archidiaconatum Palentin. in eo tanquam in digniori loco reſidere debet, & ibi reſidens, poteſt percipere omnes fructus Theſaurariæ Legionem præterquam diſtributiones quotidianas, in quas ſi Theſaurariæ ipſius ex Decreto Concilij Seſſ. 21. cap. 3. eſſet conuerſa tertia pars; illam percipere non poteſt, niſi ibi reſideret atque inſeruiret

Epiſcopus obtinens beneficia ſimplicia, nō poteſt cogi ad aliquod perſonale ſeruitium ſuis beneficiis impendendum; cum ex antiquiſſima totius Eccleſiæ conſuetudine non teneantur, niſi ad officium recitandum.

Epiſcopus non poteſt cogere obtinentem Capellaniam, vt ipſemet celebret, licet in eius fundatione diſponatur, quod Rectores celebrēt Miſſam: rectè enim per ſubſtitutum ſatisfit.

7 *Rationabilibus cauſſis* ] Canonic. Capuanus fuit per annum excuſatus à reſidentia ex Congregationis declaratione, dummodo eo tempore in loco viciniori habitaret, & quod inimicitiæ eſſent ſine eius culpa ortæ.

Alius Canonicus Aretinus, qui fide iuſſerat de recedendo ab vrbe, fuit à reſidentia fideiuſſione durante ſimiliter excuſatus, & inhibitum Ordinario, ne contra eum procederet.

## *De Commendatariorum ordinatione Annotationes quædam.*

COmmendatarij non tenentur promoueri ad ſacros Ordines, Primò ſi vel monaſteria carent omni prorſus cura, & conuentu. Secundò, ſi vel habeant tantum Iuriſdictionem temporalem. Tertiò, ſi cura animarum ſacramentalis conuentui ſoli incumbit, nō autem perſonæ Commēdatarij. Quartò, ſi vel Iuriſdictionem, quam ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ habent, non poſſint actu exercere, quia de facto prohibentur. Quintò, ſi eam Iuriſdictionem ſpiritualem actu exerceant, & non curam animarum habere videātur, *c. Dudum 6. c. Licet, de elect.* vbi Hoſtien Ioan. Andr. Bellam. Ancar. Card. Butr. Abb. *c. ſuper eo, de prab. in 6. extrauag. Execrab in fin. vbi gloſſ. verſ. viſitare, de præb & dignitat. in Extrauag. Ioan. XXII.* tamen quia ex larga ſignificatione eſſe dicitur, *Innoc. & alij c. Cum ſatis, de offic. Archid. & c. de multa, de præb Staphi de ſtat. & qualit. benef. num.* 20. Idcirco regulariter Commendatarij non erunt cogendi ſuſcipere ſacros ordines, ſed quandoque, pro locorum, & perſonarum qualitate, expe-

expedit eos ad id cogere arbitrio Sanctiſſimi. Sed an ad ſacerdotium vel ſufficiat ad Diaconatum, *vide Card. Clem.* 1.*q.* 20. *de off. Vic Mil. verb. curatum, in fi. Rebuf. in prax. benef. tit. de non promot. nu.* 31. & intra quod tempus, & antè. cum Decreto irritante. *Supr. hoc. c.* §. *Commendatarij.*

Si verò cura animarum Sacramentalis, ſiue Monachorum, ſiue perſonarum ſecularium, incubuerit perſonis Commendatariorum, tenebuntur ſacris ordinibus initiari, An verò exprimendum ſit præciſè quod promouendus ſit ad ſacerdotium, & intra annum, & quod alias ipſo iure priuati ſint, vide *ad cap.* Licet canon *de elect in 6. vbi gloſſ. verſ.* ſacerdotium. *& verſ.* commendandos, *& Clem.* Ne in agro. §. *cæterum de ſtat. Monach.* ſicut & pro eo: An diſtinguendum ſit, ſi Commendam in anno 22. obtinuerit, teneatur promoueri ad ſacerdotium intra 25. annum.

Cæterum conuenit vt in Galliis indiſtinctè Cõmendatarij teneãtur promoueri ad ſacros ordines, ideóque in conceſſionibus Commendatum Gallicarum apponatur Decretum, & infra annum ſacris initientur; alioquin poſt annum elapſum, vacent ipſo iure commendæ quarum ſi quæ exiſtunt de Monaſteriis omni prorſus cura & conuentu carentibus, eo caſu S. D. N. aliquam Commendatariorum habebit rationem.

## *De reſidentia Commendatariorum.*

COmmendatarij non tenentur reſidere, Primò ſi monaſteria carent omni prorſus cura & conuentu. Vel ſi habeant tantum Iuriſdictionem temporalem. Tertiò ſi cura animarum ſacramentalis ſoli conuentui incumbit, non autem perſonæ Commendatarij. Quarto ſi vel Iuriſdictionem ſpiritualem, quam ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ cõmendatarij habent, non poſſint actu exercere, quia de facto prohibentur. Quinto amplius, licet Iuriſdictionem ſpiritualem exerceant, non ideo tamen tenentur reſidere ex hoc Concil. Decreto, ſeſſ. 23. cap. 1. § *Eadem omnino.* quod licet exprimat de curatis & aliis quibuſcumque beneficiis animarum curam habentibus, quę verba ad ſolam quoque Iuriſdictionem ſpiritualem referri poſſent, *c.* Dudum *&c.* Multæ *& Extrauag.* Execrab. *d. c.* Super eo, tamen intelligendum eſt, de ſola cura animarum ſacramentali: & ideo qui ſolam curam Iuriſdictionis ſpiritualis habent, non comprehenduntur in Decreto, neq; pœnis in eo inflictis ſubiacent, ſed tantùm poterunt cogi reſidere, pro vt ante Concilium tenebantur, ad terminos *c.* Dudum 6. *& dict. c.* Super *eo, & d. Extrauag.* Execrab. ad quod etiam ius vetus videtur Concilium alibi ſe retuliſſe. Si verò cura animarum ſacramentalis ſeu Monachorum ſeu perſonarum ſecularium, incumbit perſonis Commendatariorum, tenebuntur reſidere ex Decreto Concil. *Seſſ* 23. *c.* 1. *Vide ſupr.* §. *In titulum.*

*A quo*

## *A quo viſitari poſſint Commendatarij.*

DIcebatur Concilium videri ſubieciſſe Commendatarios Ordinarijs in materia reſidentiæ per præſens Decretum. Idémque cum de incomparabilitate agitur, Seſſ. 7 cap. 4. aut de cura animarũ ſacramentali, quam ipſimet Commendatarij exercent. Seſſ. 25 ca. 11. de Regul. Extra iſtos autem caſus Concilium nihil in ſpecie decreuiſſe, à quo Commendatarij poſſint viſitari & corrigi. Conſiderandum autem eſſe, quod ea hodie opinio recepta ſit: Commendatarios perpetuos pro veris titularibus haberi, & Iura de Abbatib & Prioribus, loquentia, habere etiam locum in hiſce Commendatarijs probatur c. Nemo, *de elect. in 6. Chaſſan. in conſuet. Burgund. rubr 9. §. 9. Rebuff. de nominat. q. 8 nu 29. & de pacific. poſſ. num. 96. & 43. Gomeſ. in form reſign 4. num. 2. & de idon. q 5. num. 6.* Conſequens ergo videtur, vt, quemadmodum Abbates à ſuis ſuperioribus regularibus viſitari debent, ita etiam ipſi Commendatarij viſitari poſſint. Quod ſi hoc omnino conuenire aut decere videtur, rurſus aduertendum, an nullo expreſſo iure, nulláque clara conceſſione Apoſtolica ab his viſitentur, & quanquam ſe exemptos probarent, poſſe tamen ab Ordinarijs iudicari ratione rei, contractus, aut delicti, vt ſanxit conſtitutio Innonc. IV. *cap. 1. de priuileg. in 6* quam Concilium innouauit, atque etiam ampliauit in cauſſis mercedum & miſerabilium perſonarum, etiamſi certus Iudex à Sede Apoſtolica in partibus deputatus eſſet, & generaliter quoque in alijs cauſſis ſi certus Delegatus non adeſſet, vt dicitur Seſſ. 7. cap. 14. Quoad materiam iam tamen viſitationis viſum eſt pleríſque, non poſſe Commendatarios nomine Cõmendæ viſitari, neque corrigi, niſi à Delegatis Sedis Apoſtolicæ. ſed quia aliqui Ordinarij hanc facultatem ſibi competere credunt, & ob id vrgent aliquos Commendatarios, Sanctitas ſua iuſſit, vt audiantur Commẽdatarij, quibuſnam rationibus ſe ab hac viſitatione tueantur. ideo eis auditis, amplius erit deliberandum.

Item dubitatum fuit. An Commendatarij eorum Monaſteriorum, quæ habent cõuentum, à ſuis Superioribus regularib. viſitatum, ab Ordinarijs locorum viſitari & corrigi poſſint? Ad hoc autem reſpondetur, quod licet Concilium Trid. Seſſ. 14 cap. 11. de Cõmendatarijs non meminerit, in illa commemoratione perſonarum quæ ab Ordinarijs viſitari debent, non obſtantibus quibuſcúmque priuilegiis eis conceſſis; congregatio cenſuit, ſi nullius diœceſis ſint, ad Epiſcopos nullum ius pertinere, ſed ad Sedem Apoſtolicam: ſi verò in certa diœceſi ſunt; quoad reſidentiam ſubiacere Epiſcopo ordinario loci, per cap 2. Seſſ. 6. & eidem, quoad incomparabilia Seſſ 7. cap. 14. Et ponderando quod caput 14 loquitur de commendatis, cap 5 dat iuriſdictionem Epiſcopis. Quod verò ſpectat ad viſitationem & correctionem, congregatio cenſuit eos non poſſe ratione commendæ

viſi-

viſitari aut corrigi, niſi à ſummo Pontifice aut eius delegato, licet Alciatus, qui aduerſabatur, diceret, *Viſitator eſt Delegatus*. Ratione autem delicti rei contractus; ad ius commune ſe remiſerunt, prout Concilium ſe remiſit, illúdque ampliauit, vt ſuprà c. 14. Seſſ. 7. quod eſt notandum, cùm Concilium per d. c. innouauerit *c. 1. de priuil. in 6. quod incipit*, Volentes.

## REMISSIONES.

α Vide mandoſ de ſignatura gratiæ, tit. de diſpenſat. de non reſiden. fol. 46. Horat. Luti de priuileg. ſcolaſt. priu. 98. Matth. Soar. in pract. & ordine viſitandi c. 3. n. 5.

β *Nulliq; priuilegia ſeu indulta perpetua de non reſidendo, &c* ] Vide P. Paul. Comitol. reſponſ. moral li. 1 q. 60. n. 6 Cened. pract. & Can. qu. lib. 1. qu. 1. n. 32 vbi reſoluit per clauſulam illam generalem non fuiſſe derogatam Eugenianam conſtitutionem.

γ *Rationabilibus cauſis.* ] Quatuor cauſas legitimæ abſentiæ nominat Concil. Trid. infr. Seſſ. 23. cap. 1. Vide P. Paul. Comitol d. qu. 60. num. 5. P. Valer Reginald. in praxi for. pœnit. lib. 30. tract. 3. nu. 54.

## CAPVT III.

*Exceſſus ſæcularium clericorum & regularium agentium extra monaſteria, ab Ordinario loci, vt deputato à Sede Apoſtolica, corrigantur.*

1 α Eccleſiarum *Prælati* ad corrigendum ſubditorum exceſſus, prudenter ac diligenter intendant: & nemo ſęcularis Clericus * β *cuiuſuis perſonalis, vel regularis*, 2 *extra monaſterium degens*, γ *etiam ſui ordinis priuilegij* a *prætextu* tutus cenſeatur, quo minus, ſi deliquerit 3 *ab Ordinario loci*, δ *tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato* ſecundùm canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi valeat.

**fort. legendum* vel cuiuſuis ordinis regularis.
*2 infr. Seſſ. 13. de ref. c. 1. & 4.*
*2. Seſſ. 14. c. 4. & 5. de refor.*

## DECLARATIONES.

1 *Eccleſiarum Prælati.* ] Epiſcopi in hoc Decreto agere poſſunt contra omnes profeſſores militiarum Hieroſolymitanarum, exēptis ob priuilegium Pij V. etiam ſi dicti milites extra locum ſuorum ordinū cum licentia ſuorum Superiorum, degerent. Idem cenſuit Congregàtio in omnibus aliis Regularibus, qui degunt extra Monaſterium

etiam

etiam cum licentia ſuorum ſuperiorum, ſi deliquerint, poſſe puniri à locorum Ordinarijs, iuxta hoc Decretum.

2 *Extra monaſterium degens.* ] Intellige degente ſine licentia ſuperioris. *vide c.14. Seſſ 2. de Regul.* Si deliquerit

Fuit dubitatum, Vtrum exiſtentes in aliqua domo ad erectionem Monaſterij deſtinata, comprehendantur in hoc Decreto? Et fuit reſolutum ſub die 24. Maij 1588 quod licet ibi exiſterent de licentia ſuorum ſuperiorum, tamen ſi non haberent in dicta domo Priorem ſeu Guardianum, & non viuerent iuxta inſtitutum Regulæ illius Religionis, comprehendantur in dicto Decreto, & ab Ordinario puniri poſſint: non poſſe autem, ſi in ea domo ſub Superiore conuentualiter viuant

3 *Ab Ordinario loci.* ] Presbyter delinquens in ſua Diœceſi, ſi in altero loco comperiatur, ad ſuum Ordinarium remitti debet.

## REMISSIONES.

α *Eccleſiarum Prælati.* ] Concordat cap. cùm propriè, de vita, & honneſt. Cleric.

β *Cuiuſuis perſonalis vel regularis.* ] Nau. conſ. 21. de Regularibus, quamuis dubius videtur exiſtimare hoc decretum nihil derogare priuilegiis Ordinum militarium in his, quæ pertinent ad ſacros milites. Aliis probabilius videtur, eos non eſſe comprehenſos: etenim Nau. vbi ſuprà: literam veram prædicti decreti clariorem deſideraui, quoniam eam, quam habemus, ſubdifficilis, & ſubobſcura videtur, quod attinet ad illa verba *cuiuſcumque perſonalis.* Cæterum litera huius decreti non videtur obſcura Auctoribus ſtatim citandis, & iuxta eos illius ſenſus eſt: Nullus Clericus ſæcularis cuiuſque perſonalis, videlicet priuilegij prætextu, vel regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui ordinis priuilegij prætextu tutus cenſeatur: quominus ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato ſecundùm canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat. referunt P. Azori. inſtit moral. 1. p lib. 13 c 4 q 3. pag. 1282. Fr. Emman. quæſt. Regular. tom. 2. q 2. art. 7. per totum, & q. 63. art. 7. verſ. Quintò.

γ *Etiam ſui ordinis priuilegij prætextu.* ] Deciſionem tex. in extrauag. cum Matthæus 3. de hæret. inter commun. non corrigi per hunc tex. in præſenti teſtatur Cened. in Clem. & extrauag collect. 14 num. 3. cum ſeqq.

δ *Tanquam ſuper hoc à ſede Apoſt. delegato.* ] Dum hic tribuitur Prælatis iuriſdictio corrigendi exceſſus ſubditorum conceſſum eſſe Prelatis Regularium priuatiuè ad Ordinarium in præſenti, teſtantur Menoch. de præſumpt lib. 2. q. 8. n. 22. Cened ad decretal. collect. 87. num. 4. verſ. Secundò.

## CAPVT IV.

*Quarumcunq; Eccleſiarum minorum Capitula, toties quoties voluerit Epiſcopus & alij maiores Prælati, &c. viſitent, corrigant, emendent, non obſtantibus, &c.*

a Seſſ.25.c.6.de refor. & c.4.ref. Seſſ.14.

a CApitula a *Cathedralium* β 1 *& aliarum* 2 *maiorum Eccleſiarum*, 3 *illorumq; perſonæ*, 4 *nullis exemptionibus*, conſuetudinibus, ſententiis, & iuramentis, 5 *Concordiis*, quæ tantùm ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint; quo minus 6 *à ſuis Epiſcopis*, , & aliis maioribus Prælatis, 7 *per ſe ipſos ſolos*, 8 *vel illis, quibus ſibi videbitur, adiunctis*, iuxta b canonicas ſanctiones, toties, 7 *quoties opus fuerit*, 9 *viſitari, corrigi, & emendari*, etiam auctoritate Apoſtolica, 10 *poſſint & valeant*.

b infr. Seſſ. vlt. de ref. r. cap.6.

---

## DECLARATIONES.

1 *Capitula Cathedralium.* ] Epiſcopus ſua Capitula viſitare poteſt & corrigere ſi non ſunt exempta: ſi verò exempta eſſent, ſeruanda eſt forma præſcripta à Concilio Seſſ.25.cap.6.de Reform.

2 *Et aliarum maiorum Eccleſiarum* ] Neque enim collegiatarum Capitula viſitare poſſunt per hoc Decretum

3 *Illorumq; perſonæ.* ] Ita eſt reſolutum a Congregatione, non obſtantibus priuilegiis ex fundatione. Præſuppoſito autem quod res & bona Capitulorum ſint exempta à Iuriſdictione Epiſcopi, an ſicut Epiſcopus viſitare poteſt Capitula, ita etiam poſſit res & bona rerúmque & bonorum adminiſtratores viſitare? Congregatio die 6. Iunij, 1587. cenſuit Epiſcopum in viſitatione formali poſſe res rerúmque. adminiſtratores viſitare; aliàs deluſoria eſſet viſitatio, ſi negligentes & bonorum vſurpatores non caſtigaret *Archid. in cap. Romana, de cenſib. in 6. Fuſ. in ſuo tract. de viſitat. li.1.c.15. num. 30. & alibi.*

4 *Nullis exemptionibus.* ] Si Capitula erunt exempta, tenebũtur ſeruare decreta illius Concil Prouincialis, cui interfuit eorũ Epiſcopus.

5 *Concordijs.* ] Fuit reſolutum à Rota & à Congregatione Concilij ex mente Gregorij XIII. hunc textum non tollere Concordias confirmatas à Sede Apoſtol. ex ſcientia certa: ſunt autem ſublatæ illæ quæ dantur in forma communi, cùm indiſtinctè concedantur ab officio contradictarum citra ſcientiam Pontificis. Itaque ad dubium quod moucbatur: An ſcilicet per hoc capitulum; & Seſſ.25.cap.6.

dero-

derogatum ſit Concordiis non confirmatis per ſedem Apoſtolicam? Congregatio reſpondens cenſuit derogatum eſſe Concordijs omnibus, præterquam confirmatis ſpecialiter à Sede Apoſtolica *Videatur gloſſ. in cap. veniens, de tranſact Alex. conſ 62. vol.* 1. quibus innoteſcet quod Concordiæ reliquæ tollantur, quæ ſuos dumtaxat tenet auctores. *Infra hoc c.* §. *In hoc.*

## *Abulenſium quæſtio.*

EXtat in Eccleſia Abulenſ. ſtatutum, quo datur forma procedendi in cauſſis criminalibus, vbi agitur de corrigendis beneficiatis Eccleſiæ, tam in viſitatione, quam extra: & in multis caſibus ſoli Epiſcopo Iuriſdictio tribuitur. Illud ſtatutum non eſt ex certa ſcientia à Sede Apoſtolica confirmatum: ſiquidem nec Papa id exprimit, nec ſtatuti tenor vel illius ſubſtantia ſaltem compendioſè in confirmatione refertur. *Roman. latè conſ.* 327. *num.* 7. *& ſequent. & conſ.* 336. *poſt. num.* 2. *Panorm. conſ.* 102 *num.* 3 *lib.* 1 maximè quia licita, & honeſta tantum confirmantur: quod ſolum, ſatis oſtendit confirmationem eſſe in forma communi. *Panorm. in cap extra. num.* 6 *de confirm. vtil vel inutil. Imol. in cap. pen. ad fin. col. tit. Alexand. conſ.* 1. *lib.* 5. Et quod fortius eſt, neque etiam in ipſa confirmatione ſtatutum iſtud aliquomodo deſignatur, nec quicquam exprimitur. quo Pontifex veriſimiliter intelligere potuit, in eo ſtatuto de Iuriſdictione agi, at ſub nube ac verborum inuolucro, narrata prius ſubſtantia aliorum quorundam ſtatutorum aliò pertinentium, quoad materiam Iuriſdictionis, omnia ſtatuta Eccleſiæ confirmantur: vnde indubitatum eſt, confirmationem non eſſe ex certa ſcientia, vt in ſpecie de ſtatutis generaliter confirmatis tradit Alexand. *conſ.* 59 *numer.* 8. *lib.* 1. *Burſ. conſ.* 108. *numer.* 25 *lib.* 1. His ſtantibus, credimus confirmationem iſtam non ſuffragari, quo minus per Concil Trident. fuerit ſublatum ſtatutum hoc: nam etſi Sacra Congregatio iam reſoluerit ſtatuta confirmata non eſſe à Concilio reuocata, (quod aliter tenuit Rota in illa Palentin. *Iuriſdictionis*, de qua per Achil. *deciſ* 1. *de confirmat. vtil. vel inutil.* & paſſim ſeruatur) illud tamen non videtur recipiendum, vt quælibet ſtatutorum confirmatio etiam in forma communi, ad præſeruanda ſtatuta ſufficiat: cum iſtius generis confirmatio, parum vel nihil operetur. *Cardinal. Conſ* 44. *num.* 6 *Imol. d. cap. penult. in fin. de confirm. vtil. vel inutil. Curt. Iun. Conſ.* 312 *num.* 6. multóque minus videtur illud recipiendum, quando (vt in caſu noſtro) ſub inuolucro, & generaliter, omnia ſtatuta confirmantur, ex eo quod optimè in propoſito ſcribit Bart *in l ex placito, col.* 3. *num.* 12 *in fin. Cod. de re permut.* vbi ait quòd ſtatuta non dicantur Papalia, ſi illa generaliter fuerint confirmata: ſecus ſi aliquod Statutum in indiuiduo confirmetur, vt ſequitur Aret. *conſ* 8 *poſt numer.* 6. Hoc enim caſu, cùm non videatur concurrere duplex

vinculum ſaltem conſiderabile, ceſſat ratio qua mota fuit Congregatio, ex dictis Archil. deſcripta & gloſſ. in *Clem. Dudum, verſ. pacta, de ſepult.* ibi; quòd derogatio pactorum non trahitur ad confirmata, nam hoc intelligendum eſt de confirmatis in indiuiduo, &cum cauſæ cognitione: quo caſu vinculum duplex videtur conſiderabile, vt gloſſ. ſentit, dum præſupponit ſententiam etiam fuiſſe latam pro validiatę pacti:& in illa Palentin. *Iuriſdictionis*, totius tenor concordiæ erat inſertus in confirmatione, provt etiam in confirmationibus tunc ſcriptis videre licet. Et cum materia iſta: An decret. Concilij ſuſtulerint, necne Concordias confirmatas, fuiſſe ſemper dubitabilis, niſi ſacra Congregatio omnem controuerſiam diluiſſet, & magna hinc inde argumenta adferri poſſint, maximéque vrgeant verba Concilij in præſenti Decreto, ibi, *nullis concordiis*, quæ verba per ſui generalitatem trahuntur etiam ad Concordias confirmatas, ſecundum Bonif. *in dicta clem. Dudum. § nos etiam num.* 14. non debet tam facilè declaratio Sacræ Congregationis trahi ad eas concordias, quarum confirmatio non ſolũ non fuit obtenta ex certa ſcientia, ſed nec in indiuiduo. Quare vt omnis diſputandi materia tollatur, & clariùs appareat quid Illuſtriſſimi in hoc articulo ſentiant, ſupplicamus in ſacra Congregatione proponi: An confirmatio ſtatutorum Eccleſiæ Abulenſ. ſit talis, quæ prærſeruet ſtatutum eiuſdem Eccleſiæ, vt non includatur ſub decreto Conc. ſeſſ. 6. ca 4. & ſeſſ. 25. c. 6 vel potius, An huic ſtatuto per decreta prædicta cenſeatur derogatum?

### *Horatius Mandoſius reſpondet.*

PRæſuppoſito Decreto Sacræ Congregationis, quo Concordiæ in forma communi conceptæ & à Sede Apoſtolica generaliter confirmatæ, cenſentur ſublatæ per Concilium præſenti capitulo, die Iouis, 3. Nouembris 1586. Congregatio auditis vtrinque Aduocatis eorumq; rationibus diligenter perpenſis, cenſuit illas tantum confirmatas intelligi præſeruatas in Decretis Concilij, quæ emanarunt ex certa ſcientia & cum cauſæ cognitione: cæteras autem penitus eſſe abrogatas.

6 *A ſuis Epiſcopis.*] Non autem à Vicariis, etiam generalibus. Si enim Epiſcopus velit viſitare ex hoc decreto, debet id perſonaliter agere: ſecus ſi ex aliis Concilij Decretis; cum per ſuum Vicarium id agere poſſit, aut Viſitatorem, ſi modo legitimè impeditus fuerit, vt permiſſum eſt infr. ſeſſ. 25. cap. 6. etiamſi de Viſitandis exemptis ageretur, cum dictum capitulum exemptiones tollat tametſi iuxta ca 8. ſeſſ. 22. de viſitandis hoſpitalibus, Sub collectores & alij Officiales Sedis Apoſtolicæ minimè compræhenduntur, ne quidem quoad oſtenſionem titulorum, ſub hoc Decreto.

7. *Per ſeipſos ſolos.*] Quando ſolus Epiſcopus poſſit hæc facere, cum quibus

quibus Notario, & Fiſcali, quo in loco, & quæ crimina, &c. vide infr. Seſſ 25. cap. 26,

8 *Vel illis, quibus ſibi videbitur, adiunctis.*] Epiſcopus poteſt in Viſitatione perſonarum ſui Capituli aſſumere aliquos in actu viſitationis quos voluerit, etiam extra gremium Capituli.

An Epiſcopi incumbentes Correctioni, & viſitationi exemptorũ vigore facultatis eis tanquam Sedis Apoſtol. delegatis à Concil. tributæ, procedere valeant contra Conſeruatores impedientes, præſertim ſi illi extra Diœceſim commorentur? Congregatio cenſuit die 16. Mart. 1589. Epiſcopum poſſe procedere.

9 *Viſitari, corrigi, & emendari.*] An liceat Epiſcopo viſitare volenti ſuum Capitulum, in edictis publicis præſuppoſitis, & in Concionibus promulgatis, pronunciare prouocando quoſcunque, etiam ſub pœna excommunicationis denunciare, vt deponere debeant, ſi aliqua ſciant vel habeant contra Capitulares, & eorum vitam, & mores? Congregatio cenſuit Epiſcopo non licere.

An Epiſcopus viſitans poſſit tanquam ſuſpectus recuſari? Congregatio cenſuit non poſſe, niſi in viſitando modum exceſſerit.

An Epiſcopus in ſpeciali viſitatione poſſit exigere Iuramentum? Congregatio cenſuit poſſe inſpeciali.

10 *Poſſint, & valeant.*] Hæc facultas non eſt priuatiua ad illos qui ius habent viſitandi, & corrigẽdi: vt ſunt Abbates, Decani, & ſimiles: quia iſtis licet viſitare, & corrigere ſeorſum ab Epiſcopis.

In hoc Decreto includuntur Capellæ, Canonicatus, & alia beneficia non curata, requirentia reſidentiam: ſi tamen alias ſunt incompatibilia, & temporis longitudo non obſtat quin ab Epiſcopo compelli poſſint ad diſpenſationes exhibendas. Et quia mens Concilij eſt tollere Concordias quæ tantum ſuos obligant auctores, ideo dicendum eſt quod ſi tantum eſt confirmatio in forma communi, non obligat ſucceſſores. *gloſſ. in cap. Veniens. de tranſact. Communis text. eſt Alex. conſ. 62. num 2 lib.* 1. & quia aliqui dicunt pacta confirmata non tolli per generales derogationes; Interpretes Concil. Trid intelligunt hoc de confirmationibus ex certa ſcientia, *Alex. conſ. 95. num.* 12. & in ſtatutis eorum vult. *Aret. conſ. 7.*

Dubitatum adhuc fuit tempore Sixti V. An intelligantur præſeruatæ Concordiæ confirmatæ in forma communi, an verò illæ quæ ſunt ex certa ſcientia tantùm? Hinc inde multa fuerunt dicta. Tandem reſolutum fuit die 13. Nouemb. 1586. à Sacra Congregatione, fuiſſe præſeruatas tantùm Concordias confirmatas ex certa ſcientia; cùm aliæ quæ conceduntur in forma communi, concedantur ab officio contradictarum, & officio pœnitentiæ, citra ſcientiam Pontificis. *Idem ſup.* §. Præſuppoſito.

Vide meliùs de iſtis materijs *in Seſſ. 25. cap. 6. de Reform.*

## REMISSIONES.

α VIde Fr Emman. qu. Regul. tom. 2. qu. 21. art. 7. P. Azor. Inſtit. Mor. p. 2. li. 5. c 40 à princip. & præcipuè. q. 4.

β *Capitula cathedralium* ] Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Sub collectore, & alij officiales Sedis Apoſt. minime comprehenduntur, neque quoad oſtenſionem titulorum ſub hoc decreto. refert Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 51. nu. 81.

γ *Quoties opus fuerit viſitari.* Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Hæc facultas non eſt priuatiua ad illos, qui ius habent viſitandi, & corigendi, vt ſunt Abbates, Decani, & ſimiles: quia iſtis licet viſitare, & corrigere ſeorſum ab Epiſcopis.

Et iterum. An viſitatio, de qua in cap. 4. ſeſſ. 6. & cap. 6. ſeſſ. 25. de reformat. eatenus competat ex his decretis Epiſcopis, vt non liceat Decano, & Capitulo Regulares perſonas ipſi Capitulo ſubiectas cumulatiuè cum Epiſcopo, ſeorſum tamen ab eodem, non excludendo ipſum Epiſcopum, toties, quoties ſua auctoritate vt voluerit, viſitare, corrigere, & emendare iuxta conſuetudinem hactenus obſeruatam? Congregatio Conciliorũ cenſuit imò totaliter licere Decano, & Capitulo viſitare ſubditos ſuos. Has deciſiones referunt Gonzal. ad reg. 8. c. cancel. §. 2. procœm. nu. 21. Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. c. 154. num. 40.

## CAPVT α V.

*Pontificalia in aliena diœceſi non exerceantur, aut ordinatio fiat ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitijs &c.*

*Seſſ. 14. c. 2. Vide 1. Nicæ. c. 17. & 1. Arelat. c. 13. & Antioch. c. 13. Sard. c. 18. & 19. & 3. Carth. c. 20. & 21. Conc. Aurel. 3. c. 15. c. placuit. cum ſeq. 7. q. 1. & infr. Seſſ. 14. de ref. c. 3. &c.*

β NVlli *Epiſcopo* liceat cuiuſuis priuilegij. prætextu γ 1 *Põtificalia in alterius diœceſi exercere,* δ 2. *niſi, de Ordinarij loci* expreſſa licentia, 3. *& in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantum.* ſi ſecùs factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati, ε *ab executione Ordinum ſint* ζ *ipſo iure ſuſpenſi.*

*Indictio futuræ Seſſionis.*

PLACET *ne vobis proximam futuram Seſſionem celebrari die Iouis Feria quinta poſt primam Dominicã ſubſequentis Quadrageſimæ, quæ erit dies 3. menſis Martij.* Reſponderũt, PLACET.

DE-

# DECLARATIONES.

1 *Pontificalia in alterius Diœceſ.* ] Cardinales in aliena Diœceſi poteſtatem non habent conſecrandi Eccleſias profanatas, niſi de indulgentia Papæ.

2 *Niſi Ordinarij loci expreſſa licentia* ] Non poteſt Prælatus inferior, etiam exemptus, huiuſmodi licentiam concedere, ſed Ordinarius loci, qui communiter eſſe ille intelligitur Epiſcopus in cuius Diœceſi locus eſt conſtitutus.

Patriarcha habens aliquas Eccleſias ſibi immediatè ſubiectas in aliena Diœceſi, non poteſt dare licentiam exercendi pontificalia in aliena diœceſi ſine conſenſu Epiſcopi Diœceſis.

Capitulum ſede vacante poteſt concedere licentiam extero Epiſcopo exercendi Pontificalia in eorum Eccleſia, & ordines conferendi, tam Clericis illius Diœceſis quam alterius: iuxta tamen formam huius Decreti, quæ exteris habentibus dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum facultatem non negat ordines recipiendi ab Ordinario, legitimam ad id poteſtatem habente. *Confer cum declaratione ſeſſ.* 7. *c.* 10. *§. Capitulum.*

3 *In perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantum.* ] Epiſcopus in alterius Diœceſi de licentia Ordinarij loci, non poteſt ordinare perſonas, quæ non ſunt ſubiectæ illi Ordinario, niſi habeant dimiſſorias generales à ſuis Ordinariis, nec poteſt de licentia Ordinarij miniſtrare Sacramentum chriſmatis. Huc ſpectat cap. 1. ſeſſ. 7. de Reform. Non excluduntur tamen propterea Clerici aliarum Diœceſum, (ſi ſuas literas dimiſſorias habeant) quo minus poſſint ab Epiſcopis extraneis in aliena Diœceſi, de licentia Ordinarij Pontificalia exercentibus, ordinari. Neque Epiſcopus, qui nullum habet Epiſcapatum, poteſt in ſua Eccleſia Iuriſdictionali, (veluti ſi eſſet Præpoſitura) ſine expreſſa licentia Epiſcopi, intra cuius fines Diœceſis præpoſitura exiſtit, chriſma conferre, nec alia Pontificalia exercere.

Nec etiam poteſt Epiſcopus Pontificalia exercere in loco exempto Iuriſdictionis, non Epiſcopi, ſed inferioris; etiam vocatus ab ipſo inferiore, ſine licentia Epiſcopi intra cuius Diœceſis fines eſſet locus ille, etiam ſi ille inferior prætenderet ratione exemptionis vocare Epiſcopum quem maluerit ad miniſtrandum Sacramentum confirmationis: dummodo locus ipſius exempti ſit intra fines Diœceſis alicuius, ita vt non eſſet nullius; quia tunc poſſet, ſicuti S. D. N. Greg. XIII. declarauit.

Vicarius generalis non poteſt concedere hanc licentiam niſi habeat ſpeciale Mandatum, *gloſſ. verſ. non extendat. c. cum nullus, de temp. ordin. in 6.*

# REMISSIONES.

α CONcordat Concil. 1. Nicæn. cap. 17. Concil. 2. Arelat cap 13. & Antioch. cap. 13 & Concil. 3. Aurel. cap. 15. & Concil. 3. Carthag. cap. 10 & 11. cap. placuit cum ſeq. 7. quæſt. 1 & cap. 1. 13. qu. 1. cap nullum Epiſcopum, cum tribus ſeqq. 9. quæſt. 2. Vide Nauar. conſ. 69. de ſentent. excommun. Cened. ad Decretum collect. 52. à princip. P. Henriq in ſum. p. 2. lib. 11. cap. 3. § 2 in fin. lit. S. Salzed. ad Bernard. in pract.. cap. 26. lit. A. Guttier. Canon. li. 1. cap. 26. n. 26. Flamin. de Reſignat. lib. 1. qu. 17. num. 17. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Archiepiſcopus, nu. 2. pag. 16. & p. 2. verbo Epiſcopus, pag 45. Petr. Ledeſm. in ſum. p. 1. tract de Sacram. Ordinis, cap. 8. concluſ. 4. dub. 4.

β *Nulli Epiſcopo.* ] An etiam Archiepiſcopo? Affirmant Cou. practic. cap. 9. num. 2. cum gloſſ. in cap. 1 in 2. notab de offic. ordin. lib 6. In terminis noſtris text. allegans Zerol. d. verbo Archiepiſcopus, ver. Ad ſecundum, vbi reſpondet ad tex. in c. 1. cum ſimilibus, de Auctoritate, & vſu pallij.

γ *Pontificalia in alterius diœceſi exercere.* ] Quod Epiſcopus & Vicarius habeant facultatem faciendi actus voluntariæ iuriſdictionis extra territorium, reſoluit Stephan. Gratian. diſceptat forenſ. c. 127. à princip. & nu. 6. dicit quod poſſunt concedere dimiſſorias in aliena diœceſi.

Vtrum Epiſcopus extra territorium exiſtens poſſit excommunicare, & abſoluere ſubditum ſuum? Affirmat Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 62 nu. 12. vbi num. 11. reſoluit, quod poteſt Epiſcopus extra ſuam diœceſim iuriſdictionem contentioſam exercere, quando cauſæ cognitio non vertitur, & effectus confertur in ſuam diœceſim, de quo etiam Gratian. dict. cap. 127. num 8.

δ *Ordinarij loci.* ] Quod etiam Epiſcopus in aliena diœceſi, de licentia Ordinarij pontificalia exercẽs, poſſit clericis alienarum diœceſium, ſi ſuas literas dimiſſorias habeant, ordines cooferre, docet Fr. Emman. in ſum. p. 2. c. 14 n. 7 concl. 7.

ε *Ab executione ordinum.* ] Quod ordinatio proprij Epiſcopi extra territorium valeat, licet puniri poſſit, reſoluit P. Henriq in ſum. p. 2. lib. 11. c. 3 §. 2. in fin. lit. S.

ζ *Sint ipſo iure ſuſpenſi*, ] Hoc procedere etiamſi inaduertenter faciat benedicendo calices, vel corporalia, reſoluit Zerol. in praxi epiſcop. p. 2. verbo Epiſcopi, verſ. Secundò.

# SESSIO SEPTIMA CELEBRATA DIE III. MENSIS MARTII, M. D. XLVII.

*Decretum de Sacramentis.*

## PROOEMIVM.

AD conſummationem ſalutaris de iuſtificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Seſſione vno omnium Patrum conſenſu promulgata fuit; conſentaneũ viſum eſt de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur: propterea ſacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad errores eliminãdos, & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſſima ipſa Sacramenta hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim à Patribus noſtris hæreſibus ſuſcitatæ; tum etiam de nouo adinuentæ ſunt, quæ Catholicæ Eccleſiæ puritati, & animarum ſaluti magnoperè officiunt, ſanctarum Scripturarum doctrinæ, Apoſtolicis traditionibus, atque aliorũ Concilio, & Patrum cóſenſui inhærendo, hos præſentes canones ſtatuendos, & decernendos cenſuit; reliquos qui ſuperſunt ad cœpti operis perfectionem, deinceps, diuino Spiritu adiuuante, editura.

## DE [a] SACRAMENTIS IN GENERE.

### CANON [β] I.

Si quis dixerit, [a] Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto, Domino noſtro inſtituta; aut eſſe

a *Concil. Florent. in decretis Eugenij ad Armenos*

plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, [a] Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe verè, & propriè Sacramentum; anathema ſit.

*a c. ad abolendam de hæret.*

CANON γ II.

Si quis dixerit, ea ipſa nouæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differe, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi; anathema ſit.

CANON δ III.

Si quis dixerit, [b] hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius; anathema ſit.

*b c. nihil, de cõſ. diſt. 2. cum ſim.*

CANON ε IV.

Si quis dixerit, Sacramenta nouæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam [c] iuſtificationis adipiſci; licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint; anathema ſit.

*c ſuprà Seſſ. 6. de iuſtifi. c. 7. & Can. 5.*

CANON ζ V.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe; anathema ſit.

CANON η VI.

Si quis dixerit, [d] Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus; anathema ſit.

*d Conc. Flor. ſub Eug. 4. verſ. hoc docet Eccleſ.*

CANON θ VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper. & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit.

CANON ι VIII.

Si quis dixerit, per ipſa nouæ Legis Sacramenta ex o-

pere

pere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit.

CANON κ IX.

Si quis dixerit,[a] in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.

*a Seſſ.23. Can. 4. ex decretis Eugenii in Conc. Flor.*

CANON λ X.

Si quis dixerit,[b] Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem; anathema ſit.

*b Vide Conc. Carth. 4 c. 2. 98. & Concil. Conſtant. art. 13. Ioan. V Vicleſ. infrà Seſſ. 14. de pœn. c. 6.*

CANON μ XI.

Si quis dixerit;[c] in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit.

*c Concil. Florens in decretis Eugenis.*

CANON ν XII.

Si quis dixerit,[d] miniſtrum, in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſent alia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema ſit.

*d Idem error damnatur in V Vicleſ. à Concil. Conſtan. Seſſ. 8 c multa c. remiſſionem. c. Chriſtus. cum plùr ſeq. 1. q. 1. c. vlt. 15. q. vlt.*

CANON ξ XIII.

Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adbiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Eccleſiarũ Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.

---

## REMISSIONES.

α Vide Hugolin. de Sacramentis in genere, Sayr. in ſpeciali tract. Sacram in communi. Viual. in Candelabro aureo in principio de Sacramentis in genere, P. Henriq. in ſum. p. 1. lib. 1. de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis in genere, Card. Bell to. 2 in lib de Sacr. P, Soar. to. 3 de Sacr. Gabr. Vaſquez in 3. p D. Thomæ, to 2. diſp. 60. Bald. Iunium ſuper opera controu. Bellar p. 2. lib. 1. de Sacram in genere, Petr. Ledeſ. in ſum p. 1 de Sacram. nouiſſimè P. Ægi. de Conink de Sacr.

β CANON I. Vide Perez l. 1. tit. 1. lib. 1. ordin. Nau. in man. cap. 22. num. 2. & 5 &. in cap. nouit, de iudic. notab. 5. num. 92. P. Henriq in ſum. lib. 1. cap 3. § 1. Sayr. de Sacram in genere lib. 2. cap. 1.

q. v-

q.vnic.& latius cap 2.art.1.&art 2.reſpondet ad argumenta contraria.P.Soar.tom 3.de Sacram.diſp.12.ſect.1 P Vaſquez in 3.p.D.Thomæ tom.2 diſp.135.num.1.cum ſeqq & diſp.139.num.1.Balduin.Iunium ſuper opera controuerſ.Bellar p.2.lib.1.cap.5.verſ.Prima ergo quæſtio.P Valeri.Reginald.in praxi fori pœnit.lib 28. num.4.P.Ægidi.de Sacramen.tom.1.quæſt 64.art.1 dub.1.& q.65.art.1. num. 4.Petr. Ledeſm. in ſum. p. 1.tract. de Sacramentos in comun.cap 6. concl 4.

γ CANON II. Vide Sayr.de Sacram.in genere lib.5.cap.7.art.5. P.Henriq.in ſum lib.1.cap.7.P.Valeri Reginald.in praxi fori pœnit. lib.31.num 7.

δ CANON III. Vide Cardin.Bellarm. lib. 1.de Sacram.cap 18. latè Sayr.de Sacram.in genere lib 6 cap.3.q.vnic Balduin.Iunium d. lib.1.cap.8 prope finem.P.Vaſquez in.3.p. D. Thomæ tom. 3. q.74. diſp.177 num.6.Petr.Ledeſ.in ſum.p.1 tract.de Sacram.in commun. cap 7.concl.3.

ε CANON IV. Vide Magiſt.in 4 diſt.1.D.Thom. in 4.diſt.1.q.1. art 2.& part.3 q.61.art.1.D.Antonin p 3 tit 14.cap. 11.§.4. Can. in relect.de Sacram in genere cap.24.Hug.Victor.lib.1.de Sacramen.p. 9.cap.3.Cardin.Bellarm.lib.2.de Sacram in genere cap.22. Gregor. de Valen.tom.4.diſp 3.quæſt.2.puncto 1.P Soar.tom.3.de Sacr.diſp. 3.Sayr de Sacram.in genere,lib.3.c.1.q vnic.

ζ CANON V.Vide Sayr.de Sacram.in genere lib.3.cap.1.q.vnic. art 2.& 3. P. Vaſquez in 3.p D. Thom tom.2.diſp.131 num 34. & diſp.149.num 5.

η CANON VI. Vide P.Henriq in ſum p 1.lib.1.cap.17.Sayr de Sacram in genere lib 5.cap. 5. quæſt. vnic.P. Valeri. Regin. in praxi fori pœn lib.26.à num.47.Petr.Ledeſ.in ſum p.1.tract.de Euchariſt. c.10.concl.1.

θ CANON VII. Vide Cardin.Bellarm lib. 1.de Sacr.c 26 P. Ægid.de Sacram.q 64.art 9.à n.108 P.Valeri Reginald lib.26 à num. 43.Petr. Ledeſ.in ſum.part.1. tract. de Sacramentis in comun.cap.7. concl.1.

ι CANON VIII Vide Sayr.de Sacram.in genere, lib.5. cap 2.in princip.P. Ægid.de Sacram quæſt 62.art.1 dub 1.

κ CANON IX. Vide P.Henriq in ſum.lib.1 cap. 13. Sayr.de Sacr. in genere lib.4.cap.1 cum ſeqq. P. Ægid.de Sacram q 63 art.1. à princ. P.Vaſquez in 3.p.D.Thom tom 2.diſp 146 num 5 P.Valeri. Regin in praxi fori pœn lib 26 à n.48.Petr. Ledeſ. in ſum.1.p. tract. de Sacram.Confirm.cap.4.concl.2.

λ CANON X. Vide P.Paul. Comit reſp moral lib 1.quæſt. 46.num.1. P. Vaſquez in 3.p. D. Thom. tom 2 quæſt 138 numer. 9.

μ CANON XI. Vide Sayr. de Sacram. in genere lib.2.cap 3. quæſt.vnic.art.3.poſt princip.Petr.Ledeſm.in ſum.p.1.tract.de Sacramentos

mentos ſin commun. cap 6. concl. 13. P. Ægid. de Sacram. quæſt. 64. art 8. dub 1. num. 62 P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 26. à num. 36.

ν CANON XII. Vide cap. Multi, cap Significati, cap. Dominus, cap. Chriſtus 1. quæſt. 1. P. Henriq. in ſum. lib. 1. cap. 29. Petr. Ledeſ. in ſum. p. 1 tract. de Euchariſt. cap. 9. concl. 8. Cened. ad Decretum collect. 9. num. 3 Sayr. de Sacram. in genere lib. 5. cap. 4. pag. 491. P. Vaſquez in 3. p D. Thomæ, tom. 2. diſput. 137. n 18. P. Ægidi. de Sacram quæſt. 64. art 5 & q. 82. num. 34. P. Valeri. Regin. in praxi fori pœn. lib 26. num. 34.

ξ CANON XIII. Vide P. Ægid. de Sacram quæſt. 66. num 99. & q. 71. num 3. P. Valer. Regin in praxi fori pœn. lib 26. num. 10. & num. 28. cum ſeq Petr. Ledeſ. in ſum. p. 1. tract. de Baptiſmo, c 12. concl. vlt in fine.

## DE α BAPTISMO.

### CANON β I.

Si quis dixerit,[a] Baptiſmum Ioannis habuiſſe eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti; anathema ſit.

*a Aug. Enchiridii, c. 49. c: aliud. & c. non regenerabantur. de conſ. diſt. 4.*

### CANON γ II.

Si quis dixerit,[b] aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideò verba illa Domini noſtri Ieſu Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit.

*b c. pœn. de Bapt. Ioan. &: c. filius. & c. non dubito. de conſ. diſt. 4.*

### CANON δ III.

Si quis dixerit,[c] in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam; anathema ſit.

*c. c. non debet. 12. diſt. c. ad abolendam. de hæret.*

### CANON ε IV.

Si quis dixerit;[d] Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij; & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum; anathema ſit.

*d Concil. Flor. in decretis Eugenii. c. dictum. §. quòd verò, cum 2. cap ſeq. 1. q. 1.*

### CANON ζ V.

Si quis dixerit,[e] Baptiſmum liberum eſſe hoc, eſt, non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.

*e Ioan. 3. c. nulla præter de conſ. di. 4.*

CANON

CANON ꝟ VI.

Si quis dixerit, baptizatum non poſſe, etiam ſi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere; anathema ſit.

CANON θ VII.

*a Sic ad Galat. 5. dicit Paulus, Teſtificor omnes homin. &c.*

Si quis dixerit,[a] baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantùm fidei debitores fieri, non autem vniuerſæ legis Chriſti ſeruandæ; anathema ſit.

CANON ι VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint; anathema ſit.

CANON κ IX.

Si quis dixerit, ita reuocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, vt vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt vt promiſſionis in Baptiſmo ipſo iam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo; anathema ſit.

CANON λ X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema ſit.

CANON μ XI.

Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negauerit, cùm ad pœnitentiam conuertitur; anathema ſit.

CANON ν XII.

Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo; anathema ſit.

CANON ξ XIII.

*b Aug. lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 9. & lib. 3. c. 2.*

Si quis dixerit, paruulos, eò quòd actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo [b] inter fideles computandos non eſſe, ac propterea, cum ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſ-

Baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ; anathema ſit.

### CANON XIV.

Si quis dixerit, huiuſmodi paruulos baptizatos, cùm adoleuerint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt: & vbi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtiæ aliorúmque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant; anathema ſit.

## DECLARATIONES.

Can. 3. ibi. *Veram de baptiſmi* ] Ceremoniæ ſupplendæ ſunt in baptizatis à Caluiniſtis, etiam in adultis, præuia abiùratione hæreſis & reconciliatione.

Can. 4. ibi. *Ab hæreticis* ] S.D.N. Pius V. probauit ſententiam Congregationis Concilij dicentis Caluiniſtarum Baptiſmum, verum eſſe & ideo baptizati ab eis, non ſunt iterum baptizandi: non enim Caluiniſtæ diſceſſerunt ab Eccleſia circa baptiſmum proinde adhuc ſeruant formam Eccleſiæ, ſed non reliqua ſolemnia.

## REMISSIONES,

α VIde Magiſt. & Theol. in 4. diſt. 3. Pet. Sot. de inſtit. Sacerd. lect. 1. de Baptiſmo Ledeſ. 1. 4 q. 7 Toled. de inſti. Sacerd. lib. 2. ca. 18. Card. Bellarm. tom. 2. lib. vnic de Bap. P Henriq. in ſum p. 1. lib 2. P. Soar tom. 3. de Sacram. à q. 66. P. Vaſquez in 3. p. D. Thom. tom. 2. diſput. 140 cum ſeqq Bald Iuni. ſuper opera controuer. Bellar. p. 2. cap. 1. Petr. Ledeſ in ſum. p. 1. tract de Baptiſmo, Viual. in candelabro Aureo de Sacram. tit. de Baptiſmo.. P. Valeri, Reginald. in praxi fori pœn. lib. 27. à princ. P. Ægid. de Sacram & cenſur q. 66. plures Doctores refert Carrilh. in tabulis tit de Sacram. Baptiſ.

β CANON I. Concordat D. Auguſt. in Enchirid. c. 49 ca aliud, c. non regenerabantur de conſecrat. diſt. 4. V. Bald. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarmin p. 2. lib. 2. cap. 3. prope finem.

γ CANON II. Vide c pen. de Baptiſmo, c. filius & cap. non dubito. de conſecr. diſt. 4. Nau. in man. c 22. n. 5 & 6, Bellar. lib. vnic. de Baptiſmo, c, 4. Henri. in ſum. lib. 2. cap. 6 p. Soar. tom. 3. q. 66 art 4 diſp. 20. ſect. 1. Bald. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellar. lib 2. c 1. verſ. De materia Baptiſmi. p. 2. P. Valeri Reginald. in praxi fori. pæn. lib 27. num. 10. P. Ægid. de ſacram q 66. num. 20.

δ CANON

δ CANON III. Ibi (*quæ omnium Eccleſiarum mater eſt.*) Concordat text.in cap 1.diſt.12.cap.rogamus.24.quæſt.1. cap.fin.de Extrema vnct.& inter alias primatum obtinet,cap.quamuis,21 diſt. cap.omnes cap. Sacroſancta 22.diſt.Cou lib.4.Vari cap.14.num.11. Bannes in 2.2.D.Thomæ quæſt.1.art.10.concl.5. D.Mart de Iuriſd. p.1.cap.13.à num.19. Cardin. Thuſ.tom.7 lit R.concl 363.Cardin. Mantic.de coniectur.vltim. volunt lib.8.tit.6.num.4.in princip.Iacob.de Graffiis tom 2.conſil lib.3 tit.de clericis non reſid.conſ.1.numer.4.Pat.Valer.Reginald.in praxi fori pœnit. lib.1.nu.22.Fr.Paulin. Berti. Lucenſ in praxi criminali Regular. tit. 2.cap. 14 numer.4.

ε CANON IV. Vide P. Henriq in ſum. lib. 1.cap.28.à princip. & lib.2.cap 28 §.2.

ζ CANON V. Vide Sayr de Sacram. in genere lib. 6. cap. 4.q. 1.verſ eſt quidem Baptiſmus, P.Ægid de Sacram tom.1.q.68.num.6. P.Valer.Reginald.in praxi fori pœn lib.27.num.7.

η CANON VI. Vide P. Henriq in ſum lib.1 cap.12.§.6.pag. mihi 44 P. Vaſquez in 3. parte. D Thomæ, tom. ſecundo diſput. 156. numer. 63. in fine Petr. Ledeſm. 1. p. de Baptiſmo capite 8. concluſion.1.

θ CANON VI. Vide Pat. Henriq d. § 5. lit. T. Cardin.Bellarmin. libro vnic. de Baptiſmo, cap. 15. P. Vaſquez d. diſput 156. num.68.

ι CANON VIII. Vide Bellarmin.lib.vnic de Baptiſmo,cap. 16.& lib.2.de Sacram. cap.29. P. Henriq. d.§ 6.lit. V. P. Vaſquez. d. diſp.156.num.69.

κ CANON IX. Vide. P. Vaſquez. d. diſput. 156. numer. 70.

λ CANON X. Vide Bellarm.lib vnic de Baptiſmo, cap. 18.& lib. 1.de pœn. cap. 11. col. antepen. & cap. 12. cum duobus ſeqq.P. Henriq in ſum. lib.4.cap. 1.in proœm.§.4.lit.B.P.Vaſquez d.diſput. 156.num.75.

μ CANON XI. Vide Sebaſt.Medices in ſumma omnium hæreſum,in ſexta hæreſi pag.69. Repertor inquiſit verbo Baptiſmus verſ Sed iteratio,P.Vaſquez in 3 p.D.Thomæ tom.2.diſput.146.nu. 6.plures refert. Cened. ad Decretum,collect.63.

ν CANON XII. Vide P.Vaſquez in 3.p.D.Thomæ tom 2. diſp 154.num.3.

ξ CANON XIII. Vide P.Henriq.in ſum.lib.1 cap.17.§.5.lit. H,& 1. & lib. 2.cap.15.§ 2.lit D. Balduin. Iunium ſuper opera controuerſ.Bellarm.p 2.lib.2.cap 2 verſ. De prima quæſt.P Ægid.de Sacramento, 1. quæſt.68.art.9. num 58. P.Valeri. Reginald. in praxi, fori pœn.lib 27.num.34.

ο CANON XIV. Vide P Henriq.in ſum.lib.2.cap.15.§ 2.lit. E,& c 24.§.1.lit.B P Vaſquez.in 3.p.D Thom tom.2.q 68.diſp.154. num.3.Petr.Ledeſm p.1 de Baptiſ.c.8 conc.9.

DE CON-

# DE *a* CONFIRMATIONE.

## CANON I.

β Si quis dixerit, [a] Confirmationem baptizatorum otioſam ceremoniam eſſe, & non potiùs verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit.

*a c. nullus miniſtrorum de conſ. diſt. 4.*

## CANON II.

γ Si quis dixerit, [b] iniurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit.

b *Vide finem Epiſt. Vrbani. 1. ad omnes, & c. 1. cum ſeq de cõſ. diſt. 5.*

## CANON III.

δ Si quis dixerit, [c] ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum 1 *non eſſe ſolum Epiſcopum*, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem; anathema ſit.

c *c. manus. de c. conſ diſt. 5. Con. Flor. loco citato. Vid. Euſeb. Pap. 1. Epiſt. ad Epiſc Tuſciæ, Melchia de Hiſp. Innoc. 1. Epiſt. 3. c. & c. Seſſ. 25. c. 4.*

---

## DECLARATIONES.

Epiſcopo chriſmatis tantùm conferendi cauſsâ ad loca ſuæ diœceſis accedente, Laici vel Eccleſiarum Rectores ad illius impenſas non tenentur.

1 *Non eſſe ſolum Epiſcopum.*] Etiam Abbates ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, de conſenſu tamen Ordinariorum, hoc Sacramentum confirmationis conferre poſſunt.

Omnes Prælati inferiores exempti habentes Iuriſdictionẽ Epiſcopalem, ſi intra fines alicuius Diœceſis ſunt, tenentur accedere ad Epiſcopum intra cuius limites exiſtunt, pro ſanctis oleis.

S.D.N. conſultò reſpondit non poſſe Abbates vti facultate conferendi Sacroſanctum Confirmationis chriſma, niſi Ordinarius loci conſenſerit, & quemadmodum, & quamdiu placuerit ei. Qui verò eſt nullius Diœceſis, habétque iuriſdictionem vt ſuprà, poteſt acceſſere quem maluerit Catholicum Epiſcopum pro miniſtrando chriſmatis Sacramento, non obſtante capitulo quinto reformationis ſeſſionis ſextæ.

---

## REMISSIONES.

*a* VIde Sũmiſtas verbo Cõfirmatio, Caſtr. l. 4 aduerſus hæreſes, verbo Cõfirmatio, P. Sot. de inſt. Sacerd. tit, de Confirm. in du-

plici lectione, Couar. li. 1. Vari c. 10. Nau in. Man cap 22. n 8. Angles in floribus Theologicis part. 1. de Confirm. Marc. Ant lib. 5. inſt. maiorum tit. 3 de Sacr. Confirm. Pet. Gregor. Syntagm. lib 2 c. 15 Card. Bellarm. lib vnic. de Sacr. Confirm P. Henriq. in ſum lib. 3 Viual. in Candelabro aureo de Sacram. tit. de Confir. Petr Ledeſ. in ſum. p 1. tract de Sacram. Confirm P. Ægidi de Conink. de Sacram. & cenſur. q. 72. P. Valeri Regin in praxi fori pœn lib. 28

β CANON I. Vide P Henriq. in ſum. l. 1. c. 3. §. 2. & lib. 3. c 1. § 2. Sayr. de Sacram. in genere lib. 1. c. 2. q. 3. art. 2. verſ Verior itáque opinio, P. Valer. Reginald d lib 28. num 28 Petr. Ledeſ. in ſum p 1. tract. de Sacram Confirm cap. 2. concl. 1.

γ CANON II. Vide Sayr. de Sacram. in genere lib. 1. c. 2. q 3. art. 2. verſ. Verior itáque opinio, & lib. 5. cap. 1. q. vnic art 2. verſ. de Confirm, Pet. Ledeſ. in ſum. p. 1 tract de Sacram Confir. c 5. concl. 1.

δ CANON III. Concordat text in cap Manus, de con. diſt. 5. Vide Cou lib. 1. Vari cap. 10 n 6. & 14, P. Henriq in ſum lib. 3. c. 6. Card Bellarm. de Confirm cap. 12. Bald. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. p 2. lib 2 cap. 6. propè finem, verſ. Catholici omnes, P. Ægidi de Sacram q. 72. num. 97. & num. 105. Petr. Ledeſ. in ſum. p. 1. tract de Sacram Confirm. c 9.

*a ſupra Seſſ. 6. c. 2. & infr. Seſſ. 22. cap 1.*
*b infrà ſeſſ. vlt. de refor c. 21.*
*c Seſſ. 22. c 2. plus exigitur.*
*d parte 1 c. 3. cõſtit. eius, ſed lib. 1. Decretali. tit. 6. c. 7. c cum in cunctis. de elect.* vide poſt finẽ huius libri.
*e c. cum in cunctis. § cum verò c. ſicut. de exceſſ. Prælat. Conc. Chalcedo. ca. 10. c. 1. & 2. 21 q. 1. c ſanctorum. 70. diſt. c. vnio. 10. q. 2. c quia in tantum, c. ad hæc, & c. de multa, de præb. c. quia nõnulli. de mag. c. cum ſingula. de præb. in. 6. Clem. gratiæ. de refor. 6, execrab. §. qui verò in extrauag. com. de præb. & infrà Seſſ. 24. c. 17. de refor.*

## DECRETVM DE REFORMATIONE.

EAdem ſacroſancta Synodus, [a] eiſdem Præſidentibus & Legatis, inceptum reſidentiæ & reformationis negotium ad Dei laudem, & Chriſtianæ religionis incrementum proſequi intendens, vt ſequitur, ſtatuendum cenſuit, [b] ſalua ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

### CAPVT I.

*Quis capax regiminis Eccleſiarum Cathedralium.*

α AD Cathedralium [c] Eccleſiarum regimen nullus β *niſi ex legitimo matrimonio natus*, γ *& ætate matura*, grauitate morum, δ *literarumque ſcientia*, iuxta conſtitutionem Alexandri Tertij, quæ incipit, [d] Cùm in cunctis, Concilio Lateranenſi promulgatam, præditus aſſumatur.

REMIS-

## REMISSIONES.

α Vide Pet. Led. in ſum. 2. p. tract. 32. cap. 3. *del eſtado de los Obiſpos*, concl. 10.

β *Niſi ex legitimo matrimonio natus.* ] An procedat in legitimato per ſubſequens matrimonium? Affirmat Pereg. de fidei com. art. 24. n. 12. P. Soar. tom. 5. de cenſur. diſp. 50. ſect. 5. à nu. 10 P. Azori inſt. moral. p. 2. li. 2. cap. 14. q. 4. & hanc partem ſequutus eſt doctiſſimus, & omni æuo memorandus præceptor meus D. Antonius Homen. in Conimbricẽſi Academia iuris Pontificij prima ius, & in Cathedrali Eccleſia Conimb. Doctoralis Canonicus, in eleganti & nunquam ſatis laudato commentario ad tit. Qui filij ſint legitimi, in Decretal. ſuper cap. 1. verbo ante deſponſationem, n. 9. verſ. Tertiò ex dictis conſtat.

γ *Et ætate matura.* ] Vide P. Henri. in ſum. p. 2. lib. 4. c. 9. in princip. verſ. Ad Epiſcopatum iure requiritur ætas quadraginta annorum; P. Azori. inſt. moral. p. 2. lib. 6. cap. 5. in princip. Fr. Ludou. Miranda de ordine iudic. q. 4. art. 2. concl. 3. P. Led. de Iuſtit. lib. 1. c. 34. num. 107. P. Valeri. Regin. in praxi fori pœnitent. lib. 30. tract. 3. num. 163. verſ. Primò.

δ *Literarumq́; ſcientia* ] Vide P. Henriq. in ſum. p. 2. lib. 14. c. 8. §. 1. verſ. Gradus, P. Azori inſtit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 18. q. 9. Pet. Alphonſ. de Vaſconcellos in harm. Rubricarum in Rub. de ætate, & qualit. n. 4. P. Valeri. Regin. de lib. 30. tract. 3. num. 171. verſ. Occurrit.

## CAPVT II.

*Tenentes plures Cathedrales Eccleſias iubentur omnes exceptâ vnâ dimittere, certo modo & tempore.*

α Nemo, quacumq́; etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias in titulum, ſeu commendam, aut alio quouis nomine, β *contra* [a] *ſacrorum Canonum inſtituta*, recipere & ſimul retinere præſumat: cùm valdè fœlix ille cenſendus, *cui* γ *vnam Eccleſiam benè* ac fructuosè, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias contra præſentis decreti tenorem nunc detinent, vna, quam maluerint, retenta, reliquas infra ſex menſes, ſi ad liberam Sedis

a *Sub Innoc. III. 2. Lateran. c. 29. aliquoſque adhuc diſpenſabatur.*

Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin Eccleſiæ ipſæ, vltimò obtenta dumtaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur.

## REMISSIONES.

α VIde latè, & eleganter P. Azori. inſtit. mor p. 2. lib. 6. c. 13. à princip. P. Leſſi. de Inſtit. lib. 2. c. 34. nu. 138.

β *Contra ſacrorum Canonum.*] Concordat textus in cap. Sanctorum 70. diſt.

γ *Cui vnam Eccleſiā bene, &c.*] Vide Nauar. de Oratione, c. 22. n 22.

## CAPVT III.

### *Habilibus tantum perſonis conferantur beneficia.*

α INferiora beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habētia; 1 β *perſonis dignis & habilibus*, & quæ in loco reſidere, ac 2 *per ſe ipſos* curam ipſam exercere valeant, γ *iuxta conſtitutionem Alexandri III.* in Lateranenſi, quæ incipit, [a] Quia nonnulli, & aliam Gregorij X. in generali Lugdunenſi Concilio, quæ incipit, [b] Licet Canon, editam conferantur. δ *aliter autem facta collatio ſiue prouiſio omnino irritetur*: & Ordinarius collator pœnas conſtitutionis Concilij generalis, quæ incipit, * Graue nimis, ſe nouerit incurſurum.

*a parter. c. 13. c. quia nonnulli de cler. non reſid.*
*b c. licet Canon, de Elect in 6. Decret.*
*cap. 14. c graue nimis de præb.*
* Vide poſt finem huius libri.

## DECLARATIONES.

1. *Perſonis dignis.*] Stante penuriâ Sacerdotum idoneorum, Epiſcopus prouideat beneficiis ea ratione, qua poteſt, meliori.

2 *Per ſeipſos curam.*] Parochus, ſi eo morbi genere teneatur, vt ad functionem ſui Sacerdotij, aut ad res diuinas per ſe obeundas minimè idoneus eſſe videatur, non tenetur durante illo morbi genere, ſacris ordinibus ſe initiari facere.

## REMISSIONES.

α VIde Nau. ad cap. Si quando de Reſcrip except. 17 & Miſcel. 34. de orat. P Valer. Regin in praxi fori pœn. l. 30. tract. 3. à n. 174.

β *Perſonis dignis & habilibus*] In hoc Luſitaniæ Regno extant plures Summorum Pontificum conſtitutiones, quibus ſtatuunt, ac decernūt, ne aliqua collatio ſeu prouiſio de beneficiis Eccleſiaſticis diſpoſitioni Apoſt. reſeruatis, vel affectis, in hoc Regno vacātibus, præ-

ſertim

ſertim in Cathedralibus Eccleſiis exiſtentibus perſonis ex Hebræorum genere, ſeu ſtirpe deſcendentibus fiat; & prima Conſtitutio data fuit a Pio V. Summo Pontif. die 20. Ianuarij. anno 1588. Altera à Clem. VIII. die 18. Octob. anno Domini 1600. vbi ampliauit huiuſmodi prohibitionem habere locum in canonicatibus, præbendis, ac dignitatibus Cathedralium, & in principalibus dignitatibus Collegiatarum Eccleſiarum in Parochialibus, ac eorum perpetuis, cæteriſq; Eccleſiaſticis beneficiis curam animarum habentibus. Nouiſſimè S.D.N. Paulus V. Sum. Pont. die 17 Ianuarij. anno Dom. 1612. per aliam conſtitutionem ſupradictas declarauit habere locum tam in ſæcularibus, quàm in cuiuſuis Ordinis regularibus Eccleſiis, ita vt ex Hebræorum genere, ſeu ſtirpe deſcendentes, ſub quouis prætextu curam animarum Vicariæ etiam amouibilis, exercere prohibeantur.

γ *Iuxta conſtitutionem Alexan. III.* ] Hæc conſtitutio habetur in c. quia nonnulli de Cleri. non reſid. Vide P. Val. Regin. in praxi fori pœn. lib 32 tract. 2. num. 62.

δ *Aliter autem facta collatio, ſiue prouiſio omninò irritetur.* ] Vide Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. q. 51. art. 5.

## CAPVT IV.

*Plurium beneficiorum retentor contra Canones, iis caret, niſi &c.*

1α QVicumq; *de cætero* 2 β *plura curata* [a] aut aliàs 3 *incōpatibilia beneficia* Eccleſiaſtica 4γ *ſiue per viā vnionis* ad vitam, δ *ſeu commēdæ perpetuæ*, aut alio ε *quocumq; nomine*, & titulo, contra formam ſacrorum canonum, & præſertim conſtitutionis Innocentij III. quæ incipit, [b] De multa, recipere ac ſimul retinere præſumpſerit; beneficiis ipſis ζ *iuxta ipſius* conſtitutionis diſpoſitionem, η *ipſo iure, etiam præſentis Canonis vigore, priuatus exiſtat.*

a *infrà Seſſ. 24 de refor. cap. 17.*

b *Suprà c. 2. c. de multa. de præb. eſt c. 29. in Concil. Lateranen 2.* Vide poſt finem huius libri.

## DECLARATIONES.

1 *Quicumque de cætero* ] Poſſidentes beneficia circa diſpoſitionem huius c. ex præſumpta diſpenſatione in qua fundatur Regula de Triennali, ſe tueri non poſſunt, quia non habet locum contra hoc Decretum, & Capitulum 17. ſeſſionis 24. de Ref ita vt ſuam prouiſionem tueri valeant.

De Parochialibus Eccleſiis quæ reſidentiam perſonalē requirūt, & inter ſe incompatibiles ſunt, vna tantum poteſt, per hoc Decretū, retineri. Quoad alia verò beneficia reſidentiam requirentia, non reſidentes, diſtributiones eas percipere non debent quæ propter ſeruitiū cul-

cultus diuini aſſignatæ ſunt: non tamen procedendum eſt ad priuationem dictorum beneficiorum, ſi ea cum legitimis diſpenſationibus obtinuerint, quia de his in futurum tantum ſtatuit Concilium, dummodo in vno illorum reſideat, vbi magis eſt neceſſaria reſidentia.

2 *Plura curata.* ] Congregatio cenſuit poſſe obtineri dignitatem Parochialem cum mero curato.

3 *Incompatibilia beneficia.* ] Parochiales Eccleſiæ ſunt incompatibiles cũ beneficiis, in quibus aſſignatæ ſunt diſtributiones quotidianę, quas amittere debent ij qui à diuinis ſunt abſentes. Quod de incõpatibilibus beneficiis dicitur, idem intelligẽdum eſt de omnibus beneficiis reſidentiam requirentibus, quæ aliquis poſt publicationem Concilij receperit, veluti, duos Canonicatus, vel, Canonicatum cum parochiali.

An qui obtinent Dignitates in Cathedrali Eccleſia quarum præbendæ ſunt admodum tenues, nec ad quotidianas diſtributiones, perſonaliter diuinis laudib. cum aliis in Choro (etiamſi inſeruiantã admittuntur, poſſint vacante Parochiali intra ciuitatem, eius cur) habere, ſeruata in reliquis forma Concilij, vid. ſi digni, & idonei in examine per concurſum reperiantur? Congregatio cenſuit poſſe; expectandum tamen, donec vacet parochialis aliqua huiuſmodi, túncq; Epiſcopum debere S.D. N. conſulere, & veros reditus Dignitatis & Parochialis exprimere.

Scribantur literæ Archiepiſcopo Valentinenſi. vt Hieronymo Bodio obtinenti parochialem in ciuitate, & Canonicatum in Cathedrali (ſi poſſit vtrique commodè inſeruire) deſinat moleſtiam exhibere.

Hoc incompatibilitatis Decretum procedit etiam in illis, qui poſt Concilium Tridentinum recipiunt duos Canonicatus, & retinent ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ: ſecus ſi ante Concilium, etiamſi ab Ordinario collatio facta ſit.

Capellania & Monaſterium quorum fructus tenues ſunt, ſunt incompatibilia beneficia, nec poſſunt retineri ſub eodem tecto ſine diſpenſatione Apoſtolica. *Supra hoc c. § Incompatibilia*

Capellania, quæ habet onus celebrandi certas miſſas, & coadiuuandi in cura animarum Eccleſiæ plebanatus, eſt beneficium incompatibile cum alio beneficio curato, vel alias perſonalem reſidentiam requirente, & licet eius Rector non ſubiiciatur c. Licet Canon, *de Elect. in ſexto*, tamen comprehenditur ſub Decretis Concilij Tridentini, loquendo de beneficiorum, non tamen curatorum, reſidentia.

Habenti Dignitatẽ tenuem in Eccleſia Cathedrali, quique diſtributionibus quotidianis non participet, Eccleſia parochialis incõſulto Romano Pontifice cõferri nõ debet. *Super hoc c* § An qui obtinẽt.

4 *Siue per viam vnionis,* ] Decretũ hoc obſeruandum eſt in iis tantum Dignitatibus & Canonicatibus quibus à principio coniuncta

fuit

fuit cura animarum, non autem ſi ab initio illis cura annexa non eſſet, ſed poſtea, vt aiunt, ex poſt facto.

An hoc Decretum habeat locum in duabus parochiis quarum altera vnita eſt beneficio ſimplici, vel dignitati? Congregatio cenſuit non habere locum, ſi parochialis vnita eſt perpetuo & acceſſoriè: vnde hoc Decreto non obſtante dicendum eſt quod vtráque parochialis talis poterit retineri, ſi modò vtrámque legitimè ante obtinuerat.

Dignitates plures quibus à principio fuit coniuncta cura animarum ſunt incompatibiles: ſi verò eis ex poſt facto coniuncta fuit, poſſunt cum legitima diſpenſatione ante Concilium Tridentinum obtenta retineri.

---

## REMISSIONES.

α Vide Nau. conſ. 34 de præbend. P. Azori. inſt. moral p. 2. lib 6. c. 13. cum ſequentib. Nicol. Garci. de benefic. p. 11 cap. 5. §. 2. n. 181. cum ſeqq. Flamin de reſignationib. lib. 3 q 1. num. 121. cum ſeqq. Proſper de Auguſtino in addit ad ſummam Bullarij verbo Beneficiorum reſignatio, cauſa 9 Cardin. Thuſc. lit. B, concl. 64. & 66. Achil. de Graſſ decíſ. 1. & 2. de Elect. Aloyſ. Ricci. in collect. decíſ. p. 3. collect. 474.

β *Plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica.* ] Deciſum fuiſſe procedere in requirentibus reſidentiam, vt ſunt duo Canonicatus cum parochiali, teſtantur Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. Gloſſ. 15 num 16. Nicol. Garci. de Benefic p. 11. cap. 5. num 79. cum multis ſeqq.

γ *Siue per viam vnionis* ] Vide Quintanad lib. 1. Eccleſiaſt cap 4. numer. 12. &. cap. 7. num 6. & lib 4. temp. 8 num. 46 Flamin. de Reſignationib lib. 12. q 3. num. 49. Gonzal. ad reg. 8 Cancel. Gloſſ. 5. § 7. numer. 146 Nicol. de Benefic. p. 11. cap. 5. num. 219.

δ *Seu commendæ perpetuæ.* ] Vide Hoied. de incompat. benef. p 1 cap. 14 à num. 16. Flamin. de Reſignat. lib. 4. quæſt. 1 num 110. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 5. §. 8 à princip & num. 10. Proſper de Auguſtino in addit ad Quarant in ſumma bullarij, verbo Beneficiorum reſignationes, verſ. 9. Cauſa ibi, ſecundò limita, P Azori inſtit moral. p. 2. lib. 6 cap. 10. quæſt. 11. verſ. Verum dubiæ, vbi reſoluit nec duo beneficia commendata in perpetuum, nec vnum iure tituli, alterum commendatum in perpetuum, poſſe ſimul haberi ſine iuris relaxatione, quando alioquin ſunt beneficia ipſo iure incompatibilia, vide eund. Azori. d. lib. 6 cap. 13. quæſtion. 2. Sayr. deciſ. 32. de præbend. quem refert Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ p. 3. collect 474. in medio,

t *Quecunque nomine.*] Vide Nau de Oratione c. 21. num. 75

ſ *Iuxta ipſius conſtitutionis diſpoſitionem.* ] Vide Nicol. Garci. de Benefic p 11 cap. 5. num. 91.

u *Ipſo iure etiam præſentis canonis vigore priuatus exiſtat.* ] Quatuor tempora ante Conc. Trident. diſtinguunt Gonzal. ad reg. 8 Cancel. Gloſſ. 15. à num. 9 cum ſeqq. Hoied. de incompatib. benefic. p. 1. cap. 7. num. 7. P. Azori inſtit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 13. q. 1. Nicol. Garc. p. ca. 5. à num. 1. 11.

## CAPVT V.

*Qui plura beneficia obtinent, exhibeant ſuas diſpenſationes: Per competentes Vicarios rectè cura animarum agatur: Beneficia ſuis obſequiis minimè fraudentur.*

a ORdinarij locorum quoſcumque plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere diſtrictè compellant; & alias procedant iuxta conſtitutionem Gregorij X. in generali Lugdunenſi Concilio editam, quæ incipit, Ordinarij: quam eadem ſancta Synodus innouandam cenſet, & innouat; addens inſuper, quòd ipſi Ordinarij etiam *per* 1 *idoneorum Vicariorum* deputationem, & congruæ portionis fructuum aſſignationem omnino prouideant, vt animarum cura nullatenus negligatur, & 2 *beneficia ipſa debitis obſequiis minimè defraudentur*: appellationibus priuilegiis, exemptionibus quibuſcumq;, etiam cum iudicum ſpecialium deputatione, * & illorum inhibitionibus in præmiſſis nemini ſuffragantibus.

a *lib. 6. decret de offic. Ordinarij, c. 3. infr. c. 17. & ſupra Seſſ. 6. de refor. c. 2. in fin.*

* vide poſt finē huius libri.

## DECLARATIONES.

1 *idoneorum Vicariorum deputationem.* ] Deputatio Vicariorum habet locum in omnibus beneficijs incompatibilibus, non autem in curatis, caſu quo ea obtinentes, eis non inſeruire tenentur.

2 *Beneficia ipſa debitis obſequiis minimè defraudentur* ] In hoc Decreto & præcedenti, Capellæ & Canonicatus & alia beneficia non curata requirentia reſidentiam, (ſi tamen aliàs ſint incompatibilia) comprehenduntur.

Per hoc Decretum non permittitur Ordinarijs viſitare Eccleſias Regularium. Nec temporis longitudo obſtat huic Decreto, quia ab Epiſcopo compelli poſſunt, ad diſpenſationes exhibendas, & illorum titulos oſtendendos.

Sub-

Sub collectores & alij officiales Sedis Apoſtolicæ minimè comprehenduntur, neque quoad oſtenſionem titulorum, ſub hoc Decreto niſi beneficia ad Epiſcopi Iuriſdictionem ſpectarent, veluti ſi eſſent membra S Antonij Viennenſis, vel aliorum. Sic è contrario illi qui obtinent duo vel plura beneficia cum diſpenſatione legitima, ante Concilium Tridentinum obtenta, requirentia perſonalem reſidentiam, tenentur reſidere in illo in quo magis eſt neceſſarium; nec ideo poſſunt alterutro priuari: amittunt tamen diſtributiones quotidianas eius beneficij cuius miniſterio non inſeruiunt.

Congregatio cenſuit nihil innouandum in beneficiis ſimplicibus (quæ etiam Clericatus nuncupantur) in Eccleſijs parochialibus vel alibi conſtitutis, quorum fructibus poſſeſſores gaudent, nullum ſeruitium nec per ſeipſos, nec per ſubſtitutos illis Eccleſijs præſtando, quibus dicti clericatus ſubſunt, vt poſſint cogi vel per ſeipſos vel per alios in habitu clericali manu-tenere, qui illis Eccleſijs inſeruiant. Et licet c. 3. ſeſſ. 21. præſupponat, quod omnia beneficia ſint ad cultum diuinum atq; ad Eccleſiaſtica munera obeunda inſtituta; iuxta *c. vlt. de Reſcript. lib.* 6. ſi tamen tanto tempore poſſeſſores talium beneficiorum non ſunt coacti ad aliquid iſtorũm, nec apparet quod & ad quid certum ſint obligati, ſatisfacere videbuntur ſi dicunt horas Canonicas. Vnde ſi beneficia illa non requirunt reſidentiam, non debent cogi per ſubſtitutum deſeruire: exemplo illius Canonici, qui cauſſa ſtudiorum non reſidet, nec enim tenetur ad ſubſtitutum. *Abb. in c. Licet, de preb.*

---

## REMISSIONES.

α Vide Aloyſ. Ricci in collect. deciſ p. 3. col. 607.

## CAPVT VI.

*Beneficiorum vniones validæ cenſeantur, quæ debeant irritæ declarari poſt examen factum ab Ordinario.*

α VNiones perpetuæ, a 1 β *à quadraginta annis citra factæ, γ examinari ab Ordinarijs*, tanquam à ſede Apoſtolica delegatis, poſſint: & quæ per ſubreptionẽ vel obreptionem obtentæ fuerint, 2 *irritæ declarentur.* Illæ verò, quæ à dicto tempore citra conceſſæ nondum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad cuiuſ-

a *Vide Seſſ. 14. c. 9 de refor. infr. Seſſ. 14. de refor. c. 13 & Seſ. 25. de refor. c. 9.*

uis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis aut alias rationabilibus cauſis, coram loci Ordinario δ *vocatis, quorum intereſt*, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit, per ſubreptionem obtentæ præſumantur: ac propterea, niſi aliter à Sede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

## DECLARATIONES,

1 *A quadraginta annis citra facta.*] Non datur poteſtas per Concilium Tridentinum examinandi, & reuidendi vniones, quæ per 40. annos ante confirmationem decretorum eiuſdem Concilij factæ fuerunt Quæ vero poſt quadraginta annos factæ ſunt, Epiſcopo reuidere volenti oſtendi omnino debent.

Per hoc decretum non excluduntur Ordinarij, quo minus vniones reuidere poſſint in caſibus, quibus licet de iure communi etiam vltra 40. annos.

2 *Irrita declarentur.*] Vniones perpetuæ à 40. annis, à publicatione Concil. Tridentini computandæ, debent ab Ordinariis examinari, & irritæ declarari.

## REMISSIONES.

α VIde Zerol in praxi Epiſcop. p. 1 verbo vnio, verſ. Ad ſextum, & verbo viſitatio, verſ. Decimum dubium, Flores Variar qu. lib. 3. qu. 23. nu 50

β *A quadraginta annis citra facta*] Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Duæ Parochiæ, quæ per conſuetudinem, quę per quadraginta annos viguerit, tanquam vnitę cùm ſemper ſine collatione collatæ fuerint, earum ſic poſſeſſor non eſt moleſtandus, & tempus quadraginta annorum currit à publicatione Concilij, refert Zerol. d. verbo vnio, verſ. Ad ſextum.

γ *Examinari ab Ordinariis, &c.*] Quomodo probetur vnio, & ad eam probandam quod tempus requiratur? Vide Rebuff. in ſua praxi benefic. lib. 1. tit. de vnionib. benefic. à num. 31. Flores Vari. lib. 1. q. 10. nu 19. Maſcard. de Probat. concl. 179 & concl. 586 & concl. 1413. Menoch. de præſumpt. lib. 6 c. 80. latiſſimè Nicol. Garci. de benefic. p. 12. cap 2 num 225. cum ſeqq.

δ *Vocatis quorum intereſt*] Vide Matthæ. Soar. in pract & ordine viſitandi c. 6. num. 5.

CAPVT

## CAPVT VII.

*Beneficia eccleſiaſtica vnita viſitentur: Per Vicarios etiam perpetuos cura exerceatur: deputatio ipſorum Vicariorum fiat cum portione aſſignanda etiam ſuper re certa, non obſtantibus, &c.*

1 α β BEneficia eccleſiaſtica curata, [a] quæ cathedralibus, 2 *Collegiatis*, 3 *ſeu aliis eccleſiis*, 4 γ *vel monaſteriis*, beneficiis, ſeu collegiis, aut piis locis quibuſcunque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur. [b] qui ſolicitè prouidere procurent, vt 5 δ ε ζ *per idoneos vicarios, etiam perpetuos*, 6 *niſi ipſis Ordinarijs* pro bono eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum aut maiori, vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, 7 *portione, etiam ſuper* 8 *certa re aſſignanda*, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, priuilegiis, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcúmque in præmiſſis minimè ſuffragantibus.

a *Infr. ſeſſ. 16. de ref. cap. 9.*

b *Vide ſeſſ. 25 cap. 16. de refor.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Beneficia eccleſiaſtica Curata.* ] Congregatio Concilij cenſuit Epiſcopum poſſe viſitare eccleſias parochiales vnitas monaſterio Canonicorum Regularium, ſi Generalis in eo ſedem ordinariam principalem non habeat: Et ſi Canonici regulares, qui præficiuntur de conſenſu, & mandato ſuorum Superiorum, eccleſiis vnitis monaſterijs ſuis, delictum commiſerint non concernens animarum curam aut Sacramentorum adminiſtrationem à ſuis tantum ſuperioribus Regularibus puniéntur.

2 *Collegiatis.* ] Ordinarius tam ex auctoritate Concilij Tridentini, quam ex Bulla Pij V. quæ incipit. *Ad exequendum*, publicata Kalend. Nouemb. 1567. de Vicariis perpetuis, habet facultatem creandi

Vica-

Vicarios perpetuos in parochialibus Eccleſiis vnitis collegiatæ Ec-ſiæ: & Vicarij, ſiue perpetui, ſiue temporanei ſint, debent ab eodem ordinario examinari & approbari.

3 *Seu aliis Eccleſiis.*] Epiſcopus debet conſtituere Vicarium perpetuum, ſiue temporalem in Prioratu cui cura animarum incumbit.

4 *Vel Monaſterij.*] In monaſteriis ab ipſorum primæua fundatione curatis non poſſunt deputari Vicarij iſti, ſed ſeruandum eſt cap. 11. Seſſ. 25. de Regul. iuxta quod exercentes curam ſint ab ipſo Ordinario approbati: ſecus ſi parochiales eſſent Monaſteriis vnitæ: eo enim caſu poſſunt deputari tales vicarij.

Si Eccleſiæ ſint curatæ, & vnitæ Monaſteriis, poſſunt Epiſcopi Ordinarij locorum viſitare eas, & in eis Vicarios perpetuos ſiue temporaneos conſtituere, ſecundum diſpoſitionem Concilij Tridentini hoc capite. Si autem Eccleſiæ huiuſmodi ſitæ ſint in loco ipſorum Monaſteriorum, eiſque immineat cura animarum, poſſe Epiſcop. viſitare perſonas exercentes in eis curam ipſarum animarum iuxta tamen illam formam, quam præſcripſit Concilium Tridentinum cap. 11. ſeſſ. 25 de Reg.

Ergo in parochialibus vnitis Monaſteriis deputari poſſunt Vicarij perpetui, niſi eſſent in loco in quo ipſa monaſteria, quo caſu ſeruandum eſt præfatum Decretum cap. 11. ſeſſ. 25. de Regul. reformatione.

Conceſſum tamen fuit aliquando ex gratia à Gregor XIII. vt etiam in parochialibus Monaſterio vnitis non deputarentur Vicarij, ſed vt aliquis ex Regularibus (ab Epiſcopo tamen approbatus) curam animarum exercere poſſet, dummodo ſecum haberet ſocium ordinis eiuſdem: imò Monachi non poſſunt prohiberi, quo minus curam exerceant animarum.

5 *Per Vicarios, etiam perpetuos.*] Vicarij perpetui non poſſunt conſtitui abſque erectione tituli Vicariæ non obſtante Bulla Pij V. & hoc Decreto. Non tamen prohibetur, quo minus cura animarum exerceri poſſit per Vicarium amouibilem, & ſeſſ. 21. cap. 7. de Reform. dummodò ſit certum, cui particulariter incumbat, vt dicitur cap. 13. ſeſſ. 24.

Congregatio cenſuit nominationem Vicariorum, ad beneficiatos pertinere, nec non ad eos, ad quos beneficia vnita ſpectant ſic etiam Pius V. dicta Bulla; addens tamen, Ordinarij, vel eius Vicarij præuio examine approbationem neceſſariam eſſe.

Ex dicta Bulla Pij V. Kalend. Nouembris nominatio Vicariorum etiam perpetuorum ſpectat ad Eccleſias ſeu loca, quibus dictæ Parochiales ſunt vnitæ.

Ad dictam nominationem faciendam poterit Epiſcopus præfigere terminum decem dierum.

Per dictam Bullam non inhibetur, quo minus Vicarij perpetui poſſint inſtitui, ex declaratione Congregationis Concilij.

6 *Niſi ipſis Ordinariis.*] Sicut poteſt diſpenſari cum ſenibus, infir-mis,

mis,ac decrepitis,ita & eorum Eccleſiis (quæ perſonalem reſidentiam requirunt, ab idoneis perpetuíſque Vicariis inſeruiatur. Item cum iȷs qui propter Monialium,vel hoſpitalium curam,in Eccleſiis,quas in menſibus obtinent, non facilè poſſunt reſidere, ſeruandum eſt Decretum c.1 de Reform Seſſ.23.quo Decreto non amplius id permittitur,quod in iſto caſu relictum erat ſub Paulo III.arbitrio Ordinariorum,ſed non imponitur neceſſitas reſidendi

7 *Portione* ] In conſtituenda mercede pro inſeruientibus aliorum beneficiis curatis,obſeruari debent Concil. Trid Decreta. Quæ autem ſit iſta portio, declarat Bulla Pij V licet ad terminos Concilij fuerit redacta,in reuocatione priuilegiorum Mendicantibus conceſſorum Bulla ſuperius citata. Etſi hæc Bulla Pij V. fuit reuocata, ex ea aliqua,vt ſupra,ſint notata

Licet ſupradicta Bulla fuerit reuocata per Bullam Gregor. XIII. Kalend.Martij, anni 1.ſub titulo, *Reductio literarum feliciſſimæ recordationis Pij Pap.V.pro mendicantibus*,poſt ea tamen ſuo ore idem Gregor.illam Pij V.reualidauit.

Ex fructibus Parochiæ vnitæ Monaſterio detrahenda eſt merces Vicarij,qui ei inſeruit,& non ex fructibus monaſterij. Et quidem ſi non apparent certi reditus harum Parochialium, cenſuit Concilij Congregatio,cogendos eſſe religioſos ad aſſignandum de ſuo ſcuta 50.dictis Vicarijs: niſi ipſi clarè & euidenter probent, dictis Parochiales nullos prorſus habuiſſe reditus,quando fuerunt Eccleſię ſuis locis prædictis vnitæ.

8 *Super certa re aſſignanda* ] Incerta,de quibus in Bulla, Ordinarij taxabunt.

In Eccleſiis curatis,vnitis monaſterijs,poſſunt Epiſcopi Ordinarij locorum viſitationem facere,& ponere in eis Vicarios perpetuos vel temporaneos,iuxta diſpoſitionem huius Decreti, prout eis expedire videbitur. Si verò huiuſmodi Eccleſiæ curatæ ſunt poſitæ in loco ipſorum monaſteriorum, eiſq; immineat cura animarum, poſſunt Epiſcopi viſitare perſonas exercentes in eis curam animarum, iuxta tamen illam formam, quam præſcripſit Concilium c.11 Seſſ.25.de Reg.Sup §.S *Eccleſia*.

In Parochialibus autem militiæ S Ioannis Hieroſolymitani, ſeruandum eſt Breue ſanctæ memoriæ Pii V. editum 12. Septembr. 1571.Pontificatus ſui Anno.6.

Sanctiſſimus Dominus noſter, Gregor. XIII non habet pro reuocata Bullam Pij V.de Vicariis perpetuis, cum hac limitatione, *in fauorem Monaſterij*, vt Epiſcopus ad nominationem Monachorum deputet vnum ex ipſis præuio examine approbatum, & ad nutum ipſorum amouibilem, & cum Vicario ſic deputato debet habitare vnus duntaxat alius Monachus, ne plures extra clauſtrum maneant. Sed non ita cenſendum, ſi vellent deputare Capellanum ſęcularem,ad nutum amouibilem: hoc enim pertinet ad Epiſcopum.

RE-

## REMISSIONES.

α Vide Stephan.Quarant.in ſumma bullarij, verbo, Vicarius perpetuus, Matthæ. Soares in practica, & ordine viſitandi, c 3.n.1.
β Ad declarationem portionum aſſignandarum vicarijs perpetuis parochialium pijs locis perpetuò vnitarum, emanauit conſtitutio fœlicis record. Pij V. Romæ publicata die 15 Nouemb. 1567 incip. Ad exequendum, quæ conſtitutio eſt hodie ſeruanda, provt teſtatur Gonzal.ad reg 8.cancel.gl.5.§.3.nu.79
γ *Vel monaſterio.*] Si beneficium, aut parochia vniatur monaſterio exempto, etiam alienæ diœceſis, an viſitetur ab Epiſcopo loci? Affirmat P.Henriq.in ſum.p.1.li.7.c.15.§.4.lit.I.
δ *Vt per idoneos vicarios etiam perpetuos.*] Quòd Vicarius perpetuus non poteſt conſtitui ſine titulo vicariæ, reſoluit Zerol. in praxi Epiſc.p 2.verbo Vicarius, pag.111.
ε An Epiſcopo competat inſtitutio vicarij, & monaſterio, cui eſt vnita parochialis præſentatio? Affirmant, atteſtantes ſacram Cardinalium congregationem cenſuiſſe, Gonzal.ad reg.8. cancel. gl.5.§ 3. num.50 & num. 60.Floreſ.Vari.lib.1.q.10 num.26 vbi reſoluit nominationem Vicariorum ad nutum amouibilium pertinere ad Prælatum, ſiue Prælatam monaſterij, cui beneficium vnitum eſt, & Epiſcopus ſolùm debet approbare, & admittere, & licentiam adminiſtrandi Sacramenta dare: quando beneficium curatum eſt vnitum monaſterio Mendicantium, aut Monachorum Regularium, quòd Prælatus poſſit ei ſeruire per Monachum, aut Fratrem ad nutũ amouibilem, qui quidem debebit approbari, & examinari ab Epiſcopo, niſi Abbas, vel Abbatiſſa habeant iuriſdictionem Epiſcopalem, reſpondiſſe ſacram Card. Congregationem, aſſerit Floreſ d.q. 10.n.24. & 26.in fin.
ζ An Vicarius ad nutum amouibilis poſſit amoueri ante finitum annum ſeruitij? Negant Reb. in praxi benfic. lib 2.tit. de diſpenſ.de non reſid.nu 18 & tom. 3. ad leges Galliæ tit. de materiis poſſeſſ. in benef.art.9.gl.vnic. in præfa. Floreſ Vari. li.1.q.10. nu.34. Guttier. de iuram.confirm p.1.c.58 nu.19.Steph. Grat. diſcep. Forenſium c. 167.nu. 22 cum ſeqq.

## CAPVT VIII.

*Eccleſiæ reparentur: cura animarum ſollicitè habeatur, non obſtantibus, &c.*

*a Infr. Seſſ.24. de ref.c.9. & ſeſſ 21.c.8.*

α Locorum Ordinarij eccleſias quaſcunque, [a] *quomodolibet* 1 *exemptas*, auctoritate Apoſtolica, ſingulis annis

nis viſitare teneantur, & oportunis iuris remedijs proui-
dere, vt, quæ reparatione indigent, reparentur; & 2 *cura* Conc. Arel. c. 17.
*animarum*, ſi qua illis immineat, alijſq; debitis obſequijs
minimè defraudentur: appellationibus, 3 *priuilegijs, con-
ſuetudinibus*; etiam ab immemorabili tempore præſcriptis
iudicum deputationibus, 4 *& illorum inhibitionibus* peni-
nitus excluſis.

---

## DECLARATIONES.

1 *Quomodolibet exemptas* ] Epiſcopus viſitat Eccleſias exemptas, etiam inferioribus Prælatis ſubiectas.

Epiſcopum viſitare Eccleſias quas Abbas S. Benedicti in eius diœceſi ſitas habet, Congregatio cenſuit poſſe ex hoc Decreto, ſi modò in eis cura animarum exerceatur per ſacerdotes ſæculares.

Epiſcopus viſitare poteſt Eccleſias Diœceſis, Caſtri, vbi Moniales prætendunt habere Iuriſdictionem ſpiritualem à tempore immemorabili viſitandi per deputatos, etiam eligendo Epiſcopum extraneum, Confirmationem & Ordines conferendi gratia, ac alia Pontificalia exercendi etiam inuito Epiſcopo loci: Congregatio enim ita iudicauit, & cenſuit Epiſcopum poſſe viſitare eas Eccleſias, ex facultate ſibi attributa à Concil. hoc capite.

Epiſcopus poteſt viſitare omnes parochiales ſuæ diœceſis, in quibus ſunt ſacerdotes ſæculares, licet Eccleſiæ ſint Regularibus ſubiectæ. Etiam ſi Monaſteria Religionum prætenderent habere Iuriſdictionem ſpiritualem immutabilem, in locis, vbi dictæ Eccleſiæ ſunt vnitæ.

Epiſcopus non habet ius viſitandi ſacellum, vel altare quod cura caret animarum, & membrum ſit Religionis S. Antonij Viennenſis. Congregatio tamen cenſuit hoc non habere locum in Eccleſiis Regularium, vbi à Regularibus inſeruitur, & in terminis cap. 11. Seſſ. 25. de Regul. vbi excipiuntur Abbates generales, & Capita Ordinum. ſed limita, niſi per Regulares inſeruiant.

Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, habent poteſtatem viſitandi omnes ſuæ Diœceſis Eccleſias Collegiatas, eis tamen remanente ſaluo iure in petitorio

2 *Cura animarum.* ] Etiam ſi Eccleſiæ ſunt Regularium, tamen tunc ab Ordinarijs viſitari debent, quando cura exercetur per Sacerdotes ſæculares. Comprehenduntur enim Eccleſiæ ſæculares, tametſi ad Regulares illæ pertineant, & ab eis dependeant, dummodo per ſæculares illis deſeruiatur. Non autem comprehenduntur Monaſteria & Eccleſiæ ipſorum Regularium. hæc procedunt quando Eccleſiæ ſunt in Diœceſi. *Idem ſuper* § Epiſcopus poteſt.

3 *Priui-*

3 *Priuilegijs & conſuetudinibus.*] Quod ſi adderetur ſententia, & priuilegium, An illis videatur Concilium hic derogare? Congregatio cenſuit negatiuè, quia cum hoc capite faciat diuerſas derogationes, non videtur aliis ab eo expreſſis derogare, & ita Rota in vna Legionenſis Iuriſdictionis.

Archidiaconus Mercurij die 13. Nouembr. 1587 coram R.D. Blanchetto firmat dictam Deciſionem, videlicet vt hic Concilium non comprehendat caſus per ſententias determinatos, idémque confirmauit Rota 2. Decembr. 1585. vt Concilium non tollat ſententias & res iudicatas, vt infrà c. 20. verſ. *Ad hæc*. Seſſ. 24.

Vbi Equites Hieroſolimitani habent Iuridictionem ſpiritualem & temporalem, ibi Ordinarij ſe non interponant ad viſitandum, vide Bullam Pij V. *Paſtoralis Officij*, die 21. Septembr. 1571. Item Equites Hieroſolimitani, quatenus beneficia curata non obtinent, non poſſunt ab Ordinarijs viſitari.

Lucenſis Collegiata S. Michaëlis Iuris patronatus, exempta à fundatione & dotatione, viſitari poteſt ab Ordinario, ſed tanquam Apoſtolicæ Sedis delegato.

Parochiales Eccleſiæ vnitæ Monaſterijs, etiam ijs quæ ſunt Capita Ordinum, ab Ordinarijs viſitari debent.

Regulares inſeruientes de licentia ſuorum ſuperiorum beneficijs ſimplicibus. quæ ſunt tamen membra Monaſteriorum ſeu Religionis, non poterunt viſitari ab Ordinarijs, nec comprehenduntur ſub Decreto cap. 14. Seſſ. 7. de Reform. Idem infr. huius Seſſ. c. 14. §. *Aut Regulares.*

Qui pacificè per triennium beneficium aliquod poſſedit, non tenetur oſtendere titulum, vel docere de titulo.

Epiſcopus viſitare volens non poteſt vti ſuſpectus recuſari, nec vlla allegatione ſuſpicionis impediri, quo minus pœna extraordinaria, quæ morum correctionem & emendationem reſpiciat, viſitatos afficere poſſit.

## REMISSIONES.

α Vide Fr. Emman. qu. Regul. tom. 1. q. 36. art. 3. Zerol. in praxi Epiſcop. verbo Viſitatio, p. 341. p. 1. & verbo Exemptus, p. 2. P. Azor. inſtit. moral p. 2. lib. 3. c. 40. col. 356.

β *Et illorum inhibitionibus penitus excluſis* ] Sacra Cardinalium congregatio cenſuit non poſſe Epiſcopum in viſitatione recuſari tanquam ſuſpectum, dum tamen in ea proceſſum non compilet. & ſe intra viſitationis terminos contineat. referunt Thom. Val. tom 1. allegat. iuris alleg. 70. n. 7. Cur. Philip. p. 1. §. 7. num. 10.

## CAPVT IX.

*Breue eſt, non ſummatur.*

α AD maiores Eccleſias promoti [a] munus conſecrationis infra tempus à iure ſtatutum ſuſcipiant: & prorogationes vltra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.

a *Seſſ.13.c.2.c. quoniam quidã, diſt.100.*

## REMISSIONES.

α VIde Silueſt. verbo Conſecrat. Prælatorum, Zerol. in praxi Epiſcop. part 1. verbo Conſecrat. Prælatorum, pag. 89.

## CAPVT X.

*Sede vacante Capitula nulli dent reuerendas niſi arctato occaſione obtinendi aut obtenti beneficij eccleſiaſtici: pœna varia contra varios contrauenientes.*

1 α NOn liceat Capitulis eccleſiarum, [a] 2 *Sede vacante*, infra annum à die vacationis, 3 *ordinandi licentiam*, aut litteras dimiſſorias, ſeu reuerendas, vt aliqui vocant, tam ex iuris communis diſpoſitione, quàm etiam cuiuſuis priuilegij, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui beneficij eccleſiaſtici recepti, ſiue recipiendi occaſione β γ δ *arctatus non fuerit*, concedere: ſi ſecus fiat, [b] Capitulum contraueniens Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto: ε *& ſic ordinati*, *ſi in minoribus* 4 ζ ordinibus conſtituti fuerint, nullo η *priuilegio clericali*, præſertim in criminalibus, θ *gaudeant*: in maioribus verò ab executione Ordinum, ι *ad beneplacitum* futuri Prælati, ſint ipſo iure ſuſpenſi.

a *Seſſ.13.c 10 cum nallus de temp.ord.in 6.*

b *infr. Seſſ.13. de reform.*

# DECLARATIONES.

1 *Non liceat Capitulu.* ] Capitulo Canonicorum non licet concedere dimiſſorias ex Decreto Concilij Trident. Seſſ. 23. cap. 10. etiam ſi territorium habeat diſtinctum & exemptum ob immemorabilem poſſeſſionem, & ſint Iudices Ordinarij. Ita reſponſum fuit Epiſcopo Salmonenſi die 5. Iulij, 1575.

Præpoſito Eccleſiæ vel loci multò minus licet concedere litteras dimiſſorias. Ita à Cardinalibus congregationis deciſum fuit contra Cardinalem Medices, Præpoſitum terræ Prati.

Congregatio Concilij cenſuit anno 1586. die Mart. Concil. Prouinciale ſtatuere non poſſe, vt Capitula non dimittant ordinandos ad alios, quàm ad comprouinciales Epiſcopos, niſi id fiat ex rationabili cauſſa pro correctione videlicet prouinciæ.

Infra annum Sedis vacantis Capitulum litteras dimiſſorias & facultatem ordinandi in Eccleſia vacante concedere non poteſt. Sic ipſum Concilium Tridentinum.

Fuit dubitatum; An Concilium prouinciale poſſit reſtringere poteſtatem Capitulis hîc tributam, ita ſcilicet, vt non concedant poſt annum litteras dimiſſorias ordinandis ad titulum patrimonij vel penſionem? Reſponſum fuit in hoc reſeruandum eſſe cap. 2. Seſſ. 21. de Reformatione, quod docet, obtinentes patrimonium, vel penſionem, non eſſe promouendos; niſi Epiſcopus pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum iudicauerit eos aſſumendos eſſe.

2 *Sede vacante.* ] Capitulum Sede vacante poteſt concedere licentiam excepto Epiſcopo exercendi Pontificalia in eorum Eccleſia, & ordines conferendi, tam Clericis illius Diœceſis, quàm exteris habentibus dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum, iuxta tamen formam huius Decreti.

3 *Ordinandi licentiam.* ] Congregatio cenſuit textum hunc non comprehendere primam tonſuram.

4 *In minoribus ordinibus conſtituti, &c.* ] non tamen ſuſpenduntur. *Supr. ad Seſſ. 6. c. 5. §. Capitulum.*

Dubitatum fuit; An Epiſcopo exiſtente hæretico, facultas concedendi dimiſſorias iuxta hoc cap. pertineat ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ? Secundò, An eo caſu, quo Capitulum concedere poteſt, dimiſſorias, ſi Canonici propter hæreſes diſperſi ſunt, & nequeũt conuenire ſine difficultate, ſufficiat habere litteras dimiſſorias, ab vno aliquo ex Canonicis Cathedralis Eccleſiæ? Tertiò. An omnino ſufficiat ſine dimiſſorijs adire, pro ſuſcipiendis ordinib. viciniorẽ Epiſcopum ſeu Metropolitanum? Ad primum Congregatio cenſuit, & anno 1588 reſpondit ad Capitulum pertinere, ſi Epiſcopus ſit notoriè hæreticus, Ad ſecundum, ſufficere habere dimiſſorias à reſidentibus

tibus Capitularibus etiamſi vnus duntaxat reſideret. Ad tertium, non adeundum, neq; viciniorem, neq; Metropolitanum, ſed adeundam Sedem Apoſtolicam.

## REMISSIONES.

α Vide Zerol.in praxi Epiſ.p.1.verbo Capitulum, in princip. pa. 83. P.Henriq.in ſum.p 2.li.10.c.22.§.3.Sayr.deciſ.63 de temporib.ord.Petr.Ledeſm.in ſum p.1.tract.de Sacram. Ordin.c.8 concl. 3.Quarant.in ſumma bullarij, verbo Capitulum Sede vacante, verſ. Decimoquartò, vbi ampliat diſpoſitionem huius text. etiamſi Capitulum haberet territorium diſtinctum & exemptum ob immemorialem poſſeſſionem, & ſint iudices Ordinarij: ampliat etiam procedere in literis dimiſſoriis ad primam tonſuram. de quo etiam vide Rebuff.in praxi benef.tit.de deuolut.num 67. Ioan. Aloyſ. Ricci. in deciſ. Curiæ Archiep. Neapol. 23.

β *Arctatus non fuerit.*] An arctatis beneficiis tam habitis; quàm habendis, poſſit Capitulum Sede vacante per vicarium ab eo electum, intra annum literas dimiſſorias concedere? Affirmant Zerol.in praxi Epiſ.p.1 verbo Capitulum, in princip.verſ. Secundum, Quarant. d. verſ. Decimo quartò, in fin. Ioan. Aloyſ.d.dec.30.

γ An literæ dimiſſoriæ ad ordines conceſſæ, à Capitulo expirent per ingreſſum moderni Epiſ.Negant Gonzal.ad reg.8.cancel gl. 11. in princ num 37.Petr.Ledeſ d.tract de Sacram Ordin.cap 8 concl 4. Quarant.d.verbo Capitulum Sede vacante, verſ. Secundò dubitatur, Guttier. Can.li.2.c.17 nu.12.vbi conſulit ordinatoribus, vt ſi tempore præſentationis dictarum literarum coram eis ſciuerint nouum Prælatum atque ſucceſſorem poſſeſſionem eiuſdem Epiſcopatus cepiſſe, vel in Epiſcopatu adeſſe, illas non admittant, niſi reualidatæ, vel nouiter à ſucceſſore conceſſæ productæ fuerint, vel ab eius Officiali ad id ſpeciale mandatum habente.

δ An dimiſſoriæ expirent morte Epiſcopi concedentis? Negant Nau in c.placuit, n.163.de pœn.diſt.6.& conſ.49 de temp.ord in antiq P.Henriq.in ſum.li 10.de Sacram.Ord cap 22 in fin.Quarant & Gonzal.vbi proximè, Sayr deciſ.52.de temporibus ordinat.

ε *Et ſic ordinati, &c.*] Vide P.Henriq. in ſum.part 2. lib.13. cap.38. §.2.lit.C.Quarant in ſumma Bullarij, verbo Ordo, verſ. Secundò limita pag 377.Thom Valaſc, tom.1.allegat. iuris allegat 45. num. 19.& 20.

ζ *Si in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, &c.*] Quod hic ſit ſuſpenſus quoad ſe, & per conſequens ei non poſſit conferri beneficiũ, reſoluunt Nau.li.1 conſil tit.de temporib.ord.in priori edit conſ.19. in poſteriori tamen conſ.28 Flamin de Reſignat.li 4 qu.2.nu.58

η *Clericali Priuilegio.*] Præſertim in criminalibus intelligat Cardin. Tolet in ſum de Sacerdot.li.1.c. 49. verſ. Secunda, Thom. Valaſc d. alleg 45.nu 20.

6 *Gaudeant.* ] Hoc verbum eſſe futuri temporis, & per illud non infligi ipſo iure pœnam, reſoluit noſtrum tex. allegans Nau. d. conſ. 19. quem refert P. Sanc. de Matrim. li. 7. diſp, 46. nu. 18. Sayr. deciſ. 21. de temp. ordinat.

1 *Ad bene placitum futuri Prælati.* ] Impedimentum hoc perpetuum non eſſe, ſed temporale, donec ſcilicet aliud placeat futuro ſucceſſori, tenet Salzed. ad Bernard in pract cap. 26. verbo ſine licentia, verſ. Has autem dimiſſorias. P. Soar. tom. 5. de cenſur. diſp 31. ſect. 1. n 20. Petr. de Ledeſm. tract de Sacram. Ord. c. 8 concl 4. Et quòd poteſt Epiſcopus ratificare ordines quos accepit eius ſubditus, abſq; ſuis literis dimiſſoriis, contra Rebuff in praxi Benefic. tit de formul. lit. dimiſſor. n. 9 reſoluit Fr. Emman. in ſum. p. 2. c. 14 n. 13.

## CAPVT XI.

*Aliquorum facultates de promouendo continere debent expreſſam cauſam ob quam alienum accedere debeant Epiſcopum.*

1 F*Acultates* de promouendo à quocumque, non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam; & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, 2 *a & diligenti præuio examine.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Facultates de promouendo à quocumque.* ] An qui facultatem à Sede Apoſtolica obtinuit, vt poſſit ordinari ab alio, quam â ſuo Ordinario, debeat nihilominus probitatem ſuam & mores Ordinarij ſui teſtimonio probare? Congregatio cenſuit debere: prout & ſignatoria gratiæ S. D. N iam dudum ſolita eſt in huiuſmodi facultatibus ponere clauſulam illam, (*de licentia Ordinarij.*)

2 *Et diligenti præuio examine.* ] Epiſcopus qui à ſua Diœceſi abeſt, debet ſubditos ſuos non aliter quam probatos & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittere: ſicut & ſuas literas dimiſſorias dare & ordinandos ſubiicere ſuo examini, ſi ita ſibi videbitur: & ſi abſentes ſint, ad ſe, vt ipſos examinet, vocare, ſi commodum erit:

alio-

alioquin eorum examen committere poterit Ordinario loci, in quo illi degunt.

## REMISSIONES.

α *Et diligenti prauio examine.* ] Vide Guttier. Canon. lib. 1. cap. 26. num. 14.

## CAPVT XII.

*Breue eſt, non ſummatur.*

1 F*Acultates de non promouendo*, a præterquam in caſibus à iure expreſſis, conceſſæ, ad annum tantùm ſuffragentur. *a c. licet canon. & c. cum ex eo, de elec. in 6.*

## DECLARATIONES.

1 *Facultates de non promouendo.* ] Interim tamen, dum quis nec dum eſt promotus, debet per Capellanum, miſſarum onera (ad quæ tenetur) ſubire.

## CAPVT XIII.

*A quocunque præſentati non inſtituantur niſi prauio examine Ordinarij & approbatione; exceptis certis*

PRæſentati; ſeu electi, vel nominati à quibuſuis eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nunciis, *αβ ad quæuis eccleſiaſtica* beneficia non 1 *inſtituantur*, a nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiuſuis priuilegij, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint priùs *à locorum* 2 *Ordinariis examinati*; & idonei reperti. γδ 3 *Et nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit*, quo minus examen ſubire *a inf. ſeſſ. 25. c. 9. refor.*

 tenea-

a Seſſ. 24. c. 12. teneatur. a *Præſentatis* ζ *tamen*, *electis*, ſeu nominatis ab Vniuerſitatibus, ſeu Collegiis generalium Studiorum exceptis.

## DECLARATIONES.

1 *Inſtituantur nec confirmentur* ] Congregatio cenſuit hoc non procedere in Eccleſiis electiuis. Sed in beneficiis curatis, ſiue ſint Iuris patronatus, ſiue liberæ collationis examen faciendum eſt ab Epiſcopis Ordinariis, ſecundum diſpoſitionem Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 18. & in quibuſuis aliis beneficiis, ad quæ præſentatio ſeu electio, vel ordinatio facienda ſit à quibuſcunque aliis perſonis Eccleſiaſticis, inferioribus Epiſcopo, pro vt ſtatutum eſt à Concil. Trident. hîc & ſeſſ. 25. cap. 9.

2 *A Locorum Ordinariis examinati* ] Obtinentes beneficia curata ab inferioribus collatoribus, debent ab Ordinariis examinari, ſecus in beneficiis ſimplicibus ad prædictos collatores inferiores pertinentibus. Hoc etiam procedit in beneficiis, quæ ſunt de Iure patronatus, & ſimplicibus.

In beneficiis ſimplicibus quorum collatio libera pertinet ad inferiorem, non requiritur iſta approbatio, quæ eſt facienda ab Epiſcopo in his beneficiis quorum inſtitutio pertinet ad inferiores, ex c. 9. ſeſſ. 25. & præſenti Decreto, velut etiam in iis, quorum inſtitutio pertinet ad Monaſterium.

Obſeruandum eſt quod ex hoc decreto, & d. c. 9. ſeſſ. 25. de Refor. Epiſcopus poteſt poſſeſſores beneficiorum curatorum, ſiue ſimplicium de Iure patronatus, compellere ad oſtendendas eorum Bullas, ſi tamen beneficia pôſt Concilium collata ſunt, & declarare inſtitutionem irritam, & inanem eſſe, ſi ea abſque examine Epiſcopi facta ſit, ac compellere ad fructuum perceptorum reſtitutionẽ, vltra priuationem. Sed ſi iſti vellent examini iterum ſe ſubiicere, deberet eos admittere, & eadem etiam beneficia ipſis concedere, quatenus reperiantur idonei. Et ſi inſtitutio pertinet ad inferiorem, ita vt non dependeant ab aliquo Iure patronatus, quod per Concilium ſublatum eſt, c. 9 ſeſſ. 25 de Reform. præſentatio ſoli Epiſcopo facienda eſt ad effectũ examinis duntaxat, non attenta etiam quacunque conſuetudine immemorabili quæ in cõtrarium inualuiſſet, vt hîc ſancitũ eſt.

## REMISSIONES.

α *AD quauis Eccleſiaſtica beneficia* ] Quòd in prouiſionibus faciendis de beneficiis ex cauſa permutationis non eſt neceſſarium nouum examen, docet Flam. de Reſign. l. 8. q. 9. num. 95.

β Sacra Cardin, Congregatio in hunc modum cenſuit. Si permuta-
tio parochialis cum beneficio ſimplici coram Ordinario iure fieri
poteſt, requiritur nouum examen quoad parochialem, ſed abſque
concurſu: & iterum. In permutationibus, quæ fiunt de beneficio ſim-
plici, & curato; licet non ſit neceſſarius concurſus, examen tamen
neceſſarium eſt, refert ijſdem verbis Garci. de Benef. p. 9. c 2. nu. 162.
cum ſeqq.

γ *A locorum Ordinarijs examinati* ] Quòd parochialis Eccleſia non
poſſit conferri perſonæ notoriè doctæ, idoneæ, & benemeritæ abſq;
examine, tenent Flamin de Reſign. li. 8 q. 9 num. 8. & 9 Zerol. in prax.
Epiſc p. 2 verbo Doctor. §. 1. Proſper de Auguſtino in addit. ad Qua-
rant in ſumma Bullarij verbo Parochialium beneficiorum collat. q.
1 Marc. Anton Genuenſ in prax. Archiepiſc. Curiæ Neap. c. 65. nu. 1.
ad finem, P. Leſſi. de Iuſtit lib. 1. c. 34 nu. 82. Gonzal. ad reg. 8. Cancel.
gl. 4. à nu. 86.

δ Sacra Cardinalium Congregatio in hunc modum cenſuit. Do-
ctor ſiue Licentiat. in Theologia, ſiue in iure Canonico, etiam in pu-
blica Vniuerſitate graduatus, non excuſatur ab examine, quando pe-
tit ſibi prouideri de aliqua Eccleſia parochiali: refert Nicol. Garci. d.
p. 9. c. 2. nu 103.

ε *Et nullius appellationis remedio ſe tueri poſſit.* ] Vide Azeued ad l. 1.
nu. 4. tit. 19. li. 3. nouæ Recopil. Gonzal. ad reg. 8. cancel. gloſſ. 9. §. 1 in
annot. contra nullitates, nu. 184. vbi nu. 186 reſoluit, quòd à mala
relatione, & grauamine examinatorum non tollitur appellatio.

ζ *Præſentatis tamen electu.* ] Vide Cened. ad Decretum collect. 15. n.
3. & 9.

## CAPVT XIV.

*Cauſæ ciuiles exemptorum, clericorum ſecularium, & regula-
rium degentium extra monaſterium, videantur ab
Epiſcopis vt deputatis à Sede Apo-
ſtolica.*

α IN exemptorum cauſis conſtitutio Innocentij IV. quę incipiat, [a] Volentes, in Generali Concilio Lugdunenſi edita, ſeruetur; quam eadem ſacro ſancta Synod. innouandam cenſuit, & innouat; addendo inſuper, quod in ciuilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum Clerici ſæculares, 1 *aut regulares*, extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiam ſi certum iudicem, à Sede Apoſtolica deputatum, in partibus habeant; in aliis

*a Lib. 6. decret. de priuileg. c. 1. Vide poſt finem huius libr. infr. ſeſſ. 14 de ref. c. 6 in fin.*

in aliis verò ſi ipſum iudicem non habuerint, β *coram locorum Ordinarijs*, tamquam in hoc ab ipſa Sede delegatis, conueniri, & iure medio ad ſoluendum debitum cogi, & compelli poſſint: priuilegio, exemptionibus, Conſeruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduerſus præmiſſa nequaquam valituris.

## DECLARATIONES.

1 *Aut Regulares extra monaſter. degentes.* ] Regulares inſeruientes de licentia ſuperiorum ſuorum beneficijs ſimplicibus, quæ ſunt tamen membra Monaſteriorum Religionis, non poterunt viſitari ab Ordinarijs, nec comprehenduntur hoc Decreto. *Idem ſup. Seſſ. 7. c. 8.* §. Regulares.

## REMISSIONES.

α VIde Guttier. pract. lib. 3. qu. 10. num. 1. Fr. Emman. qu. reguſ. tom. 1 q. 65 art. 5. & tom. 2. q. 1. art. 8 Nauar. comment. 2. de Regul. n 73. Choppin. deciſ. 361 p. 2. Aloyſ Ricci. in collect. deciſ. p. 3. collect. 503 verſ. Tertius.

β *Coram locorum Ordinarijs.* ] Vide Fr. Emman. d. tom. 2. quæſt. 63. art. 6.

## CAPVT XV.

*Ordinarij curent, vt hoſpitalia quæcunque etiam exempta à ſuis adminiſtratoribus fideliter gubernentur.*

*a Seſſ. 25. c. 8.*

*b Lib. 3 de Clem. de religioſis domib. c. 2. quia cõtingit & infr. Seſſ vlt. de ref. c. 8. Vide poſt finẽ huius libri.*

α β CVrent Ordinarij, a vt hoſpitalia quæcunque à ſuis adminiſtratoribus, quocumque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, 1 *fideliter & diligenter gubernentur*, conſtitutionis Concilij Viennenſis, quæ incipit,[b] Quia contingit, forma ſeruata, quam quidem conſtitutionem eadem ſancta Synodus innouandam duxit, & innouat, cum derogationibus in ea contentis.

DECLA-

## DECLARATIONES.

1 *Fideliter & diligenter gubernentur.* ] Quoniam curare debent Epiſcopi, vt Hoſpitalia à ſuis adminiſtratoribus, quomodolibet exemptis diligenter ac fideliter gubernentur, dubium non eſt quin illorum viſitationem inſtituere debeant, vt per illam cognoſcere poſſint, quæ facere debeant adminiſtratores Hoſpitalium, & Confraternitatum quarumcumque.

## REMISSIONES.

α Vide Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. q. 63. art. 7. verſ. Quintò. & q. 84. art. 2. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Hoſpitale, nu. 2 pag. 173. P. Azori. inſtit. moral. p. 2 lib. 3 cap. 40. quæſt. 10. verſ. Et ſeſſione.

β Quòd teſtator non poteſt prohibere, ne Epiſcopus ſe intromitat circa implementum, & executionem eorum, quæ ad pias cauſas relinquũtur, habetur in cap. Tua, de Teſtam. & vide Zerol. vbi ſuprà, Spin. in Speculo Teſtam. Gloſſ. 28. principali, num. 20 Sarmi. lib. 1. Selectar. cap. 11 à num. 13. D. Marta de Iuriſdict p. 4 caſu 88. à num. 14. Soar de Paz. in praxi, tom. 1. prælud 2. num. 44. Bouadil in ſua Politica lib 2. cap. 17. num. 102 in fine, Valaſc. conſ 105. num. 57.

### *Indictio futuræ Seſſionis.*

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit, & decreuit, proximam futuram Seſſionem habendam, & celebrandam eſſe die Iouis, feria quinta poſt ſequentem Dominicam in Albis, quæ erit vigeſima prima menſis Aprilis, præſentis anni 1547.

## BVLLA FACVLTATIS TRANSFERENDI CONCILII.

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri, Ioanni Mariæ, Epiſcopo Præneſtino, & dilectis filijs, Marcello tit. S. Crucis in Hieruſalem Preſbytero, ac Reginaldo S. Mariæ in Coſmedin Diacono, Cardinalibus noſtris, & Apoſto-

licæ Sedis Legatis de latere, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Regimini vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino, præſidentes, noſtri officij partes eſſe putamus, vt, ſi quid grauius cauſa Reipublicæ Chriſtianæ conſtituendum ſit, id non modò tempore opportuno, verùm etiam loco commodo & idoneo perficiatur. Cùm itaque nos nuper, poſtquam ſuſpenſionem celebrationis ſacri œcumenici & vniuerſalis Concilij, aliàs per nos in ciuitate Tridentina, ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium concilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis, vſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum; de ſimili concilio & aſſenſu factam, audita pace inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Rom. Imperatorem, ſemper Auguſtum, & Franciſcum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, conciliata, pari conſilio & aſſenſu ſuſtuleramus & amoueramus: nequeuntes ipſi, tunc legitimè impediti, ad dictam ciuitatem perſonaliter accedere, & eidem Concilio intereſſe, vos noſtros & Apoſtolicæ Sedis Legatos de latere, in eodem Concilio de ſimili concilio conſtituerimus & deputauerimus, voſque ad eamdem ciuitatem, tamquam pacis Angelos, deſtinauerimus, prout in diuerſis noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur: Nos, ne tam ſanctum celebrationis Concilij huiuſmodi opus ex incommoditate loci, aut aliàs quouis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportunè prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, parique concilio & aſſenſu, vobis inſimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, ſeu inde fortè abſente, quandocumque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem ciuitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem & opportuniorem ſeu tutiorem ciuitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi & mutandi, ac illud

in

in ipſa ciuitate Tridentina ſupprimendi & diſſoluendi; necnon Prælatis, & aliis perſonis Concilij huiuſmodi, ne in eo ad vlteriora in dicta ciuitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis inhibendi, ac idem Concilium in alia ciuitate huiuſmodi, ad quam illud transferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi & celebrandi, & ad illud Prælatos & alias perſonas Concilij Tridentini huiuſmodi, etiam ſub periurij & aliis in litteris indictionis Concilij huiuſmodi, expreſſis pœnis, euocandi, eidémque ſic tranſlato & mutato Concilio, nomine & auctoritate prædictis præſidendi, ac in eo procedendi, cæteráque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna, aliàs iuxta priorum vobis directarum litterarum continentiam & tenorem faciendi, ſtatuendi, ordinandi & exequendi, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem; ratum & gratum habituri, quidquid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, executúmve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inuiolabiliter obſeruari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteríſque contrariis quibuſcúmque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ, M. D. XLIV. VIII. Kal. Mart. Pontificatus noſtri anno XI.

*Fab. Epiſcopus Spol.*

B. Motta.

SES-

# SESSIO OCTAVA.

## CELEBRATA DIE XI. MENSIS MARTII, M. D. XLVII.

*Decretum de tranſlatione Concilij.*

PLACETNE vobis decernere & declarare, de huiuſmodi morbo ex præmiſſis & aliis allegatis ita manifeſtè & notoriè conſtare, vt Prælati in hac ciuitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in ea idcircò inuiti minimè retineri poſſint & debeant? itémque attento receſſu multorum Prælatorum poſt proximè præteritam Seſſionem, & attentis proteſtationibus aliorum complurium Prælatorum, in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipſius morbi abire volentium, qui iuſtè detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu Concilium vel diſſolueretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progreſſus impediretur; & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis cauſis per aliquos ex Patribus in ipſis Congregationibus allegatis, vtpote notoriè veris & legitimis. Placétne vobis ſimiliter decernere & declarare, pro conſeruatione, & proſecutione ipſius Concilij, ſecuritate vitæ ipſorum Prælatorum, Concilium ipſum ad ciuitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, ſalubrem & idoneum, pro tempore transferendum eſſe, & ex nunc transferri, & ibidem Seſſionem iam indictam, ſtatuta die vigeſima prima Aprilis celebrandam eſſe, & celebrari; & ſucceſſiuè ad vlteriora procedendum, donec Sanctiſſimo Domino noſtro, & ſacro Concilio expedire videbitur, vt ad hunc ſeu alium locum, communicato etiam conſilio cum Inuictiſſimo Cæſare, Chriſtianiſſimo Rege, & aliis Regibus ac Principibus Chriſtianis, ipſum Concilium reduci poſſit & debeat? *Reſponderunt*,

PLACET.

SES-

# SESSIO NONA,

## BONONIÆ CELEBRATA DIE XXI. MENSIS APRILIS, M. D. XLVII.

*Decretum prorogationis Seſſionis.*

HÆc ſacroſancta œcumenica & generalis Synodus, quæ dudum in ciuitate Tridenti congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea nomine Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ III. eiſdem Reuerendiſſimis Dominis D. Io. Maria, Epiſcopo Præneſtino, de Monte, & Marcello, tit. S. Crucis in Hieruſalem Presbytero, S. R. E. Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis, conſiderans quòd die vndecima menſis Martij, præſentis anni, in generali publica Seſſione, in eadem ciuitate Tridenti, & in loco conſueto celebrata, omnibuſque agendis de more peractis, ex cauſis tunc inſtantibus, vrgentibus, & legitimis, interueniente etiam auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, eiſdem Reuerendiſſimis præſidentibus etiam ſpecialiter conceſſa, decreuit & ordinauit, Concilium ex eo loco in hanc ciuitatem transferendum eſſe, ſicut tranſtulit; itemque Seſſionem pro præſenti die vigeſima prima Aprilis, illic indictam, vt de Sacramentorum & reformationis materiis, de quibus tractandum propoſuerat, canones ſancirentur & promulgarentur, in hac ipſa ciuitate Bononiæ celebrari debere. Conſideranſque nonnullos ex Patribus, qui in hoc Conſilio intereſſe conſueuerunt, his ſuperioribus, maioris hebdomadæ, & ſolemnitatis Paſchalis, diebus, in propriis Eccleſiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum acceſſiſſe, quos tamen breui affuturos ſperandum eſt; ac propterea factum eſſe, vt non ea, quam ſancta Sy-

ᵭa Synodus deſiderabat, Prælatorum frequentia potuerint materiæ ipſæ Sacramentorum & reformationis examinari & diſcuti: vt omnia maturo conſilio, cum dignitate & grauitate debita fiant; bonum opportunum, & expediens cenſuit, cenſétque Seſſionem prædictam, quæ hoc ipſo die, vt præfertur, celebranda erat, ad diem Iouis, infra Octauam Pentecoſtes proximè futuram, quo ad ipſas materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt ac prorogat; quam diē & rei gerendæ maximè opportunam, & Patribus præſertim abſentibus percommodam iudicauit & iudicat: Hoc tamen adiecto, quòd terminum ipſum ipſa ſancta Synodus, pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in priuata Congregatione reſtringere & imminuere poſſit & valeat.

# SESSIO DECIMA.

## BONONIÆ CELEBRATA DIE II. MENSIS IVNII. M. D. XLVII.

### *Decretum prorogationis Seſſionis.*

QVAMVIS hæc ſacroſancta œcumenica & generalis Synodus Seſſionem, quæ die vigeſima prima menſis Aprilis proximè præteriti, ſuper Sacramentorum & reformationis materiis in hac inclyta ciuitate Bononiæ, ex decreto, in vrbe Tridentina, in publica Seſſione, die vndecima menſis Martij promulgato, celebranda erat, propter aliquas cauſas, ac præſertim propter abſentiam nonnullorum Patrum, quos breui affuturos ſperabat, ad hunc præſentem diem differendam & prorogandam eſſe decreuerit: volens tamen cum iis, qui non venerunt, etiam adhuc benignè

gnè agere eadem ſacroſancta Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in eiſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus & Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſtatuit & decernit, Seſſionem ipſam, quam hac die ſecunda menſis Iunij, præſentis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſeptimi celebrare decreuerat, ad diem Iouis poſt feſtum Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, quæ erit decima quinta menſis Septembris proximè futuri, quo ad prædictas & alias materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt & prorogat; ita tamen, quòd proſecutio diſcuſſionis & examinationis eorum, quæ tam ad dogmata quàm ad reformationem pertinent, interim non omittatur; & terminum ipſum ipſa ſancta Synodus, pro eius libito & voluntate, etiam in priuata Congregatione, abbreuiare & prorogare liberè poſſit & valeat.

*Die XIV. Septemb. M. D. XLVII. in Congregatione generali Bononiæ, prorogata fuit Seſſio, quæ futura erat die ſequenti, ad beneplacitum ſacri Concilij*

# BVLLA RESVMPTIONIS CONCILII TRIDENTINI SVB IVLIO III. PONT MAX.

IVLIVS EPISCOPVS, *ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Cum ad tollenda religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore, non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione & ſcandalo viguerunt; bonum, opportunum & expediens eſſe videatur, ſicuti etiam cariſſimus in Chriſto filius noſter, Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, nobis per ſuas litteras & nuncios ſignificari fecit, vt ſacrum œcumenicum generale Concilium per fel. rec. Paulum Papam

pam III. prædeceſſorem noſtrum indictum, & per nos, tunc Cardinalatus honore fungentes, atque ipſius prædeceſſoris nomine, vna cum duobus alijs ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ipſi Concilio præſidentes, inceptum, ordinatum & continuatum, in quo plures publicæ & ſolemnes habitæ fuerunt Seſſiones, pluraque tam in cauſa fidei, quàm reformationis promulgata decreta, multaque etiam ad vtramque cauſam pertinentia examinata & diſcuſſa, ad ciuitatem Tridentinam reducatur: Nos [a] ad quos, vt ſummos pro tempore Pontifices, ſpectat generalia Concilia indicere & dirigere, vt Eccleſiæ pacem, & Chriſtianæ fidei atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem & gloriam procuremus, &, quantum in nobis eſt, tranquillitati ipſius Germaniæ, quæ ſanè prouincia retroactis temporibus in vera religione, ac ſacrorum Conciliorum & ſanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendáque maximis Pontificibus, Chriſti Redemptoris noſtri in terra Vicariis, debita obedientia & reuerentia, nulli Chriſtianorum prouinciæ fuit vmquam ſecunda, paternè conſulamus, ſperantes per ipſius Dei gratiam & benignitatem futurum, vt Reges omnes ac Principes Chriſtiani iuſtis piiſque noſtris in hac re votis annuant, faueant, atque aſſiſtant: venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, omneſque alios & ſingulos, qui de iure, vel conſuetudine, vel priuilegio Concilijs generalibus intereſſe debent, quoſque idem prædeceſſor noſter in ſuis Indictionis & aliis quibuſcumque deſuper confectis & publicatis litteris, Concilio intereſſe voluit, per viſcera miſericordię Domini noſtri Ieſu Chriſti hortamur, requirimus & monemus, vt proximis futuris Kalend. Maij, quem diem ad ipſum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, ſtatu reſumendum & Proſequendum, præuia matura deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia & de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium

[a] *Teſte Marcel. 2. in Epiſt. 1. ad Epiſc. prou. Antioch. & Pelag. 2. in Epiſt. ſua decret. in Bonifacio Epiſt. ad Zachariã Pap. ſcrib. & Synodo Chalcedo. act. 1. & 2. Nicæna. 20. 1. act. 6. Nicolao 1. in Epiſt. ad Michael.*

lium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decernimus & declaramus, in ipſa ciuitate Tridenti, legitimo ceſſante impedimento, conuenire & ſe congregare, ac ipſius Concilij continuationi, & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere velint. Nos enim operam ſedulò daturi ſumus, vt eodem tempore, in eadem ciuitate noſtri omnino adſint Legati, per quos, ſi per ætatem noſtram valetudinémque, & Sedis Apoſtolicæ neceſſitates; perſonaliter adeſſe nequiuerimus, Spiritu Sancto duce, ipſi Concilio præſidebimus: quacumque ipſius Concilij tranſlatione & ſuſpenſione, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcúmque, ac præſertim illis, quæ idem prædeceſſor noſter in ſuis litteris prædictis, quas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis in ſuo robore permanere volumus atque decernimus, & quatenus opus ſit, innouamus, voluit non obſtare: irritum nihilominùs decernentes & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, hortationis, requiſitionis, monitionis, ſtatuti, declarationis, innouationis, voluntatis & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datũ Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, M. D. XLVIII. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri anno I.

*M. Cardinalis Creſcen.*

Rom. Amaſæus.

# SACROSANCTI OECVMENICI, ET GENERALIS CONCILII Tridentini,

## SESSIO VNDECIMA, QVÆ EST PRIMA SVB IVLIO III. PONT. MAXIM. CELEBRATA KAL. MAII, M. D. LI.

*Decretum de reſumendo Concilio.*

PLACETNE vobis, ad laudem & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Chriſtianæ, ſacrum œcumenicum & generale Concilium Tridentinum, iuxta formam & tenorem litterarum Sanctiſſimi Domini noſtri, reſumi debere, & procedendum eſſe ad vlteriora? *Reſponderunt,* PLACET.

*Indictio futuræ Seſſionis.*

PLACETNE vobis, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe in futuris Kalendis Septembris? *Reſponderunt,* PLACET.

## SESSIO DVODECIMA, QVÆ EST SECVNDA SVB IVLIO III. PONT. MAXIM. CELEBRATA DIE PRIMA SEPTEMB. M. D. LI.

*Decretum prorogationis Seſſionis.*

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridẽtina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè cõgregata, præſidẽtibus in ea eiſdẽ ſanctæ Sedis Apoſto

poſtolicæ Legato, & Nunciis, quæ in proximè præterita Seſſione ſequentem hanc hodie habendam, & ad vlteriora procedendum eſſe decreuerat, cùm ob inclytæ Germanicæ nationis, cuius præcipuè cauſa agitur, abſentiam, ac non magnam cæterorum Patrum frequentiam procedere hactenus diſtulerit, de Venerabiliũ in Chriſto fratrum, & filiorum ſuorum. Moguntini & Treuerenſis Archiepiſcoporum ac ſacri Romani Imperij Principum Electorum, & complurium ipſius aliarumque prouinciarum Epiſcoporum, ſub hanc ipſam diem aduentu in Domino exultans & dignas ipſi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque ſpem concipiens, quamplurimos alios tam ipſius Germanicæ, quam aliarum nationum Prælatos & ſui officij debito & hoc exemplo commotos, propediem eſſe venturos, futuram Seſſionem ad quadrageſimam diem, quæ erit vndecima menſis Octobris proximè ſequentis, indicit; & Concilium ipſum in ſtatu, in quo reperitur, proſequendo, cùm in præteritis Seſſionibus de ſeptem Sacramentis nouæ Legis in genere, & in ſpecie de baptiſmate & Confirmatione definitum fuerit, ſtatuit & decernit de ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, necnon, quod ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum reſidentiam pertinent, agi & tractari debere; ac monet & hortatur omnes Patres, vt interim, Domini noſtri Ieſu Chriſti exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, ieiuniis & orationibus vacent; vt tandem placatus, qui in ſæcula ſit benedictus, Deus, corda hominum ad veræ ſuæ fidei agnitionem, & ſanctæ matris Eccleſiæ vnitatem, ac rectè viuendi normam reducere dignetur.

# SESSIO DECIMATERTIA

## QVÆ EST TERTIA SVB IVLIO III. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XI. OCT. M. D.LI.

### *Decretum α de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato & Nunciis, etſi in eum finem, non abſq; peculiari Spiritus ſancti ductu & gubernatione conuenerit, vt veram & antiquam de fide & Sacramentis doctrinam exponeret, & vt hæreſibus omnibus & aliis grauiſſimis incommodis, quibus Dei Eccleſia miſerè nunc exagitatur, & in multas & varias partes ſcinditur, remedium afferret; hoc præſertim iam inde à principio in votis habuit, [a] vt ſtirpitus conuelleret zizania execrabilium errorum & ſchiſmatum, quæ inimicus homo his noſtris calamitoſis temporibus *β in doctrina fidei, vſu & cultu ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſuperſeminauit*: quam alioqui Saluator noſter in Eccleſia ſua, tamquam ſymbolum reliquit eius vnitatis & caritatis, qua Chriſtianos omnes inter ſe coniunctos & copulatos eſſe voluit. Itaq; eadem ſacroſancta Synodus ſanam & ſinceram illam de venerabili hoc & diuino Euchariſtiæ Sacramento doctrinam tradens, quam ſemper Catholica Eccleſia, ab ipſo Ieſu Chriſto Domino noſtro & eius Apoſtolis erudita, atq; à Spiritu ſancto, illi [b] omnem veritatem in dies ſuggerente, edocta, retinuit, & ad finem vſq; ſæculi conſeruabit; omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de ſanctiſſima Euchariſtia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm vt eſt hoc præſenti decreto explicatum atq; definitum.

a Matth. 13.

b Lucæ 22. c. 1. verſ ego pro te 1. diſt. & infra Seſſ. 22. cap. 1. & ſupra Seſſ. 5. Ioan. 10.

RE-

## REMISSIONES.

α VIde Alan. de Euchar. Valent eod. tract. Cardin. Bellarm. lib. 2. de Euchariſt. P. Henriq in ſum. lib. 8. de ſanct. Euchariſtia, P. Gabri. Vaſquez in 3. p. D. Thom. to. 3. q. 73. diſp. 177 cũ ſeqq. nouiſſimè P. Ægid. de Conink de Sacram. & cenſuris. quæſt. 73. per totam. Petr. Ledeſ. in ſum. p. 1. tract. *Del excellentiſſimo Sacramento del Altar, que ſellama Euchariſtia.*

β *In doctrina Fidei, vſu, & cultu ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſuper ſeminauit.* ] Vide P. Henriq. in ſum. lib. 8. in proœm. § 6. Sot. de iuſt. in 4. diſt. 1. q. 6. art. 3.

## CAPVT I.

### *De reali præſentia Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

α PRincipio docet ſancta Synodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento, β *poſt panis & vini conſecrationem*, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, [a] verum Deum atq; hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri; nec enim hæc inter ſe pugnant, [b] vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſſideat, iuxta modum exiſtendi naturalem; & vt multis nihilominùs aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, [c] poſſibilem tamen eſſe Deo cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & cõſtãtiſſimè credere debemus: ita enim maiores noſtri oẽs, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt, hoc tã admirabile Sacramentũ in vltima cœna Redemptorẽ noſtrum inſtituiſſe; cum poſt panis viniq; benedictionẽ, ſe ſuũ ipſius Corpus illis præbere ac ſuũ ſanguinẽ, diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt. [d] *quæ verba à ſanctis Euãgeliſtis cõmemorata*, [e] & à S. Paulo poſteà repetita, cùm propriam illam & apertiſſimam ſignificationẽ præ ſe ferant, ſecundùm quam à Patribus intellecta ſunt;

a Ioan. 1.

b c. 1. de ſum. Trin. ſupra Seſ. 3. in ſymbolo. Epheſ. 1. Matth. 19. in fin.

c Matth. 19. Luca 18.

d Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.
e 1. Cor. 11.

indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contẽtioſis & prauis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis & Sanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri: quæ tamquam [a] columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica, deteſtata eſt, grato ſemper & memori animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.

*a 1. Timoth. 3.*

---

## REMISSIONES.

α VIde P. Henri in ſum p. 2. lib 8. cap. 10 à princ. optimè Bald. Iunium ſuper opera controu. Bellarm p. 2. lib. 3. cap. 1. à princip. & cap 2. verſ. At ſententia communis ſcholarum, P. Valer. Regin in praxi fori pœn. lib. 28. num. 9. P. Ægid de Sacram. & cenſuris, tom. 1. quæſt. 78. num 14.

β *Poſt panis & vini benedictionem.* ] Vtrùm benedictio illa Chriſti ſuper panem fuerit diſtincta à conſecratione? Affirmant P. Soar. de Sacram. diſp. 58 ſect. 2. P. Ægid. d. diſp. 78. num. 14.

γ *Quæ verba à ſanctiſſimis Euangeliſtis commemorata.* ] Horum verborum meminerunt omnes Euangeliſtæ, ac etiam S. Paulus, videlicet Matth. cap. 26. verſ. 26. Marc. c. 14. verſ. 22. Luc cap. 22. verſ. 19. Ioan cap. 6. verſ. 25. & 1 ad Corinth. 11. verſ. 24.

### CAPVT II.

### *De ratione inſtitutionis ſanctiſſimi huius Sacramenti.*

α ERgo Saluator noſter, diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, β γ *Sacramentum hoc inſtituit*, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, [b] memoriã faciens mirabilium ſuorum; [c] & in illius ſumptione δ *colere nos ſui memoriam præcepit*, ſuamq́; annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vitæ illius qui dixit, [d] Qui manducat me, & ipſe viuet propter me: & tamquam antidotum, ε *quo liberemur à culpis quotidianis*, & à peccatis mortalibus præſeruemur. ζ *Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ*, & perpetuæ felicitatis, adeóque

*b Pſal. 110.*
*c 1. Cor. 11. Luc. 22. 1. Cor. 11. c. iteratur de conſ. diſt. 2.*
*d Ioan. 6.*

adeóq; ſymbolum vnius illius corporis, [a] cuius ipſe caput exiſtit, cuique nos, tamquam membra arctiſſima, fidei, ſpei & charitatis connexione aſtrictos eſſe voluit; vt idipſum omnes diceremus, [b] Nec eſſent in nobis ſchiſmata.

*a 1. Cor. 11. Eph. 5. Rom. 12. 1. Cor. 5.*

*b 1. Cor. 1.*

---

## REMISSIONES.

α VIde P. Ægid. de Conink. de Sacram q. 78 num 21. P Vaſquez in 3 p D. Thomæ, tom. 2 diſp 169. num. 15. P. Valeri. Regin. in praxi fori pœn lib. 29 à num 9.

β *Sacramentum hoc inſtituit.* ] Inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum Matth. 26. quando Chriſtus in Cœna ſuum corpus, & ſanguinem conſecrauit, docent Ambroſ. li 4. de Sacram. cap 4. & 5. & in libro de initiandis myſter. cap 9 Damaſcen. lib 4. c. 14. ad finem, D. Thom. in 4 diſt. 8. q. 1. art 3 & p. 3. q. 73 ar 3 Sayr. de Sacram. in genere lib 2. c. 2 q. 3 art 1. verſ De Euchariſtiæ Sacramento, P. Henriq in ſum. lib. 8. c. 2 § 2. P Vaſquez d tom. 3. diſp. 177 à princip. P. Valeri. Reginald. d. lib 29 num. 9

γ Vtrùm præcepto diuino teneamur aliquando ad huius S Sacramenti ſuſceptionem? Affirmant P. Valent. diſp. 6 q. 8 puncto 4 P. Ægid. de Sacram. diſp 80 à num 86. P. Soar tom. 3. diſp 69 ſect. 1. P. Valeri. d. lib 29. à num. 57.

δ *Colere nos ſui memoriam præcepit.* ] Concordat text in cap. iteratur, de conſecr diſt 2 & illud Lucæ 22 verſ 19.

ε *Quo liberemur à culpis quotidianis.* ] Vide Petr. Ledeſ. in ſum p 1. tract de Euchariſt. cap 10. concl. 10.

ζ *Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ.* ] Vide Vaſquez d. diſputat. 169 num. 13. Pet. Ledeſm. in ſum. p. 1. tract. de Euch. cap. 10. concl. 6.

## CAPVT III.

### *De excellentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua Sacramenta.*

α COmmune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ [c] Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem: verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, [d] quod reliqua Sacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt. nondum enim Euchariſtiam

*c c. ſacrificium. de conſ. diſt. 2.*

*d c. multi. 1. q. 1*

*a Matth. 26. Mar. 1.4.*

*b infrà Can. 1.*

*c Rom 6 c. ſemel Chriſtus, c. iteratur, c. ſinguli, & c qui manducant. de conſ diſt. 2. infrà Can. 3.*

*d Seſſ. 21. c. 3. Vide Homil. 5. de paſcha. inter eas quæ Euſ. Emiſſeno aſcribuntur, & de conſ. diſt. 2. vbi pars eſt, &c.*

[a] de manu Domini Apoſtoli ſuſceperũt, cùm verè tamẽ ipſe affirmaret Corpus ſuũ eſſe quod pręebat. & ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationẽ [b] verum Domini noſtri Corpus, verúmq; eius Sanguinẽ ſub panis & vini ſpecie vnà cum ipſius anima & diuinitate exiſtere; ſed Corpus quidem ſub ſpecie panis, & Sanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem Corpus ſub ſpecie vini, & Sanguinem ſub ſpecie panis, animámque ſub vtráque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, [c] qui iam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionẽ. Quapropter veriſſimum eſt, [d] tantundem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtráque contineri. totus enim & integer Chriſtus, ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie & ſub eius partibus exiſtit.

---

## REMISSIONES.

[a] VIde P. Henriq in ſum. lib 8 cap 20. §. 3 lit. R. & cap. 26 § 2. lit. N. & R Bald. Iunium ſuper opera controuerſ Bellarm p. 2 li. 3. c 5 P. Gabr. Vaſquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 3 diſp. 186. num 5. P. Ægidi de Sacram q 76 n. 2. cum ſeqq. & q. 79 n 35 Card. Bellarm. lib •. de Euchariſt. cap 29. & 30. P Soar. tom. 3. diſp. 39. ſect 2. P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit lib. 29 num 4. & 5 Petr. Ledeſin. in ſum. p 1 tract. de Euchar. cap. 7. concl. 1.

## CPVT IV.

### *De Tranſſubſtantiatione.*

*e Lucæ 22. Ioan 6. 2. Cor. 11.*

*f c. panis de conſ. diſt. 2. c. cum Marthæ de celeb. miſ. infra Can. 2. in 2. Later. Conc.*

[a] QVoniam autem Chriſtus redemptor noſter, Corpus ſuum id, [e] quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit; ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ [f] panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis eius. quæ conuerſio conuenienter & propriè à ſancta Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiatio eſt appellata.

REMIS-

## REMISSIONES.

α Concordat text in cap Panis, de conſecrat. diſtinct. 2. ca. Cùm Marthæ, de celebrat. Miſſar. Vide P. Henriq. in ſum. p. 2 li. 8. c. 12 P. Vaſquez in 3. p. D. Thom. to. 3. q. 75. diſp. 181. P. Ægid. de Sacram. q. 75. n. 49. cum ſeqq. & à nu. 171. tom. 1. P. Valer Reginald in praxi fori pœnit li. 29. à nu. 34. P. Valent. tom. 4. diſp. 6. qu. 3 4. & 5 P. Soar. tom. 3. q. 58. Pet. Ledeſ. in ſum. p. 1. tract. de Euchariſt. cap. 6. concl. 1. cum ſeqq.

### CAPVT V.

*De cultu & veneratione huic ſanctiſsimo Sacramento exhibendo.*

α NVllus itaque dubitandi locus relinquitur, [a] quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto β *latriæ cultum, qui vero Deo debetur,* huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant: neque enim ideò minus eſt adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino, vt ſumatur, inſtitutum: nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducẽs in orbem terrarũ, dicit: [b] Et adorent eum omnes Angeli Dei. quem Magi procidentes adorauerunt; [c] quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe, Scriptura teſtatur. Declarat præterea ſancta Synodus, piè & religioſè admodum in Dei Eccleſiam [d] inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis γ *peculiari quodã & feſto die* præcelſum hoc & venerabile Sacramentũ ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, [e] ι *vtq; in Proceſsionibus reuerenter* & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtẽtur animos erga communem Dominum [f] & Redemptorem pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit victricẽ veritatẽ de

a *infrà, Can. 6.*

b *Pſalm. 96. Heb. 1. Matth. 2.*

c *Matth. 28. Luc. 24.*

d *Vrban Pap. citatus Clementinatum lib. 3. de reliq. & ven. ſanct.*

e *infrà Can 6.*

f *1. Cor. 15. Heb.*

mendacio & hæreſi triumphum agere; vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.

## DECLARATIONES.

1 *Vtq; in proceſſionibus reuerenter* ] Magis decet vt ſolemnitas Venerabilis Sacramenti celebretur in Cathedrali Eccleſia, quam in alia, ex eaque ſumi Sanctiſſimum Sacramentum, & in proceſſione per vias publicas circumferri, & ad eandem Eccleſiam referri, totiúſque rei agendæ auctoritas penes Capitulum ſit.

## REMISSIONES.

α Vide P. Ægid. de Conink. de Sacr. & cenſuris q. 73. n. 15. & qu. 76. num. 85. P. Soar. tom 3. diſp. 35 P. Valer. Reginald in praxi fori pœn li. 29 n. 37. in fin.

β *Latriæ cultu, qui vero Deo debetur.* ] Vide Repert. Inquiſit verbo Latria, Azeued. ad l. 2. n. 14. tit. 1. li. 1. nouæ Recopil.

γ *Peculiari quodam, & feſto die.* ] Concordat tex. in Clem. vnic. de Reliquijs, & venerat. Sanctor.

## CAPVT VI.

### *De aſſeruando ſacra Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.*

α β γ Conſuetudo [a] aſſeruandi in Sacrario ſanctam Euchariſtiam, adeò antiqua eſt, vt eam ſæculum etiam [b] Nicæni Concilij agnouerit. Porrò deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc vſum diligenter in Eccleſiis conſeruari, præterquam quòd cum ſumma æquitate & ratione coniunctum eſt, tum multis in [c] Conciliis præceptum inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ [d] Eccleſiæ more eſt obſeruatum. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.

a *infr. can. 7. c. ſané. de celebr. miſ c. 1. de cuſto. Euchar. c. Presbyter. de cõſ. diſt. 2.*

b *1. Nicæni fortè c. 14.*

c *Conc. Rhemen. c. 2. Conc. Lat ſub Inn. 3. ca. 26. c. præſente 93. diſt.*

d *Ancyr. c. 6. 1. Nicæn. c. 12. Carth. 4. c. 77. 78. Agathen. c. 15. & c.*

REMIS-

## REMISSIONES.

α Vide Pat. Henriq. in ſum. li 8. c.28. §. 2. lit. H. P. Ægid. de Sacr. & cenſur. q. 76. nu 85. cum ſeqq.

β *Conſuetudo aſſeruandi in Sacrario.*] Concordat tex. in cap. Sanè, de celebrat. Miſſar. c. Presbyter, de conſec. diſt. 1. c. 1. de cuſtod Euchariſt.

γ An Epiſcopus poſſit concedere licentiam aſſeruandi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia non Parochiali pro adoratione populi? Negatiuè decidit c in tribus, §. tantæ, de conſecrat. diſt. 1. Reſoluunt Rubin. deciſ. 29. Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ. p. 4 collect. 1216.

## CAPVT VII.

### *De præparatione, quæ adhibenda eſt, vt dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat.*

α SI non decet ad ſacras vllas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè; certè, quò magis ſanctitas & diuinitas cœleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano cõperta eſt, eò diligentius cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat; præſertim cùm illa plena formidinis β *verba apud* [a] Apoſtolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini. Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum: [b] *Probet* γ *ſeipſum homo.* Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi [c] contritus videatur, *abſque* δ *præmiſſa Sacramentali Confeſſione* ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. quodà Chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, ε *modò non deſit* [d] *illis copia confeſſoris. quòd ſi, neceſſitate vrgente*, ſacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quàm primum confiteatur.

a 1. Cor. 11. c. *quid ergo. c. ſancta. c. ſicut Iudas. & c. timorē de cõſ. diſt. 2.*

b 1. Cor. 1. c. *qui ſcelerate. de cõſ. diſt. 2. c. quotidie, & c panẽ. de conſ. diſt. 2. c. omnis qui. cum ſeq. de pœn. diſt. 1.*

c *& infr. can. 11.*

d *infr. can 11.*

REMIS-

## REMISSIONES.

α VIde Nauar. in man. c. 2. n. 7. cum ſeqq. & in tractat. de Orat. Miſcel. 39. nu 155. & in cap. Fratres, de pœn. diſt. 3. nu. 100. P Henriq. in ſum, li. 8. c. 34. §. 3. lit P Sayr. de Sacram. in genere li. 2. c. 47. q. 3. art. 2. P. Ægid de Sacram. & cenſur q. 80. nu. 9. cum ſeqq. P. Vaſquez in 3 p. D. Thom. tom. 3. diſ. 208. à nu. 1. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 29. nu. 98.

β *Verba apud Apoſtolum legamus* ] Conc 1. ad Corint. c. 10. verſ. 27. Relata in cap. Quid ergo, cap. Sancta. cap Sicut Iudas, ca. Timorem, de conſecr. diſt. 2.

γ *Probet ſeipſum homo.* ] Concordat text. in cap. Quotidie, cap. Qui ſceleratè, cap. Panem, de conſecr diſt 2. Vide P. Vaſquez d. to. 3 diſp. 180. num. 51. Pet. Ledeſm in ſum. p. 1. tract. de Euchar c. 10. concl. 18. verſ. *A eſta duda.*

δ *Abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat* ] An de iure diuino ſacra peccatorum lethalium confeſſio ante Euchariſtiam fieri debeat? Vide P. Azor. inſt. Moral. p. 1. li. 10. c. 31. q. 2. Petr. Ledeſm. d. tract de Euchar. c 11. concl. 8.

ε *Modo non deſit illis copia confeſſoris, quòd ſi neceſſitate vrgente, &c.* ] Vide P. Azor. d. c. 31. qu. 3. plures per Cened. ad Decret collect. 98. nu. 1. Vaſquez tom 3. diſ. 208. nu. 15.

## CAPVT VIII.

### *De vſu admirabilis huius Sacramenti.*

*a c. quid eſt. cum ſeq. c. dupliciter, &c. in illo. de conſ diſt. 2. Auguſt. contra Donat ſæpe. Proſper. in lib. ſentent.*

*b Gal. 5.*

α QVoad vſum autem, [a] rectè & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc ſanctum Sacramentū accipiendi diſtinxerunt; quoſdam enim docuerunt ſacramētaliter duntaxat id ſumere, vt peccatores: alios tantùm ſpiritaliter, illos nimirū, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viua, [b] quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatē ſentiunt: tertios porrò ſacramentaliter ſimul & ſpiritaliter; hi autē ſunt, qui ita ſe prius probant & inſtruunt, [c] vt veſtem nuptialem induti ad diuinam hanc menſam accedant. β *In ſacramentali autē ſumptione* ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à ſacerdotibus Communionem acciperent; [d] ſacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent: qui mos,

*c infr. can. 8. Matt. 22.*

*d c. relatum de conſ. diſt 1. infr. can. 10.*

a tan-

a tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, iure ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, vt omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiæ ſymbolo iam tandem aliquando conueniant & concordent, memoréſque tantæ maieſtatis, & tam eximij amoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, b qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad mãducandum; hæc ſacra myſteria Corporis & Sanguinis eius fidei conſtantia & firmitate, ea animi deuotione ac pietate & cultu credant & venerentur, vt panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint; & is verè eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam peruenire valeant, eundem c panem Angelorum, quem modò ſub ſacris velaminibus edunt, abſque vllo velamine manducaturi.

*a Heb. 5. & 7.*
*b Ioan. 6. c. 43 de conſ. diſt. 2.*
*c Pſ. 77. c. tenenda. & c. omnis. de conſ. diſt. 2.*

Quoniam autem non eſt ſatis, veritatem dicere, niſi detegantur & refellantur errores; placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubiungere, vt omnes iam agnita Catholica doctrina, intelligant quoque, quæ ab illis hæreſes caueri vitaríque debeant.

---

## REMISSIONES.

α Vide Mirand. q. 7. de Corpore Chriſti, P. Henriq. in ſum. lib. 8. c. 34. P. Vaſquez ad 3. p. B. Thomæ, tom 3 diſp. 211. à nu. 1. P. Ægid. de Conink. de Sacram. & cenſur. q. 80 art. 1. & q. 81. nu 16.

β *In Sacramentali autem ſumptione, &c.* ] Vide Beiam caſuum conſcientiæ p. 4 caſu 14 verſ. præterea.

## DE SACROSANCTO *Euchariſtiæ Sacramento.*

### CANON I.

Si quis negauerit, d in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento

*d Sup. cap. 3. Concil. Conſtantienſe.*

mento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodò eſſe in eo, vt in ſigno, vel figura, aut virtutè; anathema ſit. α

## CANON II.

*a Conc. idem damnans artic. Ioan. VViclef.*

β Si quis dixerit, [a] in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, vnà cum Corpore & Sanguine Domini noſtri IESV CHRISTI; negaueritque mirabilem illam & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè [b] Tranſſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

*b ſup. c. 4.*

## CANON III.

*c Conc. Florent. in decr. Eugen. ad Armenos. ſup. c. 3. & infr. Seſſ. 21. c. 1. de comm.*

γ Si quis negauerit, [c] in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.

## CANON IV.

δ Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantùm in vſu, dum ſumitur, non autem antè vel poſt, [d] & in Hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt Communionem reſeruantur vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema ſit.

*d ſupr. c. 3.*

## CANON V.

*e Vide Concil. Florent. ibid. ſupr. c. 2.*

ε Si quis dixerit, [e] vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire; anathema ſit.

## CANON VI.

ζ Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramēto Chriſtum vnigenitum Dei filium non eſſe [f] cultu latriæ, etiam exter-

*f ſupr. c. 5.*

externo, 1 *adorandum*, atque ideò nec feſtiua peculiari celebritate venerandum, neque in Proceſſionibus, ſecundùm laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores eſſe idololatras; anathema ſit.

## CANON VII.

η Si quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiã [a] in Sacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſariò diſtribuendam; aut non licere, vt illa ad infirmos honorificè deferatur; anathema ſit.

[a] *Supr. c. 6.*

## CANON VIII.

θ Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, ſpiritualiter tantùm manducari, [b] & non etiam ſacramentaliter ac realiter; anathema ſit.

[b] *Supr. c. 8.*

## CANON IX.

ι Si quis negauerit, [c] omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis, 2 *ſaltem in Paſchate*, ad communicandum [d] iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ; anathema ſit.

[c] *cap. omnis vtriuſque, de pœn. & remiſſ. Concil. Lat. ſub Inn. 3. c. 21. & infr. Seſſ. 14. Can. 8. de pœn.*
[d] *Conc. Lat. ſub Inn. 3. cap. 21.* Vide poſt finem huius libri.

## CANON X.

Si quis dixerit, [e] non licere ſacerdoti celebranti ſeipſum communicare; anathema ſit.

[e] *Supr. c. 8.*

## CANON XI.

κ Si quis dixerit, [f] ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit. Et, ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur; ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis grauat, [g] quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædi-

[f] *Supr. c. 17.*
[g] *Supr. c. 7.*

prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

## DECLARATIONES.

1 *Adorandum.*] Non licet Sanctam Euchariſtiam ad eos ægrotantes deferre qui morbi grauitate impediti ſumere eam non poſſunt, vt ſcilicet ipſi infirmi venerationis gratia eam deoſculentur : & ſi fortè aliquo in loco talis eſt conſuetudo, ea prorſus eſt tollenda. vel ſic. Sanctiſſimum Sacramentum ad infirmos deferendum eſt, vt illud ſumant, non autem vt adorent tantùm, ſicuti fit in aliquibus locis; quod Pius V. prohibuit.

2 *Saltem in Paſchate.* ] Quærebatur, ſtante priuilegio Minoribus & aliis Religioſis conceſſo, vt omni tempore (præterquam in die Dominicæ Reſurrectionis) poſſit ab illis Euchariſtia ſumi, an qui ab eis intra Dominicam in Albis Euchariſtiam perceperunt, præcepto, de quo in ca. *Omnis, de pœnitentia & remiſſione* ſatisfecerint? Congregatio die 23. Ianuarij 1586. cenſuit negatiuè, quia d. c. *Omnis* ſicut vult, quòd quis proprio Parocho confiteatur, ita à proprio etiam Euchariſtiam ſumat: & quia ſubdit, *niſi fortè de proprij ſacerdotis conſilio duxerit abſtinendum ab Euchariſtia*, ab eodem recipi debet Euchariſtia; eius enim eſt deſtruere, cuius eſt condere, *l. vlt. Cod de leg. Alex. ibid. nu.* 13 Eo magis, quod tunc Religioſi non poterant hoc Sacramentum miniſtrare. Card. *in Clem. 1. n. 2. de priuil.*

Dubitatur rurſum, An eis, qui infra dictum tempus, de manu Parochi Euchariſtiam acceperunt, & ſic præcepto Eccleſiæ ſatisfecerunt, vel intentionem habent, priuſquam labatur octaua Paſchatis, de manu Parochi eam ſumere, licitum ſit ipſo Reſurrectionis die ex religioſorum manu communicare? Congregatio die 23. Ianu. 1586. cenſuit id non eſſe licitum, cùm ſit expreſsè prohibitum, Nauar manualis c. 21. n. 52. Itaque in Paſchate ſumenda eſt Euchariſtia in propria Parochia: nec excuſatur ſumens in hebdomada ſancta, vel immediatè poſt Paſcha extra eam.

Famuli quoque ſeculares in monaſteriis Regularium Ord. Ciſtercienſis habitantes non ſunt cogendi accedere ad Eccleſiam Parochialem, nec ibi Sacramenta accipere, niſi tempore Paſchali Reſurrectionis D. N Ieſu Chriſti. Ita in vna deciſione data Epiſcopo Tornacenſi die 20. Febr. 1576.

## REMISSIONES.

### Canon I.

α VIde Pat. Henriq. in ſum. li. 8. c 20. §. 4. in princip. Val diſp. 6. qu. 3.

qu 3.Pat.Ægid. de Conink.de Sacram.& cenſur.q.75.n,3.Pet.Ledeſ. in ſum.p.1 tract.de Euchariſt.c.1 concl.5.

β CANON II. Vide P.Henriq. in ſum.l.8.c.30.§.2.lit.I.Pat. Vaſquez in 3.p.D.Thomæ tom.3.diſp.180.num 108.& diſp. 194.n. 4.Pat.Ægid.de Sacram q.75.n.49 & nu.171 & qu 77.art.1 P.Valer. Reginald.in praxi fori pœnit li 29.n 36.Pet Ledeſm.de tract.de Euchar.c.6 con 2. & 3.

γ CANON III. Vide P.Henriq.in ſum.li.8.c.27.§.4.lit K.P. Ægid.de Sacram & cenſuris q.74.n.5.& n.191.& q.75.n.49.& 168. & q.76.nu.32 Pat.Vaſquez tom.3.diſp.188.n 2.& 15. P. Valer. Regin.d.lib 29.nu.37.

δ CANON IV. Vide P.Henriq.in ſum.li 8.c.29. in princip lit. C. Bald.Iun.ſuper opera controu.Bellarm p.2.li.3.c. 5.P. Ægid.d.q. 74.num.26.

ε CANON. V. Vide P.Henriq. in ſum.lib.8 c.26.in principio lit B,P.Ægid,de Sacramentis qu.79.nu 53 P.Vaſquez d.tom 3.diſp. 205.num.2.

ſ CANON VI. Vide Can.lib.5 de locis Theolog. cap.5 col 144. & lib.12 cap.11 colum 441. Pat. Henriq in ſum.lib. 8.ca.32.§.3.lit. D.& cap.42.§.2 lit.H P. Ægid de Sacrament.tom. 1. qu.76.n.86.P. Valer Reginald.in praxi fori pœnit.lib.29.nu.37.in fine, P.Soar to. 3.diſp 65.

ζ CANON VII. Vide Bald.Iunium ſuper opera controu.Bellar. p.2.li.3 c.5.

θ CANON VIII. Vide P. Vaſquez in 3. p.D.Thom.tom.3.diſp. 212.n 3.

ι CANON IX. Vide P. Ægid.de Coninck.de Sacrament.& cenſuris qu.80.n.102.cum ſeqq.P.Valer.Reginald. in praxi fori pœnit. li.29 nu.57 in fin.

κ CANON X. Vide Sotum in 4.diſt. 12.qu.5.art.4 col.14.Can. de locis Theolog.lib.3.col.189.ad fin.cum ſeqq.P. Ægid de Sacram. tom.1.q.80.nu.5 cum ſeqq.P Azor.inſt.moral. par. 1. li.10. cap 31. col.1040 P.Soar.tom 3,diſp.66 ſect.3.verſ.Sed quæres,P. Valer Reginal.in praxi fori pœnit. li.20. nu.53.

## DECRETVM DE REFORMATIONE.

### CAPVT I.

*Datur forma, qua Epiſcopi debent reſidere, ſubditos cum prudẽtia corrigere, à cuius viſitatione nemo appellet, &c.*

EAdem ſacroſancta Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato &

α Núciis, intendens nonnulla ſtatuere, quę ad iuriſdictionem pertinent Epiſcoporum, vt iuxta proximæ Seſſionis decretum, illi in commiſſis ſibi Eccleſijs eò libentius reſideant, quò facilius & commodius ſibi ſubiectos regere, & in vitę ac morum honeſtate continere potuerint; illud primùm eos admonendos cenſet; [a] *β vt ſe paſtores, non percuſſores eſſe meminerint*, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non in eis dominentur, ſed illos tanquam filios & fratres diligant; elaborentq́, vt hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur. Quos tamen, ſi quid per humanam fragilitatẽ peccare cõtigerit, [b] illa Apoſtoli eſt ab eis ſeruanda præceptio; vt illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cùm ſæpè plus erga corrigẽdos agat beneuolentia quàm auſteritas, plus exhortatio quàm comminatio, plus caritas quàm poteſtas. Sin autẽ ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibẽda eſt; vt ſine aſperitate diſciplina populi ſalutaris ac neceſſaria conſeruetur; & qui correcti fuerint, emendentur; aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri, ſalubri in eos animaduerſionis exemplo, à vitijs deterreãtur: cùm ſit diligentis & pij ſimul paſtoris officium, morbis ouium leuia primùm adhibere fomẽta; pòſt; vbi morbi grauitas ita poſtulet, [c] ad acriora & grauiora remedia deſcendere; ſin autem ne ea quidem proficiant illis ſubmouendis: cæteras ſaltem oues à contagionis periculo liberare. [d] Cùm igitur rei criminũ plerúmque ad euitãdas pœnas & Epiſcoporum ſubterfugienda iudicia, quærelas & grauamina ſimulent, & appellationis diffugio iudicis proceſſum impediant, ne remedio, ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque vt huiuſmodi eorũ calliditati, & tergiuerſationi occurratur, ita ſtatuit & decreuit: [e] 1 *γ In cauſis viſitationis & correctionis*: ſiue habilitatis & inhabilitatis, necnon criminalibus, ab Epiſcopo ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali, ante definitiuam ſententiam, *δ ab interlocutoria*

*vel*

a *Tit. 1. 1. Tim. 3. 1. Pet. 5. diſt. 46. in prin. diſt. 94. c. vlt. diſt. 95. c. eſto ſubiectus.*

b *1. Tim. 4.*

c *c. reſecanda & c. corripiantur 24 q. 1.*

d *c. cum ſpeciali § porro, de elect.*

e *Infr. Seſſ. 22. c. 1. & 24 c. 20. de ref.*

*vel alio quocũq; grauamine,* 2 *non appelletur:* ε ζ η *&c. nec Epiſcopus ſeu Vicarius appellationi huiuſmodi, tãquã friuolæ, deferre teneatur;* ſed ea ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnon omni ſtylo & conſuetudine, etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad vlteriora valeat procedere:a 3 *niſi grauamen* huiuſmodi per definitiuam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiua appellari non poſſit: quibus caſibus ſacrorum & antiquorum Canonum ſtatuta illibata perſiſtant.

a *c. vt debitus, de appel. cum ſim.*

---

## DECLARATIONES.

1 *In cauſſis viſitationis & correctionis.*] Appellatio à correctione non eſt admittenda per Metropolitanum ante diffinitiuam ſententiam, etiam ſi Metropolitanus acta ſolùm videre vellet expenſis appellantis tranſportanda.

2 *Non appelletur.*] Appellatio à diffinitiua in cauſſa correctionis nõ ſuſpendit executionem. Itaq; in nonnullis caſibus, veluti in materia correctionis morum, vbi Cõcilium expreſsè ſuſtulit appellationem, ſublatam intellige quoad effectũ ſuſpenſiuũ, non autẽ deuolutiuũ.

3 *Niſi grauamen*] Non eſt inhibendum Epiſcopis in aliqua cauſſa, quæ ſit coram eis in prima Inſtantia, nec deferendum appellationibus, niſi appellatum fuerit à diffinitiua, vel interlocutoria habente vim diffinitiuæ, cuius grauamen per appellationem à diffinitiua non poſſit reparari.

Poſt diffinitiuam ſententiam in cauſſis viſitationis & correctionis appellari poteſt ita tamen, vt appellatio non ſuſpendat executionem, niſi grauamen ſit huiuſmodi, vt eſt infrà.

---

## REMISSIONES.

α Vide Fr. Emman. quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 40 art. 1.

β *Vt ſe paſtores, non percuſſores eſſe meminerint*] Epiſcopi perpendere debent ſumma diligentia, & pietate textum in præſenti, & infr. ſeſſ. 24. c. 3. & ſeſſ. 25. c. 1 de Reform. & c. Eſto ſubiectus, & c. Epiſcop. cum ſequentibus 92. diſt.

γ *In cauſis viſitationis, &c*] Vide infr. ſeſſ. 24. c. 10. Nauar. in Man c. 18 & 25. nu. 14 cum ſeq. & in Rub de iud. notab. 9 num 83. Thom Valaſc. to. 1. alleg. 70 n. 4.

δ *Ab interlocutoria, vel ab alio quocumque grauamine non appelletur*] Quando grauamen illatũ per illam non poteſt tolli per appellationem à diffinitiua, poſſe appellari docet Nauar. conſ. 2 de appellat. quòd poteſt etiam appellari ex rationabili cauſa, & in appellatione expreſſa, habetur in c. Vt debitus, de appellat. ca Cùm appellationibus friuolis, eod. tit. lib. 6. Vide tamen Soar. de Paz. in praxi tom 1.

p 5. cap. vnic. num. 3. Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Archiepiſcopi auctoritas, verſ. Primò quæro, pag 65. vbi reſoluit, quòd non poteſt appellari ab interlocutoria in ſcriptis, & expreſſa cauſa iuſta, ex hoc decreto, licèt olim ante Concilium attento iure, liceret.

ι *Nec Epiſcopus ſeu Vicarius Appellationi huiuſmodi tanquam friuola deferre teneatur.*] Sacra Cardinalium Congregatio ita cenſuit. Archiepiſcopus non debet ſe ingerere in prima inſtantia cauſarum, quæ agitantur coram eius ſuffraganeo. Et iterum: Non eſt inhibendum Epiſcopus in aliqua cauſa, quæ ſit coram eis in prima inſtantia, nec deferendum appellationibus, niſi in illis tribus caſibus, de quibus ſuprà adeſt bulla Gregor. XIII quæ eſt 24. fol. 1210 in Bullario, & prædictas Cardinalium deciſiones refert Zerol in praxi Epiſc. verbo Appellatio, verſ. Ad decimum.

ζ Sacram Cardinalium Congregationem definiſſe, Metropolitanum non poſſe cognoſcere, etiam citra præiudicium curſus cauſæ coram Epiſcopo, neque ad eum effectum etiam abſq; vlla inhibitione poſſe ſimpliciter mandare, vt ſibi tranſmittatur copia proceſſus expenſis appellantis, extra caſus à prædicto Cõcilio expreſsè conceſſos appellandi, refert Stephan. Quaran in ſum. Bullar. verbo Archiepiſc. auctoritas verſ. Primò quæro, p. 65.

ν In hac deniq; appellationis materia extat decretum Sacræ Congregationis prolatum die 16 Octobr. anno 1600. Alex. Card. Floren. Hierony. Agucchius Secret. cuius tenor ſequens eſt.

θ Ad tollendas ambiguitates, & controuerſias iuriſdictionales, quę inter appellationum, & prioris inſtantiæ iudices non ſine partium diſpendio, curſuq; iuſtitiæ impedimento, & ſæpè cum ſcandalo, oriuntur, ſacra Congregatio cauſis Epiſcoporum præpoſita, facta prius relatione S. D. N. Clem. Papæ, ac de ſanctitatis ſuæ mandato viuæ vocis oraculo deſuper habito, in hunc, qui ſequitur, modum ab omnibus, ad quos ſpectat in poſterum fieri, ac ſeruari debere mandauit, & mandat.

ι Metropolitani, Archiepiſcopi, Primates, aut patriarchæ ſuffraganeos, eorúmve ſubditos nõ iudicẽt, niſi in caſibus à iure expreſſis.

κ Iidem, nec alij ſuperiores etiam Nuntij, vel Legati de latere ſpecificam facultatem maiorem non habentes, cauſas in curiis Ordinariorum, vel aliorum inferiorum iudicum pendentes ad ſe non aduocent: niſi per viam legitimæ appellationis ad ipſorum tribunalia deferantur, tuncq; appellantes ab inferiorum iuriſdictionibus, quoad alias cauſas eximere non poſſint.

λ Appellationes nunquam recipiantur, niſi per publica documenta, quę realiter exhibeantur, priùs conſtiterit appellationem à ſentẽtia diffinitiua, vel habente vim diffinitiuę aut à grauamine, quod per diffinitiuam ſententiam reparari non poſſit, in caſibus à iure non prohibitis per legitimam perſonam, & intra debita tempora fuiſſe interpoſitam, ac proſequutam.

11 Nec

11 Nec dum cauſæ coram inferioribus iudicibus pendent, ante diffin[illegible]iuam ſententiam, vel vim diffinitiuæ habente, de grauamine illato, ſuperiores cognoſcere valeant, licèt citra præiudicium curſus cauſarum ſe id facere conteſtentur. Nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut ſimpliciter mandare, vt ipſis copia proceſſus tranſmittatur etiam expenſis appellantis.

μ Inhibitiones poſt appellationem, ſicut præmittitur, receptam non concedantur, niſi cum inſcriptione tenoris ſententiæ, aut decreti diffinitiui, aut vim diffinitiui habentis, vel damnum per diffinitiuã irreparabile continentis: alias inhibitiones, & proceſſus, & inde ſequuta quæcunque ſint ipſo iure nulla, eiſque impunè non parere liceat.

ν Si appellans aſſerat ſententiæ, aut appellationis exemplum culpa iudicis à quo, vel actuarij habere non poſſe, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, ſed eis tantùm, ad quos pertinet, iniungi poterit, vt ſoluta condigna mercede actorum exẽplum authenticum appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur. Caueat tamen Iudex à quo, niſi verè appellatum fuerit in cauſa appellabili, interim aliquid in præiudicium appellantis attentet. Et ſi per actum publicum, aut per teſtium depoſitiones conſtiterit acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta poſſit iudex appellationis adijcere, ne interim aliquid noui contra appellantem intentetur.

ξ Ab executione decreti S Concilij Trident aut viſitationis Apoſtol. appellationes à Metropolitanis non recipiantur, nec, ſi Epiſcopi virtute eiuſdem Sacri Concilij procedant, vt Sedis Apoſtol. delegati in cauſis, quæ ſub eorum iuriſdictione ordinaria non comprehenduntur, ſalua tamen in hoc caſu Legatorum, & Nuntiorum Apoſtol. auctoritate.

ο In cauſis verò viſitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum deuolutiuum tantùm admittantur. niſi de grauamine per diffinitiuam irreparabili agatur, vel cùm viſitator citata parte, & adhibita cauſæ cognitione iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum ſuſpenſiuum.

π Cùm à grauamine, quod per diffinitiuam reparari nequit, vt indebitæ carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis etiam comminatæ appellatur, non niſi viſis actis, ex quibus euidenter appareat de grauamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel prouiſio aliqua concedatur.

ρ Cauſa appellationis, dum pendet, appellans in eodem quo reperitur carcere, permanebit, quoad iudex, ad quem appellatum eſt, viſis actis, & cauſa cognita, aliter decreuerit: & tunc ſi à iudicis ad quem decreto vim diffinitiuæ habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro ſui decreti executione attentare poterit, donec per iudicem ſuperiorem aliud fuerit ordinatum.

*e* Acta originalia proceſſuum primæ inſtantiæ ad iudicem appellationis notarius mittere non cogatur, niſi probabilis aliqua falſitatis cauſa, & ſuſpicio incidat, quæ iudicialiter obijciatur; & tunc terminata cauſa, remittenda ſunt ad Ordinarium, vt in ſuo archiuo conſeruentur.

*f* A ſententia diffinitiua contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur: nec inhibitio, aut alia quæuis prouiſio quandiu appellans in huiuſmodi vera contumacia perſtiterit, concedatur.

## CAPVT II.

### *In criminalibus appellationis cauſa à ſententia Epiſcopi, quando Metropolitano, & quando vni ex viciniorıbus ſit committenda, eorúmve Vicarijs, & non inferioribus*

A Sententia Epiſcopi, vel ipſius in ſpiritualibus Vicarij generalis, in criminalibus appellationis cauſa, vbi appellationi locus fuerit, ſi Apoſtolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, 1 *Metropolitano, ſeu illius etiam Vicario* in ſpiritualibus generali; aut, ſi ille aliqua de cauſa ſuſpectus foret, vel vltrà duas legales diætas diſtet, ſeu ab ipſo appellatum fuerit, 2 *vni ex viciniorıbus Epiſcopis*, ſeu illorum Vicariis, non autem inferioribus iudicibus, committatur.

## DECLARATIONES,

1. *Metropolitano, ſeu illius etiam Vicario*] Fuit dubitatum, An Legati ſeu Nuncij Apoſt. poſſint committere iſtas cauſſas ſuis Auditoribus, vt illas viderent tanquam Iudices delegati? Fuit reſolutum die 6. Octobr. 1588. non poſſe: & fuit allegatum cap. 10. ſeſſ. 25. de Reform.

2 *Vni ex viciniorıbus Epiſcopis.*] An ſit à Decretis & ſententiis Ordinarij, qui etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus ex Decreto Concilij proceſſit, interponenda appellatio coram Ordinario, vel potius ad Sedem Apoſtolicam appellandum? Et fuit reſolutum, appellandum eſſe ad Metropolitanum, quia Concilium videtur coadiuuare, non autem de nouo dare.

Die 24 Maij, 1590 Congregatio cenſuit, ſententias latas ab Auditoribus Nunciorum Sanctiſſimi in cauſſis appellationum, in criminali nullas eſſe; nec propter vtilitatem publicam, & communem partium errorem ſuſtineri.

CA-

## CAPVT III.

*Acta primæ inſtantiæ intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.*

a REus, ab Epiſcopo, aut eius Vicario in ſpiritualibus generali, in criminali cauſa appellans, coram iudice, ad quem appellauit, 1 *acta primæ inſtantiæ* omnino producat: & iudex, niſi illis viſis, ad eius abſolutionem minimè procedat. Is autem, à quo appellatum fuerit, intra xxx. dies acta ipſa poſtulanti 2 *gratis exhibeat*: alioqui abſque illis 3 *cauſa appellationis* huiuſmodi, pro vt iuſtitia ſuaſerit, terminetur.

## DECLARATIONES.

1 *Acta primæ inſtantiæ.*] Conſtito de contumacia Iudicis à quo, recuſantis exhibere acta, partes erunt Iudicis, ad quem appellatum eſt, abſoluere partem appellantem à moleſtationibus, & pronunciare acta & ſententiam Iudicis à quo, ſi vnquam reperiuntur, caſſa eſſe & vana.

Carcerati ſine proceſſu appellatio à Metropolitano cognoſci poteſt, dummodo non impediat executionem: carceratus tamen non eſt per iudicem appellationis, niſi cauſa cognita, relaxandus.

2 *Gratis exhibeat.*] Gratis exhibenda ſunt acta in cauſſa criminali, confecta per Cancellarium Epiſcopi aut ipſummet Epiſcopum: ſecus ſi per Notarium, cui ſoluenda eſt merces, iuxta *c.20.ſeſſ.24*

3 *Cauſa appellationis.*] Congregatio cenſuit, Epiſcopum, ad quem appellatum fuerit, excommunicatum coram ſe comparentem ad cautelam poſſe abſoluere; viſis tamen actis, quibus Iuriſdictio ſua fundetur, quamuis alias de cauſſæ meritis non cognoſcat diffinitiue: tamen non niſi viſis omnibus actis primæ inſtantiæ poſſe, iuxta hoc cap. ſententiam ferre.

## REMISSIONES.

a Vide Soarez de Paz. in praxi tom.2 p.5.c vnic n.14.

## CAPVT IV.

*Si à iure requiſiti Epiſcopi certo numero non poſſunt aſſiſtere Epiſcopo deponenti ac degradanti Clericum, aſſiſtant totidem Abbates certi, eiuſdem diœceſis: quibus aſſiſtere non valentibus, adſiſtant perſonæ alioquin in dignitate conſtitutæ, &c.*

a CVm verò tam grauia nonnunquam ſint delicta, a ab Eccleſiaſticis cõmiſſa perſonis, vt ob eorũ atro-

a *Carth.10. Vide 3 q 2. c ſuggero. & 15 q.7.c. Felix Epiſcop.*

citatem è ſacris Ordinibus deponendæ, & curiæ ſint tradendæ ſæculari: in quo [a] ſecundùm ſacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur; [b] quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita iuris executio differretur: ſi quando autem interuenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur: propterea ſtatuit & decreuit: Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicarium in ſpiritualibus generalem, contra Clericum, in ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem, & per ſeipſum etiam ad actualem atque ſolemnem degradationem ab ipſis Ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia, in numero à Canonibus definito, requiritur, etiam abſque illis procedere liceat: adhibitis tamen & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, vſum mitræ & baculi ex priuilegio Apoſtolico habentibus, ſi in ciuitate aut diœceſi reperiri & commodè intereſſe poſſint; alioquin alijs perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graues, ac iuris ſcientia commendabiles exiſtant.

*a 2. Hiſpal. c 6.*
*b c. ſi quis, cum ſeq. 14. q. 7. c. degradat. de pœn. in 6.*

---

## REMISSIONES.

VIde Salzed. in pract. c. 3. n. 7 P. Henriq in ſum. li. 13. c 55 § 2. P. Valer. Reginal. in praxi fori pæn. li 31. tract. 2. nu. 52.

## CAPVT V.

*Gratias mendacijs aut taciturnitate extortas pro remiſſione peccati aut pœnæ, ad quam criminoſus fuerat condemnatus, reuocet is qui gratiam feciſſe videbatur.*

ET quoniam per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit, vt nonnulli eiuſmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ, illis Epiſcoporũ iuſta ſeueritate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur; cùm non ferendum ſit, vt mendacium, quod tan-

tantopere Deo diſplicet, non modò ipſum [a] impunitum ſit, verùm etiam alterius delicti veniam impetret mentienti: idcircò, vt ſequitur, ſtatuit & decreuit: Epiſcopus apud Eccleſiam ſuam reſidens, de ſurreptione & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicuius publici criminis, vel delicti, de quo ipſe inquirere cœperat, aut remiſſione pœnæ, ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerit, falſis precibus impetratur per ſeipſum, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, [b] etiam ſummariè cognoſcat; ipſamq́ue gratiam, poſtquam per falſi narrationem aut veri taciturnitatem obtentam eſſe legitimè conſtiterit, non admittat.

*a Exod. 23. Leuit. 19. Prou. 6. 8. 10. 12. & 19. c. ſi quis dixerit. cum ſeq. & c. nemo peritorum. 11. q. 3.*

*b c. ſuper literis. & c. cum dilecta. de reſcr.*

## CAPVT VI.

*Epiſcopus nequaquam moueatur aut citetur vt perſonaliter compareat, niſi ob cauſam ex qua deponendus aut priuandus veniret.*

QVoniam verò ſubditi Epiſcopo, [c] tametſi iure correpti fuerint, magnopere tamen eum odiſſe, & tamquam iniuria affecti ſint, falſa illi crimina obiicere ſolent; vt quoquo pacto poſſint, ei moleſtiam exhibeant; cuius vexationis timor plerumq́ue illum ad inquirenda & punienda eorum delicta ſegniorem reddit: idcircò, ne is magno ſuo & Eccleſiæ incommodo gregem ſibi creditum relinquere, ac non ſine Epiſcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita ſtatuit & decreuit: [d] [a] *Epiſcopus, niſi ob cauſam*, ex qua deponendus ſiue priuandus veniret, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denunciationem, vel accuſationem, ſiue alio quouis modo procedatur, vt perſonaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

*c c. ſunt nonnulli. 2. q. 7.*

*d Vide Seſſ. 24. c. 5.*

---

REMISSIONES.

[a] E*Piſcopus niſi ob cauſam* ] Vide Iacob. lib. 22. de officio Vicarij li. 2. quæſt. 59 num. 1. & 2 Clar. in § fin. q. 35. verſ. Vlteriùs quæro. Stephan. Grat. diſcept. for. cap. 169 num. 15.

## CAPVT VII.

*Qualitates teſtium contra Epiſcopum deſcribuntur; iiſq; carentes puniuntur.*

a c. accuſatio quoque, c. accuſatio Epiſcoporũ, c. teſtes. 2. q 7. & c. vlt. 2. q. 5. Conc Rom. ſub Silueſt 1. iuxta Anacleti Pap. Epiſt 2. & Cartah. 2 c. 6. & Carthga. 4. c. 96. & Sixt. III. Epiſt 3. c. 3.

α TEſtes a in cauſa criminali ad informationẽ, vel iudicia ſeu aliàs in cauſa principali contra Epiſcopũ, niſi conteſtes, & bonæ conuerſationis, exiſtimationis & famæ fuerint, non recipiantur; & ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, grauibus pœnis mulctentur.

## CAPVT VIII.

β CAuſæ Epiſcoporum, cùm pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Max. referantur, ac per ipſum terminentur.

---

## REMISSIONES.

α β VIde Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſ 41. n. 5. vbi reſoluit, Concilium in præſenti dum definit, quòd Epiſcopus niſi ob cauſam, ob quam deponendus, ſeu priuandus venerit. vel perſonaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur, intelligendum eſſe de Epiſcopis non reſidentibus; quia illi poſſunt citari, ſeu moneri ad comparendum, ob cauſam ob quam veniant deponendi, ſeu priuandi Epiſcopi autem reſidentes, etiamſi ſit cauſa atrociſſima, vt pote hæreſis, aut læſæ maieſtatis, minimè citari poſſunt ad perſonaliter comparendum, per quoſcunque iudices ordinarios, vel delegatos, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales; niſi de expreſſa, ac ſpeciali commiſſione manu Papæ ſignata.

### *Decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de Sacramento Euchariſtiæ, & ſalui conductus, Proteſtantibus dandi.*

EAdem ſancta Synodus errores omnes, qui ſuper hoc ſanctiſſimo Sacramento repullularunt, tamquã vepres ex agro Dominico euellere, ac omnium fidelium ſaluti proſpicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti piè oblatis, inter alios, ad hoc Sacramentũ pertinentes, articulos, diligentiſſima veritatis Catholicæ inquiſitione tractatos, plurimis accuratiſſimiſque pro

rerum

rerũ grauitate diſputationibus habitis, cognitis quoque præſtantiſſimorum Theologorum ſententiis, hos etiam tractabat: An neceſſarium ſit ad ſalutem, & diuino iure præceptum, vt ſinguli Chriſti fideles ſub vtráque ſpecie ipſum venerabile Sacramentum accipiant. Et: Num minus ſumat qui ſub altera, quàm qui ſub vtráque communicat. Et: An errauerit ſancta mater Eccleſia, laicos, & non celebrantes ſacerdotes, ſub panis ſpecie dumtaxat communicando. Et: An paruuli etiam communicandi ſint. Sed quoniam ex nobiliſſima Germaniæ prouincia ij, qui ſe Proteſtantes nominãt, ſuper his ipſis articulis, antequã definiantur, audiri à ſancta Synodo cupiunt, & eã ob cauſam fidem publicã ab illa poſtularunt, vt ipſis tutò huc venire, & in hac vrbe commorari, ac liberè coram Synodo dicere atque proponere quæ ſenſerint, & poſteà, cùm libuerit, recedere liceat: ſancta ipſa Synodus, licet magno deſiderio eorum aduentum multos anteà menſes expectarit, tamen, vt pia mater, quæ ingemiſcit & parturit, ſummopere id deſiderãs ac laborãs, vt in iis, qui Chriſtiano nomine cenſentur, nulla ſint ſchiſmata, ſed quemadmodum eumdẽ omnes Deum & Redemptorẽ agnoſcunt, ita idem dicant, idem credant, idem ſapiant; confidens Dei miſericordia, & ſperans fore, vt illi in ſanctiſſimam & ſalutarẽ vnius fidei, ſpei, caritatíſque concordiã rediganfur, libenter eis in hac re morem gerens, ſecuritatem & fidem, vt petierunt, publicam, quam ſaluũ conductum vocant, quo ad ſe pertinet, eius, qui infrà ſcriptus erit, tenoris, dedit atque cõceſſit; & eorũ cauſa definitionem illorum articulorum ad ſecundam Seſſionẽ diſtulit; quã, vt illi cõmodè intereſſe poſſent, in diem feſtũ Conuerſionis D. Pauli, quæ erit vigeſima quinta die menſis Ianuarij, anni ſequentis, indixit. Illudque præterea ſtatuit, vt in eadem Seſſione de Sacrificio Miſſæ agatur, propter magnam vtriúſque rei connexionem: intereà Seſſione proxima de Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramentis tractandum. illam autem die feſto D. Catharinæ Virginis & Martyris, qui erit vigeſima quinta

No-

Nouembris, habendam eſſe decreuit, ſimúlque vt in vtráque materiam reformationis proſequatur.

## SALVVS CONDVCTVS DATVS PROTESTANTIBVS.

SACROSANCTA generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato & Nunciis, omnibus & ſingulis, ſiue Eccleſiaſticis ſiue ſæcularibus perſonis vniuerſæ Germaniæ, cuiuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, qualitatis ſint, quæ ad œcumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint, vt de iis rebus, quæ in ipſa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipſum œcumenicum Concilium liberè & tutò venire, & in eo manere & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam ſcripto quàm verbo, offerre, proponere, & cum Patribus, ſiue iis qui ab ipſa ſancta Synodo delecti fuerint, conferre, & abſque vllis conuiciis & contumeliis diſputare, necnon quando illis placuerit, recedere poſſint & valeant, publicam fidem & plenam ſecuritatem, quam ſaluum conductum appellant, cum omnibus & ſingulis clauſulis & decretis neceſſariis & opportunis, etiam ſi ſpecialiter & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expreſſis haberi voluit, quantum ad ipſam ſanctam Synodum ſpectat, concedit. Placuit præterea ſanctæ Synodo, vt, ſi pro maiori libertate ac ſecuritate eorum, certos tam pro commiſſis quàm pro committendis per eos delictis iudices eis deputari cupiant, illos ſibi beneuolos nominent, etiam ſi delicta ipſa quantumcumque enormia, ac hæreſim ſapientia fuerint.

# SESSIO DECIMAQVARTA,

## QVÆ EST QVARTA SVB IVLIO III. PONTIF. MAX.

## CELEBRATA DIE XXV. NOV. M. D. LI.

*Doctrina de ſanctiſſimis Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramentis.*

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato & Nunciis, quamuis in decreto de [a] Iuſtificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus: tanta nihilominùs circa illud noſtra hac ætate diuerſorum errorũ eſt multitudo, vt non parum publicæ vtilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe; in qua demonſtratis & conuulſis, Spiritus ſancti præſidio, vniuerſis erroribus, Catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret; quam nunc ſancta hæc Synodus Chriſtianis omnibus perpetuò ſeruandam proponit.

*a Suprà Seſſ. 6. cap. 14.*

---

### REMISSIONES.

a DE Pœnitentiæ Sacramento bene ſcripſerunt Theologi cum Magiſtro in 4. diſt. 14. D. Thom. p. 3. q. 84. Vbi P. Ægidi. de Conink. in tract. de Sacram. diſp. 1. cum ſequentibus doctiſſ. P. Soar. tom. 4. de Pœnit. Petr. de Ledeſm. in ſumma part. 1. tractat. de Pœnitentia, Viuald. in Candelabro Aureo de Sacrament. Pat. Valeri Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 29. Cardin. Bellarm. de Pœnit. Pat. Henriq. in ſumma lib. 4. Gregor. de Valentia, tom. 4. diſput. 7. quæſt. 3. cum tribus ſequent. P. Luc. Pinell. de Sacrament. Pœnitentiæ.

### CAPVT I.

*De neceſſitate & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.*

a SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam, in Baptiſmo ipſius beneficio & gra-

gratia ſuſceptam, conſtanter tuerentur; non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmó Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. [a] Quoniam autẽ Deus, diues in miſericordia, cognouit figmentum noſtrum; illis etiã vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſteà in peccati ſeruitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ; quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficiũ mortis Chriſti applicatur. [b] Fuit quidem Pœnitentia vniuerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui petiuiſſent, vt, peruerſitate abiecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur. vnde Propheta ait: [c] Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: [d] Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus Baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: [e] Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm. Porrò nec ante aduentum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante Baptiſmum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens: [f] Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorũ legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorũ Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Nouatianos, remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica, tamquam hæreticos exploſit atque condemnauit. Quare veriſſimum hunc illorũ verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum cõmentitias interpretationes, qui

*a infrà Can. 1. Pſa 102. Eph. 2. Sic Inn. I. Epiſt. 91. inter Epiſt. Aug. Nãquã‑nis redemiſſet, &c. & Cyprianus ab Aug. citatus, lib 2. contra Iulian. c. 8. Quàm benigna, quã neceſſaria.*

*b ſupra Seſſ. 6. c. 14. de iuſtif. Conc. Cabil. c. 8.*

*c Ezech. 18.*

*d Luc. 13.*

*e Act. 2. c. agunt, &c. Propriè, de conſ. diſt. 4.*

*f Ioan. 20. Matth 16. c. vt cõſtitueretur. 50. diſt. & infrà cap. 8. in fin. & Can. 3.*

qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annunciandi, contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.

---

## REMISSIONES.

α Vide Sayr. de Sacram. in genere lib. 1. cap. 2. q. 1. art. 1. verſ. de Pœnitentiæ Sacramento. P. Gabr. Vaſquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 2. diſp. 135. n. 10. P. Ægid de Conink. de Sacr. & cenſur. tom. 1. q. 66. n. 140. P. Valer. Regin in praxi fori pœn. lib. 28 n. 39. cum ſeqq.

## CAPVT II.

### *De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptiſmi.*

α Æterum hoc Sacramentum [a] multis rationibus à Baptiſmo differre dignoſcitur. nam præterquam quòd materia & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet: conſtat certè, Baptiſmi miniſtrum iudicem eſſe non oportere; cùm Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. [b] Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, iudicare? Secùs eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus [c] lauacro Baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit: nam hos, ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tamquam reos, ſiſti voluit: vt per ſacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Alius prætereà eſt Baptiſmi, & alius Pœnitentiæ fructus. per Baptiſmum enim Chriſtum [d] induentes, noua prorſus in illo efficimur creatura, plenã & integram peccatorum omnium remiſſioné conſequentes: ad quam tamen nouitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, diuina id exigente iuſtitia, peruenire nequaquam poſſumus: β *vt meritò Pœnitentia laborioſus* quidam Baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit. *Eſt* γ *autem*

a *ſuprà Seſſ. 6. de iuſtif. c. 14. & infra Can. 4.*

b *1 Cor. 5. in fin. c. multi 2. q. 1 c. gaudemus, de diuor.*

c *1. Cor. 12 b. c. verbum, de pœnit. diſt. 1.*

d *Galat. 5.*

*tem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium*, vt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.

## REMISSIONES.

α Vide P. Ægid. de Conink de Sacram. & cenſur. q. 68 art. 3. nu. 41. Gregor. de Valentia, tom. 4 diſput. 7 q. 1 puncto. 5. P. Soar. tom. 4. diſp. 17 ſect. 1. § Secunda veritas Fidei, P. Valer. Regin in praxi fori pœn. lib. 28 n. 38.

β *Vt meritò Pœnitentia laborioſus, &c.* ] Vide Nau. in cap. vlt. de pœn. diſt. 7 §. Quod quamuis. nu. 10. & 11. Sayr. de Sacr. in genere l. 5. c. 1. q. vnic. art. 2. verſ. de Pœnit.

γ *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium.* ] Vide P. Henriq. in ſum lib. 4. c. 2. §. 2. P. Valeri. Regin. in praxi fori pæn. lib. 6. num. 42.

## CAPVT III.

### *De partibus & fructu huius Sacramenti.*

DOcet præterea ſancta Synodus, α *Sacramenti Pœnitentiæ formam*, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo, &c. quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neq; ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. *Sunt* β *autem quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus*, ª nempe Contritio, Confeſſio & Satiſfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet. Hæc de partibus & effectu huius Sacramenti ſancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incuſſos conſcientiæ terrores & fidem eſſe contendunt.

ª *Supr. Seſſ. 6. de iuſtif. cap. 14. & infra Can. 4.*

REMIS-

## REMISSIONES.

α *Sacramenti Pœnitentiæ formam, &c* ] Vide Sayr de Sacr. in genere lib. 1. c. 3. q. vnic art. 5. verſ. in Pœnitentiæ Sacramento. P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 4. dub. 8. à num. 49.

β *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis, actus.* ] Vide Nau. in man. prælud. 10. nu. 1. & in ſum. de pœnit. diſt. 5. nu. 18. Sayr. de lib. 1. c. 3 q. vnic. art. 7. verſ. Ad primum in med. P. Henriq. in ſum lib. 4. cap. 9. cum ſeqq. P. Ægid. de Sacram. tom 2. diſp. 4. à num. 27. & præcipuè, num. 32.

## CAPVT IV.

### *De Contritione.*

α Contritio, quæ [a] primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor β *ac deteſtatio* eſt peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum pręparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus hanc Contritionem, non ſolùm [b] ceſſationem à peccato, & vitę nouæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, iuxta illud, [c] Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis; & facite vobis cor nouũ & ſpiritũ nouum. Et certè, qui illos Sanctorum clamores conſiderauerit, [d] Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: [e] Laboraui in gemitu meo; lauabo per ſingulas noctes lectum meum; [f] Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ; & alios huius generis: facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemq; Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominùs reconciliationẽ ipſi Cõtritioni, ſine Sacramẽti voto, quod

a *ſuprà Seſſ. 6. de iuſtif. c. 6. & 14.*

b *infrà Can. 5.*

c *Ezech. 18.*

d *Pſal. 50.*

e *& venit, de pœn. diſt. 1. c. totam, de pœn. diſt. 3.*

e *Pſal. 6.*

f *Eſa. 38.*

in illa includitur, non eſſe adſcribendam. γ *Illam verò Contritionem imperfectam*, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore vtiliter [a] concuſſi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidem calumniantur Catholicos ſcriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ abſq; bono motu ſuſcipientium gratiam conferre: quod numquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit. ſed & falsò docent; Contritionem eſſe extortam & coactam non liberam & voluntariam.

*a Ionæ 3. Mat. 23, Lucæ 11. c. quamobrē, de pœn. diſt. 1.*

## REMISSIONES.

α Vide Pat. Henriq. in ſum. lib. 4. cap. 17. cum ſeqq. Bald. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. p. 2. lib. 5. c. 3. Pat. Ægidi. de Sacram. tom. 1. q. 68. nu. 30. & tom. 2. diſp. 1. dub. 2 n. 13. Pet. Ledeſ. in ſum. p 1. tract de Pœnitentia, cap 6. & 7. P. Luc. Pinell. de Sacram. Pænit. tract. de Contrit.

β *Ac deteſtatio* ] Vide P. Paul. Comitol. reſponſorum moral. lib. 1. q. 32. num. 2. verſ Qui verò.

γ *Illam verò Contritionem imperfectam, &c.*] Vide Pat. Henriq. in ſum. libr. 4. cap 17 § 4. & c. 26. § 5.

## CAPVT V.
### *De Confeſſione.*

α Ex [b] inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionē &

*b Lucæ 5. & 17. Iac. 1. 1 Ioan. 1. infrà Can. 6.*

&omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariã exiſtere: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, [a] è terris aſcenſurus ad cælos, ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit tamquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: quo, pro poteſtate Clauium remiſſionis aut retẽtionis peccatorum, ſententiam pronuncient. Conſtat enim, ſacerdotes iudicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neq; æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.[b] Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus β *omnia peccata mortalia*, quorum γ *poſt diligentem ſui diſcuſſionem* conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm aduerſus duo vltima [c] Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnumquam animum grauiùs ſauciant, & periculoſiora ſunt iis quæ in manifeſto admittuntur. nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, [d] & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & vtiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Verùm, cùm vniuerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, [e] homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; neceſſarium eſt, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda Confeſſione, à Deo quærere. Itaq; dum omnia, δ *quæ memoriæ occurrunt* peccata, Chriſti fideles confiteri ſtudent, proculdubiò omnia diuinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt. qui verò ſecùs faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponunt; ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. ζ *Colligitur prætereà, etiam eas circumſtantias* in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant: quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant; & fieri nequeat, vt de grauitate crimi-

a *Ioan. 20. Mat. 16. c. verbum. de pœn diſt. 1. & c. adhuc. de pœn. diſt. 3.*

b *infrà Can. 6.*

c *Deut. 5.*

d *ſuprà Seſſ. 6 Can. 23. c. adhuc. & c. de quotidianis. de pœn. diſt. 3.*

e *Epheſ. 2.*

num rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. vnde alienum à ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut vnam tantùm circumſtantiam confitédam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem. Sed & impium eſt, Confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare; conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum, eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: [a] Ab occultis meis munda me Domine. Ipſa verò huiuſmodi Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia; grauis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolationibus leuaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per Abſolutionem certiſſimè conferuntur! 1 *Cæterum, quò ad modum confitendi ſecretò apud ſolum ſacerdotem*, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humána aliqua lege præciperetur, vt delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent Confeſſione aperienda. Vnde cùm à ſanctiſſimis [b] & antiquiſſimis Patribus, magno vnanimiq; conſenſu ſecreta Confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſanctavſa eſt, & modò etiam vtitur, fuerit ſemper commendata; manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atq; à [c] Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non verentur. Neq; enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia [d] ſtatuit, vt Chriſti fideles con-

[a] *Pſal. 18.*

[b] *Conc. Cabilonen. c. 33.*

[c] *infrà Can. 8. & 14.*

[d] *Conc. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 21 omnis vtriuſque, de pœn. & remiſſ.*

confiterentur, quod iure diuino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; *n b i ſed vt præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno*, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perueniſſent, impleretur, vnde iam in vniuerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu, obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro illo & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat & amplectitur, tamquam pium & meritò retinendum.

## DECLARATIONES.

1 *Cæterum, quò ad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem.*] Die 20. Iunij an. 1602. in generali cōgregatione S N. Vniuerſalis Inquiſitionis habitæ in palatio Apoſtolico in monte Quirinali coram S. D. N Domino Clemente diuina prouidentia Papa VIII. propoſita quæſtione: Vtrum liceat per literas ſeu per internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri: & ab eodem abſente abſolutionem obtinere? SS. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus inquiſitoribus maturè ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcil. *licere per litteras ſeu internuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*: ad minus vti falſam, temerariam & ſcandaloſam damnauit & prohibuit: præcepitq; ne deinceps iſta propoſitio publicis priuatíſq; lectionibus, concionibus & congreſſibus doceatur, neue vmquam tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur Quod ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam diſputationem tractauerit, ni forſan impugnando, ſeu ad praxim directè vel indirectè dixerit præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacúmq; dignitate fulgente, etiam S. R. E. maiori pœnitentiario, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui, aliis etiam pœnis arbitrio infligentis ſubiaceat.

## REMISSIONES.

a VIde Nauar. in man. cap. 1. nu. 1. ad 5. & cap 21. nu 30. & 34. & cap 27. nu. 269. & in ſum. de pœnit diſt, 1. num. 18. P. Henriq. in ſum lib. 5. cap. 1. Petr. Ledeſm. in ſumma p. 1. tract. de Sacram. Pœnitentiæ, cap. 8 à principio, P Luc. Pinell. de Pœnit. Sacram. tract. 2 de Confeſſione, cap. 1. cum ſeqq. P. Ægid de Sacram & cenſur. to. 2. diſp. 4 à n. 17 P. Valer Regin in praxi fori pœn. lib. 6. à num 28.

β *Omnia peccata mortalia* ] Quòd laici, qui tantùm habent venialia, non obligantur per ſe confiteri, cùm non ſint materia neceſſaria, tenent omnes. Regulares tamen videntur ex ſtatuto, & conſuetudine obligari ſub veniali, vt aliquod ex his fateantur ſemel in menſe, aut ex aliis à quibus iterum fuerat abſolutus; quia videtur aliquo modo confiteri eo tempore, reſoluunt P. Henriq. li. 4. cap 4. in fine, P. Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 7. cap 28. q. 3. P. Soar tom. 4 diſp. 36 ſect. 3 n. 6. P. Valeri. Reginald. d lib. 6. num. 44. P. Ægid. d. tom. 2. diſput. 5 à num. 51. P. Luc Pinell. d. tract. 2. de conf cap. 7 dub 2. & cap. 8. poſt princip.

γ *Poſt diligentem ſui diſcuſſionem.* ] Quòd pœnitens præmittere debeat debitam, & diligentem conſcientiæ diſcuſſionem, poſt multos, quos refert, docent P. Henriq. lib 5. cap. 5. à princip. Petr. Ledeſm. d. tract. de Pœnitent cap. 16 concl 6.

δ *Quæ memoriæ occurrunt.* ] Vide Nau. in man. c. 21. num. 35 P. Henriq. d lib. 4 cap 3. §. 4.

ε Vtrum ſi quis in confeſſione facta hoc anno aliqua peccata mortalia omiſerit per obliuionem excuſabilem, vel aliquam cauſam rationabilem, teneatur vi præcepti Eccleſiaſtici ſtatim confiteri eadem peccata? Negant poſt Victor. & Nauar P Valer. Reginal. in praxi fori pœn. lib. 6. num. 40. P Luc. Pinell. d. tract. 2. de confeſſ. cap. 7. dub. 3.

ζ *Colligitur præterea etiam eas circunſtantias*, &c. ] Vide Nauar. in Man. cap. 6. num. 3. & in cap. Conſideret, de Pœnit. diſt. 5. num. 10. cum ſeqq. P. Henriq. in ſum. lib. 5. cap. 6. cum ſeqq. Sayr. in claui reg. lib. 2. cap. 3. P. Valeri. Reginald. d. lib 6. num. 110. cum ſeqq. P. Ægid. d. tom. 2. diſp. 7. num. 8 cum ſequentib Petr Ledeſm d. tract. de Pœn. cap. 18. P. Luc. Pinell de Pœnit. Sacram tract 2 de conf. c. 3 cum ſeqq.

η *Sed vt præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus*, &c. ] Concordat cap. Omnis Vtriúſque ſexus, de Pœnit. & Remiſſ. Vide P. Henriq. in ſum. lib. 4. cap 3. §. 2. lit. I P. Ægid. d. tom. 2. diſput. 5. à nu. 45 P. Luc Pinell d. tract. 2. de Confeſſ. cap 7.

θ An hic annus computetur à Paſchate vſque ad Paſcha? Affirmant Pat. Soar. tom. 4. diſputat. 36. ſect. 3 num. 8. P. Azori inſtit moral. p. 1. lib. 7 cap. 28. q. 6 P. Valer. Reginald. d lib. 6. num. 36. P. Ægid d. diſp. 5 num. 56. P. Luc. Pinell. d tract. 2. de Confeſſ. cap. 7. dub. 1.

ι An ſatisfaciat huic præcepto quocunque anni tempore confitendo? Negant Victor. in ſum num. 137. P. Henriq. lib. 4. cap. 4. num. 7. P. Vaſquez quæſt. 90. art. 3. dub. 1. num. 5. & 15. P. Ægid d. diſp. 5. num. 57 cum ſeqq.

CAPVT

## CAPVT VI.

### *De miniſtro huius Sacramenti, & Abſolutione.*

CIrca miniſtrum autem huius Sacramenti, declarat ſancta Synodus, falſas eſſe & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas [a] omnes, quæ ad alios quoſuis homines præter Epiſcopos & Sacerdotes, Clauium miniſterium pernicioſè extendunt; putantes verba illa Domini, [b] Quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlo; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo, [c] &, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcuè, [d] contra inſtitutionem huius Sacramenti, ita fuiſſe dicta, vt quiuis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieuerit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem, cuicumque factam. Docet quoq;, etiam ſacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione collatam, tamquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere; eoſq; prauè ſentire, qui in malis ſacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. [e] Quamuis autem Abſolutio ſacerdotis alieni beneficij ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo, velut à iudice ſententia pronunciatur. atq; ideò non debet pœnitens adeò ſibi de ſua ipſius fide blandiri, vt etiam [f] ſi nulla illi adſit contritio, aut ſacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſoluendi deſit; putet tamen ſe, propter ſuam ſolam fidem, verè & coram Deo eſſe abſolutum. nec enim fides ſine Pœnitentia remiſſionem vllam peccatorum præſtaret: nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, *qui ſacerdotem ioco ſe abſoluentem* cognoſceret; & non alium, ſeriò agentem, ſedulò requireret.

a *infr. Can.* [illegible]

b *Matth. 16. &* 18.

c *Ioan. 20.*

d *ſuprà ſeſſ. 7. de Sacr. Can. 10.*

e *c. ſecundum Eccleſiæ. 19. diſt. & c. non nocet. 1. q. 1.*

f *Infrà Can. 9.*

Vide poſt finẽ huius libri.

## REMISSIONES.

α Vide P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 1. c. 1. P. Ægid. de Sacr. tom. 2. diſp. 8 per totam.

β *Qui Sacerdotem ioco ſe abſoluentem, &c.*] Vide P. Henriq. in ſum. lib 4. c. 11. § 6. lit. N.

## CAPVT VII.

### *De caſuum reſeruatione.*

a c. ſi Epiſcopus de pœnit. in 6.

α QVoniam igitur natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; a perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam & grauiora crimina non à quibuſuis, 1 *ſed à ſummis dumtaxat ſacerdotibus abſoluerentur.* b vnde meritò Pontifices Max. pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, *quin* β γ *hoc idem* c *Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi in ædificationem tamen, non in deſtructionem*, liceat; pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores ſacerdotes auctoritate, præſertim quo ad illa, quibus 2 *excommunicationis cenſura annexa eſt.* Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt diuinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. δ *verumtamen piè admodum*, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditũ ſemper fuit, d ε ζ *vt nulla ſit reſeruatio n in articulo mortis*: 3 *atque ideò* ϑ ι *omnes ſacerdotes* κ *quoslibet pœnitentes* à quibuſuis peccatis & λ *cenſuris abſoluere poſſunt: extra* μ *quem articulum ſacerdotes cum* ν ξ *nihil poſſint in caſibus reſeruatis*, id vnum pœnitentibus per-

b c. ſi quis ſuadente 17. q 4. c. ita quorumdam de iud. c. conq. de ſent. excom c. quicumq; eo tit. in 6. & c 2 eod. tit. in Clement c. & ſi dominium de pœn. in extra. comm. cum ſim. Rom. 13.

c Vide Seſſ. 24. c 6. poſt matrimonium.

d c. felicis, de pœn in 6. c. paſtoralis, de off. ord c. cupientes, de pœn. in Clem. c. inter cunctas. § duos de pœn. in extrau. com. Cæleſt. Epiſt. 2. cap. 2. & 4. Cartag. c. 76. & 11. Toletan. cap. 12

Villalobos trat. 9. de sacra[mento] pen[itencia] dif. 45

perſuadere nitantur, vt ad Superiores & legitimos iudices pro beneficio Abſolutionis accedant.

## DECLARATIONES.

1 *Sed à ſummis dumtaxat ſacerdotibus abſoluerentur.*] Idem etiam poſſunt Prælati Regulares in Regulares ſibi ſubiectos, & inferiores Epiſcopis ſeculares, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in loco, & nulli Diœceſi, nec ipſi, nec eorum ſubditi, ſubſunt.

2 *Excommunicationis cenſura annexa eſt.*] Regulares non poſſunt ex priuilegiis, præſertim ex illo, quod *mare magnum* appellant, eis reconceſſis, abſoluere quemquam in caſibus quos Epiſcopus ſibi reſeruauerit: nec poſſunt abſoluere ad cautelam, tam in exteriori, quā in interiori foro eos, qui incidiſſe videntur in bullam Cœnæ Domini. At omnes, qui audiunt confeſſiones, poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis virtute Bullæ Iubilæi indicti à ſummo Pontifice, cùm facultate abſoluendi à quibuſcunque enormitatibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, etiam in Bulla Cœnæ Domini: ſed hoc non contingit ipſis virtute priuilegiorum, & facultatum perpetuò conceſſarum ipſis Regularibus, & Confraternitatibus, vt puta Roſarij, & aliorum piorum locorum: vt in libro literarum fol. 143. comprehenduntur etiam exempti, non autem qui ſunt nullius Diœceſis, qui vt ſuprà, poſſunt reſeruare ſibi caſus.

3 *Atq; ideo omnes Sacerdotes.*] Etiamſi iſti Sacerdotes eſſent excommunicati, & denunciati; extra quem articulum, ſcilicet mortis, cùm nihil poſſint, grauiter etiam peccant, excommunicationémque incurrunt.

Regulares per priuilegium, quod *mare magnum* vocatur facultatem non habent abſoluendi pœnitentes, in caſibus Epiſcopis reſeruatis. Quamobrem neq; Mendicantes, neq; Ieſuitæ, neque alij vigore magni maris abſoluere poſſunt à caſibus reſeruatis Epiſcopo.

Confeſſores in vim priuilegiorum Roſarij non abſoluunt confitentes à caſibus reſeruatis Epiſcopo niſi priuilegia ipſa talem habeāt facultatem, vel ſint obtenta vel confirmata poſt Concil. Trid. Quare, fratres Mendicantes & cuiuſcunq; ordinis Regulares, in vim priuilegiorum, non abſoluunt à caſibus Epiſcopo reſeruatis. Congregatio cenſuit, Anno 1587. die 30. Ianuar. Epiſcopum poſſe aduerſus eos, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis confiteri, & Euchariſtiam ſumere neglexerint, etiam vſque ad excommunicationem procedere: etſi enim *c. Omnis vtriuſq; ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* ab Eccleſia velit arcendos, ea tamen pœna differt ab Excommunicatione, iuxta *Couar. in c. Alma mater, de ſentent. Excomm.* Epiſcopus ergo poteſt aggrauare pœnas à iure communi ſtatutas, quia cum tales confeſſionem & communionem negligentes, mortaliter peccent ab Epiſcopo excommunicari poſſunt. Quin etiam eadem Congregatio

eadem die cenſuit, Epiſcopum talibus pro ſatisfactione pœnas pecuniarias pio loco applicandas imponere poſſe, cum hæc aliquando magis timeantur. Verùm tamen eadem Congregatio die ſupradicta cenſuit non expedire, vt Epiſcopus ſibi reſeruet abſolutionem eorũ, qui temporibus ſic conſtitutis negligunt confiteri, & communicare.

## REMISSIONES.

α VIde P. Henriq in ſum. li 6 c. 9 § 3. Pat. Valer Reginald. in praxi fori pœnit li. 1 num. 25. P. Ægid. de Conink. de Sacrament & cenſur. tom. 2 diſp. 8. à nu. 75.

ν *Cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis.* ] Sacra Cardinalium Congregatio ſic cenſuit Regulares per priuilegium, quod mare magnum vocatur, facultatem non habent abſoluendi pœnitentes à caſibus Epiſcopis reſeruatis. refert Fr Ludou. Beia reſponſ. caſuum conſc. p. 2. caſu. 21. in fin verſ. Nunc tamen, & p. 3. caſu 5. in fin. verſ. Hoc tamẽ qui etiam reſoluit, poſtea per Gregor. XIII. fuiſſe ſpecialiter conceſſum, vt poſſint abſoluere, & hanc conceſſionem fuiſſe viuæ vocis oraculo factam Patribus Societ Ieſu, eáque per communicationem gaudere omnes Mendicantes & multi ſapientiſſimi Doctores indiſtinctè tenent, Concilium in præſenti non intendere derogare antiquo Regularium priuilegio, quod iuri Communi inſertum habet ratione fauoris, ſicut & ius commune; & poſſe Regulares abſoluere à reſeruatis Epiſcopo caſibus etiam poſt Concil. Trid. huic opinioni ſubſcripſere P. Henriq in ſum. li. 6. cap. 6. § 4 P. Mart. Delr. diſquiſit. mag c. l. 6 c 1. ſect. 3. in med. pag mihi 477 Fr. Emman qu. Regul. to. 1 qu. 61. art. 1. & 3 cum ſeq.

ξ Quòd pœnitens vigore facultatis à Summo Pontifice conceſſæ Societati cum clauſula, vt ingrediens in talem Societatem poſſit abſolui ab omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, valeat etiam abſolui à quibuſcunque reſeruatis Epiſcopo tam à iure, quàm ab homine, reſoluit Fr. Ludou. Beja reſponſ. caſuum conſcientiæ p. 2. caſu 21 per totum.

β *Quia hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, &c.* ] Poſſe Epiſcopum reſeruare ſibi caſus plus, minuſve, iuxta maiorem, vel minorem confeſſariorum, quos in ſua diœceſi habet, idoneitatem, capacitatem & eruditionem, reſoluit Zerol. in praxi Epiſcop. par. 1. verbo Caſus reſeruati, pag 88.

γ Vtrùm ſicut Epiſcopus per hunc tex. diſpenſat in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex dilecto occulto prouenientibus, niſi ſint ad forum contentioſum deductæ, & niſi ex homicidio volũtario proueniant, ita etiam poſſint Abbates habẽtes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem diſpenſare? Affirmat Floreſ. vari li 3. q. 24 num. 18.

δ *Veruntamen piè admodum, &c.* ] Vide Sayr. de Sacram. in genere li. 2. c. 8. q. 2. art. 2. verſ. Secunda in fine.

ε Vt

s *Vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, &c.*] Vide Nauar. conſ. 15. de pœnitent & remiſſ. P. Azor inſtit. Moral p. 1. lib. 8. c. 19. pag. 795. Nauar. in princip. de pœnit. diſt. 6. Azeued. ad l. 5. nu. 5. verſ. Eſt tamen verum, tit. 1. lib. 1. nouæ Recop. Guttier. Canon lib 1. cap. 1. n. 58. P. Paul. Comitol. reſponſ. Moral, lib 1. q 21. n. 1. & q. 22. n. 2. & lib 5. quæſt. 14. num. 3. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 1. à num. 58. P. Ægid. de Sacrament. tom. 2. diſp. 8 num. 90. cum ſeqq. P. Sanch. in præcepta Decalogi lib 2. cap. 13. plures refert Cened. ad decretum collect 24. num. 5. Petr. Ledeſ in ſum. p. 1. tract. de Pœnit. cap. 14.

ſ Quòd omnis Sacerdos quoſlibet pœnitentes, à quibuſlibet peccatis abſoluere poſſit, & excuſetur ab irregularitate Clericus, qui excommunicatione maiori innodatus, interdictus, aut ſuſpenſus abſoluerit conſtitutum in mortis articulo, tradunt Viuald. in Candelab. Aureo p. 1. tit de Abſolutione nu. 64. Nauar. in Man. cap. 27. nu. 271. verſ Septimò quòd, Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 33. lit. A, verſ. Excuſabitur, Guttier. Canon. lib. 1. c. 1. à num. 56. plures per Cened. ad Decretal. collect. 25. n. 9. P. Paul. Comitol. reſponſ. Moral. li. 6. q. 27. Ludou. Beia reſp caſuum conſcient. p. 4. caſu 6. Pet. Ledeſm. d. tract. de Pœnit. c. 14 concl 1. dub 4.

u *In articulo mortis, &c.*] Articulus mortis in hac materia quis dicatur? Vide apud Syluest. verbo Abſolutio 1. nu. 10. P. Valer Reginal. d lib. 1. num. 59. Nau in Man. cap 27. num 271. Couarr. in cap Alma, p 1. §. 11. num. 8. Viuald. in Candelab. cap de abſolut nu. 60. P. Soar tom. 4 diſp. 26. ſect. 4. qui reſoluunt, non poſſe abſolui à ſimplici Sacerdote omnem transfretare volentem, ſed credentem, aut dubitantem probabiliter ſe naufragaturum aut alias de vita periclitaturum: ſimiliter non quemlibet obſeſſum ab hoſtibus, ſed telis impugnatum; nec quamuis mulierem prægnantem, ſed eam, quæ periclitatur de vita arbitrio prudentis viri.

x *Quoſlibet pœnitentes.*] Quòd in articulo mortis abſolui poterunt hæretici à quocunque Sacerdote, abſque aliqua bulla vel priuilegio, tenet P Azor inſtit Moral p 1. lib. 8 c 19 q. 5. & reſoluit poſt Guttier Roias, Simanc & alios Cened ad Decret. collect. 103 nu. 3. verſ. In mortis.

y *Omnes ſacerdotes.*] Non comprehendi hæreticum docent B Thom. 3. p. q. 82 art. 7. ad 2 & in 4. diſt. 19. qu. 1. artic 2. ad 7 Nau. in Man. cap. 26. nu. 26 Cou. in cap. Alma, p 1 §. 6. nu. 8 Poſſe tamen Catholicum Pœnitentiæ Sacramentum percipere ab hæretico in extremo vitæ periculo, tenent Can. in Relect de pœnitent. part 5. P. Valer. d. lib. 1. num. 60. P Ægid d. tom. 2. diſput. 14 à num 234. poſt B. Antonin. Angel. Roſel. & alios P. Azor. inſtit Moral. p. 1. lib. 8. c. 11. q. 12.

z An poſſint, ſi proprius Sacerdos ſit præſens, vel poſſit facilè haberi? Affirmant Nauar conſ. 15. ſub tit. de pœnit. Sayr. deciſ. 21 eod. tit. P. Valer. Reginald. d. lib. 1. n 60. qui dicunt conſultè facturum eſſe

qui,

qui præſente ſuo Parocho, vel ſuperiore, ab eo potius, quàm ab alio ſe abſolui curat.

λ *Et cenſuris abſoluere poſſunt.*] Vide P. Henriq. in ſum. li. 6. c. 9. §. 3.

μ *Extra quem articulum Sacerdotes, &c*] Vtrùm is, qui non habet poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, poſſit extra periculum mortis ab aliis peccatis abſoluere eum, qui tales caſus habet? Vide Sylueſt. verbo Confeſſio 1. q 19. P. Henriq. li. 6. c. 15. n. 1. P. Soar. tom. 4. diſput. 31. ſect. 3. n. 2. P. Ægid. d tom. 2. diſp. 8. n. 99. & diſp. 32. ſect. 3. P. Valer. Reginald. d li. 1. nu. 63.

## CAPVT VIII.

### *De ſatiſfactionis neceſſitate & fructu.*

*a de pœn. diſt. 3. circa princ.*

α DEmum, a quo ad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita vna maximè noſtra ætate, ſummo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt: ſancta Synodus declarat, falſum omninò eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à [b] Domino nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter diuinam traditionem, hic error quam manifeſtiſſimè reuincitur. β *Sanè & diuinæ iuſtitiæ ratio* exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmũ per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum [c] Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint Et Diuinam clementiam decet, ne ita nobis abſque vlla Satisfactione peccata dimittantur, vt, occaſione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij & [d] cõtumelioſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubiò enim magnopere à peccato reuocãt, & quaſi freno quodam coërcẽt hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioréſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis; & vitioſos habitus, malè

*b infr. can. 12. Gen. 3. 2. Reg. 12. Num. 12. & 20. Seſſ. 6. can 30. & cap. 14.*

*c 1. Cor 3. Eph. 4.*

*d Heb. 10. Rom. 2.*

viuendo

uiuendo comparatos, contrariis virtutũ actionibus tollunt.[a] Neq; verò ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vnquã exiſtimata fuit ad amouendã imminentem à [b] Domino pœnã, quàm vt hæc pœnitentiæ opera homines cũ verò animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dũ ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu,[c] qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficiẽtia eſt, conformes efficimur, certiſſimã quoque inde arrham habentes; quòd ſi cõpatimur, & conglorificabimur. Neq; verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quàm pro peccatis noſtris exoluimus, vt nõ ſit per Chriſtum Ieſum. γ ð *nã qui* [d] *ex nobis, tanquam ex nobis nihil poſſumus*; eo cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus. ita nõ habet homo vnde glorietur: [e] ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, [f] facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offerũtur Patri, & per illũ acceptantur à Patre. Debent ergo ſacerdotes Domini, quantũ Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares [g] *& conuenientes ſatisfactiones iniungere*: ne, ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt Satisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: [g] nam Claues ſacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent; nec propterea exiſtimarunt, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ vel pœnarum, ſicut nemo vnquam Catholicus ſenſit, ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti & [h] ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Nouatores intelligere nolunt, ita optimam Pœnitentiam nouam vitam eſſe docent, vt omnem Satisfactionis vim & vſum tollant.

a *Ezech.* 33. *Ion.* 3. *Hier.* 3. 18. *&* 25.
b *Eſa.* 30. *Eccl.* 17. *Matt.* 3. 4. 11. *&* 18. *cum ſim.*
c *Rom.* 5. 1. *Ioann.* 2. *in princ.* 2. *Cor.* 3. *Rom.* 8.
d 2 *Cor.* 3. *Philip.* 4. 1. *Cor.* 1. *in fi.*
e 1 *Cor.* 10. *in fi. Gal* 6. *Act.* 17.
f *Matt* 3. *&* 4. *Luc.* 3. 10. 17. *c. tempora, cum multis ſeq.* 26. *q.* 7. *c. de pœnitentib. de conſ. diſt.* 4. *Cõc. Carthag.* 3. *c.* 31 *& Conc. Carth.* 4. *c.* 74. *Conc. Cabilon. c.* 34. *&* 38 *Conc. Afric. c.* 9.
g *Matt.* 16. *& Ioan* 20 *ſup. c* 1. *in fin. & infr. can* 3. *& vlt. de pœn.*
h *infr. can.* 13.

REMIS-

## REMISSIONES.

α Vide Bald. Iunium ſuper opera controu. Bellarm. p. 2. li. 5 c 6. per totum. P. Luc Pinel. de Sacram pœnit. tract. 3. P. Ægid. de Coninck. de Sacramentis & cenſuris, tom. 2. diſp. 2. dub. 12. n. 107. & diſp. 4. n. 26. in fi. Pet. Ledeſm in ſum. p. 1. tract. de pœn. c. 23.

β *Sanè, & diuinæ iuſtitia ratio, &c.*] Vide P. Vaſquez in 3 p. B. Thomæ tom. 2. diſp. 156. nu. 54.

γ *Nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil poſſumus*] Ex parte perſonæ ſatisfacientis an requiratur primò vt ſit in gratia? Affirmat poſt B. Thom & B. Bonau. P. Ægid. d. tom. 2. diſp 10. nu. 22 cum ſeqq.

δ An confeſſor poſſit inuitum pœnitentem obligare ad pœnitentiam, & ſi non acceptet, peccet ob id lethaliter contra aliquod præceptum? Negant Nau. in Man cap. 26. nu. 20. & in c contrarium, de pœnit. diſt. 5. n. 18 poſt Caiet. Armil. Med. Syluest. & alios Fr. Ludou. Beia reſponſ. caſuum conſcientiæ p. 3. caſu 3. verſ. ex parte ergo pœnitentis, P. Paul. Comitol. reſponſ. Moral. li. 1. q. 35. Pat Ioannes Rebello, *na historia dos milagres de noſſa Senhora do Roſario* li. 3. dialog. 7. Cened. ad Decretum collect. 40 nu. 2. P. Valer. Regin. d. lib. 7. nu 15. Affirmant tamen pœnitentem ſub peccato mortali teneri acceptare, & implere pœnitentiam à Confeſſario pro peccato mort. legitimè iniunctam, ſi materia grauis ſit, & velit abſolutionem conſequi, Victor de Sacram. nu. 209. Pet. Sot. lect. 4. de ſatisfact. §. impoſitio pœnitentiæ, P. Soar. tom. 4. diſp. 38. ſect. 7. nu. 2. poſt Magiſt. B Thom. & Palud. P. Ægid de Sacram. tom. 2. diſp. 10 num. 79. P. Luc. Pinell d. tract. 3. de ſatisfact. dub. 4.

ε *Et conuenientes ſatisfactiones iniungere.*] Vide P. Henriq. in ſumma lib. 5. c. 20 §. 5. & c. 21. in princ. P. Ægid. d. tom. 2. diſp. 10. à n. 60 cum ſeqq. & à num 70 P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. li. 7. à num. 11. Paul. Comitol reſponſ. Moral. li. 1 q 35. nu. 2. Fr. Ludou. Beia caſuum conſcientiæ p. 3. caſu 1. fol. 275. & caſu 2. fol. 281. verſo.

## CAPVT IX.

### *De operibus Satisfactionis.*

α Docet prætereà, tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis, ſponte à nobis pro vindicando peccata ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris [a] argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.

*a c. ſunt plures, in fi. de pœn. diſt. 3.*

REMIS-

## REMISSIONES.

α VTrum iuſti per opera pœnitentiæ, vel ſpontè aſſumpta, vel etiam illis præcepta poſſint ſatisfacere pro pœnis ex peccatis remiſſis teſtantibus? Affirmant P. Soar. tom. 4. diſp. 37. ſect. 1. Card. Bellarm. li. 4 de Pœnit. c 3 cum ſeqq. P. Valen. diſput. 7. qu. 14. puncto 1. P. Ægid de Sacram. tom 2. diſp. 10. à nu. 14.

### *Doctrina de Sacramento extremæ Vnctionis.*

α VIſum eſt autem ſanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adiungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento extremæ Vnctionis: quod non modo Pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia eſſe debet, conſummatiuum exiſtimatum eſt à Patribus. Primùm itaque circa illius inſtitutionem declarat & docet, [a] quòd clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit de ſalutaribus remediis [b] aduerſus omnia omniũ hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum viuerent, ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſint, ita extremæ Vnctionis Sacramento finẽ vitæ, tamquã firmiſſimo quodam præſidio, muniuit. Nam etſi aduerſarius [c] noſter occaſiones per omnem vitã quærat & captet, vt deuorare animas noſtras quoquo modo poſſit: nullũ tamen tempus eſt, quo vehementiùs ille omnes ſuæ verſutiæ neruos intendat ad perdẽdos nos penitus, & à fiducia etiam, [d] ſi poſſit, diuinæ miſericordiæ deturbãdos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perſpicit.

a *infr. can. 1. de Sacr. extremæ Vnctionis.*
b *Eph. 6.*
c *1. Pet. 5. c. nulli dubium 3. q. 1.*
d *Geneſ. 3. & infr. c. 2. in fi.*

## REMISSIONES.

α VIde Pat. Henriq. in ſum. li 3. c 7. cum ſeqq Viuald. in Candelabro Aureo de Sacram. tit de Extrema Vnctione, Zerol in praxi Epiſc. p 1 verbo Extrema Vnctio Fr Emman qu. Regular tom. 3 qu. 79. art. 1. cum duobus ſeqq Pat. Valeri Reginald. in praxi fori pœnit. li. 28. nu. 43 cum ſequent nouiſſimè P Ægid. de Coninck de Sacram. & cenſuris tom. 2. diſp 19 Gregor. de Valentia tom. 4 diſp. 8. P. Soar. tom 4. diſp. 39 & quinque ſequentib. Per Ledeſ. in ſum. p. 1. tract. de Sacram. Extremæ Vnct.

## Capvt I.

### *De inſtitutione Sacramenti extremæ Vnctionis.*

a Matt. 6.
b Iac. 5. c.
presbyt. 95 diſt.
c. 1. §. 1. de ſacra
Vnctione. Conc.
Cabilon. c. 48.
Inn. 1. ep. 8. ca. 8.

INſtituta eſt autem ſacra hæc Vnctio infirmorum, tamquam verè & propriè α *Sacramentum noui Teſtamenti*, à β *Chriſto Domino noſtro* a apud Marcum quidem inſinuatum, b per Iacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum: Infirmatur, inquit, quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis, vt ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum huius ſalutaris Sacramenti. γ *intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum, ab Epiſcopo benedictum.* nam Vnctio aptiſſimè Spiritus S. gratiam, qua inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat; δ *formam deinde eſſe illa verba*, Per iſtam vnctionem, &c.

## REMISSIONES.

α SAcramentum noui Teſtamenti.* ] Vnctionis Extremæ Sacramento, quod eſt quædam immediata præparatio ad gloriam, & ingreſſum ad Cœlum, nullum in veteri Lege reſpondere potuiſſe Sacramentum, eò quòd pretio nondum ſoluto aditus in Cœlum patere non potuit, tenet Sayr. de Sacram in genere li. 3. c 4. q. vnic. art. 2. verſ. Quintum eſt, prope med

β *A Chriſto Domino noſtro apud Marcum, &c.* ] Vide Sayr. de Sacr. in genere li 2. c. 2. qu 2. art. 2. & qu. 3 art. 1. verſ. de Sacram. Extremæ Vnct. P. Henriq in ſum. li. 3. c. 7. Balduin. Iunium ſuper opera controuerſ Bellarm. p. 2. li. 6. c. 1. P. Vaſquez in 3 p. D. Thom tom. 2. diſp. 135. nu 4. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. li. 18. à nu 45.

γ *Intellexit enim Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.* ] Vide Sayr. de Sacram. in genere lib. 1. c 3 q. vnic. art. 3. verſ. de Sacramentis, ibi, de Extrema Vnctione, Pet. Ledeſ. p. 1. de Sacram Extremæ Vnct. c 2 Zerol. in praxi Epiſc. p 1 verbo Extrema Vnctio, verſ. Primo. Pat Azor. inſtit. Moral. p 1. li 2. c 9 verſ. Quotieſcunque, in

fine

ſin. pag 107. P. Valeri. Reginald in praxi fori pœnit lib. 28 num. 50. cum ſeq P. Ægid de Sacram. tom. 1. diſp. 19 à nu. 5. & de oleo infirmorum, in quo ſunt facta multa miracula, vide P. Martin. Delri. diſquiſit. magic lib. 6 c. 2 ſect. 3 pag 512.

*b Formam deinde eſſe illa verba.* ] Vide Sayr de Sacram. in genere l. 3. c. 3. art. 5. verſ. In Extrema Vnctione, P. Henriq. in ſum lib 3 c 8. § 3. P. Ægid. d diſp. 19 à num. 13. P. Valer. Regin. lib 28. à num. 54. Pet. Ledeſm. d tract de Sacram. Extremæ Vnctionis c 3.

## CAPVT II.

### *De effectu huius Sacramenti.*

a RES porrò & effectus huius Sacramēti illis verbis explicatur: Et [a] oratio fidei ſaluabit infirmū, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. b Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti, cuius Vnctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit; & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnā in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis, [c] calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

*a Iac. 5. Ibid.*
*b inf. can. 2 de Sacr. extremæ Vnct.*
*c Gen. 3.*

## REMISSIONES.

a VIde Sayr. de Sacram. in genere li. 5. c. 1. q. vnic. ar. 2. verſ. De Sacramento Extremæ Vnctionis, P. Henriq. in ſum. li. 3 c 9 latè P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 19. num 16. cum ſeqq. Baldu. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. p 2. li. 6. ca. 2. P Ledeſm in ſum p 1. tract. de Sacram. Extremæ Vnct. c 4.

## CAPVT III.

### *De miniſtro huius Sacramenti, & tempore quo dari debeat.*

IAm verò quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere & miniſtrare hoc Sacramentum debent haud obſcurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditū. nam & oſtenditur illic, *a proprios huius* Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros. quo nomine, eo loco, non ætate ſeniores aut primores in populo intelligēdi veniūt,

*a c. illud ſuperfluum 95. diſt. & infr. 2. can. vlt.*
*b 1. Tim. 4.*

ſed a aut Epiſcopi, aut ſacerdotes ab ipſis ritè ordinati b β *per impoſitionem* manuum presbyterij γ *Declaratur etiam* eſſe hanc Vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur: vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. δ *Quòd ſi infirmi poſt* ſuſceptam hanc Vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti ſubſidio iuuari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli c Iacobi ſententiam docent, hanc Vnctionem, vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei; nec promiſſionem gratiæ habentem: & qui illam iam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiua Eccleſia referenda eſſet: & qui dicunt, ritum & vſum, quem ſancta Romana Eccleſia in huius Sacraméti adminiſtratione obſeruat, d Iacobi Apoſtoli ſententię repugnare, atq; ideò in alium commutandum eſſe: & denique, qui hanc extremam Vnctionem à fidelibus ſine peccato contemni poſſe affirmant; hæc enim omnia manifeſtiſſimè pugnant cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. e Nec profectò Eccleſia Romana, aliarum omnium mater & magiſtra, aliud in hac adminiſtranda Vnctione, quantum ad ea quæ huius Sacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſeruat, quàm quod B. Iacobus præſcripſit. Nec verò tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus S. iniuria eſſe poſſet.

*c Iac. 5.*

*d infr. can. 3. de Sacram Extr. Vnct.*

*e c non lib. 12. diſt. c. 2 in fi. de ſum. Trin. & c. fi. de fo compet.*

Hæc ſunt, quæ de pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramentis hæc ſancta œcumenica Synodus profitetur & docet, atq; omnibus Chriſti fidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem Canones inuiolabiliter ſeruandos eſſe tradit, & aſſerentes contrarium perpetuò damnat, & anathematizat.

---

## REMISSIONES.

α PRoprios huius Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ presbyteros. ] Vide Pet. Ledeſ. in ſum. p. 1. tract. de Sacram. Extremæ Vnct. ca. 5. P. Hen-

P. Henriq in ſum. li. 3. c. 13. §. 2. Zerol. in praxi Epiſ. p. 1. verbo Extrema Vnctio. verſ. Secundo Sayr. de Sacram in genere lib. 2. c. 2. qu. 3. art. 2. verſ. de Sacrament. in med. latè Fr. Emman. quæſt Regul. tom. 3. qu 79. art. 1. per totum. P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit. lib. 18. à num. 60. P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 19. à num 17. Fr. Emman. d. art. 1. & P. Henriq. d. c. 13. §. 4. reſoluunt, quòd proprius parochus eſt miniſter huius Sacramenti: & ſi ſimplex Sacerdos, vel monachus ſine licentia Epiſcopi, vel parochi hoc Sacramentum conferat, eſt excommunicatus.

β *Per impoſitionem manuum presbyteri.* ] Vide P. Vaſquez in 3. p. D. Thom. to. 3. diſp. 239. num. 38. P. Ægid de Sacram & cenſuris tom. 2. diſp. 19. nu 27.

γ *Declaratur etiam eſſe hanc Vnctionem infirmis adhibendam.* ] Vide Pet Ledeſm. d. tract. de Sacrament. Extremæ Vnct. cap. 6. à princip. Pat. Henriq in ſum. p. 1. lib. 3 cap. 11. à princip Fr Emman. d. qu. 79. art 2. Zerol d. verbo Extrema Vnctio, verſ. Tertiò, vbi reſoluit, quòd non poteſt dari condemnatis ad mortem, quia non dicuntur infirmari, & vide P. Ægid. d. diſp. 19. à nu. 22. P. Valer Reginald. d. lib. 28. numer. 68 vbi numer. 69. cum Tabien. verbo Vnctio §. 6. reſoluit dari poſſe his, qui ex ſolo ſenio verſantur in probabili mortis periculo.

δ *Quòd ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti ſubſidio iuuari poterunt.* ] Vide Victor. in ſum num. 224. Sylueſt. verbo Vnctio Extrema numer. 8. Pet Ledeſm. d. tract. de Sacram Extremæ Vnct. c 8. P. Henriq. d. lib. 3. ca. 9 §. 4. Fr. Emman. d. q. 79. art. 4. P Soar. diſp 41. in fine tom 3 P Ægid d diſp 19. à nu. 26. P. Valeri. d. li. 28 n. 49 vbi etiam reſoluit cum P. Soar. diſp. 40. ſect 4. numer 6. durante eiuſdem morbi neceſſitate hoc Sacramentum non poſſe iterari.

# DE SANCTISSIMO POENITENTIÆ Sacramento.

## CANON I.

Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia a Pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, α *quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur*, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit. *a ſup ca. 1. de pænit.*

## CANON II.

α Si quis Sacramenta confundens, b ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideò Pœniten- *b ſup. c. 2.*

*a c. ſecunda poſt naufrag. de pœn. diſt. 1.*

tiam non rectè ß *ſecundam* [a] *poſt naufragium tabulam* appellari; anathema ſit.

## Canon III.

*b Ioan. 20. Matt. 16. ſupr. c. 1. & Seſſ 6 de iuſtif. cap. 14.*

α Si quis dixerit, verba illa Domini [b] Saluatoris: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinẽdi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem, contra inſtitutionem huius Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium; anathema ſit.

## Canon IV.

*c ſupr. c. 3. de pœnit.*

α Si quis negauerit, [c] ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confeſſionem & ß *Satisfactionem*, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.

## Canon V.

*d ſupr. c. 4 de pœnit.*

*e Eſai 38.*

α Si quis dixerit, [d] eam contritionem, quæ paratur per diſcutionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis [e] recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, fœditatẽm, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis pecatorem; demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema ſit.

## Canon VI.

*f ſupr. c. 5. de pœn. Clement. 1. in ep. 1 ad Iacob. Concil. Cabilon. c. 8.*

α Si [f] quis negauerit, Confeſſionem Sacramentalẽ vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino; aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quẽ

Eccleſia

Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſeruauit & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum; anathema ſit.

### CANON VII.

Si quis dixerit, [a] in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino, confiteri *α omnia & ſingula peccata mortalia*, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra [b] duo vltima Decalogi præcepta, *β & circumſtantias*, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam Confeſſionem tantùm eſſe vtilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſeruatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle diuinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.

*a ſupr c.5.*
*b Deut.5.*

### CANON VIII.

α Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, [c] eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, á pijs abolendam; aut ad eam non teneri omnes & ſinguli vtriuſque ſexus Chriſti fideles, iuxta magni Concilij [d] Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit

*c ſup.c.5.*
*d Conc. Lat. ſub Inn 3. c. 21. & c. omnis vtriuſque, de pœn. & remiſſ.*
*e ſup. ca 6. in fin de inſtiſ.*

### CANON IX.

α Si quis dixerit, [e] Abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti; modô tantùm credat, ſe eſſe abſolutum; aut ſacerdos non ſeriò, ſed ioco abſoluat; aut dixerit, non requiri Confeſſionem pœnitentis, vt ſacerdos eum abſoluere poſſit; anathema ſit.

### CANON X.

α Si quis dixerit, ſacerdotes, qui in [f] peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſoluendi non habere; aut non

*f ſup c.1. & c 6. de ſin.*

ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros Abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Christi fidelibus [a] eſſe dictum; Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo; &, [b] Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſoluere poſſit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieuerit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem; anathema ſit.

a Math. 16. & 18.

b Ioan. 20.

CANON XI.

Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius [c] reſeruandi ſibi caſus, *α niſi quoad externam politiam*, atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere, quo minùs ſacerdos à reſeruatis verè abſoluat; anathema ſit.

c ſup. c. 7. c. ſi Epiſc. de pœnit. in 6. c. de monialib. de ſent. excom. cum ſim.

CANON XII.

α Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum [d] culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionémque pœnitentium non eſſe aliam quàm fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; anathema ſit.

d ſupr. c. de pœnit.

CANON XIII.

α Si quis dixerit pro [e] peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à ſacerdote iniunctis ſed neque ſponte ſuſceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleëmoſynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam eſſe tantùm nouam vitam; anathema ſit.

e ſup. c. 8. & 9.

CANON XIV.

Si quis dixerit, [f] ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes; anathema ſit.

f ſup. c. 5.

CANON XV.

α Si quis dixerit, Claues Eccleſiæ eſſe [g] datas tantùm

g ſup. c. 1. & c. 8 in fin. de pœnit.

ad ſoluendum, non etiam ad ligandum; & propterea ſacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere cótra finem Clauium & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quòd virtute Clauium, ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exoluenda remaneat; anathema ſit.

---

## REMISSIONES.

α CANON I [*Quoties poſt baptiſmũ in peccata labuntur.*] Quod Sacramentum pœnitentiæ neceſſarium ſit ſolùm iis, qui peccauerunt mortaliter, ſi modo commodè, & tempore debito recipere poſſint, etiamſi contritione cum voto Sacramenti peccata eluerint, reſoluit Sayr. de Sacr. in genere li. 6. c. 4 q. 1 verſ. Pœnitentiæ.

α CANON II. Vide Bald. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellar. p 2. li. 5 c 1. poſt princip.

β *Secundam poſt naufragium tabulam appellari, &c.*] Vide P. Henriq. li. 1. c. 4 § 1. in medio, Sayr in Claui Reg. li. 10. c. 4. num. 1

α CANON III. Vide Sot. in 4. diſt. 18 q. 2. art. 1. col. mihi 20. P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp 4 dub. 2. nu. 16. P. Vaſquez in 3. p. D Thomæ tom. 2. qu. 135. n. 29.

α CANON IV. [*Quaſi materiam*] Vide Sot in 4 diſt. 1. qu. 1 art. 2 col. 2.

β *Satisfactionem.*] Vide Nauar. in comment. de Iubilæo, & pœnit. notab. 15. n. 2.

α CANON V. [*Ponderando.*] Vide Hoſt. in ſum. de pœnit. col. 34 Nau. in comment. de Iubilæo, not. 19. ad fin.

α CANON VI. Vide Doctores ſuprà citatos ad cap 1.

α CANON VII. [*Omnia, & ſingula peccata*] Vide Nau. conſ. 7. de pœnit Pet Ledeſm. in ſum p. 1 tract de pœnitent. c. 17 concl. 1.

β *Et circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant.*] Vide Zerol in praxi Epiſc. p. 1. verbo Circunſtantiæ pag. 97 Guttier. Canon li. 1. cap 31. P. Azor. inſtit Moral. p 1. lib. 1. c 4. col. 89.

α CANON VIII Vide P. Soar tom 4. diſput 21. ſect. 3. nu. 5. & 6. P. Valen. q. 11. puncto 1. in fine P. Ægid. de Sacram. & cenſur. tom 2. diſput 6. num. 1. cum ſequentibus. Pet. Ledeſm. in ſum. p. 1. tractat. de Pœnitent. cap. 8. titul. *de la neceſſidad del precepto de la Igleſia*, concl. 2.

α CANON IX. Vide Sot. in 4. diſt 14. q. 1 art. 3. Nauar. in Man c. 4. nu. 7. Vicad in Sacram. c. 1. q. 2 cum ſeqq. P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit li. 1. nu. 138.

α CANON X. Vide P. Ægid. de Sacram. tom. 2 diſp. 8 à princip. P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit. lib. 1. c. 1.

α CANON XI. *Quoad externam politiam.* ] Quoad forum exterius intelligunt P. Henriq in ſum p 1. li. 6. c. 14. in princ. P. Paul. Comitol reſp moral. li 1. q 75. n 10.

α CANON XII. Vide Bellarm. tom. 2. controuerſ. lib. 4. de Pœnit. P. Valer Reginald in praxi fori pœnit. li. 7. nu. 2 & n. 95.

α CANON XIII. Vide Sayr de Sacram. in genere li. 1. c. 2. q. 9 ar. 3. verſ. Quo ſuppoſito. P. Soar. tom. 4. diſp. 37. ſect. 1. Valent. diſp. 7. q. 14. punct 2 Bellarm. li 4 de Pœnit. c. 3 cum ſequentibus.

α CANON XIV. Vide Nauar. in Manual. c. 26. n. 20. cum ſeqq. & in c. contrarium, de pœnit. diſt. 5. num. 18. P. Ægid. de Sacram. tom. 1. diſp 10. nu. 62.

## DE SACRAMENTO EXTREMÆ vnctionis.

### CANON I.

α Si quis dixerit, extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum, à [a] Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à [b] B. Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum: anathema ſit.

*a ſupr. de hoc ſacramento in princ. & c. 1.*
*b Mar 6. Iac. 5.*

### CANON II.

Si quis dixerit, ſacram infirmorum [c] Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos; ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum; anathema ſit.

*c ſupr. c 2. de hoc Sacr.*

### CANON III.

Si quis dixerit, [d] extremæ Vnctionis ritum & vſum, quem obſeruat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. [e] Iacobi Apoſtoli, ideóque eum mutandum, poſſéque à Chriſtianis abſque peccato contemni; anathema ſit.

*d ſup. c vlt. Concil. Cabilon. c. 48.*
*e Iac. 5.*

### CANON IV.

Si quis dixerit, [f] Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, nó eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate; ob ídque proprium extremæ Vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem; anathema ſit.

*f d. c. vlt. Iac. 5.*

REMIS-

# REMISSIONES.

## CANON I.

a VIde Doctores citatos ſuprà cap. 1. & P. Vaſquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 2. diſp. 135. num. 4.

CANON II. Vide Sayr. de Sacram. in genere, lib. 5. cap. 1. q. vnic. art. 2. verſ. De Sacramento Extremæ Vnctionis. Petr. Ledeſm. in ſum. 1. p. tract. de Sacram. Extremæ Vnctionis, cap. 1. concl. 1.

CANON FIN. Vide P. Valeri. Regin. in praxi fori pœn. li. 18. n. 60. & plures Doctores, quos citaui ſuprà, cap. 3.

# DECRETVM DE REFORMATIONE.

## PROOEMIVM.

*Irreprehenſibiles ſint omnes clerici ad curam animarum conſtituti: qualiter eos commonere debebunt Epiſcopi, vt ſanctè miniſterium ſuum impleant ſecundum præſcriptam hic legem.*

CVm propriè Epiſcoporum munus ſit, [a] ſubditorum omnium vitia redarguere; hoc illis præcipuè cauendum erit, ne Clerici, præſertim ad animarum curam conſtituti, criminoſi ſint, néve in honeſtam vitam, ipſis conniuentibus ducant. Nam, ſi eos prauis & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto laicos de ipſorum [b] vitiis redarguent, qui vno ab eis ſermone conuinci poſſent quòd Clericos ipſis patiantur eſſe deteriores? qua etiam libertate laicos corripere poterunt ſacerdotes; [c] cùm tacitè ſibi ipſi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe quæ corripiunt? Monebunt propterea Epiſcopi ſuos Clericos, in quocúmque Ordine [d] fuerint, vt conuerſatione, ſermone & ſcientia, commiſſo ſibi Dei populo præeant, memores eius quod ſcriptum eſt: [e] Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum. Et iuxta Apoſtoli vocem: [f] Nemini dent vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eorum; ſed in omnibus exhibeant ſe, ſicut miniſtros

*a Sic præfatur ferè Conc. 9. Toletanum. Supra ſeſſ. 6. de refor. c. 3.*

*b 1. Cor. 9. c quid autem. 8. q. 1.*

*c c. vlt. 25. diſt. c. vnà tantùm. 26. diſt. c. ſicuti 1. q. 4. neceſſe. 47. diſt. c in ſacerdotibus. 61. diſt. Leuit. 11. 1. Petr. 1. & c. propoſuiſti, 81. diſt.*

*d Seſſ. 22. c. 1.*

*e Iſa. 1.*

*f 2. Cor. 6 in prin.*

a Ezech. 22. Sophon. 2.

Dei; ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis: a Sacerdotes Dei contaminant ſancta, & reprobant legem. Vt autem ipſi Epiſcopi id liberiùs exequi, ac quoquam prætextu deſuper impediri nequeant; eadem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legato & Nunciis, hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos & decernendos duxit.

## Caput I.

*Si prohibiti aſcendere ad Ordines, aſcendant, ſi ſuſpenſi aut interdicti à proprio Prælato malè ſe geſſerint, puniuntur.*

1 C*Vm honeſtius, ac tutius ſit ſubiecto*, debitam Præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſeruire, quàm cum Præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines *à ſuo 2 Prælato*, ex quacumq; cauſa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus; aut qui à ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, 3 *nulla contra ipſius Prælati* voluntatem conceſſa licentia de ſe promoueri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, ſiue honores, reſtitutio ſuffragetur.

---

## DECLARATIONES.

1 *Cùm honeſtius ac tutius ſit ſubiecto* ] Congregatio Concilij cenſuit per hoc Decretum correctum eſſe c. *ex tenore*, & c. *ad aures*, *de tempor. ordinat.* Ampliatum ita, vt comprehendat quoque Clericos ſæculares, dignitates, & beneficia, quibus annexus ſit Ordo obtinentes, tam quoad facultatem prohibendi aſcenſum ad ordines, quam ſuſcipiendi, in ipſiſque poteſtatem appellandi adeptam eſſe: dictúmque fuit quod arctatus ad ordines ſuſcipiendos, ex hoc Decreto non incidat in pœnam, ca. *licet Can. de Elect. in 6 & c. commiſſa, de Elect. eod. libr.* etiamſi adimat appellationem ſeu recurſum.

Congregatio cenſuit hoc caput habere locum in ſuſpenſionibus, & prohibitionibus, tam temporaneis, quam perpetuis: & temporalẽ prohibitionem, & ſuſpenſionem dici eam, vbi ex delicto occulto extra iudicialiter procedit Epiſcopus, ad ſuum beneplacitum, prohibẽdo,

do, vel ſuſpendendo, quæ demum tempus ſuæ adminiſtrationis non excedunt.

2 *A ſuo Prælato.* ] Siue eius Vicario vel Officiali fuerit ſuſpenſus, &c. Congregatio cenſuit, ſuſpenſum à Miniſterio altaris vel interdictum ad ſe promouendum, contra voluntatem ſui Ordinarij non poſſe promoueri, neque habilitari.

3 *Nulla contra ipſius Prælati.* ] Nec etiam ſi concedens fuerit Metropolitanus, qui etiam ſuſpenſum aut interdictum ab Ordinario, abſoluere non poteſt.

## CAPVT II.

*Epiſcopus ordinans alienum ſubditum ſine Prælati proprij expreſſo conſenſu, eúmve tonſurare præſumens etiam prætextu familiaritatis continuæ, ſit vno anno ſuſpenſus: qui autem ordinatus ſic fuerit, ſit ipſo iure ſuſpenſus ab executione ordinum ſic ſuſceptorum, quamdiu Prælato proprio videbitur.*

ET, quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, clero carentes, & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Ieſu Chriſti, [a] ſed alienas oues, inſcio proprio Paſtore, quærentes, dum per hanc ſanctam Synodum ſe Pontificalia officia in alterius diœceſi, niſi de loci Ordinarij expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm, exercere prohibitos vident, in legis fraudem, & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius diœceſis ſua temeritate eligunt; & quoſcumq́, ad ſe venientes, etiam ſi ſuorum Epiſcoporum, ſeu Prelatorum litteras commendaticias non habeant, clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam presbyteratus Ordines promouere præſumunt: quo plerumque fit, vt minùs idonei, & rudes, ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tamquam inhabiles, & indigni reiecti fuerunt, ordinati, nec diuina officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare: *a Nemo Epiſcoporum qui Titulares vocantur*, etiam ſi in loco nullius diœceſis, etiam exempto, aut aliquo monaſte-

[a] *Infrà c. 8. Suprà Seſſ. 6. c. 5.*

naſterio cuiuſuis Ordinis reſiderint, aut moram traxerint, vigore cuiuſuis priuilegij ſibi de promouendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſit, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis continuæ commēſalitatis ſuę, abſque ſui proprij Prælati expreſſo cōſenſu, aut litteris [a] dimiſſoriis ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam tonſuram promouere, ſeu ordinare valeat: β *contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum*, taliter verò promotus ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo iure ſint ſuſpenſi.

*a Seſſ 6.c.5. & ſeſſ.23.c. 8.Conc.Nican. c.17.Conc. Aurelianen.3.c. 15.Conc.Magun. tien.c.14. c.1.cum ſeq.de temp.ord. in 6. & Seſſ.23.de refor.c.3.8.& 10.*

---

## REMISSIONES.

α *Nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, &c.* ] Vide Nauar. in Man. cap.22. numer.18.§.3. P. Azori. inſtit Moral p.2. lib 1.cap.48 quæſt.6.col.379. P. Henriq.in ſum.lib.14.cap.17.§ 3.in fine lit.A.

β *Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, &c.* ] Vide Salzed Ad Bernard.in pract.cap.26 Gloſſ. Sine licentia ſui præſulis, verſ Tertius caſus eſt, Tolet. in ſum cap 89.verſ. Tertia, P. Henriq. in ſum.lib 13 de Excommunicat cap. 38. verſ. Secundò Epiſcopus, Tho.Val tom.2 alleg.45.num.18.

## CAPVT III.

### *Epiſcopus ſuos clericos ab alio malè promotos non ante admittat ad officia celebranda, quàm eos dignos iudicauerit ſuo præuio examine.*

α *Epiſcopus quoſcumq;* [b] ſuos clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, 2 β *abſq; ſuo præcedenti* examine, & commendatitiis litteris, quacumque auctoritate promotos, licet tamquam habiles ab eo, à quo ordinati ſunt, probatos, quos tamen ad diuina officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda minùs idoneos & capaces repererit; à ſuſceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpendere, & illis, ne in altari, aut aliquo ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

*b Sup.4. proxi.& ſeſſ. 23.de refor.c.8.*

DE-

## DECLARATIONES.

1 *Epiſcopus quoſcunq; ſuos Clericos.*] Epiſcopus non poteſt examinare promotos à ſuo anteceſſore, niſi poſt promotionem aliqua noua cauſſa ſuperuenerit, vt dicitur in *cap. accepimus, de ætat. & qualit. ord* Quod ſi idem Epiſcopus aliquos minus idoneos ordinauerit, eos ſuſpendere debet.

Suſpenſus ab eo tamquam non idoneus ad celebrationem miſſarum poſtea habens idoneitatem abſoluendus eſt.

2 *Abſq; ſuo præcedente examine.*] Congregatio cenſuit non comprehendi examinatos, & promotos ad Sacros ordines à prædeceſſoribus Epiſcopis niſi poſt promotionem noua cauſſa ſuperuenerit: qua vrgente poterit alias examinatos denuò examinare, &c.

## REMISSIONES.

α Vide Gonzal ad reg. 8. Cancel. Gloſſ 4 nu 101. vbi docet, quòd quando agitur de adminiſtratione Sacramentorum, vel cura animarum exercenda, tunc presbyter curam animarum exercens, vel Sacramenta miniſtrans, ſeu exercere, vel miniſtrare intendens, poteſt examinari ab Epiſcopo ſucceſſore, licet ab anteceſſore fuerit approbatus: & ſi minùs idoneus repertus fuerit, excludi debet. ſi licèt rector non ſit, & perpetuum titulum non habeat, & ſi titulum habuerit, poteſt ſuſpendi, & coadiutor benemeritus illius expenſis apponi, & idē Gonzal. d Gloſſ. 4 num 8. circa promotos adducit ſequentem à ſacra Cardinalium congregatione reſponſionem. Epiſcopus non poteſt examinare promotos à ſuo anteceſſore, niſi poſt promotionem aliqua noua cauſa ſuperuenerit, vt in cap. accepimus, de ætate, & qualitate.

β *Abſq; ſuo præcedenti examine.*] Quid ſi eſſet Doctor in aliqua Vniuerſitate ſtudij generalis graduatus, an examine indigeat? Vide Gloſſ in cap. de Petro, 47. diſt. Cened. ad Decretal. collect. 15. num 3. Aaa in Aphoriſmis, verbo, Examen, P. Henriq in ſum lib 10. cap. 18. in princip. Gonzal. d. Gloſſ 4 nu. 86. optimè decidit præceptor meus D. Antonius Homen, in Conimbricenſi Academia iuris Pontificij primarius in Comment. ad cap Cùm & plantare, §. In Eccleſiis, verbo, Epiſcopis repræſentent, verſ. Vnde iam colliges, de Priuil. ex quo text. meas de more medio deduxi concluſiones, eaſque in magna ipſius. Vniuerſitatis aula ſub tanto patrono publicè defendi.

CAPVT

## CAPVT IV.

*Nullus clericus exemptus eſt à correctione Epiſcopi reſidentis, etiam extra viſitationem agentis, tanquam ſit deputatus à Sede Apoſtolica, &c.*

*a Sup. c. 1. & Seſſ. 6. de refor. c. 3. c. irrefragabili, in prin. de of. ordin.*

α OMnes [a] Eccleſiarum Prælati, qui ad corrigendum ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus, per huius ſanctæ Synodi ſtatuta, cuiuſuis priuilegij prætextu tutus cenſetur, quo minùs iuxta Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit; ſi in Eccleſijs ſuis reſederint, quoſcumque ſæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui aliàs ſuæ iuriſdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem 1 *tanquam ad hoc Apoſtolicæ Sedis delegati* corrigendi, & caſtigandi [b] facultatem habeant: quibuſcumque exemptionibus, declarationibus, conſuetudinibus; ſententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantùm ſuos, obligent auctores, ipſis clericis, ac eorum conſanguineis, Capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipſorum exemptorum contemplatione, & intuitu minimè ſuffragantibus.

*b Suprà Seſſ. 6. c. 4 de refor.*

## DECLARATIONES,

1 *Tanquam ad hoc Apoſtolicæ Sedis delegati*] Quando Epiſcopi procedunt ex Concilio, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati in cauſſis quæ ſub eorum Iuriſdictione Ordinaria non comprehenduntur, nō poteſt ab iis, niſi ad Sedem Apoſtolicam prouocari, neq; ob hoc inferioribus iudicibus vllum fit præiudicium. At quando Iuriſdictio delegata cumulatur cum ordinaria, Epiſcopus non poteſt huiuſmodi delegationis prætextu declinare Iuriſdictionem Metropolitani in caſibus illis, in quibus ante Concilij ordinationem, Metrapolitanus poterat vti eodem iure, eadémq; poteſtate.

Vide de hac materia, Seſſ 7. cap. 8. & cap. 2. Seſſ. 24.

## REMISSIONES.

α VIde Cened. ad Clem. & Extrauag. collect. 14. n. 3. cum ſeq. vbi dicit deciſionem text. in Ext. Cùm Matthæus 3. de hæret. inter commun. minimè corrigi per textum in præſenti.

CAPVT

## Capvt v.

*Conſeruatoriæ non ex inuenta conuentione facienda coram Ordinario in criminalibus & mixtis cauſis: Conſeruatoris & Ordinarij controuerſiam ſuper competentia iuriſdictionis arbitri electi ſedent, & interim in cauſa non procedatur. Tempus valoris Conſeruatoriarum, ſaluis cauſis miſerabilium perſonarum, Vniuerſitatum, &c.*

αβ INſuper, cùm nonnulli, qui ſub prætextu quod ſuper bonis, & rebus, ac iuribus ſuis diuerſæ eis iniuriæ, ac moleſtiæ inferantur, a certos iudices per litteras Conſeruatorias deputari obtineñt; qui illos à moleſtiis & iniuriis huiuſmodi tueantur, ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi, bonorum, rerum, ac iurium ſuorum manu teneãt, & conſeruent; nec ſuper illis eos moleſtari permittant, eiuſmodi litteras in pleriſque contra concedentis mentẽ in reprobum ſenſum detorqueant: iccirco nemini omnino, cuiuſcumque dignitatis, & conditionis ſit, etiam ſi Capitulum fuerit, 1 *Conſeruatoriæ litteræ*, cum quibuſcumque clauſulis, aut decretis, quorumcumque iudicum deputatione, quocumque etiam alio prætextu, aut colore conceſſæ, ſuffragentur ad hoc, vt coram ſuo Epiſcopo, ſiue alio Superiore Ordinario, in criminalibus, & mixtis cauſis accuſari, & conueniri, ac contra eum inquiri, & procedi non poſſit: aut quo minus, ſi qua iura ei exceſſione competierint, ſuper illis liberè valeat apud iudicem ordinarium cõueniri γ *In ciuilibus etiam cauſis*, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos Conſeruatores iudices in iudicium trahere minimè liceat. Quòd ſi in iis cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, vt electus ab eo Conſeruator ab actore ſuſpectus eſſe dicatur; aut ſi qua inter ipſos iudices, Conſeruatorem, & Ordinariũ controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit: nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos, ſuper ſuſpicione, aut iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum: Familiaribus verò eius, qui huiuſ-

a c. 1. & c. vlt de off deleg.

modi

modi litteris Conſeruatoris tueri ſe ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat; ſi tamen illi propriis eius ſumptibus vixerint. Nemo etiam ſimilium litterarum beneficio 2 *& vltra quinquennium gaudere poſſit.* Non liceat quoque Conſeruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum, ε *In cauſis verò mercedum*, aut miſerabilium perſonarum, huius ſanctæ Synodi ſuper a hoc decretum in ſuo robore permaneat. 3 *Vniuerſitates autem generales*, ac Collegia doctorum, ſeu ſcholarium, & regularia loca, necnon hoſpitalia, actu hoſpitalitatem ſeruantia, ac Vniuerſitatum, Collegiorum, locorum, & hoſpitalium huiuſmodi perſonæ in præſenti canone minimè comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint, & eſſe intelligantur.

a *ſuprà Seſſ. 7. cap. 14.*

## DECLARATIONES.

1 *Conſeruatoriæ literæ* ] Conſeruatoriæ Vniuerſitatum vel Regularium non ſunt in hoc Decreto comprehenſæ, neque etiam à Concilio abrogatæ per *cap. 20. Seſſ. 24 de Reform.* nec per *cap. 6. Seſſ 25. de reform.*

2 *Vltra quinquennium.* ] Literę Conſeruatoriæ, aliæ à Superioribus, ſunt omnino ſublatæ, nec eis poterit quiſquam ſe tueri, niſi per quinquennium à die publicationis Concilij computandum.

3 *Vniuerſitates autem generales.* ] Conſeruatoriæ Vniuerſitatum, Collegiorum, Regularium, & ſimilium, non ſunt à Concilio ſublatę, nec ex vlla parte imminutæ, non obſtante cap. 20 Seſſ. 24 de reform. Eo quod cauſſæ graues ſint, & plenariam cognitionem requirant. Et ita non obſtat Bulla Pij Quarti reuocatoria facultatum, quæ Concilio repugnant. Vnde Sanctiſſimo approbante ſententiam Congregationis, Anno 1575. mandatum fuit omnibus Prioribus Regularium notatis in ſchedula, quod intra menſem in ſingulis ciuitatibus Italiæ eligerent ſuos Conſeruatores, corā quibus conueniri poſſint, & eos ſtabiles haberent, ſic vt variare non liceat, eoſq; Ordinariis ſignificarent: quod ſi non feciſſent, elapſo menſe ſcribendum ad Ordinarios, vt coram ipſis conueniri poſſint.

Congregatio quoque cenſuit, eos qui facultatem à Sede Apoſtolica obtinuerunt eligendi ſibi Conſeruatores, non eſſe cogendos ad eligendum aliquem ex iis, qui in Synodis Prouincialibus aut Diœceſanis deſignati fuerunt, ex Decreto Concilij, Seſſ. 25. cap. 10.

## REMISSIONES.

α Vide Azeued ad tit. lib. 1. nouæ Recopil. p. 118. Guttier pract. lib. 3.

lib.5.quæſt. 9.Fr.Emman.quæſt.Regular.tom.1.q 65 concordat ca. 1.& cap.fin.de officio deleg lib 6.nonnulla practicabilia in materia Conſeruatorum adducunt Marcerat.Papiæ deciſ.15.& 16.p.1.Aloyſ. Ricci in collect.deciſ p.4.collect 899.

β De Speciebus Conſeruatorum,vide Gloſſ.verbo Conſeruatores in cap.1.de officio deleg lib.6.Syluest.verbo Conſeruator num 1.P. Azori.inſtit.Moral.p.2.lib.5.cap 34.q.3.Fr.Ioan.de la Cruz,de ſtatu Relig.lib.2.cap.10 de Iudice conſeruatore.

γ *In ciuilibus etiam cauſis &c.* ] Vide Fr. Emman.d.q 65. art. 13 Fr. Ioan. de la Cruz,d cap.10.dub.6 concl.1.

δ *Vltra quinquennium* ] An duret poſt quinquennium iuriſdictio Conſeruatoris quoad negotia iam cepta? Negat Fr. Emman. quæſt. Regul.tom 1.q.65.art num 9

ε *In cauſis verò mercedum, &c.* ] Vide Salzed in pract.cap.3 in addit. lit.A Fr.Ioan.de la Cruz,cap.10 dubit.6.verſ.Si obiicias.

## CAPVT VI.

*Clericorum ac perſonarum Eccleſiaſticarum quantumcumq; exemptarum beneficium aut ordinem ſacrum habentium reprehenditur neglectus in geſtanda decenti ſui ordinis veſte. Et niſi monitis pareant Epiſcopi, priuantur ſuis reditibus, &c.*

QVia α β verò, [a] etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant: tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, religioníſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem clericalem parui pendentes; [b] veſtes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, [c] quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem illorum Ordini, & dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem, & mandatum non detulerint,

a *1. Mantiſcanen. c. 5.*

b *c. porrectum, & c. ex parte, de regul. c. vlt. 41. diſt.*

c *21. q. 4. per totã Conc. Mantiſconen. 1. cap. 5. Conc. Conſtantiẽ Seſſ. 14. de vi. & hon cler.*

per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac Officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus & prouentibus ipſorum beneficiorum, necnon, ſi ſemel correpti, denuò in hoc deliquerint, γ *etiam per priuationem officiorum*, & beneficiorum huiuſmodi coërceri poſſint, & debeant: Secundùm conſtitutionem Clementis Quinti, in Concilio Viennenſi editam, [a] quæ incipit, Quoniam, innouando, & ampliando.

a *lib. 3. Clement. de vita & honeſt. cler. cap. 2.*

## REMISSIONES.

α Vide infrà. Seſſ. 22. c. 1. & Seſſ. 26. c. 6. de Reformat. Rot. Lipſienſ. deciſ. 339. p. 2 Rubin deciſ. 91 p. 2. Rupert Inquiſitor. verbo Habitus, Nau. in commento. 4. de Regul. nu. 27. P. Henriq. in ſum lib. 13. cap. 39 §. 3 in fine lit. B. Valer. Regin in praxi fori pœn. lib 30. tract. 3. num. 10.

β De modo tonſuræ, & veſtium, quibus Clerici tam in maioribus quàm in minoribus Ordinibus vti debent, vide Concil Brachar. 4. p. 2. act. 4. cap 8 Cou pract. cap 31. num. 7. verſ 4. Salzed. ad Bernard in pract cap. 75. Farin. in praxi q 8. num. 69. Viual. in Candelabro Aureo p. 3. ad finem, Albert. Troti. de perfecto Clerico cap. 38. & 39. Burg. de Paz, Conſ 21. num. 5. Iacob de Graffis in aureis deciſ. p 1. lib. 3. cap 5. num. 3 Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Clericus, num. 14. Sigiſmund. Scacci. lib. 1. de Iudic. cauſar. cap. 11 num 84 & 87. P. Valer Reginald. in praxi fori pœn. l. 30 tract. 3. num. 14. & 15. P. Sanch. de Matrim. lib. 7. diſp. 47. num. 5. Guid. Panciról. in theſauro vari. lectiob. lib. 1. c 21. nouiſſimè Fr. Paulin. Bert. Lucenſ. in praxi criminali Regul. tit. 4. cap. 33. num. 10. cum ſeqq. Nicol. Gar. de benefic p. 7. cap. 1. à num. 21. Latè Cened. pract. & Canon quæſt. lib. 1. quæſt. 4 nu. 30.

γ *Etiam per priuationem beneficiorum, &c* ] An hæc pœna incurratur, ſi ratione paupertatis Clericus habitum proprio Ordini congruentem geſtare non valuerit? Negat Aloyſ Ricci Curiæ Archiepiſcop. Neapol deciſ. 119.

## CAPVT VII.

*Voluntarius homicida, quamtumuis occultus, omni Ordine ac beneficio careat: caſualis autem, aut vim vi repellens, ab Ordinario loci, aut Metropolitano ex cauſa, cognita cauſa, ac probatis precibus diſpenſetur.*

CVm α etiam qui [b] per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari auelli debeat:

b *Exod. 21.*

1 *qui ſua voluntate* homicidium perpetrauerit, [a] etiam ſi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nac alia ratione publicum, ſed occultùm fuerit, nullo tempore ad ſacros Ordines promoueri poſſit; nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiam ſi curam, non habeant animarum, conferri liceat; 2 β *ſed omni Ordine ac γ beneficio* & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat, 3 δ *ſi vero homicidium non ex propoſito*, 4 *ſed caſu* ε *vel vim vi repellendo*, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum [b] narretur; quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum, & altaris miniſterium, & beneficia quæcumque ac dignitates, iure quodammodo diſpenſatio debeatur; committatur ζ η *loci Ordinario*, aut ex cauſa Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo θ *qui non niſi* cauſa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, diſpenſare poſſit.

*a c. inquiſitionis de accuſ. & c. cū non ab homine de iud.*

*b c. ſtudeat. 50. diſt. & c. ſignificaſti, in 6. de Homi.*

---

## DECLARATIONES,

1 *Qui ſua voluntate.* ] Mandans homicidium committi in perſonam vnius, ſi committatur in perſonam alterius, an dicatur incurriſſe irregularitatem, adeo vt ſuper ea nec diſpenſari debeat iuxta hoc Decretum, nec Epiſcopus poſſit, ex cap. 6. Seſſ. 24. quamuis homicidium ſit occultum? Congregatio Concilij cenſuit, non incidiſſe in irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario. ita reſponſum fuit anno 1587. à Cardinali Caraffa, Hieracenſi Epiſcopo. vide infrà aliam declarationem huius cap.

2 *Sed omni Ordine ac beneficio.* ] Hoc Decretum, quod loquitur de incapacitate beneficiorum, in qua ſunt homicidæ, non extenditur ad penſiones.

3 *Si vero homicidium non ex propoſito.* ] Eum qui omni diligentia (prout potuerat) adhibita, dum operam rei licitæ daret, ſolo caſu fortuito homicidium commiſit, irregularitatem non incurriſſe, adeò vt Ordines ſuſcipere, & beneficia obtinere abſque diſpenſatione valeat, ſtante hoc Decreto, Congregatio cenſuit, & habetur expreſsè *cap. dilectus, cap. ex litteris, & cap. quidam, decretalium l. 5. tit. 12.* Et fuit reſolutum ſub die 1. Septembris 1588 quod Concilium loquatur de eo, qui fuiſſet in aliqua culpa, & ideo indigeret diſpenſatione.

4 *Sed caſu.* ] Quærebatur, An is qui mandauit aliquem baculo verberari, eo expreſſo, *ne occideretur*, ſi Mandatarius armis percuſſerit, & occiderit, intelligatur incidiſſe in hoc Decretum Concilij, adeò vt omni Ordine, atque beneficio, & officio Eccleſiaſtico abſque ſpe diſpenſationis perpetuò carere debeat? Congregatio cen-

 ſuit,

ſuit negatiuè, & hanc opinionem confirmat. Nauar. in Manuali. Cap. 27 num 240. Concilium enim requirit homicidium per induſtriam, per inſidias, & ex propoſito.

## REMISSIONES.

α Vide Nauar. in Man. cap. 27. num. 239. & ſeq. & num. 250. Rebuff. de diſpenſat. tit de corpore vitiatis, ad finem, Fr. Emman. in ſum p. 1. cap. 179. pag. 439. Nauar. conſ. 37. de Temporibus Ordinat. Pat. Henriq. in ſum lib 14. cap. 19. Fr. Ludou. in inſtruct conſc. p. 2. cap 93 Salzed. ad Bernard cap 94. Nicol. Garci. de Beneficiis p 7. cap. 11 per totum P. Valer. Reginald. in praxi fori pœniten. lib. 30. tract. 3. num. 154.

β *Sed omni Ordine.* ] Etiam minori intelligit Cou. in Clem. Si furioſus, p. 2. §. 3. num. 5 in fine, Pat Henriq. in ſumma lib. 14 cap. 19. §. 1 lit. D.

γ *Beneficio.* ] Quòd Epiſcopus diſpenſare non poſſit in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio voluntario occulto, aut manifeſto, neque ad Ordines minores, nec ad ſimplex beneficium obtinendum, tenent Nauar. d. cap. 27. num. 194. verſ. Septimò, & num. 240. verſ Quartò, & Conſ. 17. de Homicid. num. 2. Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 7. p. 19. puncto 3. §. 5. Pet. de Arag. in 2. 2. q 64. ar. 8. in fine, Tolet in ſum. lib. 1 cap. 31 Sayr. de Cenſuris lib. 6. c. 7. n. 14. & 15 P. Henriq. d. c 19. §. 1 lit. D. & lib. 13. c. 57. § 1. vbi videtur contrarium ſentire.

δ *Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, &c.* ] Quod in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio caſuali publico, id eſt, voluntario, indirectè poſſit Epiſcopus diſpenſare ad Ordines minores, & beneficium ſimplex obtinendum, ad ſacros verò Ordines diſpenſat, ſi homicidium caſuale ſit occultum, affirmant P. Henriq in ſum. lib 14 cap 19. §. 22 lit. X. Nauar. in Man. cap. 27. num 240. verſ. Quando. P. Ægid de Sacram. tom. 2. diſp. 18. num. 111 verſ. Poteſt. Zerol. in praxi Epiſcop p. 2. verbo diſpenſatio, verſ. Tertiò, vbi reſoluit, Epiſcopum poſſe diſpenſare, vt presbyter homicidia voluntarius, qui antea habebat beneficium curatum, illud poſſit retinere in futurum; & ſimiliter cum Canonico homicida, vt poſſit intereſſe choro & gaudere fructibus Canonicatus, vide ſemper Sayr de Cenſur. d. c. 9. num. 20. & 21.

ε *Vel vim vi repellendo.* ] Vide P. Paul. Comitol. reſponſ. Moral. lib. 6. quæſt. 54. num. 3. Sayr. d. cap. 7 num. 22. vbi reſoluit, Concilium in præſenti non loqui de illo homicida, qui occidit ob ineuitabilem neceſſitatem defendendi vitam, quia talis nullatenus eſt irregularis, ex Clem. Si furioſus, de homicid. iunctis reſolutis per Aloyſ. Ricci. in Collectan. deciſ. p. 4. Collect. 930. ſed de eo, qui eget diſpenſatione, & per conſequens de eo, qui in ſe defendendo exceſſit modo-

tamen inculpatæ tutelæ; talis enim fit irregularis, quamuis non ea irregularitate, quæ eſt indiſpenſabilis niſi à Papa, ſed illa, quæ ab Epiſcopo diſpenſari poteſt, Sayr. deciſ. 9. de homicid. Aloyſ. Ricci. d. collect. 930. in fine. Vide Nauar. in Man. cap. 27. num. 239. verſ. Secundò, & Conſ. 36. in nouis, aliàs in antiq. conſ. 8. ſub tit. de homicid. P. Henriq. lib 14. cap 10 §. 1. & cap. 19. §. 3. Bannes in 2. 2. D. Thom. quæſt. 64. art. 8. verſ. Ad ſecundum, Fr. Emman. in ſum. tom. 1. ca. 173. num 1. Veg. p. 2. cap. 15. caſu 23. verſ. Nota Petr Nauar lib 2. de Reſtitut cap. 3. num. 367 optimè de intellectu huius text. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 30. tract. 2. num. 112. latè Cened. practic. lib. 1. quæſt. 24. num. 13. cum ſeqq. P. Ægid, de Sacram tom. 2. diſp. 18. à num. 73. bene Petr. Ledeſm. in ſum p. 2. tract 8. de iuſt. commut cap. 18. concl. 14. diffic 1.

ſ *Loci Ordinario.*] Capitulo Sede Vacante idem concedi docet Beja caſuum conſcientiæ. p. 4. caſu 37. verſ. Tandem nullus.

α An etiam ſuperiori, vel Prælato Religioſorum, qui diſpenſare poſſunt cum ſubditis ſuis Regularibus in homicidio caſuali virtute ſuorum priuilegiorum? Affirmant Pet. de Arag. 2. 2. quæſt. 64. art. 8. in fine, vbi Mich. Salon. Viual. in Candelab. tract. de Irregul num. 319. Pat. Henriq. lib. 14. cap. 9. §. 3 lit. A. Beia vbi ſuprà, Sayr. d. cap. 7. num 24. Fr. Emman. quæſt Regul. tom. 1 quæſt. 61. art. 9.

β *Qui non niſi, &c.*] Vide Pat. Sanch. de Matrim lib. 3 diſputat. 8. num 3.

## Capvt VIII.

*Epiſcopus ex priuilegio potens punire ſubditos alienos, non puniat Clericos alienos reos criminum etiam atrocium, niſi ex proprij Clericorum Epiſcopi aut perſonæ ab eo deputandæ interuentu.*

PRæterea, [a] quia α nonnulli, quorum etiam aliqui veri ſunt Paſtores, ac proprias oues habent, alienis etiam ouibus præeſſe quærunt, & ita alienis ſubditis quandóque intendunt, vt ſuorum curam negligant: quicumque, etiam Epiſcopali præditus dignitate, qui alienos ſubditos puniendi priuilegium habuerit, contra Clericos [b] ſibi non ſubditos, præſertim in ſacris conſtitutos, quorumcúmque etiam atrocium criminum reos, niſi cum proprij ipſorum clericorum Epiſcopi, ſi

a *ſuprà cap. 5. & Seſſ. c. vlt.*

b *Conc. Maguntinen. ſub Arnulpho Imperatore, cap. 14. & 15.*

apud Eccleſiam ſuam reſederit, aut perſonæ ab ipſo Epiſcopo deputandæ interuentu, nequaquam procedere debeat: aliàs proceſſus, & inde ſecuta quæcumq; viribus omnino careant.

## REMISSIONES.

α Vide Thom. Valaſc tom. 1. allegat. iuris allegat. 45. numer. 20.

## Capvt ix.

*Beneficia vnius diœceſis, nullo prætextu vniantur beneficijs alterius diœceſis.*

*a A Dionyſio Papa videc. Conſtantino, c. primis, c. Eccleſias, 13 q. 1. c. Paſtoralis de his quæ fiunt à prœl. & infr. Seſſ. 24. de refor. cap 13. in fin. & cap. 17.*

*b Sup. Seſſ 7. ca. 6. & 7 & infr. Seſſ. 24 de refor. c 13. & 15.*

ET, α quia [a] iure optimo diſtinctæ fuerunt diœceſes, & parochiæ, ac vnicuíque gregi proprij attributi Paſtores, & inferiorum Eccleſiarum Rectores, qui, ſuarum quiſque ouium, curam habeant, vt ordo Eccleſiaſticus non confundatur, aut vna & eadem Eccleſia duarum quodam modo diœceſum fiat, non ſine graui eorum incommodo, qui illi ſubditi fuerint: 1 β *beneficia vnius diœceſis*, etiamſi parochiales Eccleſiæ, Vicariæ perpetuæ, aut ſimplicia beneficia, ſeu præſtimonia, aut præſtimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum diuinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacúmque de cauſa, alterius diœceſis beneficio, aut monaſterio, ſeu Collegio, vel loco etiam pio perpetuò non [b] vniantur: decretum huius ſanctæ Synodi ſuper huiuſmodi vnionibus in hoc declarando.

## DECLARATIONES.

1 *Beneficia vnius Diœceſis.*] Beneficia vnius Diœceſis, alterius Diœceſis non debent beneficiis vniri.

## REMISSIONES.

α Vide P. Valer. Regin. in praxi fori pœnitent. lib. 30. tract 3. num. 302.

β *Beneficia vnius diœceſis etiamſi parochiales Eccleſiæ, Vicariæ, ſeu præſtimonia.* ] An præſtimonia nominentur beneficia? Affirmant

Staphilæ.de literis gratiæ,tit.de qualit & ſtatu benef.§.1.num.4 & 5. Rebuff. de pacificis poſſeſſ. num. 9. & in praxi tit.beneficium ſæculare quotuplex ſit,num. 16 Pauin.de officio, & poteſt. Capituli Sede vacante in 1.quæſt.2.partis, ſub num. 5 verſ. Et idem dicendum,& vide quæ Seſſ.23 cap.fin.ibi ( vel etiam præſtimonia. ) Contrariam tamen opinionem, videlicet, quòd non ſint beneficia Eccleſiaſtica, tuentur Gom.in tract.de ſpectat.num.39 Hoied. de incompatib. beneſic.p 2.cap 7 num.11.Petr.Gregor.in inſtit rei benef cap 11.num. 9.Diſtinguunt alij,quòd prima opinio intelligitur de præſtimoniis, quæ in titulum perpetuum dătur,& habent annexum aliquod obſequium ſpirituale. Secundam verò procedere dicunt in præſtimoniis in ſola temporalitate conſiſtentibus , aut quæ non dantur in titulũ perpetuum,quæ diſtinctio ſumitur ex Salzed.ad Bernard.in pract ca. 18 num.10 Menoch.de arbitr.caſu 101.num.55 cum ſeqq. Hoied. de incomp.benef.p.2.cap 8 num 11 cum ſequent. Flamin de reſig li. 1.quæſt.2.num.123.cum ſeqq.& lib 2.quæſt. 1. num. 136. & 137. Conzal.ad reg.8 Cancel.Gloſſ 5.§. 2. nam. 21. Cùm tamen omnia præſtimonia,præſertim in Hiſpania communiter ſolis Clericis conferantur,& dentur in titulum perpetuum beneficij,beneficia eſſe reſoluunt.Salzed.d.cap.18.num 10.& cap.62 num.11.Nauar de orat. cap 21 num 9.Fuſc.de Viſit.lib.2.cap.10.nu. 23. Ludou. Lopez , in Inſtruct.conſcient.tom.1.cap.105.Arag 2.2.q.23.art.12 Fuiui. Pacian.de Probat.lib.2,cap.31.num.1.Veg. p. 1. ſum.cap. 128. caſu 13. verſ.Sextò,Frat.Emman.in ſum.tom.1.cap.140 num 7 Petr.Ledeſ. in ſum.p.2.tract.9.cap.4.concl 6.diffic.1 Iacob.de Graffis, deciſ. aurea,lib.1.cap.9 num.14.P Azori.inſtit.Moral.part.1.lib. 10. quæſt. 4. Pat.Soar tom 5.de Cenſuris,diſp 33 ſect.1.num.7. quos refert, & ſequitur Nicol.Garci.de Beneſic.p.1.cap.2.nu.117.

## Capvt x.

### *Regularia beneficia conferantur non niſi regularibus actu, aut qui eſſe debeant.*

REgularia ª beneficia ; in α titulum β *Regularibus profeſſis* prouideri conſueta , cùm per obitum, aut reſignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, 1 γ *religioſis tantùm illius Ordinis,* δ *vel iis,qui habitum omnino ſuſcipere*,& profeſſionem emittere teneantur, & non aliis;ne veſtem lino,lanáque contextam induant, conferantur.

*a c. cùm de beneficio, de preb. in 6. & infrà, Seſſ. vli.cap. 21. circa med de reg & mon.*

*Deut.22. c cùm cauſam, de Ele. & c. Quidam, de Apo.*

## DECLARATIONES.

1 *Religioſis tantùm illius Ordinis.*] An præter Papam Ordinarij collatores poſſint Regularia beneficia in titulum Regularibus profeſſis prouideri conſueta, conferre etiam ſecularibus qui illius habitum omnino ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, ex hoc cap. Sacra Congregatio die 12. Decembris, 1585 cenſuit, poſſe etiam Ordinarios collatores portiones Monachales, & Canonicales & ſimilia ſimplicia beneficia Regularibus prouideri conſueta conferre non modò eius Ordinis profeſſis, ſed etiam ſæcularibus, qui habitũ ſuſcipere, & profeſſionem emittere omnino teneantur: Abbatias tamen & beneficia adminiſtrationem habentia, non niſi profeſſis, iuxta Canones per Ordinarios inferiores conferri poſſe. Item cenſuit; in prouiſionibus beneficiorum, quas Ordinarij inferiores faciunt vt profeſſis, non eſſe apponendum decretum (*ex nunc prout ex tunc, & poſtquam*) in ſolis prouiſionibus Apoſtolicis apponi conſuetum; ſed prouiſiones faciendas eſſe purè, & ſimpliciter ad formam Concilij in hoc capite, vt qui habitum omnino ſuſcipere & profeſſionem emittere teneantur.

Regulares ſunt incapaces beneficij ſimplicis, etiamſi eſſet Canonicatus Regularis, non autem beneficij curati, iuxta diſpoſitionem *cap. Quod Dei timorem, de Stat. Monach* licet non hodie, cum obſtet Concilium Lateranenſe, ad concordata. Vide not. c. 18. Seſſ. 24.

## REMISSIONES.

α Vide Rebuff. reſp 113 & de Nomin. q 15 num. 25. Selu. de benef. p. 3. q. 11. num. 130 Nauar. Conſ 9. de præbend. Flamin de Reſignation. lib. 4 q. 5 num. 2. Fr. Emman q. Regul. tom 1. q. 34 art. 3. Zerol in praxi Epiſcop p. 2. verbo Beneficia, num 5. pag 35 P. Azori. inſt. Mor. p. 2 lib 6. cap 4. col. 673. Gonzal ad reg 8 Cancel. Gloſſ. 8. à princip Nicol. Garci de Benefic. p. 7. c. 10. Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ p. 4. collect. 763.

β *Regularibus profeſſis.*] Beneficia Regularia non poſſe conferri nouitiis, ſed expreſsè profeſſis, reſoluit Nicol. Garc. d. cap. 10. num. 4.

γ *Religioſis tantùm illius Ordinis*] An in defectu Regularium poſſint beneficia Regularia Clericis ſæcularibus conferri? Affirmant Gonzald. d. Gloſſ. 8. num. 43. Garci. d. c. 10 num. 16.

δ *Vel iis, qui habitum omnino ſuſcipere, &c.*] Vide Gonzald. d. Gloſſ. 8. num. 77. & 78. dicit ſic ſacram Cardinalium congregationem cenſuiſſe: An præter Papam Ordinarij collatores poſſint Regularia beneficia in titulum Regularibus profeſſis prouideri conſueta, conferre etiam ſæcularibus, qui illius Ordinis habitum omnino ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur? Sacra congregatio

die 12.

die 12. Decembr. 1585. cenſuit, poſſe etiam Ordinarios collatores portiones monachales, & canonicales prouideri conſuetas, conferre, ne dum eius ordinis profeſſis, ſed etiam ſæcularibus, qui habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere omnino teneantur. Abbatias tamen & beneficia adminiſtrationem habentia non niſi profeſſis iuxta Canones per ordinarios inferiores conferri poſſe.

## CAPVT XI.

*Nulli admittantur ad profeſſionem, niſi vt in Ordine ad quem transferuntur, ſub obedientia maneat, & beneficiorum ſæcularium, etiam curatorum incapax exiſtat.*

QVia *a* verò Regulares,[a] 1 *de vno ad alium Ordinem tranſlati*, facilè à ſuo Superiore licentiā ſtandi extra monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi, & apoſtandi occaſio tribuitur: nemo cuiuſcumque ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiuſuis facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris β *obedientia* in clauſtro 2 *perpetuò* maneat: ac taliter tranſlatus, etiamſi Canonicorum Regularium fuerit, 3 γ *ad beneficia ſæcularia*, etiam curata, omnino incapax exiſtat. a *Addit ad c. 27. Conc. Agathenſ.*

## DECLARATIONES.

1 *De vno ad alium Ordinem tranſlati* ] Omnes cuiuſcumque Religionis legitimè tranſlati ad Carthuſianos, poſſunt in eadem Carthuſienſi religione in clauſtro Priores, & extra clauſtrum Procuratores eſſe.

Contra Regulares vagantes, de vno in alium Ordinem tranſlatos, agit Epiſcopus ex hoc decreto, vt ex Bulla Pij V. de tranſlatis.

2 *Perpetuò* ] Poteſt tamen ſuperior dare licentiam tranſlato, ad modicum tempus ſtandi extra Monaſteria cauſſa prædicationis, vel audiendi confeſſiones.

3 *Beneficia ſæcularia.* ] Congregatio Concilij cenſuit, milites regulares militiæ Sancti Iacobi de Spatha alióſque huiuſmodi non emittentes omnia tria vota ſubſtantialia religionis, non eſſe incapaces beneficiorum ſecularium, ſiue ſimplicium ſiue curatorum nec etiam penſionum.

## REMISSIONES.

α Vide P. Azor. inſt moral. p. 1. lib. 12. c. 14. q. 12. verſ. in Concilio.
β *Obedientia* ] Vide Nauar. Comment. 4 de Regularib. nu. 11. & 12. & 38. cum ſeqq. Fr. Emman. quæſt. Regular. tom. 3. q 53. art. 4.
γ *Ad beneficia ſæcularia etiam curata omnino incapax exiſtat.* ] Vide Nauar. conſ. 9. n. 1. de præb. Rebu. in praxi tit. de diſpenſat. cum Regularib. nu. 2. Proſper de Auguſtino in addit. ad Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Canonicus Regularis, pag. 129. vbi dicit, quòd hodie nulli Regulares, etiam ſi ſint Canonici, habere poſſunt ſine diſpenſatione Canonica beneficia curata, nec in perpetuum, nec ad tempus, Verall. deciſ. 223. Ioann. Aloyſ. Ricci in collect. deciſ. p. 4. collect. 763. P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnit lib. 30. tract. 5. nu. 158. & ita in praxi obſeruari teſtatur Gonzal. ad reg 8. Cancel. gl. 7 nu. 51. vbi refert in hæc verba ſacram Cardinalium congregationem cenſuiſſe. S. D. N. Greg. XIII noluit licere Canonicis Regularibus congreg. Lateran. etiam de licentia ſui Generalis, abſque permiſſu Summi Pontificis, aſſumere curam animarum, etiam ad tempus, multóq; minùs beneficium curatum ad tempus: quam deciſionem adde ad cap. Quòd Dei timorem, de ſtatu Monach. Vide P. Azor. inſtit. Moral lib. 6. cap. 4. q. 21. & 23.

## CAPVT XII.

*Solus competenter ex ſuis dotans, aut de nouo capellam fundans, ius patronatus obtineat:*

a *Seſſ. 25. c. 9.*

NEmo α etiam cuiuſuis [a] dignitatis eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, quacumque ratione, niſi Eccleſiam, beneficium, *aut* 1 β *capellam de nouo fundauerit*, & conſtruxerit; ſeu iam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotauerit; 2 *ius patronatus impetrare, aut obtinere poſſit*, aut debeat. In caſu autem fundationis, aut dotationis, huiuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſeruetur.

b *c. pia mentis, cum ſeq 16 q. 7. & c. nobis, de iu. patr. & infr Seſſ. vlt. cap. 9. in princ.*

## DECLARATIONES.

1 *Aut Capellam de nouo fundauerit.* ] Si fundatio Capellæ ſtet ſub his verbis teſtatoris: *quod Capellanus debeat celebrare diuina officia die*

*die noctuq; ſicut cæteri Capellani faciunt*, An Capellanus hic debeat eſſe presbyter? Congregatio cenſuit, his verbis poſitis in fundatione huius Capellæ, non inferri neceſſariò, vt Capellanus debeat eſſe presbyter.

An cap. hoc intelligendum ſit de patronalibus beneficijs nouiter vel in futurum erigendis, an de iam creatis & inſtitutis? Congregatio cenſuit ex his verbis, hoc intelligendum eſſe etiam de Iuribus patronatus, erectis ante Concilium legitimè: ideo eorum titulos oſtendendos Ordinario, &, ſi apparuerit huiuſmodi Iura Patronatus rectè ac ritè conceſſa fuiſſe, nec ex illis eſſe, quę reuocata ſunt à Concilio ſeſſ. 25. c. 9. de Reform. & data fuiſſe, ea lege expreſſa, vt præſentatio fieret Capitulo ſeu dignitatibus Cathedralis Eccleſiæ, ſaluum adhuc manere iſtud ius præſentationis, ex Decreto Concilij ſeſſ. 7. c. 13. & ſeſs. 25. cap. 9. Si verò de non ſimplicibus beneficijs agatur, Cōgregatio cenſuit ſeruandam eſse formam præſcriptam ſeſs. 24. c. 18.

2 *Ius patronatus impetrare aut obtinere poſſit.* ] Hoc caput debet intelligi, de Iuribus patronatus in futurum acquirendis, & erigendis poſt Concilium: non autem de acquiſitis, ſi in illis factis ante Concilium, præſentatio ex eorum inſtitutione non Epiſcopo, ſed alteri facienda erat; nihil enim in his inuouatum eſt. Porrò in exemptis Eccleſijs non poteſt reſeruari Inſtitutio alteri, quam Epiſcopo; niſi Rector illius loci fuerit Ordinarius, ordinariaq; fungatur Iuriſdictione. Neq; Vicarius Epiſcopi Sede vacante poteſt præſentatum inſtituere à prætenſis patronis.

## REMISSIONES.

α VIde P. Azor inſt. Moral. p. 2. lib 6. c. 19. q. 11. verſ. Si quæras.

β *Aut capellam de nouo fundauerit, & conſtruxerit.* ] Vide Menoch. de Præſumpt li. 3. q 90 num 9.

## CAPVT XIII.

### *Præſentetur beneficiandus ipſi Ordinario, aliàs inſtitutio ſit nulla.*

1 NOn liceat præterea [a] patrono cuiuſuis priuilegij prætextu aliquem ad beneficia 2 *ſui iuris patronatus*, 3 α *niſi Epiſcopo loci ordinario*, ad quem prouiſio, ſeu inſtitutio ipſius beneficij, ceſſante priuilegio, iure pertineret, quoquomodo præſentare: aliàs præſentatio: ac inſtitutio, forſan ſecutæ, nullæ ſint, & eſſe 4 *intelligantur.*

a *Vide ſeſ. 25. c. 9. illud, &c. relatum, de in patro. Conc. Maguntien. tempore Arnulphi c. 4. Concil. Saleguſtad c. 13.*

DE-

# DECLARATIONES.

1 *Non liceat.*] Intelligendum eſt hoc Decretum, quoad examen dumtaxat ab Ordinario faciendum de perſona preſentati, ſecundum aliud Decretum eiuſdem Concilij ſeſſ.7.c.13.non autem intelligendum, vt cenſeatur ablata inſtitutio, quam idem Concilium voluit ſaluam eſſe omnibus Epiſcopo inferioribus ad quos pertinet, vt apparet Seſſ.25.c.9.verſ. *quo ſi ad inferiores.*

2 *Si iuris patronatus.*] Hoc decretum loquitur de acquiſitis ante Concilium, nec per hoc cap tollitur diſpoſitio cap.13.ſeſſ.7.& cap.9. ſeſſ.25.

3 *Niſi epiſcopo loci ordinario.*] An probatio quæ facienda eſt ab Epiſcopo, (etiamſi inſtitutio pertineat ad inferiores, iuxta formam ca 9. ſeſſ 25 & c.13 ſeſſ.7.) debeat fieri etiam in beneficiis, quorum inſtitutio pertinet ad Monachos? Congregatio cenſuit, etiam in iſtis beneficiis debere fieri.

An dicta approbatio requiratur tantùm in beneficiis Iuris patronatus, an etiam in aliis beneficiis? Congregatio cenſuit, non requiri in beneficiis ſimplicibus, quorum collatio libera pertinet ad inferiores.

4 *Intelligantur.*] Non ſunt ſublatæ fundationes, veluti ſi fundator Capellæ reliquerit inſtitutionem Capitulo.

An pro beneficijs tantum curatis, an etiam, pro aliis beneficiis quibuſcumque fieri debeat examen per Epiſcopum? Congregatio cenſuit, in iſtis beneficiis, ſiue ſint iuris patronatus, ſiue liberæ collationis examen faciendum eſſe ab Epiſcopis ordinarijs ſecundum diſpoſitionem Concil. ſeſſ.24 cap 18. Item cenſuit, requiri in quibuſuis alijs beneficijs, ad quæ præſentatio, vel electio vel ordinatio facienda ſit à quibuſcumque aliis perſonis Eccleſiaſticis inferioribus Epiſcopo, pro vt ſtatutum eſt à Concilio ſeſſione 7.cap. 13. & Seſſione 25 cap 9.

Vbi ex conſuetudine inſtitutio beneficiorum ad Archidiaconum ſpectat, velut in inferiori Germania nihil eis per hoc Decretum derogatum eſt: etiamſi hoc illi faciant in Eccleſiis, in quibus nihil ſtatutum eſt in eorum fundatione: dummodo tamen hoc alias eis legitimè conueniat, ita vt hoc non dependeat ab aliquo Iure patronatus quod Decret. Concil. ſublatum ſit, & provt diſponitur c. 13. ſeſſ 7 c. 18 ſeſſ.24. & c.9. ſeſſ.25. de Reform.

An aliquo obtinente beneficium vigore præſentationis factæ ab obtinente legitimum ius præſentandi, & non ſequuta poſtea inſtitutione per tunc temporis Epiſcopum, nec demonſtratione contraria voluntatis eiuſdem; declarandum ſit per Ordinarium ſucceſſorem, præſentationem præteritam eſſe nullam, iuxta Concil. Tridentinũ, hic & ſeſſ.25.c.9.& pro vt videtur diſponere *c. illud, &c. prælatum, ext. de iur.*

*de iur. patr.* An verò declarandum ſit tam præſentatum, quàm præſentantem in excommunicationem incidere. pro vt diſponit *c. præterea, extr. de Iure patronat. & can. ſi quis deinceps, 16 qu. 7. cum aliquot ſeq.* Congregatio non derogat d. c. *præterea* & aliis ſimilibus; ſed quæ in hac materia diſponit, voluit reddere iuri communi.

Dubitatum quoque fuit, quid iuris ſit illis, qui præſentati & inſtituti fuerunt, ſed non habent Bullas? Reſponſum eſt ab eadem Congregatione ſufficere, ſi aliunde legitimè conſtat de dicta tali inſtitutione: niſi tamen inſtituti obligati fuiſſent expedire Bullas Apoſtolicas; tunc enim obſtaret illis Bulla Iulij edita aduerſus eos qui poſſeſſiones beneficiorum adipiſcuntur, non expeditis omnibus.

Quærebatur, An præſentationes quæ factæ fuerunt per Epiſcopum coram inferiori, ſcilicet Capitulo Collegiatæ eiuſdem Eccleſiæ ex conſuetudine, ſiue ex priuilegio; deinde factæ coram Ordinario, ſint dicendæ continuatæ, prout Concilium requirit c. 9. ſeſſ. 25 attento maximè, quod quædam promiſſio inter vtroſque interponitur, ſcilicet, reſignatio cauſſa permutationis in Curia factæ; cum derogatione tamen dicti Iuris patronatus? Congregatio Concilij (vt conſtat ex literis Illuſtriſſimi & reuerendiſſ. S. Sixti datis die 4 Februar. 1581. (cenſuit, ſi ante Concilium præſentationes factæ ſint, validas eſſe, ſiue ex priuilegio, ſiue ex conſuetudine; ſecus ſi poſt Concilium quod quidem in hoc cap. 13. ſuſtulit priuilegium, non autem fundationem.

Rurſus quærebatur, An mortuo Epiſcopo Vicarius generalis, Sede vacante, nullum ad hoc habens ſpeciale mandatum, potuerit inſtituere eius literis? In vna Placentinenſium fuit reſcriptum, Congregationem Concilij declaraſſe Vicarium id minimè potuiſſe: quod nota, quia eſt contra ea, quæ ſcripſit Pauinus in ſuo tractatu.

Fuit etiam dubitatum, quid iuris ſit illis, qui nullum certum habent beneficium, ſed ſolùm iure legati relictum fuit à quibuſdam vt certæ in hebdomada miſſæ celebrentur, & eorum hæredes faciant electionem Sacerdotũ qui huiuſmodi legato ſatisfaciant? Reſponſum fuit à Congregatione, ſatis eſſe, ſi prædicti hæredes eligerent Sacerdotem aliquem ex approbatis ab Ordinario.

Præterea fuit dubitatum, præſuppoſito quod aliqui de prædictis inciderent in cenſuram, vt dict. cap *præterea*, an celebrando, facti ſint irregulares, indigeántque propterea Apoſtolica diſpenſatione? Reſpondit Congregatio, illud *c. præterea, extr. de Iure patronatus*, non excommunicare ipſo iure, ſed dicere excommunicandos eſſe: quod etiam gloſſ. *ibi, verſ. communione priuetur*, annotauit: ideo ſi quis in ſpecie fuit ob cauſſam ab Ordinario excommunicatus, & poſtea celebrauit, certum eſt, eum incidiſſe in irregularitatem, ac ideo diſpenſatione egere. Eſt etiam animaduertendum ad eos qui Laicorum electioni conſenſerunt, quia hos ex eo ſolo creditur fuiſſe factos irregulares, gloſſ *d. c. præterea.*

vltimà

Vltimò dubitatum fuit, An tolerantia Epiſcoporum, qui pro tempore fuerunt, & ignorantia, præteritos excuſet, maximè cum dicta beneficia ſint valde tenuia? Reſponſum fuit à Sacra Congregatione, neutrum excuſare. Conquerenti autem Epiſcopo Lucenſi, ſuos Canonicos obtinere beneficia, nec expedire Bullas, viſum eſt reſpondendum, vt priuet eos, qui ita obtinent, adhibitis Vicariis, qui inſeruiant, vſque dum admonitus Sanctiſſimus prouidere poſſit.

Qui pacificè per triennium aliquod beneficium poſſedit, non tenetur oſtendere titulum, vel docere de titulo Ita Sacra Congregatio cenſuit, Anno 1588.

Vide etiam de poſſeſſione triennali *Seſſ. 7. c. 8. In fin.*

## REMISSIONES.

a *Niſi Epiſcopo, &c.* ] Vide Rot. nouam dec. 3. de iure patronat. Roch. de iure patron. verbo Competens, n. 64. cum ſeqq.

### CAPVT XIV.

*Tractandum de miſſa, ordine, & reformatione.*

Declarat præterea ſancta Synodus, in futura Seſſione quam ad xxv. diem Ianuar. ſubſequentis anni M. D. LII. habendam eſſe iam decreuit; vnà cum Sacrificio Miſſæ agendum, & tractandum etiam eſſe de Sacramento Ordinis, & proſequendam eſſe materiam reformationis.

## SESSIO XV.

### QVÆ EST QVINTA SVB IVLIO III. PONT. MAX.

### CELEBRATA DIE XXV. IAN. M. D. LII.

*Decretum prorogationis Seſſionis.*

CVM ex eo, quod proximis, Seſſionibus decretum fuit, ſancta hæc & vniuerſalis Synodus per hos dies accuratiſſimè diligentiſſimeque tractauerit ea quæ ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, & ad Sacramentum Ordinis ſpectant; vt hodierna

hodierna Seſſione, quemadmodum Spiritus ſanctus ſuggeſſiſſet, decreta de his rebus, & quatuor præterea articulos ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Seſſionem dilatos publicaret; atque interim affuturos eſſe putauerit ad hoc ſacroſanctum Concilium eos, qui Proteſtantes ſe vocant; quorum cauſa eorum publicationem articulorum diſtulerat; & vt liberè ac ſine cunctatione vlla huc venirent, fidem eis publicam, ſiue ſaluum [a] conductum conceſſerat tamen, cùm illi nondum venerint; & eorum nomine ſupplicatum huic ſanctæ Synodo fuerit, vt publicatio, quæ hodierno die facienda fuerat, in ſequentem Seſſionem differatur, certa ſpe allata, affuturos eos eſſe omnino multò ante illam Seſſionem, ſaluo conductu amplioris formæ interim accepto: eadem ſancta Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, ijdem Legato & Nuncijs præſidentibus, nihil magis optans, quàm ex præſtantiſſima natione Germanica omnes de religione diſſenſiones, & ſchiſmata tollere, ac eius quieti, paci, otioque conſulere; parata, ipſos, ſi venerint, & humaniter excipere, & benignè audire; confidenſque eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, ſed veritatis cognoſcendæ ſtudio eſſe venturos; &, vt Euangelicæ veritatis ſtudioſos decet, ſanctæ matris Eccleſiæ decretis ac diſciplinæ ad extremũ eſſe acquieturos; ſequentem Seſſionem ad edenda & publicanda ea, quæ ſuprà commemorata ſunt, in diem feſtum S. Ioſephi, qui erit die XIX. menſis Martij, diſtulit; vt illi ſatis temporis & ſpatii habeant, non ſolùm ad veniendum, verumetiam ad ea, quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus vt omnem cunctandi diutius cauſam adimat; fidem publicam, ſiue ſaluum conductum, eius, qui recitabitur, tenoris & ſententiæ, libenter dat & concedit. Intereà verò de Matrimonii Sacramento agendum, & de eo, præter ſuperiorum decretorum publicationem, definiendum eſſe eadem Seſſione ſtatuit & decernit, & proſequendam eſſe materiam reformationis.

SAL-

# SALVVS CONDVCTVS DATVS PROTESTANTIBVS.

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato & Nuncijs, inhærendo ſaluo conductui, in penultima Seſſione dato, & illum iuxta tenorem infra ſcriptum ampliando: vniuerſis fidem facit, quòd omnibus & ſingulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus, & alijs quibuſcumq; viris cuiuſcumque ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtant, Germanicæ prouinciæ & nationis, ciuitatibus & alijs locis eiuſdem, & omnibus alijs Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, præſertim Auguſtanæ confeſſionis perſonis, qui aut quæ vna cum ipſis ad hoc generale Tridentinũ Concilium venient, aut mittẽtur, ac profecturi ſunt, aut huiuſq; venerũt, quocumque nomine cenſeantur aut valeant nuncupari, tenore præſentium publicam fidem & pleniſſimam veriſſimãq; ſecuritatem, quam ſaluum cõductum appellant, liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemq; manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipſa Synodo de quibuſcumq; negotiis tractandi, examinandi diſcutiendi, & omnia, quæcumq; ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet, tam ſcripto quàm verbo, liberè offerendi, propalandi, eóſque Scripturis ſacris, & Beat. Patrum verbis, ſententiis & rationibus

Nota. declarandi, aſtruendi, & perſuadendi, &, ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis reſpondendi, & cum ijs, qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi Chriſtianè, aut caritatiuè abſq; omni impedimento conferendi, opprobrijs, conuicijs, ac contumelijs penitus ſemotis; & ſignanter, quòd cauſæ controuerſæ ſecundùm ſacrã Scripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, vt religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum, aut committendorum, minimè puniantur, impertitur ac omnino concedit

ſic etiam;

*ſic etiam, vt propter illorum præſentiam, neque in itinere, aut quocumq; locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa ciuitate Tridẽtina à diuinis officiis quouis modo ceſſetur. Et vt his peractis vel non peractis, quandocumq; ipſis libuerit, aut maiorum ſuorum mandato & aſſenſu ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit; mox abſque vlla renitentia, & occaſione, aut mora, ſaluis rebus eorum, & ſuorum pariter honore, & perſonis, vice verſa, poſſint iuxta beneplacitum liberè & ſecurè redire; de ſcientia tamen ab eadem Synodo deputandorum, vt tunc opportunè eorum ſecuritati, abſque dolo & fraude prouideatur. Vult etiam ſancta Synodus, in hac publica fide ſaluoq; conducto omnes quaſcumque clauſulas includi ac contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci, & ſufficienti ſecuritate, in eundo, ſtando, & redeundo, neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad maiorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quòd ſi quiſpiam, aut illorum aliqui ſiue in itinere, Tridentum veniendo, ſiue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod abſit, egerint aut cõmiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium, eis conceſſum, annullari aut caſſari; vult & concedit, vt in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſis dumtaxat, & non ab alijs, condigna animaduerſione, cum emenda ſufficienti, per partem ipſius Synodi meritò approbanda, & laudanda, mox puniantur; illorũ aſſecurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt ſi quiſquam, vel aliqui ex ipſa Synodo, ſiue in itinere, aut manendo, aut redeundo aliquod enorme, quod abſit, egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficiũ violari, aut quoquo modo tolli; in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſa Synodo dumtaxat, & non ab alijs condigna animaduerſione, & emenda ſufficienti, per partem Dominorum Germanorum Auguſtanæ confeſſionis, tunc hic præſentium meritò laudanda, & approbanda, mox puniãtur; præſenti aſſecurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult prætereà ipſa Synodus, quod liceat ipſis Ambaſciatoribus, omnibus, & ſingulis, toties quotieſcumq; oppornum fuerit, ſeu neceſſariũ, ad auram capiendam exire de ciuitate Tridẽtina, & reuerti ad eandem, necnon nuntium, vel nuntios ſuos ad quæcumq; loca pro ſuis neceſſarijs negotijs ordinandis liberè*

*mittere ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatũ ſuſcipere toties, quoties eis videbitur expedire; ita quòd aliqui, vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati prouideant, vel prouideat. Qui quidem ſaluus conductus, & ſecuritas ſtare ac durare debeat, à tempore, & per tempus, quo in ipſius Synodi, & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſque ad tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem, & rurſum, poſt ſufficientem audientiam habitam: ſpatio viginti dierum præmiſſo, cùm ipſi petierint; aut Concilium, habita huiuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento vſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo fauente, reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia pro vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus principibus, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus quibuſcumque, atque omnibus alijs Eccleſiaſticis & ſæcularibus perſonis, cuiuſcumq; ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumque nomine cenſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet.*

*Inſuper omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam Synodum nullam vel manifeſtè vel occultè occaſionẽ quæſituram; aut aliqua auctoritate, potentia, iure, vel ſtatuto, priuilegio legum, vel Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præſertim* [a] *Conſtantienſis, & Senenſis, quacumq; forma verborum expreſſa, in aliquod huius fidei publicæ, & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudicium quouis modo vſuram, aut quemquam vti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod ſi ſancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel ſuis, cuiuſcumq; conditionis, vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſaluiconductus formam & modum in quocumq; puncto vel clauſula violauerit; quod tamen auertere dignetur Omnipotens; & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, & ipſorum arbitrio meritò approbanda & laudanda; habeant ipſam Synodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas iure diuino & humano, aut conſuetudine, huiuſmodi ſaluorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione, aut quauis in hac parte contradictione.*

[a] Conc. Conſtãt Seſſ 19. in cap. quod non obſtantib. ſaluis conductib.

# SESSIO XVI

## QVÆ EST SEXTA, ET VLTIMA,

## SVB IVLIO III. PONT. MAX.

## CELEBRATA DIE XXVIII. APR. M. D. LII.

*Decretum ſuſpenſionis Concilij.*

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea Reuerendiſſimis Dominis, Sebaſtiano Archiepiſcopo Sipontino, & Aloyſio Epiſcopo Veronenſi, Apoſtolicis Nunciis, tam eorum proprio, quàm Reuerendiſſimi, & Illuſtriſſimi Domini Marcelli tit. S. Marcelli ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Creſcentij, Legati, ob aduerſam eius grauiſſimam valetudinem abſentis, nomine, non dubitat Chriſtianis omnibus patere, hoc Concilium œcumenicum Tridentum primò à Paulo fel. rec. conuocatum & collectum fuiſſe; deinde à ſanctiſſimo Domino noſtro Iulio III. efflagitante Carolo V. Auguſtiſſimo Imperatore, ea præcipuè de cauſa fuiſſe reſtitutum, vt religionem in multis orbis partibus, & præſertim in Germania, in diuerſas opiniones miſerabiliter diſtractam, in ſtatum priſtinum reuocaret; abuſus & mores Chriſtianorum corruptiſſimos emendaret: cúmque ad hoc agendum quamplurimi Patres, nulla laborum ſuorum, periculorúmque habita ratione, è diuerſis regionibus alacriter confluxiſſent; réſque ſtrenuè, magno fidelium concurſu, fęliciterque procederet, ac ſpes eſſet non leuis, illos Germanos, qui eas nouitates excitarent, in Concilium venturos ſic animatos, vt veris Eccleſiæ rationibus vnanimiter acquieſcerent, lux denique quędam rebus affulſiſſe videretur; capútque attollere inciperet profligata anteà & afflicta Reſpublica Chriſtiana: ij repétè tumultus, ea bella hoſtis generis humani

verſutia exarſerunt, vt Concilium velut hærere, ac ſuum curſum interrumpere ſatis incommodè cogeretur; ſpeſque omnis vlterioris progreſſus hoc in tempore tolleretur: tantumque aberat, vt ſancta Synodus Chriſtianorum malis & incommodis mederetur, vt multorum mentes, prçter ſui animi ſententiam, irritaret potius quàm placaret. Cùm igitur ipſa ſancta Synodus, omnia & præcipuè Germaniam armis ardere & diſcordiis videret, omnes ferè Epiſcopos Germanos, prçſertim Principes Electores ſuis conſultum eccleſiis, è Concilio abijſſe; decreuit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere; vt Patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis ouibus proſpectum ad ſuas Eccleſias regredi valerent; ne diutius vtrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam ſic temporum conditio tulit, huius œcumenici Concilij Tridentini progreſſum per biennium ſuſpendendum fore decernit, provt præſenti decreto ſuſpendit: ea tamen lege, vt, ſi citiùs pacata res ſit, ac tranquillitas priſtina reuertatur, quod ſperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo fors ſpatio futurum, ipſius Concilij progreſſus eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigorémque habere cenſeatur: ſin autem, quod Deus auertat, peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota, cùm primum ceſſauerint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor & robur Concilio ſit reſtitutum, & eſſe intelligatur, ſine alia noua Concilij conuocatione, accedente ad hoc decretum conſenſu, & auctoritate Sanctitatis ſuæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Interea tamen eadem ſancta Synodus exhortatur omnes Principes Chriſtianos, & omnes Prælatos, vt obſeruent, & reſpectiuè, quatenus ad eos ſpectat, obſeruare faciant in ſuis regnis, dominiis, & eccleſiis omnia, & ſingula, quæ per hoc ſacrum œcumenicum Concilium fuerũt hactenus ſtatuta & decreta.

BVLLA

# BVLLA CELEBRATIONIS CONCILII TRIDENTINI SVB PIO IV. PONT. MAX.

*PIus Epiſcopus ſeruus, ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Ad Eccleſiæ regimen, licet tanto oneri impares, ſola Dei dignatione vocati, ſtatim circumferentes mentis oculos per omnes Reipublicæ Chriſtianæ partes, cernentéſque non ſine magno horrore, quàm longè latéque peſtis hæreſum & ſciſmatis perſuaſiſſet, & quanta Chriſtiani populi mores correctione indigerent; in eam curam & cogitationem, pro ſuſcepti muneris officio, incumbere cœpimus, quemadmodum ipſas hæreſes extirpare, tantúmque & tam pernicioſum ſciſma tollere moréſque adeò corruptos & deprauatos emendare poſſemus. Cùm autem intelligeremus, ad hæc ſananda mala aptiſſimum eſſe remedium, quod ſancta hæc Sedes adhibere conſueuiſſet, [a] œcumenici generaliſque Concilij, eius congregandi, & Deo iuuante, celebrandi concilium cepimus. Indictum illud quidem anteà fuit à fel. rec. Paulo III. & eius ſucceſſore Iulio, prædeceſſoribus noſtris, ſed variis de cauſis ſæpiùs impeditum & interpellatum perfici non potuit: ſi quidem Paulus, [b] cùm id primò in vrbem Mantuam, deinde Vincentiam indixiſſet; quaſdam ob cauſas, in litteris eius expreſſas, id primò ſuſpendit, poſteà Tridentum tranſtulit: deinde cùm quibuſdam de cauſis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuiſſet, tandem ſuſpenſione ſublata, in eadem ciuitate Tridentina inchoatum fuit: verùm Seſſionibus aliquot habitis, & nonnullis decretis factis, ipſum ſe poſteà Concilium, aliquibus de cauſis, accedente etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate, [c] Bononiam tranſtulit. Iulius autem, qui ei ſucceſſit, in eandem ciuitatem Tridentinam id reuocauit, quo quidem tempore facta alia quædam decreta ſunt; [d] ſed cùm noui in propinquis

a ſup. in prin.

b ſupr. in prima Bulla.

c ſupr. Seſſ. 1.

d Seſſ. 11. cũ ſeq.

quis Germania locis tumultus excitati fuiſſent; & bellũ in Italia, & Gallia grauiſſimum exarſiſſet; rurſus Concilium ſuſpenſum & dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoſte, aliáſque ex aliis difficultates & impedimenta obiiciente, vt tantum Eccleſiæ commodũ, quod prorſus auferre non poterat, ſaltem quàm diutiſſimè retardaret. Quantopere verò intereà auctæ fuerint, & multiplicatæ, ac propagatæ hæreſes; quantopere ſchiſma creuerit, ſine maximo animi dolore nec meminiſſe poſſumus, nec referre. Sed tandẽ pius & miſericors Dominus, qui nunquam ita iraſcitur, vt miſericordiæ obliuiſcatur; Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & vnanimitatẽ donare dignatus eſt. Qua nos occaſione oblata, maximam in ſpem venimus, ipſius miſericordia freti, fore, vt his tantis quoque Eccleſiæ malis eadẽ Concilij via finis imponatur. Nos itaque ad ſchiſma hæreſeſque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Chriſtianos Principes conſeruandam, celebrationem eius non eſſe duximus diutius differendam. Habita igitur cum venerabilibus fratribus noſtris, Sanct. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, deliberatione matura, factis etiam Conſilij noſtri certioribus cariſſimis in Chriſto filiis noſtris, Ferdinando Romanorum Imperatore electo, & aliis Regibus atque Principibus; quos quidem, ſicut de eorum ſumma pietate, & ſapientia nobis pollicebamur, paratiſſimos ad ipſius Concilij celebrationem adiuuandam inuenimus, ad Dei omnipotentis laudem, honorem & gloriam, atque vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem, de eorundem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu ſacrum œcumenicum, & generale Concilium, ex auctoritate eiuſdem Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, qua nos quoque [a] in terris fungimur, freti & ſubnixi, in ciuitate Tridentina, ad ſacratiſſimum diem Reſurrectionis Dominicæ proximè futurum indicimus, & ibi celebrandum, ſublata ſuſpenſione quacumque, ſtatuimus atque decernimus. Quocircà venerabiles fratres noſtros, omnibus ex locis, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos,

[a] *Matth. 16. c. quanto de trãſl. Epiſc. vni vt eccl. benef. c. ad apoſtol. §. pœn. de re iud. in 6. c. 1. de hom̃ro. li Pelagius 2. in 1. ep. circa princ.*

pos,& dilectos filios Abbates,ceteróſque,quibus in Cócilio generali ſedere, & ſententiam dicere, iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua conſuetudine licet; vehementer in Domino hortamur, & monemus, atque etiam diſtrictè præcipiendo mandamus,in virtute ſanctæ obedientiæ, in vi quoque iuramenti, quod præſtiterunt, & ſub pœnis, quas in eos,qui ad Concilia generalia conuenire neglexerint, [a] ſacris ſciunt eſſe canonibus conſtitutas, vt ad Concilium ibi celebrandum conueniant intra eam diem; niſi fortè impedimento fuerint legitimo præpediti: quod tamen impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt.Monemus præterea omnes, & ſingulos, quorum intereſt, intereſſéve poterit, vt in Concilio adeſſe ne negligant. Cariſſimos verò in Chriſto filios noſtros, Romanorum Imperatorem electum, ceteróſque Reges,& Principes,quos optãdum ſanè eſſet Concilio intereſſe poſſe, hortamur & rogamus,vt,ſi ipſi Cócilio intereſſe non potuerint, at Oratores ſuos,prudétes,graues,& pios viros vtiq́ue mittant, qui ipſorum nomine illi interſint, curéntque diligenter pro ſua pietate, vt ex eorum regnis atque dominiis Prælati ſine recuſatione, ac mora, tam neceſſario tempore, Deo & Eccleſiæ officium ſuum præſtent: eoſdem etiam curatores eſſe minimè dubitantes, vt per ipſorum regna & dominia tutum ac liberum iter Prælatis,eorumque familiaribus, comitibus, & aliis omnibus ad Concilium euntibus, & ab illo redeuntibus pateat; benigneq́ue ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur; ſicut,quod ad nos attinet,ipſi quoque curabimus;qui nihil omnino prætermittere decreuimus, quod ad tam piũ & ſalutare opus perficiendum,à nobis, in hoc loco conſtitutis,præſtari poſſit; nihil, vt Deus ſcit,quærẽtes aliud, nihil propoſitum habentes in hoc Concilio celebrando, niſi honorem ipſius Dei, diſperſarum ouium reductionem, ac ſalutem, & perpetuam Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem ac quietem. Vt verò hæ litteræ,& quæ in eis continentur,ad omnium, quorum oportet, notitiam

[a] *Conc. Carthag. 3 c. 41. infr. Seſſ. 14 c. 2. in fin. de refor.*

perueniant,nec quiſquam ea excuſatione vti poſſit,quôd illa ignorauerit, præſertim cùm non ad omnes, quos de his litteris certiores fieri oporteret, tutus forſitan pateat aditus; volumus, & mandamus, vt in Baſilica Vaticana principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi tunc, cùm in eis populus,vt Miſſarum ſolemnibus interſit, cõgregari ſolet, palàm, clara voce à Curiæ noſtræ curſoribus, ſeu notariis aliquibus publicis recitentur; & poſtquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ,& in loco ſolito Campi Floræ affigantur; ibique,quò legi,& omnibus innoteſcere poſſint, aliquamdiu relinquantur:cùm autem inde amouebuntur, earum exempla in eiſdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem, & affixionem omnes, & ſingulos, qui his litteris comprehenduntur,poſt duos menſes à die publicationis & affixionis earum, volumus perinde aſtrictos & obligatos eſſe, ac ſi ipſiſmet illæ coram editæ, & lectæ fuiſſent. Tranſſumptis quoque earum,quæ manu publici alicuius notarij ſcripta ſubſcriptáve, & ſigillo & ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ,munita fuerint,vt ſine dubitatione vlla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis,ſtatuti,decreti, præcepti, admonitionis, & adhortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli,Apoſtolorum eius,ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ M. D. LXIII. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri anno I.

*Antonius Florebellus.*

Barengus.

S A-

# SACROSANCTI OECVMENICI, ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI.

## SESSIO XVII.

## QVÆ EST PRIMA SVB PIO IV. PONTIF. MAXIM. CELEBRATA DIE XVIII. IANVAR. M. D. LXII.

### *Decretum de celebrando Concilio.*

PLacet ne vobis, ad laudem, & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad incrementum, & exaltationem fidei, & religionis Chriſtianæ, ſacrum œcumenicum & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu ſancto legitimè congregatum, ab hodierno die, qui eſt XVIII. Menſis Ian. anni à Natiuitate Domini M. D. LXII. Cathedræ Romanæ S. Petri, Apoſtolorum Principis, conſecrato, ſublata quacúmque ſuſpenſione, iuxta formam & tenorem litterarum ſanctiſſimi Domini noſtri Pij IV. Pont. Max. celebrari, a & in eo ea, debito ſeruato ordine, tractari, quæ proponentibus Legatis, ac Præſidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, ſedandas de religione controuerſias, coërcendas linguas doloſas, deprauatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram atque Chriſtianam pacem conciliandam apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur? *Reſponderunt*, PLACET.

a *infrà Seſſ. 14. 25. c. 21.*

### *Indictio futuræ Seſſionis.*

PLACET ne vobis, proximam futuram Seſſionem habendam, & celebrandam eſſe Feria quinta, poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ, quæ erit die XXVI. Menſis Februarij? *Reſponderunt*, PLACET.

# SESSIO XVIII.

## QVÆ EST SECVNDA SVB PIO IV. PONTIF. MAXIM. CELEBRATA DIE XXVI. FEBR. M. D. LXII.

*Decretum a. de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica inuitandis.*

SACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, non humanis quidem viribus confiſa, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui os, [a] & ſapientiam Eccleſiæ ſuæ daturum ſe promiſit, ope & auxilio freta, illud præcipuè cogitat, vt Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter ſe diſſidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam & obſcuratā, in ſuam puritatem & ſplendorem aliquando reſtituat; & mores, qui à veteri inſtituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem reuocet; corque [b] patrum ad filios, & cor filiorum ad patres conuertat. [c] Cùm itaque omnium primùm animaduerterit, hoc tempore ſuſpectorum ac pernicioſorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longè latéque diffunditur, numerum nimis excreuiſſe; quod quidem in cauſa fuit, vt multæ cenſuræ in variis prouinciis, & præſertim in alma vrbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint; neque tamen huic tam magno ac pernicioſo morbo ſalutarem vllam profuiſſe medicinam; cenſuit, vt delecti ad hanc diſquiſitionem Patres de cenſuris libriſque, quid facto opus eſſet, diligenter conſiderarent, atque etiam ad eamdem ſanctam Synodum ſuo tempore referrent; quò faciliùs ipſa poſſit varias & peregrinas doctrinas, tamquam [d] zizania, à Chriſtianæ

a *Luc. 21.*

b *Lucæ 1.*

c *infrà Seſſ. vlt. circa fi.*

d *Matth. 13. c. ſi ita nos, 25. q. 2.*

næ veritatis tritico ſeparare, deque his commodiùs deliberare, & ſtatuere quę ad ſcrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum cauſas magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcumq; deducta eſſe vult, prout etiam præſenti decreto deducit: vt, ſi quis ad ſe pertinere aliquo modo putauerit, quæ vel de hoc librorum & cenſurarum negotio, vel de aliis, quæ in hoc generali Concilio tractanda prædixit; non dubitet à ſancta Synodo ſe benignè auditum iri.

Quoniam verò eadem ſancta Synodus ex corde optat, Deumq; enixè rogat, quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ, vt vniuerſi communem matrem in terris agnoſcentes, quæ, quos [a] peperit, obliuiſci non poteſt, vnanimes, [b] vno ore, glorificemus Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti; per viſcera miſericordiæ eiuſdem Dei & Domini noſtri; omnes, qui nobiſcum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & vt ad hanc ſanctam Synodum veniant, inuitat atq; hortatur; vtque caritatem, [c] quod eſt vinculum perfectionis, amplectantur; pacemque Chriſti, exultantem in cordibus ſuis, præ ſe ferant, in quam vocati ſunt, in vno corpore. Hanc ergo non humanam, ſed Spiritus Sancti vocem audientes, ne obdurent [d] corda ſua, ſed in ſuo ſenſu non [e] ambulantes, neque ſibi [f] placentes, ad tam piam & ſalutarem matris ſuæ admonitionem excitentur & conuertantur. omnibus enim caritatis officiis ſancta Synodus eos vt inuitat, ita complectetur.

a *Iſa.* 49.
b *Rom.* 15.
c *Coloſſ.* 3.
d *Pſalm.* 59 *&* *Hebr.* 3.
e *Epheſ.* 4.
f *Rom.* 15. 2.

Inſuper eadem ſancta Synodus decreuit, fidem publicam in Congregatione generali concedi poſſe, & eamdem vim habituram, eiuſdemque roboris & momenti futuram, ac ſi in publica Seſſione data & decreta fuiſſet.

---

## REMISSIONES.

*a* Vide Concil. Colon. tit. de ſcholis. cap. 9 Petr. Cened. ad Decret. Collect. 8 num. 3 in fine.

*Indi-*

*Indictio futuræ Seſſionis.*

Eadem ſacroſancta Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſtatuit, & decernit, proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum Aſcenſionis Domini, quæ erit die XIV. Menſis Maij.

# SALVVS CONDVCTVS
## CONCESSVS
## GERMANICÆ NATIONI,

In Congregatione generali, die XIV. Martij, M. D. LXII.

SACROSANCTA *œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Sedis Apoſtolicæ Legatis, Vniuerſis fidem facit, quòd omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus popularibus, & aliis quibuſcumque viris, cuiuſcumque ſtatus, & conditionis, aut qualitatis exiſtant, Germanicæ prouinciæ, & nationis, ciuitatibus, ac aliis locis eiuſdem, & omnibus aliis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, præſertim Auguſtanæ Confeſſionis perſonis, qui aut quæ vnà cum ipſis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſq; venerunt, quocumq; nomine cenſeantur aut valeant nuncupari, tenore præſentium publicam fidem, & pleniſſimam veriſſimamq; ſecuritatem, quam ſaluum conductum appellant liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemq; manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipſa Synodo de quibuſcumq; negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia, quæcumq; ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet, tam ſcripto, quàm verbo, liberè offerendi, propalandi, eoſq; Scripturis ſacris, & beatorum Pa-*

*trum*

*trum verbis, ſententiis & rationibus declarandi, aſtruendi, & perſuadendi, &, ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis reſpondendi, & cum iis, qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi, aut caritatiuè abſq; omni impedimento conferendi, opprobriis conuiciis, ac contumeliis penitus ſemotis, & ſignanter, quòd cauſæ controuerſæ ſecundùm ſacram Scripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, vt religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum, aut committendorum, minimè puniantur, impertitur, ac omnino conceditur; ſic etiam, vt propter illorum præſentiam neque in itinere, aut quocumq; locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa ciuitate Tridentina à diuinis officiis quouis modo ceſſetur. Et vt his peractis, vel non peractis, quandocumq; ipſis libuerit; aut maiorum ſuorum mandato, & aſſenſu ad propria reuerti optabunt; aut aliquis eorum optabit; mox abſq; vlla renitentia, & occaſione, aut mora, ſaluis rebus eorum, & ſuorum pariter honore, & perſonis, vice verſa, poſſint iuxta beneplacitum liberè & ſecurè redire; de ſcientia tamen ab eadem Synodo deputandorum; vt tunc opportunè eorum ſecuritati, abſq; dolo & fraude prouideatur. Vult etiam ſancta Synodus, in hac publica fide, ſaluoq; conductu, omnes quaſcumq; clauſulas includi, ac contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci, & ſufficienti ſecuritate, in eundo, ſtando, & redeundo, neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam, ad maiorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod, ſi quiſpiam, aut illorum aliqui ſiue in itinere, Tridentum veniendo, ſiue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod abſit, egerint, aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ, & aſſecurationis beneficium, eis conceſſum, annullari, aut caſſari; vult, & concedit, vt in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſis dumtaxat, & non ab aliis condigna animaduerſione cum emenda ſufficienti, per partem ipſius Synodi meritò approbanda & laudanda, mox puniantur: illorum aſſecurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt, ſi quiſquam, vel aliquis ex ipſa Synodo, ſiue in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod abſit, egerint aut commiſerint,*

*quo poſſet huius fidei publicæ, & aſſecurationis beneficiũ violari, aut quoquo modo tolli; in huiuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſa Synodo dumtaxat, & non ab aliis, condigna animaduerſione, & emenda ſufficienti, per partem Dominorum Germanorum Auguſtanæ Confeſſionis, tunc hic præſentium, meritò laudanda & approbanda, mox puniantur; præſenti aſſecurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipſa Synodus, quòd liceat ipſis Ambaſciatoribus omnibus & ſingulis, toties, quotieſcumq; oportunum fuerit ſeu neceſſarium, ad auram capiendam, exire de ciuitate Tridentina, & reuerti ad eamdem, necnon nuncium, vel nuncios ſuos ad quæcumq; loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis liberè mittere ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere toties, quoties eis videbitur expedire: ita quòd aliqui, vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati prouideant, vel prouideat. Qui quidem ſaluus conductus & ſecuritas ſtare ac durare debeat à tempore, & per tempus, quo in ipſius Synodi, & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſq; ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem: & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cum ipſi petierint; aut Concilium habita huiuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento vſq; in quem quiſq; elegerit ſibi locum tutum, Deo fauente, reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia pro vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus quibuſcumq;, atq; omnibus aliis Eccleſiaſticis ac ſæcularibus perſonis, cuiuſcumq; ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumq; nomine cenſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet. Inſuper omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam Synodum nullam vel manifeſtè vel occultè occaſionem quæſituram, aut aliqua auctoritate, potentia, iure, vel ſtatuto, priuilegio legum, vel Canonum, aut quorumcumq; Conciliorum, præſertim Conſtantienſis, & Senenſis, quacumq; forma verborum expreſſa, in aliquod huius fidei publicæ, & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audiẽtiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudicium, quouis modo vſuram, aut quemquam vti permiſſuram: quibus in hac parte pro*

Conc. Conſtantienſ. Seſſ. 19. in cap. quod non obſtantibus ſaluis conductibus.

*hac*

*hac vice derogat. Quòd ſi ſancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel ſuis, cuiuſcumq; conditionis, vel ſtatus, aut præminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſalui conductus formam & modum in quocumq; puncto vel clauſula violauerit; quod tamen auertere dignetur Omnipotens; & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, & ipſorum arbitrio meritò approbanda & laudanda: habeant ipſam Synodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas iure diuino & humano, aut conſuetudine, huiuſmodi ſaluorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſq; omni excuſatione, aut quauis in hac parte contradictione.*

### Extenſio ad alias nationes.

*Eadem ſacroſancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, omnibus, & ſingulis aliis, qui nobiſcum in iis, quæ ſunt fidei, communionem non habent, ex quibuſcumq; regnis, nationibus, prouinciis, ciuitatibus, ac locis, in quibus publicè, & impunè prædicatur, vel docetur, ſiue creditur contrarium eius, quod ſancta Romana ſentit Eccleſia, dat fidem publicam ſiue ſaluum conductum ſub eadem forma, & eiſdem verbis, quibus datur Germanis.*

## SESSIO XIX.

### QVÆ EST TERTIA, SVB PIO IV. PONTIF. MAXIM. CELEBRATA DIE XIV. MAII, M. D. LXII.

*Decretum prorogationis Seſſionis.*

SACROSANCTA OEcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdē Apoſtolicę Sedis Legatis, decreta ea, quę hodie in pręſēti Seſſione ſtatuēda ac ſāciēda erāt, iuſtis nōnullis ac ho-

ac honeſtis cauſis, in Feriam quintam, poſt proximam ſolemnitatem Corporis Chriſti, quæ erit pridie Nonas Iunij, proroganda eſſe cenſuit, ac prorogat; dictaque die Seſſionem habendam eſſe ac celebrandam, omnibus indicit. Interea rogandus eſt Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, auctor pacis, vt ſanctificet corda omnium; quo adiuuante, ſancta Synodus & nunc, & ſemper meditari, atq; peragere valeat, quæ ad eius laudem & gloriam pertineant.

## SESSIO XX.

### QVÆ EST QVARTA SVB PIO IV. PONTIF. MAXIM.

### CELEBRATA DIE IV. IVN. M. D. LXII.

*Decretum prorogationis Seſſionis.*

SACROSANCTA OEcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitim congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, propter varias difficultates, ex diuerſis cauſis exortas, atque atiam vt congruentius, maiorique cum deliberatione omnia procedant; nempe vt dogmata cum iis quæ ad reformationem ſpectant ſimul tractentur & ſanciantur; ea quæ ſtatuenda videbuntur tam de reformatione quàm de dogmatibus, in proxima Seſſione, quam omnibus indicit in diem ſextam decimam ſubſequentis menſis Iulij, definienda eſſe decreuit: Hoc tamen adiecto, quòd dictum terminum ipſa ſancta Synodus pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in generali Congregatione, reſtringere & prorogare liberè poſſit & valeat.

SES-

# SESSIO XXI.

## QVÆ EST QVINTA SVB PIO IV. PONTIF. MAX.

### CELEBRATA DIE XVI. IVL. M. D. LXII.

*Doctrina de Communione ſub vtraque ſpecie, & paruulorum.*

SACROSANCTA OEcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, cùm de tremendo & ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento varia diuerſis in locis errorum monſtra nequiſſimi dæmonis artibus circumferantur, ob quæ in nonnullis prouinciis multi à Catholicæ Eccleſiæ fide atque obedientia videantur diſceſſiſſe; cenſuit, ea quæ ad communionem ſub vtraq; ſpecie, & paruulorum pertinent, hoc loco exponenda eſſe. Quapropter cunctis Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quàm ex his decretis explicatum atque definitum.

## CAPVT I.

*Laicos, & Clericos non conficientes, non adſtringi iure diuino ad Communionem ſub vtraque ſpecie.*

ITaque ſancta ipſa Synodus, à Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt [a] ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & pietatis, edocta, atque ipſius Eccleſię [b] iudicium & conſuetudinem ſecuta, declarat ac docet, nullo diuino præcepto laicos, & Clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraq; ſpecie ſumendum; neque vllo pacto, ſalua fide, dubitari poſſe,

a *Eſaia. 11.*
b *Conc. Conſtantienſ. Seſſio 13. infra, Can. 1.*

quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat. Nam[a] etſi Chriſtus Dominus in vltima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio & traditio eò tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini ad vtramq; ſpeciem accipiendam aſtringantur. Sed neq; ex ſermone illo, apud Ioannem ſexto, rectè colligitur, vtriuſque ſpeciei Communionem à Domino præceptam eſſe: vtcumq; iuxta varias ſanctorum Patrũ & Doctorum interpretationes intelligatur. Namq; qui dixit, [b] Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque: [c] Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit, [d] Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: dixit etiã: [e] Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Et deniq; qui dixit: [f] Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: dixit nihilominus: [g] Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

a *Matth. 26. Mar. 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11.*
b *Ioan. 6.*
c *Ibidem.*
d *Ibidem.*
e *Ibidem.*
f *Ibidem.*
g *Ibidem.*

---

## REMISSIONES.

a VIde P. Henriq in ſum. lib. 8 de Euchariſtia, cap 44. à princip. Cardin. Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap 24. Valent. de Sacram. diſp. 6. quæſt. 6. puncto P. Ledeſm. in ſum. p. 1. tract. de Euchar cap. 16. concl. 2. P. Ægid. de Sacram. & cenſur. tom. 1 q 80 num. 111. cum ſequentib. & quæſt 73 num. 36. P. Valeri. Reginal. in praxi fori pœnit. lib. 29. num. 58. in fine, & 59. vbi etiam de Can. 4. huiuſmodi. Seſ. 21.

## CAPVT II.

### *Eccleſiæ poteſtas circa diſpenſationem Sacramenti Euchariſtiæ.*

a PRæterea declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate,

magis

magis expedire iudicaret. id autem Apoſtolus non obſcurè viſus eſt innuiſſe, [a] cùm ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. atq; ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe, ſatis conſtat, cùm in multis aliis, tum in hoc ipſo Sacramento cùm, ordinatis nonnullis circa eius vſum, [b] Cætera, inquit, cùm venero, diſponam. Quare agnoſcens ſancta mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet; tamen progreſſu temporis, latiſſimè iam mutata illa conſuetudine, grauibus & iuſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi [c] approbauit, & pro lege habendam decreuit: quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

a 1. Cor. 4. 1. Cor. 6.

b 1. Cor. 11.

c Conc. Conſtant. Seſſ. 13.

## REMISSIONES.

a Vide P. Henriq in ſum. lib. 8. de Euchariſtia, cap. 44. §. 3. Pat. Sanc. de Matrim. lib. 3. diſp. 21. num. 17. P. Ægid. de Sacram. & cenſur. tom. 1. quæſt. 80. num. 121. P. Vaſquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 3 diſp. 223 num. 22.

## CAPVT III.

*Totum & integrum Chriſtum, ac verum Sacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi.*

a Inſuper declarat, quamuis Redemptor noſter, vt anteà dictum eſt, [d] in ſuprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſſe, etiam ſub altera tantùm ſpecie totum [e] atq; integrum Chriſtum, verúmque Sacramentum ſumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, neceſſaria ad ſalutem, eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.

d Matth. 16. Mar. 14. ſuprà, cap. 1. 1. Cor. 11.

e c qui manducant. c. qui inuitat. c. ſinguli de conſ. diſt. 2. ſuprà, Seſſ. 13 cap. 3. & Can 3 de Sacram. Euch.

## REMISSIONES.

a Vide Balduin. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarmin. p. 2. lib 3. cap 8. à principio, Pat. Valer Regin. in praxi fori pœni-

tent.lib.29.num.37.& 38.Pat. Ægidi de Sacram.q 76 art.3 num.32. & 33, Petr.Ledeſm.in ſum. p. 1. tit.de Euchariſt.cap.7.concl.1.&.4.

## CAPVT IV.

### *Paruulos non obligari ad Communionem Sacramentalem.*

a *infrà, Can* 4. DEnique α β eadem ſancta Synodus docet, a paruulos γ *vſu rationis carentes*, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſiquidem per b Baptiſmi lauacrum regenerati & Chriſto incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. δ *Neq; ideò tamen damnanda eſt antiquitas*, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſeruauit. Vt enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt.

b *Tit.* 3.

---

## REMISSIONES.

α VIde Pat.Henriq.in ſum lib 8 de Euchariſtia, cap.43.à principio, Vaſquez in D. Thom.to.3.diſput.212.num 17 & diſput. 214.num.35 P.Valeri.Reginald in praxi.fori pœnitent lib.29.quæſt. 4.num.83.Pat.Ægidi de Conink de Sacram & cenſuris, to.1.quæſt. 80.art.9 à num 72.cum ſequentibus.Petr.Ledeſm. in ſum p.1.tract. de Euchariſt.cap 13.concl 7.

β Infantes, ſi daretur eis communio, recepturos gratiam, reſoluunt Victor.verbo Euchariſtia num.84.in fine, Pat.Soar.tom 3.diſput.62. ſect.4 P.Ægidi d q.80 art.9 num.77.Petr.Ledeſm.d.cap.13.concl.8. duda 1.

γ *Vſu rationis carentes.* ] De amentibus perpetuis idem quod de infantibus ſentiendum eſſe docet Pat Valer. Reginald. d. lib.29. num. 78. vbi 79. An debeat adminiſtrari Euchariſtia in articulo mortis amentiam patientibus tunc temporis, de quo etiam Pat Hénriq in ſum.lib.8.cap.42.§.3.in fine. P.Soar.tom. 3.diſp 69.ſect.2.dubit.3.

δ *Neque ideò tamen damnanda eſt antiquitas, &c* ] Vide P. Ægid d. art.9.num.75.

DE

## DE COMMVNIONE SVB vtraq; ſpecie, & paruulorum.

### Canon I.

α Si quis dixerit, [a] ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles vtramq ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit.

*a Conc. Conſtant. Seſſ. 13.*

### Canon II.

α Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam [b] Catholicam non iuſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, vt laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe; anathema ſit.

*b Suprà c. 1. & Conc. Conſtant. de com. loco.*

### Canon III.

α Si quis negauerit, totum [c] & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem & auctorem, ſub vna panis ſpecie ſumi, quia, vt quidam falsò aſſerunt, non ſecundùm ipſius Chriſti conſtitutionem ſub vtraque ſpecie ſumatur; anathema ſit.

*c Suprà, c. 3. & Seſſ. 13. cap. 3 & Can. 3. Conc Conſtant. Seſſ. 13.*

### Canon IV.

α Si quis dixerit, [d] paruulis, β *antequam ad annos diſcretionis peruenerint*, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem; anathema ſit.

*d Suprà in prin. & cap 4.*

Duos verò articulos, [e] aliàs propoſitos, nondum tamen excuſſos, videlicet, An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiam non celebrantes ſacerdotes, ſub vna tantùm panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus: &, An, ſi honeſtis & Chriſtianæ caritati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno Calicis vſus videatur, ſub aliquibus condicionibus concedendus ſit; & quænam ſint illæ: Eadem ſancta Synodus, [f] in aliud tempus, oblata ſibi quamprimùm occaſione, examinandos, atque definiendos reſeruat.

*e Seſſio, 22. in decreto.*

*f infrà, Seſſ. 22. in fin.*

## REMISSIONES.

### Canon I.

α VIde Card. Bellarm lib 4 de Euchariſt c. 10. cum ſeqq. P Henriq. in ſum lib. 8 de Euchariſt. cap. 24. P Valer Regin in praxi fori pœn. lib 29 num. 58 in fine, optimè P. Ægid de Conink de Sacr. tom. 1. q 80 num. 111 cum ſeqq.

α CANON II. Vide P. Ægid de Sacram. tom. 1. q 180. nu 122. vbi percurrit iuſtiſſimas rationes, quas habet Eccleſia præcipiendi laicis Communionem ſub vna ſola ſpecie.

α CANON III. Vide Bald. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarmini p. 2. lib 3. c. 8. à princip. P. Ægid. de Sacram. tom. 1. quæſt. 76. art. 3. num 32.

α CANON IV. Vide Doctores ſuprà citatos in cap. 4.

β *Antequàm ad annos diſcretionis peruenerint.* ] In qua ætatis parte incipiant pueri habere diſcretionem ſufficientem ad obligationem præcepti communicandi? Relinqui debere arbitrio parentum, & Confeſſarij, reſoluunt P. Soar. tom 3 diſp 70. ſect. 1 P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib 29 num 83. P. Ægid tom. 1. de Sacram. q. 80. art. 11. dub 4. num. 102.

## DECRETVM DE REFORMATIONE.

EAdem ſacroſancta OEcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad Dei omnipotentis laudem, & ſanctæ Eccleſiæ ornamentum, ea, quæ ſequuntur, de reformationis negotio in præſenti ſtatuenda eſſe cenſuit.

### Capvt I.

*Epiſcopis gratis debent ordinare, tonſurare, dimiſſorias & teſtimoniales dare, eorumq́; miniſtri pro iſtiuſmodi literas ſigillare: nec ſpontè oblatum recipiendum eſt. Vbi eſt conſuetudo aliquid accipiendi pro litteris, nihil capiatur à Notarijs pro officio vltra decimam vnius aurei partem. modò aliunde ijs non ſuppetat ſalarium, &c.*

a *Vide 2. Lateran c. 63. Conc. Chalcedon. actione 15. cap. 2. Conc. Braccaren. 2. cap 3. Conc. Aurelian. 2. c. 3. Conc. Tolet 8. Can. 3. c ſicut Epiſcopum, 1. q. 2.*

α QVoniam ª ab Eccleſiaſtico ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; 1 *nihil pro collatione* quorum-

rumcumque Ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, *β etiam ſponte oblatum*, Epiſcopi, & alij Ordinum collatores, *γ aut eorum miniſtri* quouis prætextu accipiant. *δ ε Notarij verò* in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, *decimam tantùm ζ vnius aurei partem* accipere poſſint; dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo; nec Epiſcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus directè, vel indirectè prouenire poſſit. tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines, etiam immemorabiles, quorumcúmque locorum, quæ potius abuſus, & corruptelæ, ſimoniacæ prauitati fauentes, nuncupari poſſunt, penitus caſſando, & interdicendo: & qui ſecus fecerint, *tam η dantes quàm accipientes*, vltra diuinam vltionem, [a] pœnas à iure inflictas ipſo facto incurrant. *a 2. Braccaren. c. 3.*

## DECLARATIONES.

1 *Nihil pro collatione.* ] Conſuetudo percipiendi ab Ordinatis ad primam tonſuram forcipes, pectines, & mappas, præter faculas, paritérque à præsbyteris, intelligitur perinde ac corruptela, reuocata, núllámque eo nomine oblationem initiatus, Pontificali Romano permittente, conſueuit offerre.

Pro collatione & inſtitutione Eccleſiarum curatarum, vel pro deputatione Vicariorum in illis, Cancellarius poteſt in ſingulas accipere mercedem ſuo labori conuenientem: quæ tamen ſcriptura, ſigillo & cæteris omnibus computatis, vnum aureum non excedat, & dummodo ipſi Cancellario ſalarium nullum pro officio ſuo exercendo præſtitum ſit, & dummodo ex pecunia, quam accipit, nihil prorſus emolumenti Collatores, aut inſtitutores vllo modo directè vel indirectè percipiant.

Item declarauit S. D. N. Gregorius XIII. hoc decretum vendicare etiam ſibi locum in collatione beneficiorum præſertim curatorum, neque pro ſigillo aliquid accipi poſſe, non obſtante quacúmq;

etiam immemorabili conſuetudine. Itáque dicendum eſt, quod Ordinarius in collatione beneficiorum pro ſigillo nihil poteſt accipere, etiamſi ab immemorabili tempore fuerit obſeruatum, vt certum quid recipiat: licet contrarium ſenſerit. Gloſſ mag. *in c cum olim, de maior. & obed* Et ita cenſuit Congregatio *in vna Rauẽnatenſi* Inſuper Officiales Ordinarij, ac Ordinarius ipſe pro diſpenſationibus ad eum remiſſis nihil poſſunt accipere, non obſtante contraria conſuetudine etiam immemorabili.

## REMISSIONES.

α VIde Nauar. in Man. cap. 22. num. 18. Matthæ. Soar. in practica & ordine viſitandi, cap. 18. num. 6. Nau. conſ. 1. de Cenſibus, Pat Valeri. Reginald in praxi fori pœnitent lib. 23. cap. 14. num. 197. in fine.

β *Etiam ſpontè oblatum.* ] Vide P. Soar. de Relig. lib. 4. de Simonia cap 49. num 2.

γ *Aut eorum miniſtri.* ] Vide P. Valeri. Reginald. d. lib. 23. num. 200. Et de Collatoribus, vide P. Soar. lib. 4. de Simonia, cap. 53. num 24.

δ *Notarij vero, &c.* ] Vide P. Soar. d. cap 53. num. 6 cum ſequentib. P. Leonard. Leſſi. de iuſtit. lib 2 cap. 35. dub. 10. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1 verbo Dimiſſoriæ, verſ Ad ſeptimum, pag. 112. Cened. ad Decretal. Collect. 177. num. 1. vbi etiam dubius reſoluit, quòd poſt confecta inſtrumenta, & tradita patribus, poſſunt Notarij, quod ab Ordinatis ſponte offertur recipere, de quo Matienſ in Dialogo relat. p. 3. cap. 25. num. 5. Perez lib. 1. Gloſſ. 1. poſt med. tit. 9. lib. 2. Ordin

ε Vtrùm notarius poſſit aliquid accipere, quando nullum habet ſtipendium ſibi conſtitutum ab Epiſcopo? Affirmant Angel verbo Simonia 3 nu. 22. P. Valeri. Regin d. lib. 23. num. 200 verſ. Quæritur.

ζ *Decimam tantùm vnius aurei partem* ] Vide Zerol in praxi Epiſcopal. p. 1 verbo Dimiſſoriæ, verſ. Ad ſeptimum, ibi quartò, P. Valer. Regin d. lib 23. num. 200.

η *Tam dantes, quàm accipientes.* ] Vide Pat. Soar. d. cap 49 num 5.

## CAPVT II.

*Nullus quantumuis idoneus ſæcularis Clericus maioribus ordinetur, niſi prius habeat beneficium ſufficiens ad vitam; quod reſignare non poſſit, niſi, &c. vel patrimonium aut penſionem ſimiliter vere ſufficiens, &c.*

*a c. Diaconi ſunt circa med. 93. diſt.*

α CVm non deceat eos, qui diuino miniſterio aſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore [a] mendicare, aut ſor-

ſordidum aliquem quæſtum exercere; compertúmque ſit, cumplures pleríſque in locis β *ad ſacros Ordines* nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt ſe beneficium eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: ſtatuit ſancta Synodus, 1 γ *ne quis deinceps Clericus ſæcularis*, quamuis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros ordines promoueatur, 2 δ *niſi priùs legitimè conſtet, eum 3 beneficium eccleſiaſticum*, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. 4 ε ζ *Id verò beneficium reſignare 5 non poſſit*, niſi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum ſit promotus: 6 *neque ea reſignatio admittatur*, niſi conſtito, quod aliunde viuere commodè poſſit: 7 *& aliter facta reſignatio nulla ſit.* 8 η θ *&c. Patrimonium* verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos *pro 9 neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum*; eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem π *verè ab eis obtineri*, taliáque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: *atque* ρ *illa deinceps ſine licentia* Epiſcopi σ τ *alienari*, aut extingui, vel remitti υ *nullatenus* poſſint; *donec* φ beneficium eccleſiaſticum χ *ſufficiens* ſint adepti vel aliunde habeant, [a] vnde viuere poſſint: 10 ψ ω α α *Antiquorum canonum pœnas ſuper his innouando.* *a c. cum ſecundũ de preb.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Ne quis deinceps Clericus ſæcularis* ] Nullus Clericus ſæcularis, aut Regularis non profeſſus, debet ad ſacros Ordines promoueri ſine ſufficienti titulo, ex Bulla Pij V. edita Anno V. Idib. Octobris

2 *Niſi priùs legitimè conſtet.* ] Ob penuriam Sacerdotum, ordinari ſine beneficio vel patrimonio, poteſt quis, dummodo quis fideiuſſor inueniatur qui ſpondeat ſe neceſſaria ipſi ordinando ſubminiſtraturum.

3 *Eum, beneficium eccleſiaſticum.* ] Ad titulum Seminarij nullus ad Sacros Ordines eſt promouendus; ad aliquod autem beneficium Seminario vnitum, ordinari poteſt. Non poſſunt ergo virtute Concil. Trident pauperes Clerici in Seminario degentes, per Epiſcopum ad titulum ſeminarij promoueri & ordinari, niſi ob cauſſam inſeruiendi beneficio quod forſan eſſet Seminario vnitum. Poterit tamẽ quis ordinari ſub certa aſſignatione fructuum à Seminario facta, cauſſa

inſeruiendi beneficio vnito Seminario, vt ibi inſeruiat, donec aliàs ei prouiſum fuerit de congrua ſuſtentatione.

4 *Id verò beneficium reſignare.* ] Fuit dubitatum, an pro forma traditum eſſet, vt reſignans teneretur facere mentionem ſe ad titulum illius fuiſſe promotum, adeò quod per æquipollens adimpleri non poſſit? Fuit reſolutum die 12. Maij 1588. pro forma traditum eſſe à Concilio, ſtante clauſula annullatiua: & quod Concilium negatiuè loquatur; quo ſtante per æquipollens non poteſt adimpleri.

Beneficium ſemel alienans, quia illud reſignauit in manibus Ordinarij, illud idem amplius recuperare non poteſt, præſertim ſi reſignatio facta eſt per Bullam Pij V. 6. Id. Auguſti, 1565 quę huiuſmodi reſignationes beneficiorum fieri prohibuit in manibus Ordinariorum, &, ſi factæ eſſent, ſtatuit beneficia ipſa verè vacare & à Sede Apoſtolica, vel à ſuperioribus Ordinariorum poſſe conferri. Neque ab ipſo Ordinario eadem reſignatio fuerat admittenda, ſi reſignans (cum presbyteratus ordini eſſet adſcriptus) nihil aliud haberet quo vitam ſuam commodè ſuſtentare poſſet. Vnde S.D.N. altera Bulla edita Kal. April. 1586. huiuſmodi reſignatiooes prohibuit admitti: & quia Ordinarius huic interdicto non paruit, ſua Sanctitas hac in re voluit reſignantem ab Ordinario alendum eſſe aut alia ratione illius commodis prouidendum, eique ipſum beneficium reſignatum omnino adimendum, & in eo conſtituendum eum, qui fuerat à principio præſentatus.

5 *Reſignari non poſſit.* ] Qui beneficium, ad quod fuit ordinatus, reſignare curauerit per Pœnitentiarium eſt abſoluendus vt reſignet.

Cum habens Parochiam iuraſſet non reuocare per procuratorem quem fecerat ad reſignandum, petiit vt abſolueretur à iuramento: quo loco viſum eſt per procuratorem poſſe reuocare.

6 *Neq; ea reſignatio admittatur.* ] Et pœnam admittentibus imponit Pius V. in Bulla ſub dato Kalend. April. 1568. incipiente, *quanta Eccleſia Dei.*

7 *Et aliter facta reſignatio, nulla ſit.* ] Congregatio cenſuit, hoc non comprehendere in permittere æquivalenti. Quod ſi Ordinarius non habens facultatem admittendi reſignationem, in certis caſibus à Pio V. ſublatam hanc reſignationem admiſerit, beneficium ad quod quis erat ordinatus, vacat ſedi Apoſtolicæ, & Ordinarius illi de proprio prouidere tenetur Suprà hoc c. §. *Beneficium.*

Præſuppoſita ſupplicatione reſignationis Parochialis de qua agitur in fauorem Dom. Ioann. de Miron, cum reſeruatione penſionis ducat. 180 per Dominum Gaſparem ſoluendorum, & quod in eadē ſupplicatione D. Gaſpar narrauerat, quod per quinquennium dictā Parochialem poſſederat, An in caſum, de quo agitur, inter Concil. Tridentin. hoc cap. Congregatio Concilij cenſuit intrare.

8 *Patrimonium verò.* ] Quantitas Patrimonij, ad quod quis promoueri poſſit, non taxatur, ſed remittitur ad terminos Concilij.

Non

Non expedit autem vt ad titulum patrimonij quis ad ſacros ordines promoueatur, niſi certi reditus ad honeſtam ipſius promouendi ſuſtentationem ſufficientes, ſuper certis reditibus fuerint in forma legitima & valida aſſignati.

Si quis ante Concilium eſt promotus, & Subdiaconus ordinatus abſque titulo beneficij, poterit is poſtea abſque titulo beneficij promoueri, dummodo ſaltem ad titulum patrimonij promoueatur. Vide Bullam Pij V. *Rom. Pont. ſacr* Anno 1568. vbi ſpectat hoc ad Clericos regulares non profeſſos.

Ad titulum donationis alicuius poteſt etiam quis ordinari, ſi ita Epiſcopus iudicauerit eſſe aſſumendum pro neceſſitate, aut vtilitate Eccleſiarum, & ſi donatio eſt realiter vera, & non ficta, quæ deinceps alienari non poterit, abſque Epiſcopi licentia; & donec ordinatus, beneficium ſufficiens adeptus fuerit, vel aliunde habeat, vnde viuere poſſit honeſtè & ſine dedecore.

Ad inſufficientis patrimonij, vel beneficij titulum ante dictæ conſtitutionis publicationem, fuerunt quidam ad ſacros (non tamen presbyteratus) Ordines promoti: at Concilium iam de promotis ad titulum non ſufficientis patrimonij vel beneficij, reſpondet non eſſe promouendos ad Ordines ſuperiores, niſi conſecuti fuerint id, vnde congruè ſe ſuſtentare poſſint.

9 *Pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum.*] Ad titulum patrimonij poſſunt etiam ordinari familiares triennales Epiſcoporum, iuxta formam cap 9. Seſſ. 23 ſed tamen debent adſcribi Eccleſiis, pro quarum neceſſitate ſunt ordinati, iuxta formam cap. 16. Seſſ. 23.

An per Bullam Sixti V. contra malè promotos, intelligatur derogatum conſuetudini quorundam locorum, vbi propter penuriam Sacerdotum, ad Sacros ordines promoueri ſolent, qui ſuper alienis bonis aſſecurationem habent victus & aliarum rerum neceſſariarum cum cautione, ſine alio titulo beneficij, vel patrimonij? &, an in locis inopia laborantibus, ſufficiens patrimonium dici poſſit quod habet annuum reditum, ducatorum viginti quinque? Quoad primum ſua Sanctitas conſulta non probat talem conſuetudinem, ſed vult patrimonium, ad cuius titulum ordinandus promoueri debet, eſſe rem certam, fructiferam, de qua ipſe diſponere valeat, ac propterea omnino prohibet talis conſuetudinis obſeruantiam. Quoad ſecundum verò, Ordinarij arbitrio relinquit hoc iudicandum, an tale patrimonium ſufficiat, propter diuerſitatem locorum, cùm in vno ſufficiat, quod alibi non erit ſufficiens, dummodo animaduertatur, bona eſſe ipſius ordinandi propria, ab omni contractuum ſimulatione, & cæteris, quæ ab amicis, & coniunctis fieri ſolent in huiuſmodi caſibus, penitus libera & aliena. Cæterùm quoad Ieſuitas, cum poſt Sacerdotium exire non poſſint niſi à ſuperioribus eiiciantur, prouideatur illis de reditu ſaltem 40. aureorum annuorum, ex bonis religionis. Quoad alios, qui arbitrio ſuo exire,

quando volunt, poſſunt, ne detur illis occaſio exeundi vt fruantur illo reditu, vocentur prius, & intelligatur, qua alia via proſpici poſſit, deinde maturè deliberandum.

An Clericus, alioquin idoneus, habens beneficium inſufficiens de per ſe, ſed iuncto patrimonio habet quod ſufficiat ad honeſtæ vitæ ſuſtentationem, poſſit promoueri? Cenſuit Congregatio, promoueri poſſe per Epiſcopum iuxta formam dicti Concilij præſenti cap. non obſtante dicta Bulla Pij V. Quod ſi cum beneficio, aut patrimonio inſufficienti iungantur pitantiæ, & eleemoſynæ, Cōgregatio reſpondit non poſſe. Similiter non poteſt aliquis promoueri, ſi nihil prædictorum, vel minus ſufficienter haberet, & Epiſcopus obliget ſe ſuppleturum quod ad alimenta ſufficiat, quouſque habeat, vnde ſe ſuſtentare poſſit: ſic enim Congregatio cenſuit. Et ſi tantum habeat, quod ex induſtria, vel honeſto labore lucratur, (putà, quod ſit Muſicus, Magiſter Grammaticæ, Pictor, vel alterius licitæ profeſſionis) idque ſit ſufficiens ad ſuſtentationem vitæ, non poſſe tamen promoueri ſimiliter cenſuit.

10 *Antiquorum Canonum pœnas innouando* ] Concilium in hoc c. renouauit tantum pœnas *cap cum ſecundum, de praben.*

Ordinatus contra formam huius Decreti ſine beneficio, aut patrimonio, non eſt per hoc ſuſpenſus, nec aliquam pœnam incurrit, ſed cogendus eſt Ordinarius ei prouidere, iuxta *c. cum ſecundum, de preb.* Clerici tamen regulares, qui ante profeſſionem factam ad Sacros ordines promouentur, ipſo facto ſuſpenſi ſunt, & ita ordinum ſuſceptorum actus exercendo, fiunt irregulares. Ita Pius V. in extrauag. quæ incipit, *Rom. Pont.* publicata. Id Octob. 1568.

Ab hac Pij V. conſtitutione Gregor XIII. exemit Clericos Societat. Ieſu, aut potius declarauit, illa conſtitutione Pij V. eos non comprehendi.

# REMISSIONES.

α VIde Flamin. de Reſignat. lib. 2. q. 6. Læli. Zechi de Republica Eccleſiaſt. c. de Clericis nu. 7. Marc. Anton. Genuenſ in praxi Archiepiſcop. Neapol. c. 81 Pet. Ledeſ. in ſumma p. 1. tract. de Sacram. Ord. cap. 7. concl. 6. cum ſeqq. Fr. Emman. in ſum. tom. 2. c. 15. Ioan. Aloyſ. Ricc. in collect. deciſionum p. 3. collect. 566 P Azori. inſtit. Moral. p. 2. lib. 3. ca. 4. P. Valer Reginal. in praxi fori pœnit. l. 32 tract. 2. à n. 72. latiſſimè Nicol. Garc. de Beneficiis p. 1 cap. 5.

β *Ad ſacros ordines.* ] Vtrùm ad minores ordines requiratur titulus? Negatiuam partē de conſuetudine ſeruari teſtantur Salzed. ad Bernard. c. 18. nu. 5. in nouiſſ. edit. Hugolin de Irregularit. c. 62. nu. 2. Fr. Emman. in ſum. tom. 2. c. 15. nu. 16. Quintanad. Eccleſiaſt. li. 3 nu. 17. Pet. Ledeſ. in ſum. p. 1. tract. de Sacram. Ord. ca. 7. ad finem, Flam de

Reſign.

Reſign.li.2.q 6.nu.4. Nicol.Garci.de beneficiis part.2.c.5.nu 4.cum ſeqq

y *Ne quis deinceps Clericus ſecularis.* ] Idem in Regularibus non profeſſis cenſuiſſe ſacram Cardinalium congregationem refert Garci.d.c.5. nu.11.& 12. dicit habere locum tam in non profeſſis, quàm in nulliter profeſſis. Sed Gregor.XIII. eximere Religioſos Societ.Ieſu, qui poſt tria vota ſimplicia, ante ſolemnem profeſſionem, poſſunt ſine titulo ad omnes ſacros ordines promoueri de licentia ſui Præpoſiti generalis, reſoluunt Fr.Emman. in ſum.tom.2 c.15.n.1 & qu. Regular.tom.3.qu 23 art.3. Garc d.c.5.n.13.

δ *Niſi prius legitimè conſtet, cum beneficium eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat.* ] Vide Nauar. de Orat. Miſcel. 62. ſub nu. 3. Flam.de Reſign.li 5.q.6.n 155 vbi reſoluunt hunc textum non eſſe intelligendum de beneficio, cuius redditus ſufficiant ad viuendum decenter, ſed de beneficio, cuius redditus ſufficientes ſunt ad viuendum, & pacificam poſſeſſionem obtinere debet promouendus, Cened. pract. l. 1. qu. 4. nu. 23.

ε *Id verò beneficium reſignare non poſſit, &c.* ] Vide Flamin.d q 6.nu. 174 & li 2.q.6.nu 1.& nu 36.P Azor.inſt. Moral.p.2.l.7.c 10.qu.7. Pet.Ledeſm.in ſum.p.1. tract.de Sacram.Ord. c.7.concl.10.

ζ An loquatur de conſtitutis in minoribus ordinibus? Vide Flam. d.quæſt 6.num.178 P.Azori d.quæſt 7. Fr.Emman in ſumm.tom. 2.c.15.num.vlt.P.Paul.Comitol.reſponſ Moral.l.6.q.38.num 4 qui reſoluunt, poſſe reſignare, etiamſi non habeant aliunde, quo viuere poſſint.

η *Patrimonium verò, &c.* ] Vide Nauar.conſ.12 ſub tit.de tempor. ordinand. & ſub hoc decreto aliquæ editæ ſunt à Cardinalium congregatione deciſiones adductæ per Azor.p.2.li 3.c.4.q.1.& per Garc. de benefic. p.2.c.5. à nu.74.

θ Quòd ad titulum donationis alicuius poteſt quis ordinari, ſi ita Epiſcopus iudicauerit aſſumendum pro neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiarum, & ſi donatio eſt realiter vera, & non ficta, quæ deinceps alienari non poſſit, abſque Epiſcopi licentia, donec beneficium ſufficiens adeptus fuerit, vel aliunde habeat vnde viuere poſſit, reſoluit Læli.Zechi.de Republ. Eccleſiaſt. ca.de Clericis ſub num.7. verſ.84. Garc. d. c.5. nu.79.

ι Cooptatum in Collegium Seminarij non poſſe ordinari ad titulum Seminarij; niſi ob cauſam inſeruiendi beneficio, quod forſan eſſet Seminario iniunctum; poſſe verò ordinari ſub certa aſſignatione fructuum in Seminario facta, cauſa inſeruiendi beneficio iuncto Seminario, & cui inſeruiat, donec alteri prouiſum ſit de congrua ſuſtentatione, docent Flamin.de Reſignat. li.2. qu.6. nu.32. Salzed.ad Bernard.c.10.nu.9. Zerol.in praxi Epiſc.p 1.verbo Seminarium, §.6. Zechi d.cap.de Clericis.nu.7.verſ 84. Marc.Anton.Genuenſ.in praxi Archiep. Neapol c.81. ſub nu 2.

κ Quòd poteſt Epiſcopus ordinare ſubditos ſuos ad ordines Diacona-

conatus, & Subdiaconatus ad titulum, & portionem Eccleſiarum matricum,non obſtante,quòd non participent de fructibus illarum, niſi poſt ſuſceptum presbyteratus ordinem, aſſerit Garci. d cap. 5. num 110.

λ Ob penuriam Sacerdotum quandoque conceſſum eſſe ordinari ſine beneficio, vel patrimonio dummodo quis ſpondeat ſe neceſſaria ordinandis miniſtraturum, docent Flamin.d.li.2.q 6 n.11. Zech. d.c.de Clericis,ſub nu 7.verſ.94. Qui tamen videtur velle id ſemper poſſe fieri ſine ſpeciali diſpenſatione Papæ.

μ An ad titulum Vicariæ temporalis poſſit quis ordinari ſacris ordinibus? Affirmant Salzed.ad Bern in pract c.18 nu.8 verſ. Et ea ratione vicaria temporalis, Flamin.d li.2.qu 6.nu 2.Gonzal.ad reg 8. Cancel gl.5.§.3 n.42.

ν Quòd ad titulum Coadiutoriæ poteſt quis ordinari,tenent Nau. in tract.de Orat.c.20.n.8. Salzed.ad Bern.c.18 n 7.Gonzal.d gloſ.5. §.9.n.6.intelligit.ſi ratione illius habeat congruam ſuſtentationem, Garc.d c.5.n.132.& requirit quòd ſit perpetua, Ledeſm d.c.7.concl. 11.dub.2.

ξ Quòd Doctor in ſacra Theologia, vel iure Canonico, vel aliàs perſona graduata,& literata, ſi non habeat patrimonium nec beneficium, poſſit legitimè ordinari ſub titulo literaturæ, fatentur Frater Emman in ſum. tom 2. cap.15. numer.15. quem refert & ſequitur Gonzal.ad reg 8. cancel. gloſ.4. numer. 36. P.Henriq.in ſumm. lib.10. cap.17. ad finem, & lib.13 cap. 37. §. 2. & lib. 14. cap.5.§.3. Veg.in ſumm p.1. cap.57. caſu 1. Garci. d. cap.5. num.128 & 129. vbi dicit hoc etiam ex æquitate, & epicheia procedere in Bachalaureo in Theologia, vel iure Canonico, qui eſt bonus ſcholaſticus. Sacra tamen Cardinalium congregatio ſic cenſuit. In Concil. Vliſbonenſi decretum de promouendis ad titulum literaturæ iuſſit Sanctiſſimus deleri, & dicit ſe daturum Breue Cardinali Portugalliæ, vt ſolos Doctores in iure Canonico, vel Theologia poſſit ipſe Cardinalis præuio examine à ſe facto promouere ad ſacros ordines ad hunc titulum literaturæ,qua in re ſuam grauat conſcientiam.refert Garci. vbi proximè.

ο Quòd ordinari quis poſſit abſque patrimonio, ſi habeat patrem diuitem, reſoluit Surd. de Aliment. tit 7.q.37.n.2.

ϖ *Verè ab eis obtineri* ] Non poſſe quem promoueri ad titulum de futuro,& in ſpe etiam certa, puta ad beneficium, quod quis ſpectat, ſeu ad quod eſt præſentatus, nominatus, vel poſtulatus, reſoluunt Salzed vbi ſupra nu.6. Fr.Emman.d c.15. nu.10. Pet.Ledeſ.in ſum. p.1. tit. de Sacrament. Ordinis cap.7 poſt 8.concluſ. Garci.d.cap.5. numer.150. ſed affirmat poſt Mayol Sayr. de Cenſuris lib.4 cap.14. num. 19.

ρ *Atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſit* ] Quod bona,ad cuius titulum quis eſt ordine ſacro inſignitus,prohibita ſint alienari, docent Spin.de Teſtam.gl.8.

prin-

princip.à num 72 Guttier pract lib 2.quæſt.65.à num.10 Flamin.d. lib.2.qu.6.num 18. Redoan.de rebus Eccleſiæ non alien.qu.5.ca.13. P. Henriq in ſum.p.2.lib.13.c.37.§.2. Gonzal.ad reg.8.Cancel gloſ. 5.§ 10.num 13 Garci.d.cap.5.num.181 plures per Cened ad Decretal.collect.83. num 2. Nauarr. ſub tit. de tempor. ordinat conſ 16. & conſ. 41 & conſ.46. nu.3. Ceuall. commun. quæſt 527. Stephan. Gratian.diſcep. forenſ cap 159.num.2. Sayr.deciſ.15.de tempor.ordinat.

*s* *Alienari.* ] Procedere in permutatione docent Gonzal d.§ 10.nu. 35.cum ſeq. Stephan. Gratian. d.c.159 num.3.

*t* Quòd ordinatus ad titulum patrimonij, qui poſt ordinationem illud retrò donat, ſeu renunciat, vel alienat, quamuis peccet mortaliter, quia facit contra prohibitionem Concilij in præſenti, maximè cùm ſit facta ob bonum publicum principaliter, & fauorem totius ordinis clericalis, & ſic caſtigari poſſet per Epiſcopum, tamen non incurrit vllam ſuſpenſionem. docent Nauarr. in Man. cap. 27. nu.158 verſ.1 Salzed.d.c 18 nu.13 Graffis Aure.deciſ.lib.2 cap.97. nu.67. Fr.Emman.d. cap.15. num 4. Guttier.d.q 65 num 10. Sayr. de Cenſur.lib 4 cap.15.num.13.ad finem Ceuall qu.527. num.9 & poſt Quintanaduen. Toler. Per Ledeſm P.Soar & alios Garci.d cap. 5.num.165. Stephan. Gratian.diſcept.forenſ cap.159 num 16.& 17. & P.Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent.lib 32. numer 72.verſ. Porro.

*v* *Nullatenus.* ] Quòd inducit nullitatem actus ipſo iure, non aliam pœnam, affirmant Nauarr. conſ. 17. numer. 2. & conſ. 21. numer. 4. & conſ 22 de tempor. ordinand. Flamin. de Reſigna. lib. 1. quæſt 6 numer. 16. Cald. de poteſt. elig. cap 10. numer. 1. & de Reſolut. emphyt. cap. 3. numer. 1 in fine, Quintanaduen. Eccleſiaſt lib.3 numer.71. Gabriel. lib.6 de clauſulis, concl.3 numer 56. P. Molin. de Iuſtit. tract. 2. diſput 238 Stephan. Gratian. diſcept. forenſ cap.159 num.18. Garci.d.cap 5 num.166.cum ſeqq. Ceual. quæſt 527.

*φ* *Donec.* ] Quòd hæc dictio ſit temporis limitatiua, tradit Cardin. in Clem.2 §.1 de ætate,& qualit cum aliis de quibus per Bertachin. verbo Donec,& Caſſan in conſuet. Burgund Rub 6.§ 6. verbo *des enfans*, nu 8.pag 219 Caualcan de Vſufruct. mulieri relicto cap 9. num.79. Cened.pract. quæſt. ſing 46. num 6. Et quòd habeat in ſe temporis reuolutionem, & intercapedinem, ita vt dato beneficio, vel alio, ex quo promotus ad ordines ſacros viuere commodè poſſit, alienare non prohibeatur patrimonium ad cuius titulum fuit ordinatus, nec ad hoc erit neceſſaria licentia Epiſcopi, videntur tenere Flamin.d.li 1. qu 6. nu. 16 Ceuall.q.527 nu.8. & qu.561. à nu.22. maxime nu 30.cum ſeq.Stephan. Gratian. d c 159.n.14 Garci.d.c 5. n.185.Contrarium tuentur Quintanad.li.3.nu.72.Cened.pract.li.1. qu.11 nu. 9.

X *Sufficiens* ] Quòd beneficium, aut patrimonium dicatur ſufficiens

in

in propoſito, vide Apud Fr. Emman. d.c. 15. num 9. Flamin. d.qu. 6. nu. 14. Vgolin de Cenſuris c. 61. de Irregular nu. 6. Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Archiep. Neapol. c 81 n 2. Petr. Ledeſm. in ſum p. 1. tit. de Sacrament Ordinis, cap. 7 concl. 7 Zerol in praxi Epiſc. p 1 verbo Beneficia, pag 51. & verbo Dimiſſoriæ, §. 5. dub 4. & p. 2 eo verbo ad fin. Fr. Ludou. Beja caſuum conſcientiæ p 4. caſu 26. fol. 442. Garci. d.c. 5. nu 112. cum ſeq. Thom. Valaſc tom 1. alleg. 35.

ꝗ *Antiquorum canonum pœnas ſuper his innouando.* ] Concilium in præſenti innouare pœnam ſuſpenſionis, de qua in cap. Neminem, & cap Sanctorum 70 diſt teſtantur Spin. d. gloſſ. 18 de teſtam. num. 75. Zerol. in praxi Epiſc. p 2. verbo Dimiſſoriæ §. 6. & verbo Irregularitas § 2 Fr Emman. d cap. 15. nu. 1. Ortiz Luci in ſum. reſolut 10 de Suſpenſ notab. 5. P. Paul. Comitol reſponſ. moral. l. 6 q 38, P. Sanch. de Matrim l. 6. diſp. 32. ad finem. Infra citati autem tenent, per Concilium in præſenti ſolum eſſe innouatam pœnam c. Cùm ſecundum Apoſtolum, de præbend. & ſic ordinatum ſine titulo non eſſe ſuſpēſum, nec aliquam pœnam incurrere, ſed Epiſcopum cogendum eſſe illi prouidere, P. Henriq in ſum. lib. 13 c. 37. §. 2. Guttier. pract. lib. 2. q. 61. num. 11. verſ. Nec opinio Medinæ, Cened. ad Decretal. collect. 33. nu. 2. & 6 ad finem, Nauar. conſ. 19. num. 2. ſub tit. de temporib. ordinat. plures deciſiones ſacræ Congregationis pro hac parte adducunt Gonzal ad reg. 8 cancel. Gloſſ. 5. § 10. num. 22. Garc. d. cap. 5. num. 24. cum ſeqq.

ω Quòd hæc bona, ſeu patrimonium, ad cuius titulum fuit quis ordinatus, habeant priuilegia, quæ conceduntur à iure bonis eccleſiaſticis affirmant Menoch. de Recup. poſſeſſ remed. 15 num. 11. poſt Bald. & Deci Stephan. Gratian diſcept. forenſ. c. 159. nu 27 & ſaltem interim quòd non extinguitur per adeptionem beneficij eccleſiaſtici. Ceuall. q. 527. num. 4. Azcued. l. 1. nu. 9. tit 4 lib. 1 Recopil. Spin. d. gloſſ. 18. nu. 72. quos refert & ſequitur Cened. pract. lib 1 quæſt. 11. num. 9.

αα An donatio pro ſuſcipiendis ordinibus filio ſimpliciter facta conferri debeat ſeu imputari in legitimam? Negant Anton. Gom. l. 29. Tauri num. 21. vbi Tell. nu. 16. Valaſquez de Auend. gloſſ. 3. n. 8. Duenn reg 222. nu 3. Polidor. Rip obſeru. 130. Iaffred. deci. 16 Grat. reg 95. nu. 6. Roi. de ſucceſs c. 7. à num 46. Azcued. l. 10. num. 29. & 30 tit. 6 li. 5. nouæ Recop. Matienſ 3. gloſſ. 2. nu 14. tit. 8. eod. Stephan. Gratian. d.c. 159. à num. 31. Mendez de Caſtro in l Cùm oportet, num. 165. Cod. de bonis, quæ liberis, Spin. d. gloſ. 18. à num 66. Quintanad Eccleſiaſt. p. 2. lib 3. ad finem, Cald. Pereira in l. Si curatorem, verbo, læſis, n. 103. & 132. & nouiſſimè quæſt forenſ in comment. ad § Sed hæc, p. 2. nu 48 verſ. Ex quo, Inſtit. de inoff. teſtam. Affirmant Couar. in c. Rainaldus, de teſtam. §. 2. nu 7. Aior. de par. p 2 q. 13. Salzed. d.c. 18. nu 16 Perez l. 4. tit. 11. lib. 3. Ordin Fr. Emman d.c 15. nu. 8 Pet. Ledeſm. d c. 7 de Sacram Ordinis, concl 6. ad finem, Auend. reſp. 17. Guttier. pract. lib. 2. qu. 65. P. Molin. de Iuſtit.

tract. 2.

tract. 2. diſp. 238. & diſp 241. ad finem, Nicol. Garci d c. 5. nu. 159. & in hoc Luſitaniæ Regno hanc opinionem attento iure regio eſſe recipiendam teſtatur Valaſc. de Partit. c. 13. n. 77. cum ſeqq.

## CAPVT III.

*Tertia pars quorumcunque prouentuum, & obuentionum, tam dignitatum quam Canonicatuum, perſonatuum &c. conuertenda eſt in diſtributiones quotidianas, vbi ea ſunt ita tenues vt negligantur: diuidanturque ſolis intereſſentibus. Salua conſuetudine, per quam non inſeruientes recipiunt minus tertia ſaltem parte. Contumaces vlterius puniendi.*

α CVm beneficia ad diuinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeũda ſint conſtituta; ne qua in parte minuatur diuinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur: ſtatuit ſancta Synodus, in eccleſiis, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, [a] *in 1 quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, 2 vel ita tenues, 3 vt veriſimiliter negligantur*, [b] *tertiam 4 partem fructuum*, & quorumcumque prouentuum, & obuentionum, 5 *tam dignitatum*, quàm canonicatuum, perſonatuum, portionum, & officiorum, ſeparari debere, & 6 *in diſtributiones quotidianas conuerti*, quæ β *inter dignitates* obtinentes, & 7 *ceteros diuinis intereſſentes*, 8 *proportionabiliter* iuxta diuiſionem ab Epiſcopo, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione faciendam, diuidantur: *ſaluis γ tamen conſuetudinibus* earum eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſeruientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt: 9 *non obſtantibus exemptionibus*, ac aliis conſuetudinibus, 10 *etiam immemorabilibus*, & appellationibus quibuſcumque. Creſcenteque non ſeruientium contumacia, *liceat* 11 *contra eos procedere*, iuxta iuris, [c] ac ſacrorum canonum diſpoſitionem.

*a Vide conſtitut. Alexandri in Concil. Lat part. 1. c. 5.*
*b infr. Seſſ. 22. de refor. c. 3.*
*c infr. ſeſſ. 25. de refor. c. 12.*

# DECLARATIONES,

IN hoc decreto agitur de Canonicatibus, portionibus &c. ſitque ex neceſſitate hæc deductio, quando nullæ ſunt diſtributiones, vel valde tenues, & quæ diſtribuantur intereſſentibus tantùm: ſed in *Seſſ 22.c.3*, deducitur hæc tertia pars ex dignitatibus, etiam non ex neceſſitate, ſed in odium non reſidentium, & pars abſentium non præſentibus, ſed alicui pro loco applicatur Vide hoc c. § Itaque, & ſeſ. 22 c. 2. § Differentia.

1 *In quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ.*] In illis Eccleſiis in quibus non ſunt diſtributiones regulariter tenues, imò pingues, ſi aliquæ ſint horæ, quæ nullas habent diſtributiones aut tenues, debent eis rationabiles aſſignari, detrahendo aliquam partem fructuũ à præbendis. non autem ab alijs diſtributionibus cæteris horis aſſignatis. Namq; Cõgregatio cenſuit, non licere diſtributiones quotidianas, quæ certis dumtaxat horis Canonicis ſunt aſſignatæ, diuidere in alias horas Canonicas, quæ nullas aut ita tenues habeãt diſtributiones, vt veriſimiliter negligantur, ſed accipiendam ex corpore præbendarum, vniuſcuiuſque Canonicatus tantam reddituum portionem, quãta ſufficiat congruis portionibus inter eas horas diſpertiendis. Congregatio tamen Illuſtriſſimorum Cardinalium, ſuper negotio Epiſcoporum proponente Illuſtriſſimo Cardinale montis Regalis in cauſſa Priuarenſium, vbi nullæ erant diſtributiones, in Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio, ſtatuit, vt Prima vniatur Matutino: Tertia autem, Sexta & Nona, Miſſæ: & Completoriũ Veſperis. Ideo ſi Canonicus non interfuerit Primæ, amittit portionẽ Matutini, & ſic de ſingulis: declarauit tamen Congregatio, illam deciſionem Concilij non procedere in hoc caſu, quo præſtat quis maius ſeruitium Infr. hoc c. §. In diſtributiones.

2 *Vel ita tenues.*] Vbi diſtributiones quotidianæ non ſunt adeò tenues, vt præbeant occaſionem & materiam negligendi, non poteſt Ordinarius aliquam partem fructuum præbendarum, aut dignitatũ illis attribuere: vnde ob hoc quod Archiepiſcop. Ianuanẽſis vellet cõuertere partem præbendarum in diſtributiones quotidianas, quæ diſtributiones ſunt per ſe ita opimæ, vt reliqui fructus in illarũ cõparatione ſint tenues, ſcriptum fuit, id à Concilio prohibitum eſſe.

3 *Veriſimiliter negligantur.*] Veriſimilitudo illa, quòd diſtributiones quotidianæ negligantur, & ob id tertia pars fructuũ præbendæ ſit conuertenda, conſiderari debet, habita ratione numeri omnium Canonicorum tam reſidentium, quàm non reſidentium. Cum ergo per hoc Decretum tertia pars fructuum præbendarum ac dignitatũ aſſignetur conuertenda in diſtributiones, in ijs locis faciẽda eſt fructuũ ſequeſtrario legitimã, vbi diſtributiones aut nullæ ſunt, aut ita

tenues

tenues, vt facilitatem præbeant negligendi: in aliis verò Eccleſiis, non poteſt dicta tertia pars in diſtributiones aſſignari.

4 *Tertiam partem fructuum.* ] Iſta tertia pars fructuum intelligenda eſt, deductis penſionibus & aliis oneribus legitimè impoſitis, & quamdiu illa durauerint: ſed de nouo impoſita non comprehendunt iſtam tertiam partem. Et quidem iſta detractio tertię partis fructuũ, faciẽda eſt de illis beneficiis in quibus quis reſidere tenetur, per multa iura. Nec excuſat ab iſta ſeparatione tertiæ partis, quod Canonici non eſſent in ſacris. Porrò quando eſt locus detractioni iſtius tertiæ partis, ea facienda eſt iuxta verum annuum valorem beneficij currentem, non autem ſecundum taxam. Seſſ. 22 cap. 3. de Reform. §. Tertiam.

Congregatio Conc. cenſuit, non poſſe conuerti in diſtributiones tertiam partem redituum beneficij ſimplicis. Et detractio ex fructibus præbendarum &c. fieri debet non ex vna aut altera tantùm pinguiori præbenda, ſed ex omnibus præbendis & dignitatibus Eccleſiæ. Neque poteſt Ordinarius pro lucranda tertia parte præbendæ in diſtributiones conuerſæ pręſcribere dignitatibus certam ſeruitij vel officij formam præter ſolitam.

Hæ diſtributiones quotidianę tenuiores, penſione grauiores fieri non poſſunt; niſi expreſſis verbis fuerit à Papa conceſſum.

Abſentia cauſſa ſtudiorum, etiam obtenta licentia à Sede Apoſtolica, non excuſat ab amiſſione iſtius tertiæ partis detractæ; ſicut nec excuſat ab amiſſione cęterarum diſtributionum quotidianarum faciendarum intereſſentibus ſolùm.

De fructibus alteri reſeruatis, etiam fit iſta detractio, donec reſeruatarius vixerit: ſed ſi beneficij titulum habens neglexerit reſidere, priuandus eſt eo titulo, alteri illo poſtea conferendo.

5 *Tam dignitatum quàm Canonicatuum.* ] Omnes Capellani, Canonici, & dignitates obtinentes tenentur reſidere, & contra eos locum habet hæc detractio, & huius decreti diſpoſitio.

Congregatio cenſuit, obtinentes dignitates in Cathedralibus & collegiatis poſſe compelli ad reſidendum perſonaliter, pœnis præfixis Decreto Concil ſeſ. 24 c. 12. §. *præterea*, non obſtante hoc quod velint amittere tertiam partem fructuum, pro diſtributionibus quotidianis applicatam. Infr hoc c. §. *licet*.

Habens plures Canonicatus reſidere poteſt in quo ipſe vult, licet vnus ſit in Collegiata, alter in Cathedrali etiam Metropolitana. Melius tamen eſt quod Canonicatus habens, reſideat in digniori, qui plures ergo Canonicatus habet legitimè tamen acquiſitos, reſidendo in vno percipit fructus aliorum, diſtributionibus dumtaxat exceptis. Seſ. 22. c 3. §. *Obtinens*.

6 *In diſtributiones quotidianas conuerti.* ] Non licet ex hoc & altero ſeſ. 22. c. 3. decretis, diſtributiones quotidianas, quę in certis horis Canonici, ſunt aſſignatæ, diuidere in alias horas Canonicas, quæ

nullas habent diſtributiones, aut adeò tenues, vt negligantur, ſed accipere oportet ex corpore præbendarum ſingulorum Canonicatuum tantam partem redituum, quanta ſufficiat diſtributionibus quotidianis aſſignandis horis iſtis. Vide ſupr. hoc c. §. *In quibus.*

Diſtributiones quotidianæ diſtribuendæ ſunt Canonicis, tam illis, qui habent præbendas, quam non habentibus: licet Canonici ſolas diſtributiones percipientes (modo præbendis careant) de diſtributionibus contribuere non debeant Seminario. Infrà ſeſ. 23. c. 18. de Reform. §. *An vbi.*

7 *Et cæteros diuinis intereſſentes.* ] Inter præſentes, ſeptem nimirum horis canonicis. Etenim diſtributiones quotidianæ, quæ acceptæ fuerunt ex tertia parte fructuum dignitatum alicuius Eccleſiæ, deſignari debent, non duabus horis canonicis tantùm, ſed etiam reliquis omnibus, vt ſic qui non interſuit, diſtributiones amittat.

8 *Proportionabiliter* ] Vnuſquiſq; percipere debet tantum in diſtributionibus qudtidianis, quantum de ſua præbenda detractum fuerit: & qui plus contribuit, tantumdem recipiat pro quotidianis diſtributionibus. Igitur cui plus ablatum eſt ex præbenda pinguiori, eidem plus dandum eſt diſtributionibus quotidianis; prout & nihil dandum eis, quibus nihil ablatum fuit.

9 *Non obſtantibus exemptionibus.* ] Congregatio cenſuit, fundationi non eſſe derogatum.

10 *Etiam immemorabilibus.* ] An excuſetur quis à reſidentia ex immemorabili conſuetudine? S. D. N. ex ſententia Congregationis declarauit, immemorabilem conſuetudinem excuſare à reſidentia in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus: in Collegiatis autem non inſignibus, poſſe excuſare; dum tamen ſint rurales prorſus deſtitutæ, aut in quibus nunquam antea ſupra hominum memoriam, ſolitum eſſe reſideri; aut adeò tenues reditus eſſent, vt Canonicos, (aliunde non habentes vnde viuant) alere non poſſint.

Ordinarius poteſt cogere Procuratores Capituli, ad reddendas rationes diſtributionum quotidianarum. Pro diſtributionibus Canonicorum Cathedralis, vel collegiatæ Eccleſiæ non eſt auferendum quicquam de benificiis, quæ ſunt extra Eccleſiam Cathedralem vel Collegiatam; niſi Eccleſia vel beneficia ex tradictã Cathedralem, vel Collegiatam exiſtentia, eſſent perpetuò vnita præbendis Canonicatuum prædictarum Eccleſiarum: & quibus beneficijs, extra prædictas Eccleſias, ſi quid ob eam cauſſam exactum eſſet, debet reſtitui, & de cætero ab huiuſmodi exactione abſtinendum eſt.

11 *Liceat contra omnes procedere* ] Obtinentes dignitates, vltra conuerſionem tertiæ partis fructuum pro diſtributionibus, vt dicitur hoc c. poſſunt compelli ad reſidentiam, aliis pœnis præſcriptis Decreto Concilij, Seſ. 24. c. 12. verſic. præterea. Supr. hoc c. §. Congregatio. Et qui perpetuò abſunt, non ſolùm amittunt tertiam partem fructuum, ſed etiam beneficiis priuari debent

RE-

## REMISSIONES.

α Vide dicta infr. ſeſſ. 22. cap. 3. de Reform.

Quod abſentibus de licentia Papæ, vel cauſa ſtudiorum, non concedantur diſtributiones quotidianæ, etiam cenſuiſſe ſacram Cardinalium congregationem aſſerunt Stephan. Gratian. diſcep forenſ c. 166. num 17. & 18. Gonzal. ad reg. 8 cancel. §. 7. procem. num. 179. vbi refert ſequentem deciſionem Licentia, cauſa ſtudiorum etiam obtenta à Sede Apoſtol. non excuſat ab amiſſione iſtius tertię partis detractæ, ſicut nec excuſat ab amiſſione cæterarum diſtributionum quotidianarum.

β *Quæ inter dignitates, &c.*] Vide Nauar. de Orat. Miſcel. 59. num. 6.

γ *Saluis tamen conſuetudinibus, &c.*] Vide Cened ad ſextum col. lect. 15 nu. 7.

## CAPVT IV.

*Vbi vnus Rector non ſufficit populo, adiungat ſibi ſacerdotes competentes. Datur modus erigendi nouas parochias etiam inuitis Rectoribus, & præfectis in nouis parochijs danda portio ex fructibus quomodolibet pertinentibus ad matricem eccleſiam: qua portione non ſufficiente compellendus populus dare neceſſaria.*

α EPiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, in omnibus eccleſijs parochialibus, vel baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, 1 *vt vnus Rector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis* Sacramentis miniſtrandis, & cultui diuino peragendo; a cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot ſacerdotes ad hoc munus adiūgere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum 2 *in ijs verò*, in quibus 3 *ob locorum diſtantiam*, ſiue difficultatem, parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & diuina officia audienda accedere non poſſunt; 4 *nouas parochias*, etiam inuitis Rectoribus, iuxta formam conſtitutionis Alexandri 3. quæ incipit, b Ad audientiam, conſtituere poſſint. Illis autē ſacerdotibus, qui de nouo erūt Eccleſiis nouiter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio 5 *arbitrio Epiſcopi* 6 *ex fructibus ad Eccleſiam matricē quomodocūque pertinentibus*: & ſi neceſſe fuerit, 7 *compellere poſſit populum* ea

*a c. & temporis 16. q. 1 & c. fin. de Eccl. ædif. decr. l. 3. tit. 48.*

*b c. ad audientiam, de Eccl. ædif. in decr. li. 3. tit. 48. Vide poſt finem huius libri.*

ſubminiſtrare quę ſufficiant ad vitam dictorum ſacerdotum ſuſtentandam : quacumque reſeruatione generali, vel ſpeciali, vel affectione, ſuper dictis eccleſiis, non obſtantibus. Neque huiuſmodi ordinationes, & erectiones poſſint tolli, nec impediri, ex quibuſcunque prouiſionibus, etiam vigore reſignationis; aut quibuſuis aliis derogationibus; vel ſuſpenſionibus.

---

## DECLARATIONES.

1 *Vt vnus Rector non poſſit ſufficere, &c.* ] Vbi populus eſt ita numeroſus, quòd vnus Rector ſatisfacere populo nequeat, omnino ſeruari debet diſpoſitio huius cap. quo non conceditur Epiſcopo Parochias vnire ſed tantùm nouas conſtituere

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum ex hoc capitulo non poſſe erigere coadiutoriam, ſed vtiq; cogere Rectorem ad adiungendum ſibi tot ſacerdotes, quot ſufficiunt eccleſiæ Sacramentis miniſtrandis. Neque licet Ordinario erigere nouam parochiam, niſi & alia concurrant quæ exprimuntur conſtitutione Alexandri III quæ incipit *ad audientiam, de Eccleſ. ædif. in decretal. lib* 3 *tit.* 48. & oportet primum vti remedio declarato in principio huius capitis.

2 *In iis verò* ] Hoc decretum eſt ad conſtituendum nouas Parochias, & aſſignandum nouas portiones nouis Parochiis, etiam iis quæ Regularium ſunt.

3 *Ob locorum diſtantiam.* ] Licet Parochialis Eccleſia in eo ſit loco, vbi minor pars Parochianorum habitat, & maior pars longè habitat in aliis oppidis; nihilominus Parochus habitare debet prope Eccleſiam, ſed ſucurrendum eſt remedio præſentis Decreti, & *cap. Ad audientiam, de Eccleſ. ædific.*

4 *Nouas parochias.* ] Etiam inuitis Rectoribus, poſſunt inſtitui nouæ Parochiales, ſeruatis iis quæ in hoc Decreto ſtatuuntur.

Quando Epiſcopus procedit ad aliquem actum, vigore Decretorum Concil. Tridentini, quem etiam ſuo ordinario iure facere poterat, & in Decreto datur ei facultas procedendi etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegato, ſi velit diuidere parochias ex hoc cap. quod poterat per text. *in cap. Ad audientiam, de Eccl. ædif.* ſi appelletur, poteſt appellatio in ſecunda inſtantia Iuridicè interponi, & tractari coram Metropolitano, cùm non ſit neceſſariò interponenda apud Sanctam Sedem Apoſtolicam.

5 *Arbitrio Epiſcopi* ] Epiſcopus ob multitudinem populi, poteſt compellere Rectorem ad ſibi adiungendos alios Sacerdotes pro miſſis, atque aliis diuinis officiis celebrandis, aut Sacramentis adminiſtrandis, cum moderamine tamen multitudinis miſſarum.

Parochus poteſt ſibi alium præsbyterum ad curam animarum adiutorem accipere, modo ſit ab Ordinario approbatus.

6 Ex

6 *Ex fructibus ad Eccleſiam Matricem.*] Intelligendum eſt id habere locum etiamſi eccleſia illa foret cathedralis, nam indefinitè ponitur, & vniuerſaliter intelligitur quæcumq; Matrix. Quapropter licet Epiſcopo aſſignare Sacerdotibus, qui erunt præfecti nouis Parochiis, ſecundum hoc Decretum conſtitutis, competentem portionem arbitrio ſuo ex omnibus fructibus ad Matricem pertinentibus, non diſtinguendo magis decimas, quam alia corpora redditnum. Poterit tamen Ordinarius in erectione Parochialis Eccleſiæ facta iuxta formam Concil Trident c. 13 ſeſſ. 24. de Refor. vnire eidem Parochiali, in actu ipſius erectionis, vnũ ex quatuor Canonicatibus habentibus curam animarum annexam, exiſtentẽ in alia Eccleſia nõ collegiata, quæ erat Parochialis loci, in quo noua Parochia fuerit erecta: quia multa facta tenent, præſertim ſtante neceſſitate loci & perſonarum, quæ hoc facit. In contrarium quidem declinabãt multi Illuſtriſſimi, hoc tamen non obſtante fuit deciſum potuiſſe ordinarium id facere.

Non licet Epiſcopo loco erectionis faciendæ prorſus certam populi partem ſeparare ab antiqua Parochia, & alteri commodiori applicare, ſi nimirũ ſit vel exiguus numerus populi, vel inopia, vel alia cauſſa quę impediat, aut certè non poſtulet erigi nouam Parochiam,

7 *Compellere poſſit populum* ] Aſſignatio faciẽda pro noua Parochia priùs ſit ex fructibus ad Eccleſiam Matricem pertinentibus; & ſi ea non ſufficiat, tunc demum populus compellendus; & ſi non poteſt populus ob paupertatem, Epiſcopus debet de ſuo, iuxta Hoſtienſẽ.

Ad ſuccurrendum autem Parochianis foris habitantibus, vt ſupra dictum eſt, erigatur vna Capellania extra ciuitatem quæ non ſit Eccleſia per ſe, ſed in poteſtate Matricis Eccleſię, in qua ponatur Sacerdos amouibilis approbatus ab Ordinario, qui adminiſtret Sacramẽta illis, qui ſunt extra ciuitatem, ad quos non eſt acceſus ex vrbe de nocte, quia portæ ciuitatis clauduntur, iuxta alleg. c. ſequenti.

## REMISSIONES.

a VIde Roch. de iure patron. verbo Honorificum, qu. 3. num. 10. Lambert. eod. tract. p. 1. qu. 3. art 15 Lap. alleg 66. Rebuff. de Decimis q. 6. nu. 21. Mandos in praxi ſignaturæ, tit Erectiones gl. 6. l. 13. tit. 5. par. 1. Gambar de Officio legati, lib. 5 tit 18 Matthæ. Soar. in pract. & ordine viſitandi c. 4. nu 1.

## CAPVT V.

*Propter eccleſiarum paupertatem, & in caſibus à iure permiſſis faciat Epiſcopus vniones perpetuas quarumcumq; eccleſiarũ parochialium & aliorum beneficiorum, etiam non curatorum cum curatis.*

a VT etiam eccleſiarũ ſtatus, vbi ſacra Deo officia miniſtrãtur, ex dignitate cõſeruetur, b *poſſint Epiſcopi,*

etiam tanquam Apoſtolicę Sedis delegati, 1 *iuxta formam iuris*, ſine tamen præiudicio obtinentium, facere [a] 2 *uniones perpetuas*, quarumcumque eccleſiarum parochialium, & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum, curatorum, 3 *vel non curatorum* cum curatis, propter earum paupertatem *& γ &c. in cæteris caſibus à iure permiſſis*, etiam ſi dictæ eccleſiæ, *vel κ beneficia eſſent generaliter*, vel ſpecialiter reſeruata, aut qualitercumque affecta. [b] *Quæ λ uniones etiam* non poſſint reuocari, nec quoquomodo infringi vigore cuiuſcúmque prouiſionis, etiam ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.

*a c. ſicut vnire. de exceſ. prælat. Cōc. Lat. ſub Leo X ſeſſ. 9 de reſ. curia, & infr. ſeſ. 24. c. 13. Vide Seſſ. 14. c. 9.*

*b vnio in fin. 10. q. 3. c. & temporis cum ſeq. 16. q. 1.*

## DECLARATIONES.

HOc caput (quo diſponitur poſſe Epiſcopos facere vniones perpetuas quarumcumq; Eccleſiarum Parochialium, & aliorum beneficiorum cum cura propter eorum paupertatem) non comprehendit beneficia Iuris patronatus, *infra hoc cap. §. Vniones.*

Si neceſſitatibus Parochialium prouideri non poſſit vnionibus præmiſſis iuxta hoc caput, tunc adhibenda ſunt remedia, poſita in cap. 13 ſeſſ. 24. §. In Parochialibus. Quod ſi nec poſſit prouideri neceſſitatibus Parochialium remediis prædictis & propoſitis in dict. ca. 13. adhibeat Epiſcopus remedia iuris communis, quibus vti poteſt aduerſus patronos illarum eccleſiarum, quæ ſufficientes reditus non habent pro cultu diuino & ſuſtentatione Rectoris: quia poſſunt compelli Patroni ad præſtandum congruam ſuſtentationem, vel patiantur illa vniri.

1 *Iuxta formam iuris.*] Hoc eſt, de conſenſu Epiſcopali, *iuxta Clem. vnic. de. reb. Eccleſ. non. alienand.* Epiſcopus enim has vniones facere poteſt.

2 *Vniones perpetuas.*] Epiſcopus Parochiales tenues vnire poteſt inuicem vel aliis. Sed Parochiales quæ ſunt de Iure patronatus non comprehenduntur hoc Decreto.

3 *Vel non curatorum.*] Non tamen hoſpitalia, etiam poſito quod darentur in titulum, in quibus nulla exercetur hoſpitalitas, ex cap. 8. ſeſſ. 12. de Reform. Non comprehenduntur beneficia hic ad inferiorem collatorem pertinentia.

## REMISSIONES.

α VIde Bullam Pij P. quæ eſt 46. incip. Ad exequendum, Mandos. in reg. 22. de vnionib. q. 5. n. 3. ad finem Caccialup. in tract. de Vnionib. art. 5 cauſa 3. Rebuff. de vnionib. à nu 38. Gonzal. ad reg. 8. Cancel gloſ 2. n. 10 Steph. Gratian. diſceptat. forenſ c. 278

β Poſſint

β *Poſſint Epiſcopi.* ] Abſque conſenſu Capituli poſſe aiunt Nauar. Conſ. 10. de Officio & poteſt. iudicis deleg. & Zerol. d. verbo Vnio, § 9.

γ *Et in cæteris caſibus à iure permiſſis.* ] Super hac materia aliquæ proditæ ſunt à ſacra Cardinalium congregatione deciſiones, quas refert Zerol. in praxi Epiſcop. p. 2 verbo Vnio, pag 115.

δ Quod vnio monaſteriorum monialium facienda ſit, cùm ſubeſt aliqua cauſa legitima, accedente ad id auctoritate Papæ, refert cenſuiſſe ſacram Cardinalium congregationem, Zerol. d. verbo Vnio, §. 4

ε An Epiſcopus poſſit vnire beneficia etiam poſt deuolutionem? Affirmant Rebuff. de Deuolut. num. 31 Zerol. d. verbo Vnio, verſ. Decimò

ζ Quod vnio poſſit fieri in perpetuum, & ad tempus, & hoc debeat exprimi in vnione, docent Rebuff de Vnionib. num. 8. & 9. Zerol d. verbo Vnio, verſ. Decimoprimò.

η Quod beneficium vnitum non poſſit permutari, tenent Gom. q. 15. de infirmis reſign. Zerol. d. verbo Vnio, verſ. Decimoquartò, Flam. de Reſign lib. 2 q. 9 num. 2.

θ Parochialem poſſe vniri beneficio ſimplici, ponendo in ea Vicarium perpetuum, docent Rebuff. in reg. de idiom. Gloſſ. 2 num. 7. & de Vnionibus, num. 17. & 18. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 2. verbo parochia §. 7 in fine.

ι Quòd Capitulum poſſit præſtare auctoritatem Vnioni ſede vacante, dummodo per eam vnionem nihil iuri Epiſcopali detrahatur, docent Rebuff. in reg. de Vnionib. Gloſ. 11. num. 1. & 2. & in tit. de Deuolut. num. 100. Zerol. d. verbo Vnio, verſ. Septimò, vbi verſ. Decimoquintò reſoluit, hoc non procedere in inferioribus Prælatis veluti Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Commendatariis.

κ *Vel beneficia eſſent generaliter vel ſpecialiter reſeruata.* ] Quòd poſſit Epiſcopus vnire beneficia deuoluta, & reſeruata Sedi Apoſt. docent Nauar Conſ. 12. de Rebus Eccleſiæ non alien. & Conſ. 10. de Officio deleg. Zerol d. verbo Vnio, verſ. Octauò. Gom. tract. de Mād. prouid. num 117. Et quod vnio tamen non poſſit fieri de beneficio deuoluto ad Papam ab Ordinario ob ipſiuſmet negligentiam non conferentis illud, & poſtea vellet illud vnire, quia hoc non poteſt in pœnam negligentiæ ſuæ, ob quod conſtitutus fuit titulus de ſupplenda negligent. Prælat. ſecus verò quando inueniret illa iam deuoluta, vel propter prædeceſſoris negligentiam, ignorantiam, vel abſentiam, tenent Sylu p. 3. q. 11. qual. 14. Rebuff. de Deuolut num. 31. Zerol. d. verbo Vnio, verſ. Octauò.

λ *Quæ vniones etiam.* ] Vide Flamin. de Reſignat lib. 2. quæſt. 9. num. 18.

## CAPVT VI.

*Imperitis ſed honeſtæ vitæ Rectoribus Vicarij pro tempore deputentur cum parte fructuum aſſignanda. Scandaloſè autem viuentes & viuere perſeuerantes nudentur beneficijs ſuis.*

QVia α illiterati,[a] & imperiti parochialium Eccleſiarum Rectores ſacris minùs apti ſunt officiis; & alij propter eorum vitæ turpitudinem, potiùs deſtruunt, quàm ædificant: Epiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, eiſdem illiteratis, & imperitis, ſi aliàs honeſtæ vitæ ſint, 1 *Coadiutores, aut Vicarios* 2 *pro tempore* deputare, β *partemq́, fructuum* eiſdem pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter prouidere poſſint; quacumque 3 *appellatione* & exemptione remota. b *Eos* γ *verò, qui turpiter, & ſcandaloſè viuunt*, poſtquam præmoniti fuerint, coërceant, ac caſtigent; &, ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeuerent, eos beneficiis, iuxta ſacrorum c Canonum conſtitutiones, exemptione & appellatione quacumque remota, priuandi facultatem habeant.

a *c. illiteratos, 36. diſt. c. niſi cũ pridem de re onũc c. 1. 38. diſt. c. Conc. Tolet. 8. Can. 8.*

b *c. quia frater, 7. q. 1.*

c *c. iuuentum, 16. q. 1. c. felicis, de pœn. in 6. & Clem. multorum de pœn.*

## DECLARATIONES.

1 *Coadiutores aut Vicarios.* ] Arguuntur hoc Decreto Epiſcopi, qui ex cauſſa infirmitatis conſtituunt in Parochialibus Vicarios perpetuos, datâ etiam Rectori facultate de non reſidendo.

2 *Pro tempore deputare.*] Hæc deputatio ad eum ſpectat, qui poteſt inſtituere concurſum. Nec ideo parochus, cui datus eſt coadiutor, poterit propterea abeſſe à Cura.

3 *Appellatione.*] Ad effectum ſuſpenſiuum, ſed non deuolutiuum.

## REMISSIONES.

α QVòd Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtol. delegati, Rectoribus parochialium imperitis, & minùs aptis, dare debeant coadiutores, vel Vicarios pro tempore; & aſſignare eis partem fructuum pro ſufficienti victu; vel aliter prouidere. Et quod hoc poteſt Epiſcopus etiam in parochiis exemptis propter identitatis rationem, tenent Zerol. in praxi Epiſcop p. 1. verbo Parochia, §. 7.

P. Valer.

P.Valer. Reginald.in praxi fori pœnitent. lib. 30. tract. 3. num. 172. Gonzal ad reg. 8. Cancel. gloſ. 5 § 9. num. 29. vbi num. 30. reſoluit, quòd parochus, cui datus eſt coadiutor propter inſufficientiam, non poterit abeſſe à reſidentia, & dicit decidiſſe ſacram Cardinalium congregationem in hæc verba. Propter deputationem coadiutoris parochus, cui datus eſt coadiutor, non poterit abeſſe à reſidentia.

β *Partemque fructuum* ] Vide Gambar. de officio legati, lib. 5 tit. de coadiutorib. num. 11. Gonzal d. §. 9. num. 33.

γ *Eos verò, qui turpiter, & ſcandaloſè viuunt.* ] Vide Flamin. de Reſignationib. lib. 5. quæſt. 6. num. 101.

## CAPVT VII.

*Curet Epiſcopus Eccleſias vetuſtate, vel aliàs collapſas reſtaurari, ſi fieri poteſt, ex fructibus ad eas pertinentibus: quibus non ſufficientibus contribuant parochiani. Si autem non poſſunt illæ Eccleſiæ vllatenus reſtaurari; deſtruantur, locúſque conuertatur in locum profanum non ſordidum, & beneficia talium Eccleſiarum transferantur cum oneribus ad matrices Eccleſias, &c.*

α CVm illud quóque valde curandum ſit, ne ea, quæ ſacris miniſteriis dedicata ſunt, temporum iniuria obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant; Epiſcopi, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati, transferre poſſint beneficia ſimplicia, etiam iuris patronatus, ex Eccleſiis, 1 *quæ vetuſtate, vel aliàs collapſæ ſint,* 2 *& ob eorum inopiam*, nequeant inſtaurari, vocatis iis, quorum intereſt, in matrices, aut alias Eccleſias locorum eorundem, ſeu viciniorum, arbitrio ſuo; atque in eiſdem Eccleſiis erigant altaria, vel Capellas ſub eiſdem inuocationibus; vel in iam erecta altaria, vel Capellas transferant cum omnibus emolumentis, 3 *& oneribus, prioribus Eccleſiis impoſitis.* a 4 *Parochiales*, verò Eccleſias, etiam ſi iuris patronatus ſint, ita collapſas reſici, & 5 β *inſtaurari procurent ex fructibus*, & prouentibus quibuſcúmque, ad eaſdem Eccleſias quomodocúmque pertinentibus: qui ſi non fuerint ſufficientes; omnes patro-

*a c. & c. pen. de Eccl. ædif. vel repar. ſupr. Seſſ. 7. c. 8. de Reform.*

patronos, & alios, *qui 7 fructus aliquos ex dictis Eccleſiis* pro-
uenientes percipiunt; aut in illorum defectum *& paro-
chianos omnibus* remediis opportunis ad prædicta cogant;
quacúmque appellatione, exemptione, & contradictio-
ne remota. 6 *Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent*, 7 *ad ma-
trices*, ſeu viciniores Eccleſias transferantur: cum facul-
tate tam dictas parochiales, quàm alias Eccleſias dirutas,
8 *in profanos vſus*, non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce,
conuertendi.

# DECLARATIONES.

1 *Vetuſtate vel alias collapſæ.*] Eccleſiæ collapſæ, vel reſtituendæ, vel aliò transferendæ ſunt, iuxta hoc Decretum.

An autem & quando ruinatæ Eccleſiæ conuerti poſſint in priuatas domos aut loca publica ad vſus non ſordidos, relinquitur arbitrio Ordinarij relinquendum. Similiter pecunia ex dictis ruinis comparata, ſit conuertenda in bona ſtabilia Eccleſiæ, vel eroganda in alios pios vſus, eiuſdem eſt iudicare.

2 *Et ob eorum inopiam.*] Si populus nolit Eccleſiam, quæ minatur ruinam, inſtaurare, debet penitus deſtrui. itémque huic quæſtioni: An huius Capitis diſpoſitio procedat etiam in Eccleſia, quæ non prorſus eſt collapſa, ſed maiori ex parte ruinam minatur? Congregatio reſpondet affirmatiuè, ſed in hoc caſu tantum propoſito. Nam Illuſtriſſimi noluerunt quòd procedat generaliter, ne ſcil. Epiſcopi ſumpta tali occaſione Eccleſias transferrent, etiamſi Eccleſiæ non eſſent ita collapſæ & ruinam minantes; hoc enim ſeuerè prohibent fieri.

3 *Et oneribus, prioribus Eccleſiis impoſitis.*] Non eſt per Epiſcopum vllum nouum onus imponendum ex coniecturis, vel veriſimilitudinibus.

4 *Parochiales verò.*] Parochiales Eccleſias dirutas reſtaurari aut transferri Epiſcopus debet curare, ſeruata forma præuia huius Decreti. Idem cenſuit Congregatio de domibus pro neceſſaria Parochi habitatione intelligendum, quod de Eccleſiis Parochialibus deciſum eſt, omni contradictione remota.

5 *Inſtaurari procurent ex fructibus.*] Pro hac inſtauratione non ſunt ſequeſtrandi fructus pro Parochi victu.

6 *Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent.*] Facultas transferendi Eccleſias collapſas, nimia egeſtate laborantes competens Epiſcopo vigore huius cap. §. *Quod ſi nimia*, non competit eius Vicario generali, niſi ſpeciali mandato illam habuerit.

7 *Ad*

7 *Ad matrices Eccleſias.* ] Eccleſia ergo diruta paruorum redituum poteſt ex ſententia Congregationis in profanos vſus, non tamen ſordidos ( erecta tamen ibi cruce,) conuerti, & transferri ad Matricem ſeu viciniorem Eccleſiam, vbi erigendum eſt altare, ſub eadem inuocatione, impoſito onere titulari; vt nimirum Epiſcopus curet ibi celebrari ſingulis hebdomadibus per Sacerdotem idoneum. Cœmiterium item profanandum, & deinde oſſa transferenda ſunt ad nouum Cœmiterium, quod à titulari conſtruatur in eo loco, quo magis placuerit populo conſtruendum.

8 *In profanos vſus, non ſordidos.* ] Qui dicantur vſus ſordidi, arbitrio Ordinarij hoc totum relinquitur qui non debet ſine cauſſa profanare Capellas: at ſi aliquam prophanandi cauſſam habeat, earum cementa potius attribuenda ſunt Eccleſiæ, quæ eſt caput dictarum Capellarum, quàm alteri cuicúmque.

## REMISSIONES.

ɑ VIde Rebuff. in praxi, tit. de Vnionib. Gloſ. 11. n. 8 Mandos. reg. 21. Cancel. q. 7. & 8. Boër. deciſ. 345. Peruſin. de Vnionib. c. 4. n. 11 Zerol. in praxi, Epiſc. p. 1. verbo Viſitatio §. 9. pag. 345. Fr. Emman. quæſt Regular. tom. 1. q. 43 art. 13. Bouadil. in ſua Politica, lib. 3. cap. 5. n. 34. plures refert Doctores Cened. ad Decret. collect. 153.

β *Qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis, &c.* ] Vide Valaſc Conſ. 179. n. 13. & ſacra Cardinalium Congregatio cenſuit, in hæc verba: Si populus noluit Eccleſiam, quæ minatur ruinam, reſtaurare, ea debet penitus dirui. Quòd Epiſcopus poteſt vendere lapides altarium, vel Eccleſiarum deſtructarum, affirmant Nau. de ſpoliis Clericorum. §. 18 n. 11. verſ. 2 Zerol. de verbo Viſitatio, §. 9.

γ *Inſtaurari procurent ex fructibus.* ] An intelligatur deducto priùs eis neceſſario ad ſuam ſuſtentationem, ne aliàs cogantur deſeruire ſine alimentis? Affirmant Sarmi. de Redditib. Eccleſiaſt. p. 1. monitu 82. n. 3. Cened d. collect 153. n. 1. in med.

δ *Parochianos omnibus.* ] Cùm hoc ſit opus publicum, & commune, & concernens omnium vtilitatem, & neceſſitatem, teneri ſemper contribuere nobiles, & alios exemptos docent Auend. de Exequendis mand, lib. 2. cap. 14 n. 19. Cened. d. collect 153 n. 2.

## CAPVT VIII.

### *De Epiſcoporum cura, viſitatione eorum, quæ ad ſuam diœceſim pertinent.*

ɑ QVæcúmque in diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, vbi oportet, proui-

prouideri æquum eſt. propterea, 1 *commendata monaſteria*, etiam Abbatiæ, 2 *Prioratus*, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis obſeruantia, nec non beneficia, 3 *tam curata, quam non curata*, ſæcularia, & β *Regularia, qualitercúmque commendata*, etiam exempta, *ab γ Epiſcopis*, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, annis ſingulis a viſitentur, curentque iidem Epiſcopi congruẽtibus remediis, 4 *etiam per ſequeſtrationem fructuum*, vt, quæ renouatione indigent, aut reſtauratione, reficiantur: & 5 *cura animarum, ſi* qua illis vel eorum annexis immineat, 6 *aliáque debita obſequia*, rectè exerceantur: appellationibus quibuſcúmque, priuilegiis, conſuetudinibus, etiam immemorabili tempore præſcriptis, conſeruatoriis, iudicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obſtantibus, &, ſi in eis vigeret obſeruantia Regularis, prouideant Epiſcopi paternis admonitionibus, vt eorum Regularium Superiores iuxta eorum Regularia inſtituta debitam viuendi rationem obſeruent, & obſeruari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant, ac moderentur. Quòd ſi admoniti, intra ſex menſes eos non viſitauerint, vel correxerint; tunc iidem Epiſcopi, etiam vt delegati Sedis Apoſtolicæ, eos viſitare poſſint, & corrigere, provt ipſi Superiores poſſent, iuxta eorum inſtituta: quibuſcúmque appellationibus, priuilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obſtantibus.

a *Supr. Seſſ. 7. de Reform. ca. 8 & infr. Seſſ. 24. ca. 9 & Seſſ. vlt. de regul. c. 20. Cõc. Braccaren. 2. c. 1.*

## DECLARATIONES.

PEr vim huius decreti licet Epiſcopo viſitare omnes Eccleſias, etiam Regularibus ſubiectas, dummodo illarum miniſtri ſint ſæculares. *Pro his vide notat. ad c. 8. Seſſ. 7.*

1 *Commendata Monaſteria.*] Epiſcopus non debet ſe interponere in Monaſteriis in quibus viget Regularis obſeruantia, licet Monaſteria ſint commendata.

Comprehenduntur in hoc Decreto etiã illa Monaſteria commendata, quæ ſunt perpetuò vnita aliis Eccleſiis, vel piis locis, etiamſi ipſa loca eſſent ſub Regulari protectione, *vt infrà, cap. 8. Seſſ. 22.*

Fuit declaratũ à Sanctiſſimo, quòd milites Hieroſolymitani non ſint

ſint ab Ordinariis viſitandi, niſi prout poſſunt alij Religioſi habentes ſuos ſuperiores, iuxta Decreta Concilij Tridentini; cum ipſi etiam ſint profeſſi & Præceptores, non commendatarij: cum etiam habeant ſuum procuratorem, ſeu ſuperiorem totius Ordinis, iuxta Decretum, cap 10. Seſſ 25. de Regul.

2 *Prioratus.*] Prioratus militum Hieroſolymitanorum Ordinarius viſitare non poteſt, cum illi ſint Præceptores, non autem Commendatarij, & viſitari debeant à capitibus ſui Ordinis, *vt Seſſ. 7. c. 8. §. Vbi Equites.*

3 *Tam curata quam non curata.*] Epiſcopus Eccleſiam Parochialem viſitare debet, eique de Parocho prouidere, qui Sacramenta & alia ſimilia populo adminiſtret.

4 *Etiam per ſequeſtrationem fructuum.*] Fructus Eccleſiarum, quæ reuocatione indigent, ab Ordinariis ſequeſtrari poſſunt, vt eccleſiæ ſeparentur, etiamſi illæ eſſent militum Hieroſolymitanorum.

5 *Et cura animarum, ſi qua illis, vel eorum annexis imm neat.*] Eccleſiæ, vbi cura animarum exercetur, viſitari poſſunt ab Ordinariis, etiamſi illæ eſſent militum Hieroſolymitanorum. adhibita tamen moderatione, quam in ſua Bulla Pius V. expreſſit, quæ eſt, vt illas dumtaxat viſitent, quæ animarum curam, illiúſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt, quæ Bulla incipit, *Expoſcit e paſtoralis*, publicata, 22. Septemb. 1571.

6 *Aliáque debita obſequia.*] Per vocem hanc (*debita*) in hoc Decreto poſitam, inſinuatur quod non liceat Epiſcopo maius ſeruitium, aut onus imponere beneficiis, quàm illis ex antiquiſſima conſuetudine, vel illorum fundatione, vel inſtitutione debetur.

---

## REMISSIONES.

α Vide P. Azor inſtit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 40. q. 10.

β *Et Regularia qualitercúnque commendata, &c.*] Vide Fr. Emman. qu. Regular. tom. 1. q. 36. art. 3 per totum.

γ *Ab Epiſcopis*] Quòd conueniat etiam inferioribus, cuiuſmodi ſunt Abbates, Priores, Præpoſiti, & alij iuriſdictionem habentes, docet P. Azori inſtit. moral. p. 1. lib. 12. cap. 18. verſ. Sextò.

## Caput IX.

*Quæſtorum Eleëmoſynarum nomen & vſus penitus tollitur. Indulgentias & ſpirituales gratias Ordinarij publicent: & duo de Capitulo fideliter Eleëmoſynas recipiant ſine vlla mercede.*

αβ CVm multa à diuerſis antea ª Conciliis, tã Lateranéſi, ac Lugdunéſi, quàm Viénnſi, aduerſus 1 *pra-*

ª *Conc. Lateran. c. 61. ſub Innoc. III. c. cum ex eo, de pœn. & remiſſ. Clemen. abuſionibus, eo. tit & infr Seſſ. vlt. in Decreto, de Indulg. & ſuprà, Seſſ. 5. c. 2.*

*uos*

*nos eleemoſynarum Quæſtorum abuſus remedia* tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia; potiúſque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium ſcandalo, & querela exceſcere deprehendatur, vt de eorum emendatione nulla ſpes amplius relicta videatur: ſtatuit, vt poſt hac in quibuſcúmque Chriſtianæ religionis locis eorum nomen, atque vſus, penitus aboleatur; 2 *nec ad officium* huiuſmodi exercendum vllatenus admittantur: non obſtantibus priuilegiis, Eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, piis locis, & quibuſuis, cuiuſcúmque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. 3 *Indulgentias verò*, aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſti fideles decet priuari, 4 *deinceps per Ordinarios locorum*, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit. quibus etiam eleëmoſynas, atque oblata ſibi caritatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: vt tandem cœleſtes hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri, omnes verè intelligant.

## DECLARATIONES.

1 *Prauos Eleëmoſynarum Quæſtorum abuſus.* ] Praui Eleëmoſynarum Quæſtores prohiberi & ſeuerè caſtigari debent; non autem illi, qui collectas Eleëmoſynas in pios vſus conuertunt. Non poſſunt proinde prohiberi à quæſtoribus ſeu mendicantibus Sancti Antonij de Vienna, fratres mendicantes alicuius Eccleſiæ perpetuæ Sancti Antonij, quo minus etiam ipſi pro ſuo Conuentu mendicent & quærant.

2 *Nec ad officium huiuſmodi exercendum.* ] Quando ſedes Apoſtolica rationabili ex cauſſa concedit alicui pio loco, vt poſſit Eleemoſynam quærere, Epiſcopo Ordinario reſcribit per hæc verba: *Has Eleëmoſynas, quæ in tua ciuitate, & Diœceſi pro vſu dicti hoſpitalis dabuntur, permittas: dummodo perſonæ quæ colligent eas, honeſtæ vitæ, & ſpectatæ religionis, & tuo iudicio approbatæ ſint, miniméque participes datarum Eleëmoſynarum, & Quæſtorum nomen nullo modo gerant, ſed ſimpliciter Eleëmoſynarum Collectores nuncupentur: quique non publicent vllas indulgentias, nec concionentur, nec circumferant ſua priuilegia, nec reliquias, nec minis aut imprecationibus inducant fideles ad*

*ad Eleemoſynam: non campanellam aliaque inſtrumenta ſimilia quædam Quæſtorum inſignia ferant, pulſentve ad excitandas, perſonas: non petant Eleemoſynam tanquam debitam aut ſolitam, neq; vlla arte (etiam prætextu dicendi orationes Sancti Antonij, aut alterius Sancti, vel aliter) extorqueant pecuniam: Sed ſimpliciter, per modeſtè, & cum omni dexteritate petendo Eleemoſynam pro ſuſtentatione dicti Hoſpitalis, recipiant tantùm, quod ſibi liberaliter offertur: neque ſuper his Eleemoſynis vllam conuentionem quouis modo faciant, etiam in vtilitatem dicti Hoſpitalis. Diligenter autem curabit Amplitudo tua, vt hæc omnia ritè obſeruentur, & ad id diligenter animaduertat, imo (quo etiam Sanctitas ſua conſcientiam tuam grauari voluit) aduigilabit, vt quicquid dictarum Eleemoſynarum nomine fuerit collectum, id totum in vſum tantùm ipſius Hoſpitalis, & non in alium, conuertatur.*

Facultas quærendi Eleemoſynam à Sede Apoſtolica (ſub forma tamen ſuprà dicta) Hoſpitalibus conceditur, ſi in eis realiter hoſpitalitas exerceatur: quinimò conceditur ſub conditionibus prædictis, quandoque etiam nonnullis aliis Religionis mendicantibus.

3 *Indulgentias verò* ] Per huius Decreti poſteriorem partem, non poſſunt Ordinarij prohibere, quo minùs Religioſi indulgentias ſibi olim à Summo Pontifice conceſſas publicent, nullo etiam verbo cū eis facto: at indulgentias, ſibi ipſis denuò cōceſſas, abſque Ordinarij licentia publicare non poſſunt. *Vide Decretum de indulgentiis in continuatione Seſſ. 25. de Refor.*

4 *Deinceps per Ordinarios locorum.* ] Nullus ergo ſine Ordinariorum licentia & auctoritate poterit eas publicare, non obſtante quacunque exceptione aut exemptione, etiamſi Regularis ſit aut in Eccleſiis ipſorum regularium, etiam prætextu priuilegiorum, v.g. Confraternitatis Roſarij: ſed per Ordinarium, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus, populo publicari debent. *Vide idem infrà, Seſſ. 21. c. 5. § Nemo.*

## REMISSIONES.

α Vide ſuprà, Seſſ. 5 in fine, verſ. quæſtoris, & adde P. Henriq. in ſum lib. 7 c 19. à princip. Nauar. de Orat. Miſcel 66 n. 2. Quarant. in ſumma Bullarij verbo, Archiepiſcopi auctoritas, verſ. 16 in fine, Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Quæſtores, pag. 302. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. q. 57 art. 7. & q. 98. art. 1. plures refert Doctores Cened. ad Clem. Collect. 9. pag. mihi 401.

β Zerol. d verbo Quæſtores. aſſerit in ſacra Cardinalium Congregatione deciſum eſſe dari poſſe licentiam petendi Eleemoſynas cum his circunſtantiis. Prima, vt ſint perſonæ bonæ exiſtimationis Secūda, ne ſint participes ipſarum Eleemoſynarum. Tertia, nę habeant vllo modo nomen quæſtoris. Quarta, nullas indulgentias diuul-

gent,nec concionentur. Quinta,ne ſua priuilegia , aut ſacras reliquias circumferant Sexta,ne imprecationibus, aut minis Eleemoſynas ab hominibus exprimant,aut extorqueant,nec campanas aliáve inſtrumenta deferànt Septima,non quicquam debitum,aut vſitatum petant.Octaua,nec vllo artificio aut ſpecie commemorandæ orationis alicuius Sancti aut alio peruerſo more vtantur. Nona , ſed ſimpliciter, ac modeſtè Eleemoſynas petant , eaſque in pij loci vtilitatem tranſportent.

*Indictio futuræ Seſſionis.*

Sacroſancta OEcumenica , & generalis Tridentina Synodus , in Spiritu Sancto legitimè congregata , præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis , ſtatuit, & decreuit,proximam futuram Seſſionem habendam,& celebrandam eſſe feria quinta poſt octauam feſti Natiuitatis B.Mariæ virginis,quæ erit XVII. menſis Septembris,proximè futuri : Hoc tamen adiecto , quod dictum terminū,ac vnicuique Seſſioni in poſterum præfigendū, ipſa ſancta Synodus pro eius arbitrio,& voluntate, ſicuti rebus Concilij putarit expedire , etiam in generali Congregatione,reſtringere,& prorogare liberè poſſit & valeat.

## SESSIO XXII.

### QVÆ EST SEXTA SVB PIO IV. PONTIF. MAX. CELEBRATA DIE XVII. SEPT. M. D. LXII.

*Doctrina α β γ &c. de ſacrificio Miſſæ.*

SACROSANCTA OEcumenica,& generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè cōgregata,præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis , vt vetus abſoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Euchariſtiæ myſterio

ſterio in ſancta Catholica Eccleſia fides, atque doctrina retineatur, & in ſua puritate, propulſatis erroribus, atque hæreſibus, conſeruetur; de ea, quatenus verum, & ſingulare ſacrificium eſt, Spiritus Sancti illuſtratione edocta, hæc, quę ſequuntur docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.

---

## REMISSIONES.

α VIde D. Thom p. 3 quæſt. 78 art. 5. & 7. quæſt. 83. P. Sot. tit. de Miſſa, Caietan in opuſculo, de Sacrificio Miſſæ contra Lutherum, Can. lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. Sot. lib. 9. de Iuſtit. quæſt 2. art 1. Cardin. Bellarm. de Miſſa, & lib. 1. cap. 5. Couar. lib. 4. Vari. cap. 22. Veg. lib. 13. in Trident. cap 59 P. Henriq. in ſum. li 9. de vero Miſſæ Sacrificio. Repertorium Inquiſit. verbo Miſſa, Michael. Timot. de Sacrificio Miſſæ, P. Gabri. Vaſquez in 3. p D. Tom. tom. 3. quæſt. 83. diſp. 220 P. Azori. inſtitut. Moral part. 1. lib. 10. cap. 18. cum ſeqq. Fr. Emman in ſum tom. 1. cap. 242. de Miſſa, Zerol. in praxi Epiſcop verbo Miſſa, P. Ægidi. de Conink. de Sacram. & cenſur. tom. 1 quæſt. 83 Balduin. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. part. 2. lib. 4. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 29. à nu. 143. cum ſeqq.

β Licitum eſſe vſum accipiendi pitantiam vel pecuniam pro celebranda Miſſa ſpecialiter alicui applicata, nullamque ob id committi ſimoniam, aut culpam, etiamſi Sacerdos eam exigat ex pacto, reſoluunt Anton. de Cordub. de caſibus conſcientię caſu 27. Mich. Timoth. de Sacrificio Miſſæ, tract. 3. quæſt. 48. Iacob de Graſſis, li. 2. deciſ. aure. cap. 96. à num. 31. Guttier. Canon. lib. 1. cap. 29. à num. 3. P. Henriq. in ſum. lib. 9. cap. 22. Morl. in Emporio iuris part. 1. titul. 1. quæſt. 13 à princip. Petr. Ledeſm. in ſum. p. 1. tit de Sacram Euchariſt. cap 18. verſ. Quarta concluſio, P. Soar. p. 3. quæſt. 83. art. 6. diſp. 86. ſect. 1. cum ſeqq. P. Leſſi. de Iuſtit. lib. 2. cap. 35. dub. 8. P. Vaſquez, d. tom. 3. diſp. 234. P. Ægid. de Sacram d. tom. 1. quęſt. 83 num. 196 cum ſeqq. plures Doctores refert Cened. ad Decretal. Collect. 44. numer. 5.

γ Quòd taxatio pitantiæ dicitur iniuſta, quando ita taxatur, vt neque plus neque minus liceat dari, vel recipi, dicitur tamen iuſta, quæ in qualibet regione communi conſuetudine recepta, & approbata eſt à viris prudentibus, & Deum timentibus, vel quæ taxata fuerit à ſuperiori habente poteſtatem, ita vt maior non poſſit iuſtè exigi. tenent Petr. Ledeſm. vbi ſuprà concluſ. 7. & 8. Arag. 2. 2. quæſt. 85. de Sacrificiis, articul. 3. verſ. ſed dubitabit aliquis, Zerol. in praxi Epiſcop. part. 1. verbo Miſsa, concl 1. & 3. §. 3. pag. mihi. 227.

d Verùm Sacerdos, qui aliquam pecuniæ quantitatem accepit per ſe, vel per alium pro dicendis Miſſis, vel vt eas faciat celebrari per alios Sacerdotes, ſi eas celebrari faciat per alios, minori pitantia, poſſit iuſtè ſibi retinere reſiduum eius, quod ſibi datum fuit, ſine peccato, & reſtitutione? Quòd poſſit retinere, ſi Sacerdos, qui dat illas Miſſas, ſit parochus, aut eius populi curam gerat, reſoluunt Sot. de Iuſtit. lib. 9. quæſt. 3. art 1. verſ. ſed hoc propterea. Fr. Emman in ſum tom 1. cap. 142. de Miſſa, num. 12. P. Soar. 3. part. quæſt 83. art. 6. diſput 86. ſect 3. verſ. hac verò occaſione. Contrariam verò opinionem ſequuntur Ioan Maior in 4. diſtinct. 45. quæſt. 3 dub. 2 & Petr. de Ledeſm. d. cap. 18. verſ. *Æſta auda ſe reſponde.* Alij diſtinguunt in hunc modum: quando Parocho, vel Sacriſtæ, qui pecuniam illam accepit à lege vel conſuetudine, eſt aſſignata certa quantitas, ex quaque Miſſa pitantia ob ſtipendium, ſeu pro huiuſmodi cura, & officio ſibi iniuncto Miſſas commendandi, tunc non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, ſi aliquam partem retinet ſibi, & alteram dat presbytero pro Miſſis: quando verò parochus ſeu ſacriſta non habet vllum officium, quod lege, vel conſuetudine compertum ſit commendari Miſſas dicendas, tunc non poteſt ſibi aliquid retinere. quam diſtinctionem tradunt Nauar. in Man cap 2.. numer 91. Ludou. Lop. in inſtructor Conſcientiæ p. 2 tit de Euchariſt. cap 78. verſ. inſuper, Beia caſuum conſcient. part. 1. caſu 12. in fine. Arag. 22. quæſt. 85. de Sacrific art. 3. p. 683. in princip Guttier. Canonic. lib. 1. capit 29. numer. 32. Veg tom. 2. capit. 4. caſu. 3. Pat. Henriq. libr. 9. capit. 22. in fine.

e An præcepto de audienda Miſſa ſatisfaciat ille, qui ad horas Canonicas obligatus, eas tunc recitat, aut alias preces, ad quas tenetur ex voto, aut quia ſunt à Confeſſario ei in pœnitentiam impoſitæ, tunc item recitat? Affirmant Nauar. in Man. cap 21. num. 8. & de Orat. cap 19. num. 178 P. Azori. inſtit. Moral p. 1. lib 7. cap 5. quæſt 3. P. Soar. tom. 3 quæſt 88. ſect 3 in fine, P. Valeri Reginald in praxi fori pœnit lib 19 quæſt. 1. num. 14. P. Ægid. de Sacram. tom. 1. q. 83. num. 307. & num. 287. aſſerit ſufficere audire duas partes ſacri

f An Miſſa pro multis dicta, tantum valeat cuilibet illorum, ac ſi pro vno ſolo celebraretur? Vide Nauar. in Man. cap. 25. num. 92. & num. 111. verſ. 35. & Conſ. 6 num. 2. & Conſ 7. de celebrat. Miſſar. Petr. Nauar lib. 2. de reſtit. cap. 6. à num 262. Marc. Anton. Cuch. lib 5 inſtit. maior. tit. 6. num. 77. Cou. in cap alma. p. 1. §. 5. num. 9. Ioan. Medin. Cod. de Orat. cap de valore Orationis pro multis fuſæ. Spin de teſtam Gloſ. 13 princip. à num. 55. Ludou. Lop p. 2, cap. 78. de Euchariſt. verſ. nam iam hic. Hieron Lamas in 3 part. Methodi, cap. 13. § 17. Arag. 2, 2. quæſt. 85. art. 3 verſ. bis conſtitutis; Fr. Emman. d. cap. 152. num. 2. Iacob de Graffis, d. lib. 2. cap.

2.cap 45. à num. 16. latiſſimè Dimas in tract. de Purgat cap 37. Huma. d l 42. Gloſ. 2. à num. 3. tit. 4. part 1. Nunno in part. 3. D. Thomæ, quæſt 84 art. 1. dub. 8 pag. 960. Cardin Tolet lib 2. inſtruct. Sacerd. cap. 6. P. Azori inſtit. moral part. 1. lib. 10. cap 21. quæſt. 1. Greg. de Valent. tom 4. diſput. 6. q. 11. punct. 1. Petr. Ledeſm in ſum. p. 1. tract. de Euchar cap. 17 concl 23. P. Henriq. d. lib. 9. cap. 19. §. 5. Zerol. d. verbo Miſſa, verſ. ad quartum, P. Soar. tom 3. quæſt. 79. ſect 12. & tom. 4. diſp 48 ſect 6. P. Ægid. d. q. 63 num. 186. in fine.

5 Vtrùm Sacerdoti liceat Miſſas celebrare anticipatè? Doctores ſtatim citandi ponunt ſequentes caſus. Primus igitur caſus tenet, licitum eſſe Sacerdotem Miſſam dicere anticipatam ex his quas in poſterum tenetur dicere pro certa intentione. Secundus, quando quis diceret, & celebraret pro intentione eius, qui habet mandare Miſſas, etiamſi ille neſciat, poterit pro Miſſa taliter dicenda anticipatè ſtipendium accipere, reſoluunt Arag. d. art. 3 pag. 682. Ledeſ. d. cap. 18 concl. 17. verſ. *La duda es de vn Sacerdote*, Fr. Emman. d. cap. 251. num 8. Et præter hos caſus promulgata fuit deciſio Cardinalium Concilij Trident ex mandato S. P. bonæ memoriæ Clem. VIII. edita, cuius tenor talis eſt.

6 Superioribus diebus ſignificatum fuit S. D. N. paucis abhinc annis in Hiſpania nouam conſuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam, ſenſim receptam, in dies magis inualuiſſe, vt Sacerdotes Miſſam celebrantes eius valorem generalem applicent his, qui poſtea Miſſæ celebrationem poſtulaturi, ac pro eo Eleemoſynam præbituri ſunt, tametſi antequam Miſſæ ſacrificium perageretur, neque à Sacerdote illud rogaſſent, neque ei hac de cauſa Eleemoſynam præſtitiſſent. Quam rem cùm Sanctitas S. ad ſacram congregationem Cardinalium Concilij Trident. interpretum pro materiæ grauitate examinandam reieciſſet, in ipſa Congregatione primùm de ea actum fuit diligentiſſimè, ac deinde relatum ad Sanctitatem ſuam: quæ ex eiuſdem Congregationis ſententia, huiuſmodi conſuetudinem, tanquam pluribus nominibus periculoſam, fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimium abhorrentem exploſit, ac improbauit, atque Amplitudini tuæ literas dari, quod facimus, mandauit, vt omnibus iſtius regni Archiepiſcopis, atque Epiſcopis, in quorum diœceſibus huiuſmodi applicatio in vſum inducta fuerit, per literas, aut aliàs ſcripto iniungat, vt talem vſum aboleant, ac prohibeant excommunicationis, atque aliis, quas opportunas, & neceſſarias exiſtimauerint pœnis. Idemque præcipiat Generalibus & Capitibus Ordinum, quos in iſtis regnis nunc nouerit commorari, vt ſcilicet, & ipſi Regularibus ſibi ſubditis talibus applicationibus eiſdem pœnis propoſitis interdicant. Quæ omnia pro ſua pietate, & Sanctiſſimi Domini noſtri iuſſis obſequendi ſtudio Amplitudinem tuam ſedulò effecturum

ſperantes, Omnipotentem Deum rogamus, vt eam quotidie cœleſtis ſuæ gratiæ donis velit auctiorem Romæ, die decimoquinto Nouembris 1605.

e Non eſſe peccatum mortiferum facere ſacrum ante preces nocturnas ſeu matutinum, expreſsè affirmant Sot. lib. 10. de Iuſtit. q. 5. art. 4 concl. 2. & in 4. diſt. 13. quæſt. 2. in fine, Flam in p 3. Methodi, cap 5. § 15. el 1 pag 501. Medin. p. 1. inſt. Confeſſ. cap. 16. §, 2, in fine, Emman. Saa in Aphoriſmis, tit. de Miſſa, num. 22. Ioann. Baptiſt. Corrad in reſp. caſuum conſcient. caſu 242. Cuch. lib 5. tit 6. num, 36. Petr. Arag. 22. quæſt. 63. art. 12. verſ de Ordine, pag. 832. Ludou. Lop. in inſtruct. conſcient p. 2. cap 79 de Euchariſt verſ denique, neque hic. pag. 297. & cap. 105. de Horis Canon. verſ. nunc tamen, Veg. in ſpeculo curat. cap. 10. §. 28 num. 254. verſ. Tabien. Alphonſ. Veg. in ſum. p. 2. cap. 41. caſu 16. Fr. Emman. in ſum p. 1. cap 249. num. 12. Petr. Ledeſm. in ſum. p. 1. tit. de. Sacram. Euchariſt. cap. 23. verſ 8. concl. P. Leſſi de Iuſtit. lib. 2 cap 37. dub 12 num. 81. P. Soar. part 3. quæſt. 83 art. 3. diſp. 82. ſect. 1. P. Ægid. de Sacrament tom. 1. d. q. 83. num. 220. Quòd verò peccatum ſit mortale ante matutinarum recitationem ſacrum facere, tuentur D Antonin. p. 3. tit. 13 cap. 5. § 4. in fin. Armil. in ſum. verbo Miſſa, numer. 3. Tabien. num. 7. Angel. num. 42. Nauar. in man cap. 25. num 83. verſ. 18. & de Horis Canon cap. 3. num. 70. & cap. 21. num. 30. D. Raimond. in ſua ſum, lib. 3. titul. de Sacram iter. in Gloſſ. verbo pro defunctis, pag 326. Simon Mayol. de Irregularit. lib. 3. cap. 24. num 1. Anton. Bernard. in ſum. cap. 27. num. 26. Petr. Bollo OEconomica Canon. Claſſe 1. cap 5. §. 6. pag. 82. verſ Primum eſt, Mechior. de Huelam in Epitome cæremon. & myſteriorum Miſſæ, §. 2 verſ. *Los quales Maytines,* pag. 355. Ludou. Beia reſponſ. caſuum conſcient. part. 1. caſu 54. verſ. quia celebrare ante matutinas. Mich. Timoth. de Sacrificio Miſſæ, tract. 1. quæſt 2. Læli. Zechi. de Sacrament. tract de Miſſa cap. 16, in princip. Stephan. Durantes de Ritibus Eccleſiæ, lib. 3. cap. 24. num 13. Iacob. de Graſſis lib 2. deciſ. cap. 40. num. 5. P. Henriq. lib. 9. de Miſſa, cap. 24. num. 7. P. Azori. inſtit Moral. part. 1. lib. 10. cap. 18. quæſt. 17. & latiſſimè ſcripſit Laurentius Perez Seco in eleganti tract. qui inſcribitur, *An liceat Miſſam celebrare non reccitatis Matutinis.*

Capvt

## C A P V T I.

*Chriſtus in nouiſſima Cæna Apoſtolis, quos tunc ſacerdotes faciebat, dedit poteſtatem ac præceptum offerendi corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini: hoc viſibile ſacrificium Eccleſiæ relinquens, per quod virtus ſacrificij in cruce peracti (quod iugiter hoc repræſentatur) applicatur in remiſſionem peccatorum quæ quotidie committuntur.*

α QVoniam ſub priori Teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo, propter [a] Leuitici Sacerdotij imbecillitatem conſummatio non erat; oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, ſacerdotem alium *ſecundum* β *ordinem Melchiſedech* ſurgere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noſter, etſi [b] ſemel ſeipſum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat; in cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, *quo* γ *cruentum illud ſemel* in Cruce peragendum, repræſentaretur; eiuſque [c] memoria in finem vſque ſæculi permaneret; atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc δ *noui Teſtamenti ſacerdotes* conſtituebat, vt ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorúmque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba, [d] Hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.

a *Heb. 7.*

b *Heb. 7. d. c.*

c *1. Cor. 11.*

d *Matth. 26. Luca. 22.*

a *Exod.13.* nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriã [a] exitus
de Ægypto multitudo filiorum Iſraël immolabat, nouũ
inſtituit Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per ſacerdotes
ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tran-
ſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſan-
b *Col.1.* guinis effuſionem nos redemit, [b] eripuítque de poteſta-
te tenebrarum,& in regnum ſuum tranſtulit. Et hęc qui-
c *Malach.* dem [c] illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate,
aut malitia offerentium inquinari poteſt: *quam* [ε] *Domi
nus per Malachiam* nomini ſuo, quod magnum futurum
eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam
d *1.Cor.10.d.* prædixit:& quã non obſcurè innuit Apoſtolus Paulus, [d]
Corinthiis ſcribens, cum dicit non poſſe eos,qui partici-
patione menſæ Dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Do-
mini participes fieri: per menſam altare vtrobiqúe in-
telligens. Hæc deniqúe illa eſt, quæ per varias ſacrifi-
ciorum, naturæ, & legis tempore, ſimilitudines figura-
batur; vt pote quæ bona omnia, per illa ſignificata,
velut illorum omnium conſummatio & perfectio com-
plectitur.

---

## REMISSIONES.

α VIde P Azor. inſtit.moral p.1.lib.10.cap.18.q.7.verſ.Quæres an in aliis, Cardin.Bellarm.lib.1.de Miſſa,c.6.& 7.P.Vaſquez tom.3.in 3.p D Thomæ diſp.218. num. 8. P.Ægidi. de Conink. de Sacram. & cenſur.tom.1 q.83.num.32.& 75.Petr.Ledeſm in ſum p.1tract.de Euchar cap.17.concl.1.

β *Secundùm Ordinem Melchiſedech.* ] Vide Lindan.in panoplia, lib.4.cap 46.

γ *Quo cruentum illud ſemel,&c.*] Vide P.Vaſquez,d.tom.3.diſp 221.num 30.

δ *Noui Teſtamenti Sacerdotes.* ] Quòd ſolus Sacerdos poſſit Euchariſtiam conſecrare,de fide definitum eſſe reſoluit,P.Valer.Regin. in praxi fori pœn.lib.29.à num 40 & aduersùs hæreticos noſtri tẽporis defendunt Bellarm. lib 4. de Euchariſt. cap.16. P.Soar.tom.3. diſp 61.ſect.3.dicto primo.

ε *Quam Dominus per Malachiam, &c.* ] Vide P.Azori.d c.18.q 7 à princip.P. Ægid.d q 83 num.117.

CA-

## Capvt II.

*Sacrificium viſibile in altari eſt propitiatorium, non tantùm viuis, ſed & defunctis nondum plenò purgatis in Chriſto.*

α ET quoniam in diuino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruentè obtulit, docet ſancta Synodus, *ſacrificium* β *iſtud verè propitiatorium eſſe*, per ipſúmque fieri, vt, ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.[a] *Huius quippe* γ *oblatione placatus Dominus* gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit. *vna* δ *enim eademq́ eſt hoſtia*, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa. Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc vberrimè percipiuntur: tantùm abeſt, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, *ſed* ε *& pro defunctis* in [b] Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apoſtolorum traditionem, offertur.

a *Auguſt. 10. de ciu. Dei, cap. 20.*

b *Infr. Seſſ. 25. in prin.*

---

## REMISSIONES.

α VIde Bald Iunium ſuper opera controu Bellarm. p. 2. lib 4. c. 5. P. Ægid. de Sacram & cenſur. tom. 1. q. 83. num. 107. latè. P. Valer Reginald. in praxi fori pœnit l 29. à nu. 149.

β *Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe.* ] Vide P Azor. inſt. Moral. p. 1. lib 10. c 20. à princip. Bald. Iunium dict cap. 5. in princip. Cardin. Bellarm lib. 2. de ſacrif. cap 4 P. Valent. diſ. 6. qu. 11. puncto. 1. §. 19. P. Ægid. d. q. 83 à num 109. P. Ledeſ. in ſum. p 1. tract de Euchar. c. 17. concl. 8.

γ *Huius oblatione placatus Dominus.* ] Vide Vaſquez in 3. p. D. Thomæ tom 3. diſp. 225. num. 12. & diſp. 228. num. 14. P. Azor inſtitut.

Moral. p. 1, lib. 10 c. 20. q. 2. verſ. Poſtremò, P. Valer. Reginald. d. lib. 29 num. 156.

d *Vna enim eademq́; eſt hoſtia.*] Vide Paul. Comitol. reſponſ. Moral. lib. 1. qu. 42.

e *Sed & pro defunctis.*] Vide P. Azor d. lib. 10. cap. 22. qu. 4. P. Valeri. Reginald. d. lib. 29. nu. 153. verſ. in vita. Petr. Led. ſm. in ſum. p. 1 tract. de Euchar cap 17. concl. 21. An autem qui in humanis eſt poſſit ſibi facere celebrare Miſſas, vel officium defunctorum? Affirmat Zerol. in praxi Epiſc. p. 2. verbo Miſſa, verſ. Decimò: modo non dicantur orationes, quæ monſtrant aliquem iam mortuum, verbi gratia, *Inclina Domine*, vbi dicitur, *quem de hoc ſaeculo migrare iuſſiſti.*

## CAPVT III.

### *Memoria ſanctorum fit in ſacrificio, ipſum autem ſacrificium non offertur ſanctis.*

a *Augu. de ciu. Dei, lib. 8. c. 27.*

ET quamuis [a] in honorem, & memoriam ſanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit; non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronauit: vnde nec ſacerdos dicere ſolet, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule; ſed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat; vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

## REMISSIONES.

VIde P. Ægid. de Conink. de Sacrament. & cenſuris, tom. 1. q. 83. num. 158.

## CAPVT IV.

### *Canon Miſſæ ab omni vitio purus conſtat verbis Domini, Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum Pontificum pijs inſtitutionibus.*

ET cùm ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium; Eccleſia Catholica, vt dignè reuerentérque offerretur, ac perciperetur, ſacrum canonem multis antè ſæculis inſtituit, ita ab omni

omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentéſque offerentium in Deum erigat: is enim conſtat cùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus.

## REMISSIONES.

Vide Balduin. Iunium ſuper opera controu. Bellar. p. 2. lib. 4. cap. 9. à principio, & præcipuè verſ. Porrò Canon.

## CAPVT V.

*Maieſtas ſacrificij commendatur, & mens fidelium ad cœleſtia erigitur per quorundam ſummiſſe dicendorum recitationem, cerimonias, veſtes, &c.*

CVmque [a] natura hominũ ea ſit, vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli; propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quædam ſummiſſa voce, alia verò elatiore, in Miſſa pronunciarentur, inſtituit. Cærimonias item adhibuit, vt myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliáque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina & traditione, quo & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.

a *Aug. lib. 3. de lib. arbitr. c. 10. Humana autem anima.*

## REMISSIONES.

a Vide Bald. Iunium ſuper opera controu. Bellarm. p. 2 lib. 4. c. 8. de cærimoniis Miſſæ. Pat. Valerium Reginald. in praxi fori pœnitential. l. 29. num. 159. cum ſeqq.

CA-

## CAPVT VI.

*Miſſa etiam ea in qua nullus præter ſacerdotem, qui eſt publicus miniſter, ſacramentaliter communicat, eſt publica; fitq́; pro toto corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.*

1 OPtaret quidem ſacroſancta Synodus, *vt a in ſingulis Miſſis fideles* adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi huius ſacrificij fructus vberior proueniret: nec tamen, ſi id non ſemper fiat, [a] propterea Miſſas illas, in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat, vt priuatas, & illicitas, damnat, ſed probat, atque adeò commendat. ſi quidem illæ quoque Miſſæ verè communes cenſeri debent; partim, quòd in eis populus ſpiritualiter communicet; partim verò, quòd à publico Eccleſiæ miniſtro non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.

a *Alioqui nec Fabian. de conſecr. diſt. 1. c. Et ſi non: nec Conc. Eliberti. de conſ. diſt 2. c. Omnis homo: nec 1. Toleta. c. 13. probaſſet certis tãtum temporibus communicantes.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Optaret.* ] Obſtat Concil. Tridentinum Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora, ( veluti dies Dominicos, quartam & ſextam feriam ) quibus tantùm liceat viris Laicis coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non coniugatis, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, ob irreuerentiam quam poteſt quotidiana huius Sacramenti ſumptio in ſua Diœceſi parere. Quia antiquo tempore peracta conſecratione, omnes adſtantes ſumebant Euchariſtiam, & ideo licitum eſt quotidie Euchariſtiam ſumere, *c. quotidie, de conſecr. diſt. 2.* Quapropter exhortandi ſunt fideles, vt ſicut quotidie peccant, ita quotidie medicinam accipiant, *c. ſi quotieſcunque, de conſecrat. diſt. 2.*

---

## REMISSIONES.

a *VT in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtia, &c.* ] Ex hoc text. colligit Ludou. Beia Reſponſ. caſuum conſcientiæ p. 4. caſu 14. verſ. Con-

Confirmatur hoc ex Concilio, quòd, ſcilicet, quilibet Sacerdos poteſt Euchariſtiam miniſtrare abſque peccato ſæpius communicanti voluntariè, & ex deuotione. Vide D. Ambr. li. 5 de Sacram. cap. 4. P. Ægid. de Sacram. tom. 1. q. 80. n. 79. cum ſeqq.

## CAPVT VII.

*Plures ponuntur cauſæ ob quas præceptum ſit ſacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent.*

MOnet *α* deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe [a] ab Eccleſia ſacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent; tum quòd Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit. quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cùm [b] aquæ in Apocalypſi B. Ioannis populi dicantur; ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur.

[a] *3. Carthag. c. 14. & Braccar. 3. c. 1. ex Cypr. li. 2. c. Epiſt. 3.*

[b] *Apoc. 17.*

## REMISSIONES.

*α* VIde Pat. Azor. inſt. Moral. p. 1. li. 10. c 3. q. 1. verſ Altera Quæſtio erat. P Ægid. de Sacram. tom. 1. q 74. art 6. n 128. P. Vaſquez in 3. p. D. Thom. diſp 176. n. 13 & diſp. 179. n. 11. Pet. Ledeſm. in ſum p. 1. tract. de Euchariſt. c. 4. concl. 16. & 17.

## CAPVT VIII.

*Miſſa non dicenda vulgari lingua, eius tamen myſteria populo ſunt frequenter inculcanda per animarum curatores.*

ETſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamẽ expedire viſum eſt Patribus, *vt α vulgari paſſim lingua celebraretur.* Quamobrem, retẽto vbique cuiuſque Eccleſiæ antiquo, & à ſancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum matre, & magiſtra, probato ritu, ne oues Chriſti eſuriant, [a] néve paruuli panem petant, & nõ ſit qui frangat eis; mandat ſancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis, curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Miſſarum celebrationem vel per ſe, vel per alios ex iis,

[a] *Thren. 4.*

quæ

a Seſſ.24.c.7.1. quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant; [a] atque inter cætera ſanctiſſimi huius ſacrificij myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis, & feſtis.

---

## REMISSIONES.

a *Vt vulgari paſſim lingua celebraretur.* ] Vide P. Azori. inſtitut. Moral. par. 1. lib. 8. c. 26. q. 6. verſ. Vetum, Balduin. Iunium ſuper opera controu. Bellarm. p. 1. li. 1. c. 2. verbo Propoſitio. verſ. Probatur 3. pag. 13.

## CAPVT IX.

### *Prologomenon canonum ſequentium.*

QVia verò aduerſus veterẽ hanc, in ſacroſancto Euãgelio, Apoſtolorum traditionibus, ſanctorúmque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi diſſeminati ſunt errores, multáque à multis docentur, atque diſputantur; ſacroſancta Synodus, poſt multos, grauéſque his de rebus maturè habitos tractatus, vnanimi Patrum omnium conſenſu, quæ huic puriſſimæ fidei, ſacræque doctrinæ aduerſantur, damnare, & à ſancta Eccleſia eliminare, per ſubiectos hos canones, conſtituit.

## DE SACRIFICIO MISSÆ.

### CANON I.

a Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quòd offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit.

### CANON II.

b 1. Cor. 11.
c Luc. 22.

a Si quis dixerit, illis verbis, [b] Hoc facite in meam commemorationem, [c] Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes; aut non ordinaſſe, vt ipſi, aliíque ſacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum; anathema ſit.

CANON

CANON III.

a Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantùm eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificij in Cruce peracti, non autem [a] propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit. a Sup. c. 2.

CANON IV.

Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio, in Cruce peracto, per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema ſit.

CANON V.

Si quis dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare in honorem [b] Sanctorũ, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit. b Sup. c. 3.

CANON VI.

a Si quis dixerit, canonem Miſſæ errores [c] continere, ideóque abrogandum eſſe; anathema ſit. c Sup. c. 4.

CANON VII.

Si quis dixerit, cærimonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica vtitur, irritabula impietatis eſſe magis, quàm officia pietatis; anathema ſit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus ſacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideóque abrogandas; anathema ſit.

CANON IX.

a Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe; aut lingua [d] tantùm vulgari Miſſam celebrari debere; aut aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem; anathema ſit. d Sup. c. 8.

RE-

## REMISSIONES.

### CANON I.

a Vide P. Azor. inſtit. Moral p. 1. lib. 10. c. 8. qu. 4. P. Vaſquez in 3. P. Thom. tom. 3. diſp. 222. num. 15.

a CANON II. Vide B. Auguſt, li. 10. de Ciuit Dei cap. 20. P. Azor. d. qu. 4.

a CANON III. Vide P. Vaſquez d. tom. 3 diſp 228. nu. 3. P. Ægid. de Sacram q. 83. n, 161. P. Valer. Regin in praxi fori pœnit. li 29. nu. 149. & 153.

a CANON IV. Vide P. Henriq in ſum p. 1. li. 9. c. 31 nu. 2.

a CANON FIN. Vide. P Azor. inſt. Moral. p. 1. lib. 10. cap. 30 q 1. verſ. Altera quæſtio eſt, Balduin. Iunium ſuper opera controu Bellar. p. 2. lib. 4. cap. 7 de Miſſis priuatis, genere linguæ, & modo vocis, prope finem.

### *Decretum de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ.*

QVanta cura adhibenda ſit, vt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur; quiuis facilè exiſtimare poterit, qui cogitarit, maledictum in ſacris litteris eum vocari,[a] qui facit opus Dei negligenter. Quod ſi neceſſariò fatemur, nullum aliud opus adeò ſanctum, ac diuinum à CHRISTI fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo viuifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconciliari ſumus in altari per ſacerdotes quotidiè immolatur; ſatis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis ac pietatis ſpecie peragatur. Cùm igitur multa iam ſiue têporum vitio, ſiue hominum incuria, & improbitate irrepſiſſe videantur, quæ à tanti ſacrificij dignitate aliena ſunt, vt ei debitus honor, & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem reſtituatur: decernit ſancta Synodus, vt Ordinarij locorum Epiſcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere ſedulo curent, ac teneãtur, quæ

a *Hier.* 42.

quæ *vel* 1 *α auaritia*,[a] idolorum ſeruitus, 2 *vel irreuerentia*, quæ ab impietate vix ſeiuncta eſſe poteſt vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix, induxit, Atque vt multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad auaritiam pertinet, cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & β *quidquid* 3 *pro Miſſis* nouis celebrandis datur; nec non importunas, atque 4 *illiberales eleemoſynarum exactiones*, potius quàm poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, omnino prohibeant. Deinde, vt irreuerentia vitetur, ſinguli in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago, & ignoto ſacerdoti Miſſas celebrare liceat. Neminem præterea, qui publicè, & notoriè criminoſus ſit, aut ſancto altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant; *neve γ δ patiantur*[b] 5 *priuatis in domibus*, atque omnino extra eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum 6 *dedicata oratoria*, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut regularibus quibuſcumque peragi: ac niſi priùs qui interſint, decenter compoſito corporis habitu, declarauerint ſe mente etiam, ac deuoto cordis effectu, non ſolùm corpore, adeſſe. *Ab ε eccleſiis verò muſicas eas*, vbi ſiue organo, ſiue cantu laſciuum, aut impurum aliquid miſcetur, item ſæculares omnes actiones, vana, atque adeò profana colloquia, 7 *deambulationes*, *ſtrepitus*, clamores arceant, vt domus [c] Dei verè domus orationis eſſe videatur, ac dici poſſit. Poſtremò; ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propoſitis caueant, ne *ſacerdotes aliis*, ζ *quàm* 8 *debitis horis celebrent*; neve ritus alios, aut alias cæremonias, 9 *& preces in Miſſarum celebratione* adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probata, ac frequenti, & laudabili vſu receptæ fuerint. *Quarundam* η *verò Miſſarum*, *& candelarum certum numerum*, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quàm à vera religione, inuentus eſt, omninò ab eccleſia remoueant: doceantque populum, quis ſit, & à quo potiſſimum proueniat ſanctiſſimi huius ſacrificij tã pretioſus ac cœleſtis fructus. 10 θ *Moneant etiam eundẽ po-*

a *Epheſ. 6*

b *Conc. Laodic. can. 8. Conc. Carth. 2 can 9. c. ſicut. cum ſeq. c. his ergo c. nullus presbyter, &c. cleric. de conſ. diſt. 1. iuxta Conc. Laod. c. 58 & Felic. Papam in epiſt. ad omnes Epiſcop. & ante hos Anaclet ep. 1.*

c *Matth. 21.*

a ca 2.de par. Vide Concil. Agath.21. & 23.

*pulum*, vt frequenter 11 *ad ſuas* a *parochias*, ſaltem diebus Dominicis,& maioribus feſtis, accedant. *Hæc igitur omnia*, quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, vt nó ſolum ea ipſa, ſed quęcunque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam vt delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inuiolatè ſeruanda cenſuris eccleſiaſticis, aliiſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant: non obſtantibus priuilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque.

---

## DECLARATIONES.

1 *Vel auaritia* ] Auaritia non ſolùm arcenda eſt ab eo qui celebrat, ſed ab his etiam, qui à celebrante aliquid exquirunt, vt illi faciant licentiam celebrandi.

2 *Vt irreuerentia vitetur.* ] Vbi eſt conſuetudo quod Sacerdos per Eccleſiam paratus & paramentis Sacerdotalibus indutus eleemoſynam quærat & pacem offerat, illam S. D. N cenſuit tollendam. Nihilominus Sacerdoti celebranti, oblationem, & eleemoſynam accipere licet, dummodo apud altare maneat, nec vagetur, quia per Eccleſiam vagatio hic ſpecialiter tollitur. Parochus autem Eccleſiam circumire poteſt. At ſimplex ſacerdos, nec ad populum ſe vertere, nec Eccleſiam circumire poteſt. Ita Congregatio, facto verbo cum Sanctiſſimo, cenſuit.

3 *Pro miſſis nouis* ] Qui miſſas nouas celebrant, poſſunt ſe tantum in medio altaris ad populum vertere, & oblationes ſpontè factas recipere, non autem circumire Eccleſiam hac de cauſſa.

4 *Illiberales eleemoſynarum exactiones omnino prohibeant.* ] Nó enim eſt obligationis: poterit tamen accipi eleemoſyna inter partes ſtabilita pro miſſis celebrandis: & promittens ſoluere, poteſt conueniri, Caiet. in ſum. verb. Simonia.

5 *Priuatis in domibus.* ] Facultatem celebrandi in priuatarum domorum oratorijs, ab Apoſtolica Sede emanatam, Epiſcopus impedire non poteſt: verùm oratoria ipſa viſitare debet, vt videat ſi decenti loco, ornatuque ſint. Item corrigere quicquid corrigendum inuenerit: licentias quoq; ab anteceſſoribus Ordinarijs conceſſas reuocare, aut limitare eius arbitrio permittitur.

Licentia tamen celebrãdi miſsam in oratorio alicuius Laici reuocari non poteſt ſine cauſsa.

6 *Dedica-*

6 *Dedicata oratoria.* ] In oratoriis extra Eccleſiam dedicatis celebrare licet, dummodo nullum Parochiæ damnum inferatur.

In priuatis oratorijs celebrandi facultas ab Epiſcopo concedi non poteſt quod procedit præſertim in locis ad id quidem deſtinatis; ſed oratorij formam non habentibus. Idem de Principum domibus cēſendum eſt, nam hoc caſu illæ priuatæ cenſentur, ſicut & palatia Baronum. Quibus non obſtantibus, Ordinarij arbitrio permittit Pontifex, neceſſitate perſonarum & infirmitatis qualitate penſata, vt pro infirmorum commoditate, etiam in priuato oratorio, vel altari ad hoc deputato, facultatem celebrandi concedat. Et ideo Ordinarius debet dare licentiam Marchioniſſæ, vt poſſit facere celebrari miſſam in oratorio, quod, propter ætatis & valetudinis incommoda, in aula ſui palatij honeſto & opportuno loco ad, ſacrum Miſſæ vſum extruendum curauit; modo tamen illud occluſum teneat, ſicuti poſtulat dignitas ſacrificij quod ibi agendum eſt.

Literis Archiepiſcopi Ianuenſis quærentis, quid agendum ſibi eſſet in praua Ianuenſium conſuetudine qua tam ægri, quàm valentes paſſim contra Decret. Concil. Trident. Miſſas domi audiunt? viſum eſt reſpondendum, vt nemini (qui poſſit ad Eccleſiam ire) id permittat: in caſu tamen neceſſitatis concedat arbitrio ſuo; modo celebretur in oratorio, vel altari ad id miniſterium decenter conſtituto.

Infans nobiliſſima mulier Portugalliæ, cùm per conſuetudinem non poſſit ipſa, neque eius familia exire domo ad miſſam poteſt, & conceditur ei ac familiæ in oratorio audire, ſine tamen præiudicio parochiæ.

Licentia celebrandi miſſam in oratorio vel Eccleſia de nouo fabricata dari non debet, niſi cum clauſula; *ſaluo Iure, & ſine præiudicio Eccleſiæ Parochialis.* Hoc autem præiudicium intelligitur in his, quæ ſpectant ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad alia, quæ ipſi parochiæ de iure debita attinent, in aliis verò non.

Si Oratorium ab Ordinario viſum atque recognitum, exiſtimetur idoneum, in quo honor & cultus Deo tribuatur, ſicut Miſſæ ſacrificium requirit, debet, ab eodem Ordinario, (ſi adſit aliqua legitima cauſſa) permitti, vt in eodem miſſa celebretur.

7 *Deambulationes, ſtrepitus.*] Iudices etiam Eccleſiaſtici, (qualis eſt Vicarius eum adiunctis) nō poſſunt intra corpus Eccleſiæ iudicium exercere, *vt infr. c. 6. Seſſ. 25. de Reform §. Epiſcopis.*

8 *Debitis horis.*[ Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli licet, etiam vigore priuilegiorum à Sede Apoſtol. ante Concil. Tridentin. conceſſorum. An autem Regulares poſſint Dominicis diebus dicere miſſas, niſi prius in Eccleſia maiori fuerit cantatum Præfatium; Cōgregatio cenſuit nullo decreto Concil. id inhibitum eſſe; ſicut & nō eſt ſtatutum, ne proceſſiones faciāt extra clauſtra, vel publicent monitiones, ſeu quaſuis Bullas, ſine Epiſcopi licētia. ſic declarauit Congregatio.

Placuit concedi Florentiæ, confraternitati S. Franciſci & B Mariæ Magdalenæ, facultatem celebrandi Miſſam, ante lucem; ſed ita, vt miſſa non incipiatur, niſi duabus horis ante ſolis ortum.

Prælatis, Capellanis, Clericis, fratribus aliiſque ſuperioribus mandauit Pius Quintus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub ſuæ indignationis, ac perpetuæ ſuſpenſionis à diuinis, pœnis; vt deinceps miſſas veſpertino tempore, licentiarum à maiori Pœnitentiario obtentarum aut aliarum facultatum, ſiue quouis alio prætextu, celebrare, vel celebrari facere non præſumant. Et hæc ſancta conſtitutio Pij V. in Bullario eſt.

9 *Et preces in miſſarum celebratione.*] Licet nouæ & non receptæ preces in miſſa prohibeantur, non tamen iaculatoriæ, ſicut eſt: *adoramus te Chriſte*, & ſimiles vſu communi extra ſacrificium probatæ, dummodo ob illas nihil omittatur in miſſa. Per hæc etiam verba non prohibetur, quin, vbi conſuetudo viget, vulgari ſermone dici poſſint.

10 *Moneant etiam.*] Populus monendus eſt, vt Dominicis diebus, & Feſtis maioribus in ſuis Parochiis miſſas audiat: non tamen ex vi Concil. Trident. eſt ad id per cenſuras Eccleſiaſticas cogendus.

11. *Ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis.*] Circa excommunicationem ferendam in eos qui diebus Dominicis non accedunt ad Matricem vel parochialem Eccleſiam pro miſſa audienda, Congregatio cenſuit, hanc pœnam excommunicationis etiam in caſu notabilis negligentiæ aut contumaciæ nullo Decreto Concilij impoſitã fuiſſe; ſed tantum iniunctum eſt Epiſcopis, vt ipſi moneant populũ, vt frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & maioribus Feſtis accedat, vt loquitur præſens cap. Item moneant populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei, & diſcendum doctrinam Chriſtianam, *vt loquitur Seſſ 24 c, 4.*

De Rectore monoculo, qui vult ſe dare religioni, & celebrare miſſam, negatum eſt, ſi eſt captus toto oculo, neque huius diſpoſitionis reperitur exemplum, ne ſcandalo populo ſit. *Innoc. in c. cum tua, de corp. vit.*

Per hoc decretum, ſcilicet, de miſſis in priuatis domibus non celebrandis, non eſt vlla ex parte derogatum priuilegio conceſſo in fauorem Epiſcoporum, de quo in cap. vlt. de priuil. in 6. Ab omnibus enim Cardinalibus eſt ita deciſum, quia intentio Concilij eſt tollere abuſus, at in Epiſcopis non eſt abuſus, cum fiat ex cauſſa, ſcil. vt quotidie miſſam audiant, quam non audirent, ſi illa priuilegia ipſis derogarentur. Quo priuilegio Epiſcopi etiam propter valetudinem vtuntur: nam profectionis, & valetudinis cauſſa æquiparantur. Eodem priuilegio poſſunt vti Epiſcopi ex vrgenti periculo: nam & per c. *Concedimus, de conſecr. diſt.* 1. conceditur miſſæ celebratio propter neceſſitatem extra Eccleſiam, Item Epiſcopus non valens commodè accedere Eccleſiam poteſt abſq; dicta licentia. S. D. N. de celebrando, in

do, in oratorio celebrare, vel celebrari ſibi facere, ex c. *Miſſarum ſolemnia, de conſecr. diſt.* 1.

Stante prædicta declaratione, ſc. quod licentia celebrandi in priuatis domibus eſt petenda à Sede Apoſtolica; Epiſcopus ipſe non poteſt id concedere alijs, ex hoc textu, & ex dicta declaratione: ad tollendum abuſus: licet de iure poſſet, d. c. *Miſſarum ſolemnia.*

## REMISSIONES.

α *QVæ vel auaritia, idolorum ſeruitus, &c.*] Vide Nau in Miſcel. de Orat. Miſcel. 56 num 3. Guttier. Canon. li. 1. c. 29.

β *Et quicquid pro Miſſis nouis celebrandis datur, &c.*] Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Qui Miſſas nouas celebrant, poſſunt ſe tantùm in medio Altaris ad populum vertere, & oblationes ſponte factas recipere; non autem circumire Eccleſiam hac de cauſa, refert Zerol. in praxi Epiſcop. par 2. verbo Miſſa, verſ. Secundò.

γ *Neve patiantur priuatis in domibus, &c.*] Vide Guttier. Canon. lib. 1. cap. 30. nu. 24. cum ſeqq. latè Fr Ioann. de la Crux de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 5. dub 7. Petr. Ledeſm in ſum. p. 1. tract. de Euchariſt. conc 2 *duda* 1. & 2. P Azor. inſtit. Moral p. 1. lib. 10 cap. 26 à princip Pat. Henriq. in ſum p. 2. lib. 8. cap. 56. pag 738. Pat. Ægid de Sacram. tom. 1 q. 83. nu. 123. cum ſeqq. Et Sixt. IV conceſſit fratribus Minoribus, vt non ſolùm in oratorijs, & locis, quibus degunt, ſed etiam in quocunque alio loco congruenti, & honeſto poſſint ſuper Altare portatile Miſsas liberè, & licitè celebrare. Et Alexand VI. cóceſſit eiſdem fratribus, vt poſſint celebrare Miſsas in cameris ſæcularium, vel in plateis, dato, quòd non videantur loca inhoneſta, quia in cameris dormiunt coniugati, & in plateis fiunt multa profana, quas conceſſiones adducit Fr. Emman. quæſt Regul. tom. 1 qu. 43. art. 4. & ar 5. reſoluit, Concilium in præſenti non reuocare hæc priuilegia, ſed tantùm præcipere ordinarijs, vt non obſtantibus dictis priuilegiis, compellant Regulares in foro exteriori cenſuris, & aliis remediis oportunis, ne facultatibus in ipſis priuilegijs vtantur. & ſic non impedientibus Epiſcopis non eſt cur Religioſi ſcrupuliis agitentur Sed P. Azor d cap 26. qu. 7. dicit, per Concilium in præſenti ſublata eſse prædicta priuilegia, niſi denuo concedantur, & confirmentur, & allegat Nauar. in Man. cap 25. numer. 82. Durant de ritibus Eccleſiæ lib. 1. cap 6. numer 8 P Ægid d qu 83. numer. 126 Ideo Gregor XIII conceſſit Religioſis Societatis Ieſu, quòd non obſtante deciſione Concil. Trident. ſeſ. 22. in decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſsæ, poſſint Presbyteri Societatis in miſſionibus, quæ à ſuperioribus fiunt, ſeruata alias forma conceſſionis Paul III. videlicet cum debita reuerentia, & honore, ſacrificiũ Miſsæ ſuper altari viatico celebrare vbiq; gentium, etiam in caſtris militũ, modo loca, etſi communia & profana, tuta, & honeſta ſint, & Præ-



Biblioteca Universitaria GRANADA

poſitus generalis, aut per eum Prouincialis Præpoſiti, eo tunc vtendum fore iudicauerint, poterúntque ibi ipſi presbyteri ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare fidelibus, ad illud ſumendum debitè præparatis.

ꝺ Vtrum Epiſcopus poſſit dare licentiam, vt Sacerdos in priuatis domibus, quæ ſacræ non ſunt, immolare queat? Vide Nauar. conſ. 1. ſub tit. de Conſtitut. num. 76. & conſ. 16. de priuilegiis, P. Azor. d. cap. 26. q. 3. vbi reſoluit hanc facultatem ſolum Romanum Pontificem concedere poſſe, & qu. 4. ſacram Congregationem cenſuiſſe, per hoc Decretum non eſſe derogatum priuilegio Epiſcoporum, quod habetur in cap. Quoniam, de priuileg. lib. 6. de quo etiam Beia caſuum conſcientiæ p. 4. caſu 33. Idem Azor. d. cap. 26. quæſt. 5. aſſerit. eandem ſacram Congregationem cenſuiſſe, Epiſcopos prædicto priuilegio vti poſſe, quando ob incommodam valetudinem domo exire nequeunt: & q. 6. poſſe Miſſæ Sacrificium abſque peccato fieri extra loca conſecrata, tempore neceſſitatis, Epiſcopi conſenſu, vbi commodè is peti, & impetrari poteſt, aut etiam ſine eo, vbi commodè peti non poteſt, de quo etiam Nauar. in Man. cap. 25. num. 82 Durant de Ritibus Eccleſiæ lib. 2. cap. 6. num. 8. Ludou. Beia d. caſu 33. verſ. Probatur cum quia, P. Soar. p. 3. diſp. 81. ſect. 2. latè Pet. Cened. pract. & Canon. lib. 1. q. 44. à num. 4.

ε *Ab Eccleſiis verò muſicas eas, &c.*] Vide Caiet. 2. 2 qu 91 art. 1. verſ. Inter hæc Nauar. in Man. c. 12 n. 87. P Soar. tom. 2. de Religione, lib. 4. de Orat c. 13. n. 6. & 17. Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 9. puncto vnic. latè, & eleganter P. Sanch in præcepta Decalogi. lib. 2. cap. 37. num. 7.

ꝛ *Quarundam verò Miſſarum, & candelarum certum numerum, &c.*] Vide P. Gabr. Vaſquez in 3. p. B. Thomæ, tom. 3. diſp. 233 nu. 26 Zerol. p 1. verbo Miſſa. pag. 227 P. Sanch d. lib. 2. cap 40. nu 40. vbi nu. 41. de Trinitariis ſancti Amatoris.

ʒ *Ne Sacerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent.*] Vide Nauar. de Orat. in Miſcel. 76. Fr Emman in explicat. Bullæ Cruciatæ, § 13. n 9. P. Henriq. lib 9. c. 24. § 6. P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 29 à num. 173. P. Azor. inſt. 1. Moral p. 1. lib. 10. cap. 25 pag. 1021 P. Vaſquez in 3. p B. Thomæ tom. 3. deſp 233 nu 26. cum ſequentibus. Legitimum tempus eſſe antemeridianum ad celebrandum; reſoluũt Fr. Emman. d. § 13. ad finem, Durant. de Ritibus Eccleſiæ lib. 2 cap. 7. P. Soar. tom. 3. diſp. 80. ſect, 4. P. Ægid. de Sacrament. tom. 1. q. 83. n. 217 cum ſequentibus, Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib 2. cap. 5 dub. 6. vbi refert, quibus religioſis ſit conceſſum, Miſſam celebrare ante horam, & poſt horam ab Eccleſia ſtatutam, de quo etiam Pat. Azor. d c. 25. qu 5.

θ *Moneant etiam eundem populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & maioribus feſtis accedant.*] Vide Cened. ad Decretal. collect. 104. Ferdinand. Paez Luſit in Reper. cap. Miſſas. de conſecrat. diſt. 1 num. 133. Guttier. Canon. cap. 30. à num. 7 lib. 1. Fr. Emman. in ſum. tom. 1. cap. 149 num. 25 & quæſt Regular. tom.

1.qu 43 art.7.P.Soar.tom.3.diſput.87.ſect.2.in dub. circa ſecundam Miſſæ diuiſionem, P.Azor.inſt. Moral p. 1.lib.7.c.6.quæſt.4. P.Valeri.Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 19. qu.3 num. 21. P Ægid.de Sacram tom.1.qu.83.nu.312 P. Henriq in ſum.p.2.lib 9 de Miſſa, cap.26 num 14.pag 830.Matthæ Soar.in pract. & ordine viſitandi.c. 3.nu 4.Zerol.in praxi Epiſcopal.par.1 verbo Miſſa verſ. Ad ſextum, pag 229. vbi aſſerit, ſacram Cardinalium congregationem cenſuiſſe, non poſſe Epiſcopum cogere populum mulctis aut pœnis, etiam caſu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, ire ad audiendam Miſſam in Parochia ſua.

*Hæc igitur omnia, &c.* ] Ex his verbis colligit Frat Emman.d.art. 17. poſſe Epiſcopos compellere Regulares, vt in offertorio Miſſarum conuentualium, quę Dominicis diebus in monaſteriis celebrátur, declarent fidelibus, quæ feſtiuitates, & ieiunia in illa hebdomada occurrant: ne ignorantia horum feſtorum & ieiuniorum, præcepta eccleſiaſtica à fidelibus tranſgrediantur, & ibi teſtatur ita vidiſſe obſeruari à quibuſdam fratribus Ordinum Mendicantium in hoc Regno Portugalliæ in Archiepiſ. Eborenſi.

## DECRETVM DE REFORMATIONE.

EAdem ſacroſancta œcumenica, [a] & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, vt reformationis negotium proſequatur, hæc in præſenti Seſſione, ſtatuenda cenſuit.

a *Infr. Seſſ. vlt de refor.cap.1.*

### CAPVT I.

*Omnes clerici ſint à negotijs ſæcularibus alieni, honeſtè grauiterque ſe gerant ac ſanctè viuant; cum cæteri in eos ſuos oculos conijciant, ex iiſq; ſumant quod imitentur.*

α NIhil eſt quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quam eorũ vita, & exemplũ qui ſe diuino miniſterio dedicarunt. Cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur; in eos, tanquam [b] ſpeculum, reliqui oculos conijciunt, ex iiſqúe

b *Matth.5. Tit. 2.c. qualiter, 2. de accuſ c.clericos, 21. diſt.*

ſumunt quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moréſque ſuos omnes componere, [a] vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone aliiſque omnibus rebus nil, niſi graue, moderatum, ac religionė plenum, præ ſe ferant; leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem, Cùm igitur, quo maiore in Eccleſia Dei & vtilitate, & ornamento hæc ſunt, ita etiam diligentius ſint obſeruanda; [b] ſtatuit ſancta Synodus, vt, quæ alias à [c] ſummis Pontificibus, & à ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu doctrináque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcúmque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis copioſè, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel maioribus, arbitrio Ordinarij imponendis, obſeruentur: nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua verò ex his in deſuetudinem abiiſſe compererint; ea quam primùm in vſum reuocari, & ab omnibus accuratè cuſtodiri, ſtudeant; non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſoluant.

*a Seſſ. 14. in proemio.*

*b de vi. & ho. cle. extr. 6. & Clem. c. canonũ. 14. q. 3. c. crede, 21. q. 3. Conc. Carth. 1. can. 6. & Conc. Carth. 3 c. 15. Concil. Calced. can. 3. Conc. Arel. 2 c. 14. cum ſim. & infr Seſſ. 24 de reform. c. 12.*

*c Vide 1. Conc. Matiſconenſ. c. 5. & 2. Nicæ. c. 16. & 4 Carth. c. 44. & ſeq.*

## REMISSIONES.

[a] Vide Nauarr conſ. 4. de Regularib. num. 27. & in c. ſtatuimus, 19. qu. 3. n. 25. verſ 2. P. Rebello de Obligat. iuſtit. p. 2. lib. 9. q. fin. ſect 2. num. 5.

## CAPVT II.

*Qualitates aſſumendorum ad Eccleſias cathedrales, qui vita bona, & ordine ſacro præditi eſſe debent, ac tales qui cæteros docere valeant, quæ probari debent teſtimoniis, &c.*

QVicumque [a] poſt hac ad Eccleſias Cathedrales erit 1 *aſſumendus*, is non ſolum natalibus, ętate, moribus, & vita,

& vita, ac aliis, quæ à ſacris [a] canonibus requiruntur, plenè ſit præditus, verum etiam in ſacro Ordine antea, ſaltem ſex menſium ſpatio, conſtitutus. quarum rerum inſtructio, ſi eius notitia nulla, aut recens in curia fuerit, à Sedis Apoſtolicæ Legatis, ſeu Nunciis prouinciarum, aut eius Ordinario, eóque deficiente, à vicinioribus Ordinariis ſumatur. Scientia verò præter hæc eiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere. *ideoq; β antea in Vniuerſitate Studiorum* Magiſter, ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quòd ſi Regularis fuerit, à Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat. Prædicti autem omnes, vnde inſtructio, ſeu teſtificatio erit ſumenda, hæc fideliter, & gratis referre teneantur: alioquin eorum conſcientias grauiter oneratas eſſe ſcient; ac Deum, & Superiores ſuos habebunt vltores.

*a c. cum in cunctis, & c. cum à nobis, de Elect. c. graue nimis, de præb. & infr. Seſſ. 24. c. 1. de Reform.*

## DECLARATIONES.

1 *Aſſumendus.*] Principalis dignitas in Collegiata Eccleſia exempta, cui ordinaria Iuriſdictio cum omnibus iuribus quaſi Epiſcopalibus competit, non neceſſariò conferri debet Licentiato, vel Doctori, vt principali dignitas Cathedralis. Concilium enim, quando loquitur de dignitatibus, cap. 12. Seſſ 24. hortatur, vt conferatur Doctoribus, non verò præcipit: quia hoc nullibi dicitur eſſe neceſſarium. *Vide Seſſ. 24. c. 12. §. Hortatur.*

## REMISSIONES.

α Vide Concil. Brachar. 4 act. 2, cap 4. cum ſeqq. Flamin. de Reſignationib. lib. 8. q. 5. num. 5.

β *Ideoq; antea in Vniuerſitate ſtudiorum, &c.*] Vide Menoch. de Arbit. caſu 415 num. 35 Nauar. de Orat. Miſcel 38. num. 154. cum ſeq. P. Henriq. in ſum. p. 2. lib. 10. cap. 16. §. 1. lit. R, & lib. 14. cap. 19. in princip. P. Azori. inſt. Moral. p. 2. lib. 3. cap. 38. q 9. & lib. 6. c. 6. q 1. P. Leſſi. de Iuſt. lib. 2. cap. 34. dub. 24. Gonzal. ad reg. 8 Cancel. Gloſſ. 4. num. 67. Cened ad Decretum, Collect 51. num. 4. in fine. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 30 tract. 3. num. 171.

## Capvt III.

*Diſtributiones quotidianæ creandæ ex tertia parte quorumcunque fructuum quorumcunque beneficiorum. Portiones abſentium cedunt piis locis arbitrio Epiſcopi, excipe actu miniſtrantem in Eccleſia curata extra ciuitatem. Excipe quaſdam Cathedrales & collegiatas Eccleſias. Vbi miniſtrantes perdant aliquid quod ad dictam tertiam partem aſcendit.*

αβγ&c. EPiſcopi, [a] etiam tanquã delegati Apoſtolici, 1 λ *ex fructibus, & prouentibus quibuſcumque*, 2 μ *omnium dignitatum, perſonatuum, & officiorum*, in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis exiſtentium, [b] *tertiam* 3 *partem in diſtributiones*, eorum arbitrio aſſignandas, diuidere poſſint; vt ſcilicet, qui eas obtinent, ſi perſonaliter competens ibi ſeruitium iuxta formam, ab eiſdem Epiſcopis præſcribendam, quolibet die ſtatuto non impleuerint; illius diei diſtributionem amittant, nec eis quoquomodo dominium acquirant, 4 *ſed Fabricæ Eccleſiæ* quatenus indigeat, aut alteri pio loco, 5 *arbitrio Ordinarij applicetur*. Creſcente verò contumacia, contra eos 6 *iuxta ſacrorum Canonum* conſtitutiones procedant. Quod ſi alicui ex prædictis dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, vel collegiatis, de iure, ſeu conſuetudine, iuriſdictio, adminiſtratio, vel officium non competat, ſed extra ciuitatem in diœceſi, 7 *cura animarum immineat*, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in curata Eccleſia reſederit, ac miniſtrauerit, 8 *tamquam præſens ſit*, ac diuinis interſit, in Eccleſiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur. Hęc in iis tantùm Eccleſiis conſtituta intelligantur, in quibus nulla eſt conſuetudo, vel ſtatutum, vt dictæ dignitates non ſeruientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum, & prouentuum aſcendat: 9 *non obſtantibus conſuetudinibus*, etiam immemorabilibus, exemptionibus, & conſtitutionibus, etiam iuramento, & quauis authoritate firmatis.

DECLA-

## DECLARATIONES.

1 *Ex fructibus, & prouentibus quibuſcúnque.* ] Huius capitis diſpoſitio locum habebit, ſi fructus illi & prouentus ſint illius Eccleſiæ, in cuius choro ſedem habent hæ Dignitates: ſecus verò, ſi nullos fructus percipiant iſtæ dignitates ex illis Eccleſiis, in quibus habent ſedem in choro tantum, & in quibus nunquam fecerunt reſidentiam, & habent proprium diſtrictum, in quo ſuam Iuriſdictionem exerceant.

2 *Omnium dignitatum.* ] Non tamen comprehenduntur Dignitates, quæ etſi habent locum in choro, nullas tamen habent diſtributiones quotidianas, nec ſufficientes præbendas, vel fructus tenues, quæ teneri poſſunt cum Canonicatibus, vbi eſt conſuetudo, abſque aliqua diſpenſatione, vt c. *Licet*. de Conſ. in 6. nec illis vnire Eccleſias parochiales ad augendos fructus diſtributionum quotidianarum Epiſcopus poteſt. Si aliquibus ex Dignitatibus, quæ ſunt de Iure patronatus Laicorum, in fundatione concedatur aliquod longum tempus, per quod illas obtinentes abeſſe poſſint, ſine fructuum, & prouentuum amiſſione; per hoc decretum nihil eſt iſtiuſmodi conceſſioni derogatum. Verum Dignitates omnes, etiam illæ quæ ſunt de Iure patronatus, detractioni tertiæ partis fructuum obnoxiæ ſunt, vt c. 3. Seſſ. 21 dicitur. Similiter, obtinens in Cathedrali, vel Collegiata dignitatem, licet vocem in Capitulo non habeat, nec diſtributiones quotidianas cum cæteris participet, reſidere tamen tenetur; & ſic detractioni iſtius tertiæ partis fructuum eſt obnoxius

Obtinens legitimè duas dignitates in Cathedralibus, in digniori reſidere debet, & nihilominus fructus alterius lucratur; non tamen diſtributiones quotidianas, nec eam tertiam partem præbendæ, quæ auctoritate huius Decreti, in quotidianas diſtributiones eſt conuerſa. *Sup. Seſſ 21. de Ref. c. 3. §. Habens.*

3 *Tertiam partem in diſtributiones.* ] Congregatio cenſuit, hoc procedere etiam quando diſtributiones ſunt ſufficientes. Et diſtributio facienda eſt ex fructibus, non ſecundum taxam antiquam, prout in libris Capitularibus ſeu aliis notatur, ſed ſecundum communem valorem currentem. *Vide Seſſ. 21. cap. 3. §. Tertiam partem.*

Archiepiſcopus Panormitanus, volens creare diſtributiones in Cathedrali, iuxta formam huius capitis, dimiſit liberas præbendas, diſtributionéſque conſtituit ex reditibus eiuſdem Eccleſiæ, prouenientibus à mortuariis, & adminiſtratione Sacramentorum. Sed Congregatio decreuit, vt ex tertia parte præbendarum conſtituerentur diſtributiones quotidianæ.

*Abu-*

## *Abulenſi diſtributionum Cauſa propoſita.*

ILluſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini. In Eccleſia Abulenſi diſtributiones quotidianæ à fructibus præbendarum ſeparatæ non ſunt, & Capitulum prætendit D. Epiſcopum non poſſe tertiam partem omnium fructuum præbendarum dictæ Cathedralis Eccleſiæ ſeparare pro quotidianis diſtributionibus; ſub prætextu, quod ex conſuetudine immemorabili dignitates, Canonici, portionarij, & cæteri præbendati dictæ Eccleſiæ Abulenſis ſolent lucrari groſſam præbendarum ſuarum reſidentes & intereſſentes qualibet die, vna hora dumtaxat, videlicet ad primam, vel tertiam, vel aliam iuxta determinationem à Capitulo, pro temporis commoditate faciendam, nec ad maiorem reſidentiam & diuinorum intereſſentiam compelli poſſe: Sed nihilominus D. Epiſcopus dicit poſſe & deberi ex omnibus fructibus præbendarum dictæ Eccleſiæ prædictam tertiam partem ſeparari,& pro diſtributionibus quotidianis illam diuidi per omnes horas Canonicas, diurnas & nocturnas proportionabiliter pro diuinis tantum intereſſentibus, iuxta Decretum Concil. Trid. Seſſ 21 cap 3. & præſenti c. & prætenſam conſuetudinem immemorabilem ait non obſtare,cum eam Concilium in dictis Decretis tollat & abroget:groſſa autem præbendarum,quæ pro vnius horæ aſſiſtentia datur, non habet vim, nec effectum diſtributionum quotidianarum: nec ſatisfit Concilio, quia Concilium loquitur de illis diſtributionibus, quæ per omnes horas Canonicas diurnas & nocturnas diuiduntur & lucrifiunt, & abſentibus ex cauſſa conceduntur, prout prædicta groſſa. Hæ enim diſtributiones de iure magis pro fructibus præbendarum habentur, quam pro diſtributionibus quotidianis, *extrauag. Cum nonnullæ*, §. *Præterea cum in aliquibus, de præbend. inter communes. Coſmus in prag. ſanct. Galliæ, in titulo. Quo tempore quis debeat eſſe in choro, Gloſſ. verſ. diſtributiones. Pariſ. Conſ.* 32. *num.* 8. *lib.* 4. & pluries roſoluit Rota, vt in duabus reſolutionibus, quarum copiæ dantur & fuerunt traditæ à Couarr. *lib.* 3. *var. reſol. cap.* 12. *num.* 2. Et Capitulum contendit, groſſam hanc pro quotidianis diſtributionibus computari poſſe, ita quod teneatur illam Epiſcopus proportionabiliter diſtribuere per omnes horas Canonicas, tam diurnas, quam nocturnas pro intereſſentibus tantum, & non pro intereſſentia vnius tantum horæ, ne chorus & Eccleſia ſint in aliis horis, & diurnis officiis debito ſeruitio, & miniſtrorum præſentia deſtituta, contra decreta & mentem Concilij. Quare Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis DD. VV. ſupplicamus, declarari vel D. Epiſcop. Abulenſem, pro quotidianis diſtributionibus tertiam partem quorumcunque fructuum omnium præbendarum Eccleſiæ Abulenſis ſeparare & aſſignare poſſe, illámque proportionabiliter, per omnes horas Canonicas diurnas,

& no-

& nocturnas diuidere, pro mercede & ſtipendio perſonaliter interſſentium dumtaxat, etiamſi in Eccleſia Abulenſi conſuetudo ſit immemorabilis vel ſtatutum, ſecundum quod groſſa præbendarum lucrifiat intereſſendo qualibet die vni horæ tantum: vel declarari, D. Epiſcopum Abulenſem poſſe iſtam groſſam loco tertiæ partis fructum diuidere, & aſſignare pro quotidianis diſtributionibus, per omnes horas Canonicas, & non pro mercede vnius horæ, ſed pro ſeruitio & perſonali præſentia omnium horarum aſſignetur proportionabiliter lucranda, vt ſatisfiat Concilio.

## RESPONSIO.

CONgregatio Concilij cenſuit, per groſſam, quam iſthic lucrifaciunt intereſſentes quotidie vni tantum horæ, non eſſe ſatisfactum Concilio in præſenti c. & c. 3. Seſſ. 21. Epiſcopus tamen non debet dictam groſſam accipere, & inter alias horas diuidere, ſed ex reliquo corpore præbendarum, ſi non omnino tertiam partem, ſaltem tantam portionem detrahere, quanta ſufficiat ad conſtituendas diſtributiones, quæ ſingulis horis ſufficiant, vt veriſimiliter non negligantur iuxta formam ab eodem Epiſcopo præſcribendam. Epiſcopus autem non poteſt dignitatibus, perſonatibus, & officiis ſtatuere certam officij & ſeruitij formam præter ſolitam, pro lucranda tertia parte præbendæ in diſtributiones conuerſa.

4 *Sed fabricæ Eccleſiæ.*] Id locum habet in dignitatibus, perſonatibus, & officiis; non ergo per hæc verba comprehendit Canonicatus: ſed illud diſtributionum genus habet etiam locum, quando non adeſſet illa ratio quòd nullæ, vel ita tenues diſtributiones eſſent. vt dicitur in cap. 3. Seſſ. 21. Sed in odium non reſidentium applicandum eſt fabricæ, &c.

5 *Arbitrio Ordinarij applicetur.*] Et eo non obſtante, quod iſta beneficia obtinentes dimitterent iſtam tertiam partem, poſſunt ab Ordinariis compelli ad reſidentiam, pœnis præſcriptis Decreto Concilij, Seſſ. 24. cap. 12. *Vide ad cap 3. Seſſ. 21.* § Itáque differentia, in fine.

6 *Iuxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedant.*] Conſuetudo immemorabilis excuſare non poteſt à reſidentia in Eccleſiis Cathedralibus. Et ita declarauit S. D. N. Gregorius XIII.

7 *Cura animarum immineat.*] Secus ſi tantum Iuriſdictionalis: ſi verò vnitæ ſunt, eſt locus cap. *Exſtirpandæ* §. *qui verò*, *de præbend.*

8 *Tanquam præſens, &c. à Collegiatis habeatur.*] Non comprehenduntur Canonici quatenus habentes Eccleſias parochiales, non tamen vnitas Canonicatibus: qui ſi in parochialibus reſederint, & fuerint priuilegiati ad perceptionem fructuum, exceptis diſtributioni-

tionibus quotidianis, iuxta Bullam ſanctæ memoriæ, Pij Quinti, vel ex indulto Apoſtolico: non poterunt optare domos Canonicales, neque Canonicatum priuilegialem, aut ſimilia obtinere; cum non habeantur pro præſentibus, ſed tantùm ſunt priuilegiati ad percipiendos fructus: & id quidem quando exſtat conſuetudo vel ſtatutum, quòd abſente, non poſſint optare.

9 *Non obſtantibus conſuetudinibus.*] Congregatio cenſuit, hic non eſſe derogatum fundationi.

---

## REMISSIONES.

*a* VIde Cou.lib.3.vari cap.13 num.7 Nauar.de Orat.Miſcel.59. nu.6.& Miſcel.14.n.51. Guttier. Canon. lib.1.cap.1 n.106. Zerol.in praxi Epiſcop.p.1. verbo Diſtributiones.§.4.pag.mihi 116. P.Azori inſtit.Moral.p.2. lib.7. q.8.col.831.Quarant.in ſum.Bullarij verbo Reſidentia.pag.445. Nicol.Garſ.de Benefic.p.3.cap 2. à nu. 439.cum ſeqq.P.Henriq lib.7.de Indulg.cap.39.§.3.pag.592.

### *Deciſiones Illuſtriſſimorum Cardinalium Sacræ Congr. adductæ à Nicol. Garcia locis infrà citatis.*

*β* PRima. In Decreto Seſſ. 21. c. 3. agitur de Canonicatibus, & portionibus, & fit de neceſſitate hæc detractio, quando ſunt nullæ diſtributiones, vel ita tenues, quæ diſtribuuntur intereſſentibus tantùm: ſed in c 3. Seſſ. 22. deducitur hæc tertia pars ex dignitatibus; etiam non ex neceſſitate, ſed in odium non reſidentium, & pars abſentium non præſentibus, ſed alicui pio loco applicanda, refert Garſi.de Benef.p.3.c.2.num 465.

*γ* Secunda. Portiones abſentium accreſcunt deſeruientibus, ſi ex Decreto Concilij, Seſſ.21.c.3 ſeparatæ ſint: ſecus verò ſi ex Decreto, cap.3.Seſſ.22. tunc enim fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco arbitrio Ordinarij applicabuntur. nec obſtat aliqua conſuetudo, qua cauetur vt deſeruientibus portiones non ſeruientium accreſcant; refert Garſi.d c 2.num 465.

*δ* Tertia. Differentia inter cap.3. Seſſ.21. & aliud ca.3. Seſſ.22.eſt, quòd ca 3.Seſſ 22. loquitur tantùm de dignitatibus, à quibus Ordinarius tertiam partem fructuum in diſtributiones quotidianas conuertendam ſeparare poteſt, dato etiam quòd diſtributiones quotidianæ non ſint tenues, & hoc in odium obtinentium dignitates, & reſidere negligentium, & quando iſta tertia pars ſubtracta per non ſeruientes amittitur, locis piis eſt applicanda. c. verò 3. Seſſ. 21. loquitur ſolùm, quando diſtributiones ſunt ita tenues, vt negligantur: & hoc

hoc caſu tertia pars ſic ſeparata, & in diſtributiones ab Epiſcopo conuerſa, ſi per non ſeruientes amittitur, proportionabiliter ſeruientibus accreſcit, Garſi.d.c.2.num.465.

ι Quarta. Quando Epiſcopus vſus eſt remedio c. 3. Seſſ.21.in detrahenda tertia parte ex dignitatibus, non poteſt vti remedio cap. 3. Seſſ. 22. in detrahenda alia tertia parte ex dignitatibus, & nihil dandum eſt iis, qui nihil contulerunt, refert Garſia vbi ſuprà num.472.

ζ Quinta. Hæc deductio facienda eſt ex fructibus, non ſecundùm taxam antiquam, prout in libris Capitulorum, ſeu aliis, ſed ſecundùm valorem currentem refert Garſi. num.467.

η Sexta. Obtinens in Cathedralibus, & Collegiatis dignitatem; licèt vocem in Capitulo non habeat, nec diſtributiones quotidianas cum cæteris participet, reſidere tamen tenetur, & ſic detractioni ipſius tertiæ partis fructuum eſt obnoxius, refert Garſi. num.481.

θ Septima. Antequam detractio hæc fiat, deducendæ ſunt priùs penſiones, & alia onera legitimè impoſita, quandiu illa durauerint: ſed de nouo impoſita non comprehendunt iſtam tertiam partem, & quòd de fructibus alteri reſeruatis non fit iſta detractio, donec reſeruatarius vixerit: ſed ſi beneficij titulum habens neglexerit reſidere, priuandus eſt eodem titulo alteri poſtea conferendo, refert Garſia. num.468.

ι Octaua. Nec pro diſtributionibus Canonicorum Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ auferendum eſt quicquam de beneficiis, quæ ſunt extra Eccleſiam Cathedralem, vel Collegiatam: niſi Eccleſiæ, vel beneficia, extra dictam Cathedralem, vel Collegiatam exiſtentia, eſſent perpetuò Canonicatuum vnita præbendis prædictarum Eccleſiarum: à quibus beneficiis extra prædictas Eccleſias, ſi quid ob eam cauſam exactum eſſet, debet reſtitui, & de cætero ab huiuſmodi exactione abſtinere, refert Nicol. Garſ. numer. 474.

κ Nona. Congregatio Concilij cenſuit, per groſſam, quam iſthic lucri faciunt intereſſentes quotidie, vna tantùm hora, non eſſe ſatiſfactum Concilio, Seſſ.21. cap.3. & Seſſ.22. cap.3. Epiſcopus tamen non poteſt d groſſam accipere, & in alias horas diuidere: quin potiùs ex reliquo corpore præbendarum, ſi non omnino tertiam partem, ſaltem tantam portionem detrahere, quanta ſufficiat ad conſtituendas diſtributiones, quæ ſingulis horis veriſimiliter non negligantur, refert Gar. num.485.

λ *Ex fructibus, & prouentibus* ] Garſ.d.c.2.n.477.dicit, quòd debent eſſe fructus illius Eccleſiæ in cuius choro ſedem habent hæ dignitates: ſecus verò ſi nullos fructus percipiant iſtæ dignitates ex illis Eccleſiis, in quibus ſedem habent, in choro tamen nunquam fecerunt reſidentiam, & habent proprium diſtrictum, in quo ſuam iuriſdictionem exerceant.

μ *Omnium dignitatum.* ] Garſ.d.c.2.n.483.reſoluit, quòd non comprehenduntur dignitates, quæ etſi locum habent in choro, nullas tamen

men habent diſtributiones quotidianas, nec ſufficientes præbendas, vel fructus tenues quæ retineri poſſunt cum Canonicatibus, vbi eſt Conſuetudo abſque alia diſpenſatione, vt cap 1 de Conſuetud in 6. nec illis vnire Eccleſias Parochiales ad augendum fructus diſtributionum quotidianarum Epiſcopus poteſt.

## Capvt IV.

*In Cathedrali, vel collegiata, etiam regulari mancipatus non habeat vocem in Capitulo, niſi ſit ſubdiaconus. Oneribus ſubeundis per ſe infra annum ſint quiq; idonei. In poſterum prouiſio fiat ſolis habentibus integrè ætatem, &c.*

α 1 Q*Vicumque in Cathedrali*, vel collegiata, ſæculari, vel regulari Eccleſia diuina mancipatus officiciis, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in huiuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis 2 *liberè fuerit conceſſum* 3 β *Ii verò*, qui dignitates, perſonatus, officia præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in dictis Eccleſiis obtinent, aut in poſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet, 4 *vt alij Miſſas*, alij Euangelium, alij Epiſtolas dicant, ſeu cantent, quocumque ij priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate ſint inſigniti, teneantur, iuſto impedimento ceſſante, 5 *infra annum*, Ordines ſuſcipere requiſitos: alioquin pœnas incurrant, iuxta conſtitutionem Concilij Viennenſis, a quæ incipit, Vt ij qui; quam præſenti decreto innouat. γ *cogántque Epiſcopi* eos diebus ſtatutis dictos Ordines per ſeipſos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu diuino præſtare, ſub eiſdem, & aliis, etiam grauioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis. *Nec δ aliis in poſterum fiat prouiſio*, niſi iis, 6 *qui iam ætatem*, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur: aliter irrita ſit prouiſio.

a *c. vt ij, de æta & qual. in Clem. lib. 1. c. 2. tit. 6.*

DE-

# DECLARATIONES.

1 *Quicunque in Cathedrali.*] Qui ſunt in ſacris & maximè in Presbyteratus Ordine, nullo ſtatuto videntur prohiberi poſse quin vocem habeant in Capitulo.

2 *Liberè fuerit conceſſum.*] Non modo in omnibus actibus expediendis, qui Capitulariter expediuntur, ſed etiam in electionibus.

3 *Ii verò qui dignitates.*] Canonici qui Ordines ſacros debitos, poſt monitionem ſumere recuſant, ab Ordinario priuari debent. Attamen Archidiaconus, ad quem de conſuetudine Eccleſiæ ſpectat (abſente Decano) conuocare Capitulum, & in eo proponere, & reſolutiones accipere; id poteſt, etiamſi non ſit in ſacris; cum iſte ſit actus Iuriſdictionis, qui competit Archidiacono, etiam in ſacris non conſtituto, & ad Decanum non ſpectat ratione Ordinis, ſed antiquitatis & ſuperioritatatis.

4 *Vt alij Miſſas*] An Canonici teneantur, per ſeipſos cantare Miſſas in omnibus feſtis & Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ, an tantùm ſolemnibus? Congregatio cenſuit; cogendos eſse ad perſonaliter canendas Miſsas illis diebus quibus ex inſtitutis, & legitima conſuetudine illius Eccleſiæ debent.

5 *Infrà annum ordines ſuſcipere requiſitos.*] Ex hoc Decreto, & cap. 12. Seſ. 24. de Reform. §. *neminem etiam*, non eſt priuandus quis Canonicatu, eo ſolo quod intra annum non ſit promotus ad ſacros Ordines, qui tamen decem & octo annos natus ſit: nec per Decretum Concilij, Seſ. 23. cap. 12 quo cauetur ne quis ante 22. annum ſacris initiari poſſit; quia per hoc Decretum nemo cogitur ordinari, niſi in legitima ætate conſtitutus.

Congregatio Cardinalium cenſuit, ad obtinendam parochialem oportere eum, cui confertur, attingere 25. annum. atque intra annum à die collationis debere ipſum ad presbyteratus ordinem ſe facere promoueri.

6 *Qui iam ætatem*] Declaratur. *in Seſſ. 24. c. 12. §. neminem*, ibi, *vt in tali ætate.*

Obtinens parochialem Eccleſiam per prouiſionem Sedis Apoſtolicæ, habens liberum curæ exercitium, & omnium bonorum; fructuum, & prouentuum ad dictam Eccleſiam parochialem pertinentium poſseſſionem, licet in limine adeptæ poſseſſionis prædictæ notalis fuerit per aliquem in petitorio, tamen tenetur promoueri facere intra annum, lite pendente, partémque fructuum ei pro ſufficienti victu aſſignare, iuxta Concilij Tridentini formam.

# REMISSIONES.

α VIde Frat. Emmanuel. quæſt. Regul. tom. 1. q. 8. articul. 6.

β *Ii verò qui dignitates, &c.* ] Vide P. Azori. inſtit. Moral. p. 2. lib. 6. cap. 8. quæſt. 11. col. 698. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 51. art. 5.

γ *Cogántque Epiſcopi, &c.* ] Vide inſtà, Seſ. 24. c. 12. verſ. Epiſcopus autem, Nau. in tract. de Orat. Miſcel. 45

δ *Nec alius in poſterum fiat prouiſio.* ] Vide Nau. Conſ. 45 ſub tit. de tempor. Ordinat. & Conſ. 2. de præbend. P. Paul. Comitol. reſponſ. Moral. lib. 6. quæſt. 64. num. 2. P Leſſ. de Iuſtit. lib. 2. cap 34. dub. 14. in fine.

ε De ſtatuto Compoſtellanæ Eccleſiæ, quòd, qui inſeruiuit ei per quadraginta annos habeatur pro iubilato, ita vt eſſet exemptus à ſeruitio, & lucraretur quotidianas diſtributiones, ſit ſublatum per ſacram Cardinalium Congregationem; licet poſtea, vt dicitur, in ea declaratione Sanctiſſimus dixerit, dictum ſtatutum eſſe tolerandum, reſoluit Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 298. num 19.

## CAPVT V.

*Diſpenſationes committendæ extra curiam Romanam videantur ab Ordinariis locorum: nec gratioſæ effectum habeant, niſi Epiſcopus cognouerit ſummariè.*

1 α DIſpenſationes, quacumque auctoritate concedendæ, ſi extra Romanam Curiam committendæ erunt, 2 *committantur Ordinariis* illorum, qui eas impetrauerint. eæ verò, quæ gratioſè concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi priùs ab eiſdem, tanquan delegatis Apoſtolicis, 3 *ſummariè tantùm, & extraiudicialiter cognoſcatur*, expreſſas preces ſubreptionis, vel obreptionis vitio non ſubiacere.

DE-

## DECLARATIONES.

1 *Diſpenſationes*] Summariè tantùm & extraiudicialiter cognoſcantur diſpenſationes: requiritur tamen citatio.

2 *Committantur Ordinariis.*] Diſpenſationes in forma gratioſa impetratæ quæ vulgò dicuntur, *ſine cauſſa*, debent præſentari Ordinariis, vt ab eiſdem cognoſcantur iuxta decretum Concilij in præſenti cap. nec antea partes illis vti poſſunt.

3 *Cognoſcatur.*] Nec aliquid accipere Epiſcopo vel Vicario licet, vel ratione taxæ, etiam ex immemorabili tempore, vel ratione ſigilli vel cuiuſuis alterius rei. Quapropter dictum illud quod ſolet poni in literis diſpenſationum, ſcilicet, *vt nihil muneris, aut præmij etiam ſponte oblati accipi poſſit, pro illarum executione*, ita intelligendum eſt, vt neq; Ordinarius ipſe; neq; Vicarius eius quicquam prorſus etiam pro mercede laboris, quem ea in re ſuſciperent, capere poſſint. Notarij verò pro examine teſtium quartam partem aurei, ſeu Ducati licitè accipere poſſint. Ita declarauit S. D. N. Gregorius XIII. qui dixit etiam, quòd pro literis ad abſolutionem & diſpenſationem in foro conſcientiæ tantùm, nihil omnino percipi poſſit, quemadmodum & Romæ obſeruatur.

Nemo poterit publicare indulgentias, in ſua Eccleſia conceſſas ſine licentia & auctoritate Ordinarij illius loci, non obſtante quacunque exemptione *Suprà, Seſſ 21. c. 9. § Deinceps.*

Quando ſunt plures iudices in ſolidum conſtituti, vno cauſſam cognoſcente, cæteri cognoſcere prohibentur, eſt enim locus præuentioni, cap. *Cum plures, de offic. deleg. lib. 6.*

## REMISSIONES.

a Vide Seraphin deciſ. 1072.

Quòd ſi Papa, aut Delegatus eius, conceſſam à ſe diſpenſationis gratiam committat Ordinario, vt verificata narratiua diſpenſet, non expirat morte Papæ concedentis, quamuis Epiſcopus nondum diſpenſauerit, aut nedum gratiam acceptauerit, reſoluit P. Henriq. in ſum. p. 1. lib. 7 cap. 21. § 7.

### CAPVT VI.

*Circumſpectè commutandæ vltimæ voluntates.*

a IN commutationibus vltimarum voluntatum, a quæ non niſi ex iuſta, & neceſſaria cauſa fieri debent, Epi- a *Infrà Seſſ. vlt. de Refor. c.* 4.

ſcopi, tanquã delegati Sedis Apoſtolicę, 1 *ſummariè & extraiudicialiter* cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum, priuſquam commutationes prædictæ executioni demandentur.

## DECLARATIONES.

1 *Summariè & extraiudicialiter.* ] Idem in omnibus articulis illius cauſsæ eſt ſeruandum.

## REMISSIONES.

a Vide Spin. in ſpeculo Teſta. Gloſ. 1. Rub. nu 42. Fr. Emman q. Regu. to. 2. q. 125. art. 9. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. p. 3. collect. 558. per totum, & Collect. 1270. & deciſ. 3. Alex. Raudenſ. Piſan. deciſ. 44. Capell. Tholoſ. deciſ. 6. Guid. Pap. deciſ. 556.

Quòd Epiſcopus ob cauſam, quæ ſuo iudicio videatur iuſta, poteſt legatum quodcunq; pium ad certum vſum relictum, in alium vſum pium commutare, quamuis tale legatum de iure, & facto valeat adimpleri, docet Syluest. verbo Legatum 4. q. 12. quem refert, & ſequitur Fr. Ludou. Beia reſponſ. caſuum Conſcient. p. 4. caſu 22.

## CAPVT VII.

*In appellationibus, &c. ſeruetur tenor c. Romana, in 6.*

1 LEgati, & Nuncij Apoſtolici, Patriarchæ, Primates, & Metropolitani in appellationibus ad eos interpoſitis, in quibuſuis cauſis, tam in admittendis appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus poſt appellationem ſeruare teneantur formam & tenorem ſacrarum a conſtitutionum, *& a præſertim* b *Innocentij IV.* quæ incipit, *Romana:* quacunq; conſuetudine, etiam immemorabili, aut ſtylo, vel priuilegio, in contrarium non obſtantibus: aliter inhibitiones, & proceſſus, & inde ſecuta quæcumq; ſint ipſo iure nulla.

a *in Concil. Lugdun.*
b *c. Romana, de appel. in 6.*

## DECLARATIONES.

1 *Legati.* ] Per hoc decretum non comprehenduntur ſententiæ ab Infe-

inferioribus Ordinariis latæ vt earum appellationes deuoluantur ad Epiſcopũ Diœceſis, ad quem ceſſante exemptione deuoluerentur.

Capitulum *Romana*, de appel. in 6. ſeruari debet etiam in appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis

## REMISSIONES.

α *Et præſertim innocentij IV.*] Vide Soarez de Paz. in praxi, tom. 2 p. 5. cap. vnic. num. 4. ad finem, & num. 14. cum ſeqq.

## CAPVT VIII.

*Epiſcopi pleniſſimè videant pias omnes diſpoſitiones, quorumcumque Collegiorum, exceptis iis quæ ſunt immediata regum protectione, non obſtantibus, &c.*

α β &c. EPiſcopi ζ a etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in caſibus à iure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum, tam in vltima voluntate, quàm inter viuos, 1 *ſint executores*; 2 *habeant ius viſitandi* η *hoſpitalia* θ *Collegia quæcumque* ac 3. ι *Confraternitates laicorum*, etiam quas ſcholas, ſiue quocumque alio nomine vocant: *non* κ *tamen, quæ ſub regum immediata* protectione ſunt; ſine eorum licentia: Eleemoſynas Montis Pietatis, ſiue Caritatis, & pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiam ſi prædictorum locorum 4 *cura ad laicos pertineat*, atque eadem pia loca 5 *exemptionis priuilegio ſint munita*; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutem, ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſi ex officio ſuo b iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta 6, λ *cognoſcant*, & exequantur: 7 μ *non obſtantibus*, quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, 8. *priuilegio*, 9 *aut ſtatuto*.

a *Clem. quia contingit, de relig. domi.*

b *c. tua, &c. Ioannes, de teſtam.*

## DECLARATIONES.

1 *Sint Exequutores.*] An Epiſcopi ita ſint piarum diſpoſitionum exequutores, vt Archidiaconi, Diaconi & cæteri inferiores non poſſint de eis cognoſcere iuxta eorũ conſuetudines etiam immemorabiles? Congregatio cenſuit, Epiſcopos cumulatiuè exequutores ad alios inferiores piarum diſpoſitionum eſſe.

2 *Habeant ius viſitandi Hoſpitalia.* ] Licet autem hoc Decretum concedat facultatem Epiſcopis viſitandi hoſpitalia, & cætera pia loca, non prohibet tamen, quin & iudices ſæculares eadem viſitare poſſint, ſi hoc eis aliàs legitimè licet. Eſtq; huic capitulo ſemper locus, niſi fuerit talis aut ſimilis clauſula in fundatione.

Nam ſi in fundatione fuerunt expreſsè exempta ab Ordinariis, tunc non poterit Ordinarius viſitare etiam virtute huius Decreti, per quod nihil eſt fundationi derogatum. Nihilominus Congregatio cenſuit, Ordinarium poſſe viſitare Hoſpitale, & quamuis locum pium priuatum corrigere & reformare, in his tantum, quæ ad obſeruandam voluntatem fundatorum pertinent, & ex hoc Decreto poteſtatem habere exigendi rationem ab Adminiſtratoribus Hoſpitalis, vnà tamen cum illis deputatis, quibus ex conſuetudine ratio reddenda eſt. Atqui Ordinarius non habet auctoritatem viſitandi Hoſpitalia, neque confraternitates, quæ à Laicis reguntur, niſi in caſibus à iure expreſſis. capitulum autem hoc intelligitur, & habet locum tantùm in caſibus à iure communi permiſſis: licebit tamen Ordinario ab eis rationem adminiſtrationis exigere; nulla habita ratione iuris communis, ſed ſeruata tantùm huius cap. diſpoſitione.

Hoſpitalia etiam vnita, in quibus Eccleſiæ ſunt, vbi aſſiduè diuina Officia celebrantur; & bona eorum & earum non ſunt diſtincta, debent ab Ordinariis viſitari.

3 *Confraternitates* ]Epiſcopus poteſt viſitare Capellas confraternitatum Laicorum in Eccleſiis Regularium erectas, & cogere adminiſtratores, etiamſi forent in Regum ditionibus: excipiuntur tamen quæ expreſsè reperiuntur ſub Regum protectione. Cenſuit inſuper congregatio, ſi Epiſcopo Hoſpitale aliquod viſitare volenti iuxta hoc caput, opponatur exceptio quòd ſub immediata Regum protectione exiſtat; non ad ſæcularem iudicem, ſed ad ipſummet Epiſcopum talis exceptionis cognitionem & diffinitionem pertinere.

4 *Cura ad Laicos.*] Hoſpitalia licet à Laicis adminiſtrentur, & ſint ſub protectione Ducum, ſi aliàs Eccleſiaſtica erant, poſſunt ab Ordinariis viſitari, & poteſt Epiſcopus in eis exequi, quæ in hoc Decreto continentur.

## *Abulenſium viſitationis Cauſa propoſita.*

ILluſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini: Epiſcopus Abulenſis nuper volens viſitare quoddam Hoſpitale de Olmedo, à Laicis ibi fundatum necnon Capellanias in eo exiſtentes, fuit impeditus à Religioſis S. Hieronymi prætendentibus, ad eos dicti Hoſpitalis adminiſtrationem ſpectare: ad quorum inſtantiam, proceſſus ad ſæculares iudices delatus fuit: quo tamen non obſtante, Epiſcopus prætendit vigore huius c. dictum Hoſpitale viſitare poſſe, & ita ſupplicat declarari, etiamſi dictus Prior à fundatore fuerit Patronus inſtitutus.

RE-

# RESPONSIO.

Congregatio Concilij cenſuit, ex Decreto huius capitis, Epiſcopum poſſe viſitare, niſi aliter cautum ſit in fundatione. Neque aliter faciendum eſt, licet prædictus Prior inſtaret, attentis verbis, in fine dictæ declarationis, ſiquidem verba inſtitutionis dicti Hoſpitalis & Iuris Patronatus erant huiuſmodi, videlicet: *Item rogo & peto in gratiam, & Eleemoſynam, & propter ſeruitium Domini noſtri à Domino Priore nunc & pro tempore B Mariæ della mezza vada, Ordinis Sancti Hieronymi, vt tempore mea migrationis ab hac præſenti vita, & ab eius ſucceſſoribus pro tempore, & in perpetuum exeuntibus, in dicto Monaſterio ſint patroni dicti Hoſpitalis, quod ita fundo & relinquo fundatum, quos ego nomino in tales Patronos ſucceſſiuè, vnum poſt alium, ita vt Prior pro tempore dicti Monaſterij, Patronus dicti mei Hoſpitalis, quod ita fundaui, illud viſitet, & in eo prouidere debeat, quicquid ei videbitur conuenire, pro illius ſuſtentatione, inquantum ſufficient redditus, quos ego relinquo dicto Hoſpitali: adeò quòd dictus Patronus apponat perſonam fidelem, & bonæ conſcientiæ, quæ locare debeat hæreditates, & bona per me dicto Hoſpitali relicta, exigatq; eorum redditus, eoſq; iuſtè & ſincerè exponat in ſuſtentationem ipſius Hoſpitalis, & illius manutentionem, & perſonarum pauperũ ſibi bene viſarum, prout reditus per me relicti ſufficient: dante dicto Patrono tali perſonæ, pro eius labore ex reditibus dicti Hoſpitalis, quod ſibi videbitur mereri, dictuſq; Patronus ſingulo anno recipiat computum dictorum redditidorum, & viſitet Cappellam, & ſciat an Miſſæ illius, quas ego inſtituo, celebrentur, & exigat pœnas à Clericis & Capitulo huius oppidi de Olmedo, ſi eas incurrerint, ob non celebrationem dictarum Miſſarum.* Virtute autẽ & vigore horum verborum, ſiue clauſulæ prædictæ Iuris Patronatus & teſtamenti, quia in prædicta fundatione non fuit cautum vt Epiſcopus nullatenus ſe intromittat; Congregatio Concilij reſpondit, non bene prædictum Priorem inſtare, quia fundatio quę producitur non excludit Epiſcopum à viſitatione.

5 *Exemptionis priuilegio*] Si loca pia in eorum fundatione exempta facta fuiſſent ab Ordinario, per hoc Decretum nihil eſt eis derogatum.

6 *Cognoſcant & exequantur.*] Congregatio cenſuit, Epiſcopum habere votum abſoluendi, & condemnandi cum cæteris deputatis, & illius votum connumerari debere cum voto cæterorum, quorum maior pars votorum condemnat vel abſoluit *Infrà c. 9. §. Tunc.*

7 *Non obſtantibus*] Non obſtat quod videatur hæc facultas à iure data Epiſcopis *cap. Tua, & cap Ioan. de Teſtamentis*, & ita Concilium ſuſtuliſſe eam habentibus ex conſuetudine vel priuilegio; nam etiam de iure poteſt competere inferioribus Prælatis, quia hoc eſt officium neceſſarium, & potius dicitur onus, quàm honor.

8 *Priuilegio.* ] Non obſtat quod illi qui debent perſoluere aliquod legatum, ſint officiales ſancti Antonij inquiſitionis, & ideo exempti à iuriſdictione Ordinarij, vel Profeſſores in aliqua Vniuerſitate, ratione literarum Conſeruatoriarum : quia hæ eximunt quidem à iuriſdictione ordinaria, non autem delegata à Sede Apoſtolica, vt hic.

9 *Aut ſtatuto.* ] Congregatio cenſuit, exequutionem aduerſus Adminiſtratores condemnatos iuxta hoc Decretum, ſiue ſoli Ordinario reddita fuerit ratio, ſiue vnà cum aliis deputatis, ad ipſummet Ordinarium ſpectare.

Congregatio cenſuit, decretum hoc debere habere locum, etiam extra viſitationem, & in caſibus à iure non expreſſis, & licet Epiſcopis exigere rationem ab Adminiſtratoribus locorum merè laicorum & priuatorum, generaliter ſine vlla diſtinctione, ( donec coram Ordinario eodem doctum fuerit de inſtitutione, in qua ſecus expreſſè cautum ſit ) etiam tunc quando ex priuilegio vel conſuetudine, vel aliqua alia conſtitutione aliis eſſet reddenda ratio. *Vide infrà. §. Hoſpitalis.*

Præſuppoſita conſuetudine poteſt proprius Sacerdos Hoſpitalis pauperibus ibi degentibus Sacramenta miniſtrare, ibíque eoſdem ſepelire, abſque interuentu Parochi, dummodo Sacerdos Hoſpitalis ab Ordinario ſit approbatus.

## REMISSIONES.

α Vide Gloſſ. in cap. Relatum in 1. de Teſt. cap. 1. de Emp. l. Hæreditas 53 §. ſi defuncto, ibi, tamen principali, ff. de perit. hæred. & apud Luſitanos extat Lex Regia, lib. 1. tit 62. §. 39. Vide Tiraq. de priuilegiis piæ cauſæ, priuil. 149. Guttier. pract. lib. 1 q. 45. num. 1. cum ſeqq Azeued. l. 3 nu. 9. tit 14. lib. 8. nouæ Recopil Zerol. in praxi Epiſcop p. 1. verbo Hoſpitale, verſ. Ad tertium, Salas de vſu, & conſuetud. cap 8. num 20. Latè. D. Mart. de Iuriſdict p. 2. cap. 18 per totum, Bobad. in ſua Politica, lib. 2. cap. 17. num. 102. P. Azori. inſt. Moral p. 2. lib. 3. cap. 40. q. 10. Cened. pract. & Canon. q. lib. 1 q. 22. à num. 14.

β Materia huius cap. patebit ex deciſionibus factis per congregationem Illuſtriſſ. Cardinal. ſuper deciſione dubiorum Concilij à Sanctiſſimo Domino N. deputatam, prout refert D. Martha, cap. 18. à numer. 4.

γ Fuit dubitatum, an exceptione cap. 18. Seſſ. 22. qua excipiuntur Hoſpitalia, quæ ſunt ſub immediata protectione Regum, & ſine eorum licentia non poſſunt ab Epiſcopis viſitari, comprehendantur omnia hoſpitalia, quæ ſunt in eorum ditionibus, & Regnis? Reſpondet Congregatio, non comprehendi niſi hoſpitalia, quæ expreſſè reperiuntur eſſe ſub Regum protectione, D. Marta, d. cap. 18. num 4.

δ Item

s Item congregatio cenſuit, Epiſcopos poſſe viſitare omnia hoſpitalia, & pia loca quomodocumq; nuncupentur, etiam ſi ſint priuata laicorum, ac etiam corrigere, & reformare in caſibus à iure expreſſis, nempe ob negligentiam, vel dilapidationem bonorum, vtcúmq; teſtatoris mens ſeruetur, D. Marta, d.c. 18 num. 5.

t Item congregatio cenſuit, ſi Epiſcopo aliquod hoſpitale viſitare volenti iuxta c. 8. ſeſſ. 22. opponatur exceptio, quòd ſub immediata Regum protectione exiſtat, vtique non ad ſæcularem iudicem, ſed ad ipſummet Epiſcopum talis exceptionis cognitio, vel definitio pertinebit B. Marta, d.c. 18 num 8.

u *Epiſcopi.* ] Idem dicit in Abbatibus habentibus quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem, Flores Vari. li. 2 q. 24. nu 22. Et in Capitulo Sede vacante poſt Matienſ. & P. Molin reſoluit P. Sanch. de Matrimon. lib 8. diſp 2. num. 10. ſed Bald. deciſ. 99. decidit, quòd facultas, quæ competit Epiſcopo exequendi vltimas defunctorun voluntates, non tranſit in Capitulum.

x *Hoſpitalia.* ] Quæ ſunt erecta, auctoritate Epiſcopi, eſſe loca pia, & religioſa tenent Gab. de pia cauſa, concl 2. Tiraq. de priuilegiis piæ cauſæ, in præfa. verſ. Item relictum Badil. in lib. ſi aquam, Cod. de ſeruit. & aqua nu. 46 Ludou. deciſ. 30 nu. 6 & 7. & deciſ. 93. nu. 36. & 45 Redoan. de Rebus Eccleſiæ non alien. Rub. 27. & Rub. 33. caſu 12. Valaſc. conſ. 105. nu. 28. Solis de Cenſib. lib. 2. c. 3. num. 11. Menoch. de Recup. remed. 15. nu. 22. & ſeq Guttier. Canon, lib. 1. cap. 35. numer. 29. Maſcar. de Probat. concl. 869. Card. Mantic. de tacitis & ambiguis conuent. lib. 25. tit. 6. num. 69 Roch. de Viſita. verbo Hoſpitalia, Card. Thuſc. tom. 4. lit. H. concl. 158. & concl. 163. num. 2. & 4. tom. 6. lit. P concl. 338 Zerol in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Hoſpitale, §. 3. dub 2. Azeued lib. 1. à num. 26 tit. 1. lib. 4. & lib. 1. num. 4. tit. 18. lib. 9. nouæ Recopil. Ceuall. commun. contra commun. tom. 4. q 896. num. 982 Luſit. Ægid. in Repet. lib 1. p. 1, in initio num. 54 Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Flores Vari. lib. 2. qu. 21. num. 179. cum ſeqq. Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Archiep. Curiæ Neap. cap. 17. latè Nicol. Garci. de Benefic. p. 5. cap. 1 nu. 601. cum, ſeqq. vbi num. 602. reſoluit. hoſpitale etiam dici locum pium, quamuis non ſit erectum aut approbatum auctoritate Epiſcopi, cùm cauſa pietatis ſit inſtitutum, quod etiam teſtatur Caſtill. quotid. lib. 1. de Vſufructu cap. 54. num. 24. & hoc cap. & ſequens locum habere in hoſpitalibus, & locis piis priuatis, nec eccleſiaſtica auctoritate inſtitutis, cenſuiſſe ſacram Cardinalium congregationem teſtatur idem Garſ. d. cap. 1. nnm. 601. in fine.

y *Collegia quæcumque.* ] Quòd Collegia inſtituta pro ſuſtentatione ſtudentium pauperum. vel aliorum egenorum, ſunt loca pia. & gaudent priuilegiis Eccleſiæ, & de iuriſdictione eccleſiaſtica, & ſi ſunt inſtituta, ſeu erecta auctoritate eccleſiaſtica, non ſolũ ſunt loca pia, ſed etiã religioſa, tenẽt Girõd de Gabellis p. 7. n. 42. Azeue. l. 10 n. 26. ti 1. l. 4. & l 1 n. 3 tit. 18. l 9. quos refert. & ſequitur Garſ. d c. 1 n 612

ι *Ac confraternitates laicorum* ] Vide Garſ. d. c 1. num 606. Bouadil in ſua Politica lib. 2. c. 18. num. 218. Perez de Lara de Capellaniis l. 2. c. 1. à num. 5. D. Marta, de Iuriſdict. p. 4. caſu. 113 num. 7. vbi reſoluit dici loca pia, quæ habent hoſpitalia cum campanilibus, & campanis, & ibi celebrantur Miſſæ. Et quòd poſſit Epiſcopus viſitare confraternitates laicorum, etiam exiſtentes intus Eccleſias Regularium, ac illos ad reddendum computa compellere, refert Gratian. deciſ. 188. Benin. Bonon. deciſ 13.

κ *Non tamen quæ ſub Regum immediata protectione ſunt.* ] Concordat apud Luſitanos Ordin reg. l. 1. tit 62. §. 42. D. Mart. d. c. 18 num 2. Perez de Lara de Anniuerſ. & Capellan. lib. 2. cap 1. num 49. Valaſc. conſul. 105. num. 62. Cabed. de Patronat. Regiæ coronæ cap. 39. nu. 3. & cap 42. num 5.

λ *Cognoſcant & exequantur.* ] An Epiſcopus poſſit compellere laicos ad exequutionem? Affirmant Stephan. Gratian. deciſ. 189. dub. 2. quem refert Aloyſ. Ricci. in collect deciſ. part. 3. collect 7 4. in fin.

μ *Non obſtantibus, &c.* ] Quòd ſi quis adminiſtrator piorum locorum videns ſe conſtrictum ad reddendum rationem ſuę adminiſtrationis appellaret, licet admittatur appellatio, non propter hoc impeditur aut ſuſpenditur executio, cenſuiſſe Sacram Cardinalium congregationem, refert Zerol. in praxi Epiſcopal. p. 1. verbo Hoſpitale, § 3. verſic. Sextum.

## Capvt ix.

*Adminiſtratores cuiuſuis fabricæ, confraternitatis, & quorumcumque piorum locorum ſingulis annis reddant rationem Ordinario, niſi aliter in fundatione ſit cautum.*

1 α ADminiſtratores, tam eccleſiaſtici, quàm laici, 2 *fabricæ cuiuſuis eccleſiæ*, etiam Cathedralis, 3 *hoſpitalis*, confraternitatis, eleemoſynæ β *Montis Pietatis*,[a] 4 *& quorumcumque piorum locorum*, ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis Ordinario: 5 *conſuetudinibus*, & priuilegiis quibuſcumque in contrarium ſublatis: 6 λ δ ε *niſi ſecus fortè in inſtitutione*, & ordinatione talis eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſsè cautum eſſet. 7 *Quod ſi ex conſuetudine*, aut priuilegio, aut ex conſtitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda eſſet, 8 *tunc cum iis* adhibeatur etiam Ordinarius: & alitér factæ liberationes dictis adminiſtratoribus minimè ſuffragentur.

a *Clem. quia cõtingit §. vt autẽ præmiſſa de reli. domi.*

b *ſup. Seſſ. 7. c. vlt. & infr. ſeſſ. 25. c. 8. de reſor.*

DECLA-

# DECLARATIONES.

EXtra viſitationem non habet locum hoc decretum.

1 *Adminiſtratores.*] Regulariter de omnibus locis piis Epiſcopo eſt reddenda ratio ab Adminiſtratoribus, ſiue ea ſint publica, ſiue priuata, Eccleſia, vel laicalia loca. Pia verò Vniuerſitatum loca non ſunt obnoxia redditioni rationum Ordinario. Sub hoc Decreto non comprehenduntur Abbates, Præpoſiti & Abbatiſſæ vitam regularem ducentes, & idcirco adminiſtratores Monaſteriorum de illis rationem Ordinario reddere non tenentur.

2 *Fabricæ cuiuſuis Eccleſiæ.*] Ratio ſumptuum fabricæ cuiuſuis Eccleſiæ eſt reddenda Epiſcopis ordinariis; niſi aliter in inſtitutione eiuſdem fabricæ ſtatutum ſit Itaque ad reddendam rationem adminiſtrationis fabricæ Eccleſiæ Cathedralis, Ordinario, (niſi conſtet ex inſtitutis & ordinationibus eius, non poſſe Ordinarium ſe intromittere,) tenentur Capitulum & Canonici.

3 *Hoſpitalis.*] Etiamſi eſſet vnitum. Ergo Adminiſtratores Hoſpitalium debent Epiſcopo reddere rationem adminiſtrationis ſuæ: &, ſi conſuetudine, priuilegio, & inſtitutione aliqua perſonis aliis ad id officium electis ratio eſſet reddenda prædictæ adminiſtrationis reddenda eſt tamen Ordinario cum interuentu dictorum electorum.

4 *Quorumcunque piorum locorum.*] Adminiſtratores piorum locorum, etiam exemptorum, nullam rationem reddentes, poſthac eam Epiſcopo reddere debent: quod ſi aliis reddere ſoliti ſunt, cum illis tamen præſentialiter adhibendus eſt Epiſcopus, qui quoties indicto actu ad rationem computuum adhibebitur, in condemnatione vel abſolutione adminiſtratorum vnicum votum habeat. Ad quæſitum autem: An votum ipſius debeat numerari cum aliis, ita vt maior pars votorum abſoluat, aut condemnet: an verò requiratur omnino votum Ordinarij ad condemnandum & abſoluendum, etiamſi maior pars deputatorum eſſet in contrario voto? Congregatio cenſuit, votum Epiſcopi connumerandum cum cæteris, ita vt maiorem partem ſuffragiorum conſequi debeat.

5 *Conſuetudinibus & priuilegiis etiam immemorabilibus, &c.*] Cle. *Quia contingit, de Relig domib.* non ſuſtulit conſuetudinem & priuilegia. Et ita cenſuit Congregatio in vna Cordubenſi.

6 *Niſi ſecus fortè in inſtitutione.*] Verba hæc, *niſi ſecus forte in inſtitutione & ordinatione talis Eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſsè cautum eſſet*: intelliguntur habere locum in Hoſpitali, quod cum tali conditione inſtitutum eſt, ſcilicet, vt non teneantur adminiſtratores Ordinario reddere rationem. Vide ſupr. hoc c. §. Congregatio.

7 *Quod ſi ex conſuetudine.*] Tam in hoſpitalibus Eccleſiaſticis, quàm priuatis.

8 *Tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius.*] Qui habebit votum

proyt

provt alij,& tanquã votum vnius connumerabitur. Ordinarius habet votum in illo abſoluendo & condemnando,ſicuti cæteri deputati,& eius votum debet numerari cum aliis, ita vt maior pars votorũ abſoluat aut condemnet. ſupr. hoc c. §. *Cognoſcant.* Cùm ergo volet interuenire illis ſtatutis diebus, ex conſuetudine aut priuilegio vel conſtitutione;reddenda eſt ratio,dummodo ſingulis annis id fiat.

## REMISSIONES.

α Vide Guttier. Canon.li.1.c.35 n.19.cum ſeq.Flores Vari.lib 3. q.21.n.180.cum multis ſeqq latè Stephan.Gratian.diſcep forenſ.c.395.& deciſ.188. Aloyſ.Ricci.in collect.deciſ p.3.collect.714.

β *Montis pietatis.*] De hac confraternitate agunt multi Doctores, quos plena manu refert Cened.ad Decretal collect.41.nu.2.quibus adde Petr Gregor.de Repub.li.13.c.16.à n.9. Baptiſt.Gemin.de vſuris comment.3.§.3.P.Molin de Iuſtit.tract.2.diſp 325.Perez de Lara de Capellanis li.1.c.23. P.Paul.Comitol.reſponſ.moral.lib.3.qu.35. P.Rebello de Obligat.iuſtitiæ p.2. li 8. q.13.per totam

γ *Niſi ſecus,&c.*] Vide Gonzal.ad reg.8. Cancel.gl 5.n.45.& gloſ. 29. num.3. & ſuper hoc cap. aliquæ ortæ ſunt à ſacra Cardinalium Congregatione deciſiones, quas refert D. Marta de Iuriſd.p.1. c.18. n. 6. 9. & 10.

δ Congregatio cenſuit,decretum Seſs.22 c.9. habere locum etiam extra viſitationem,& in caſibus à iure non expreſſis,& licere Epiſcopis exigere rationem ab adminiſtratoribus etiam locorum merè laicorum & priuatorum, & generaliter ſine vlla diſtinctione, & quando ex priuilegio, vel conſuetudine, vel alia conſtitutione aliis reddenda eſſet ratio, eiſdem reddendam eſſe, adhibito cum illis Ordinario: niſi in fundatione aliter cautum eſſet,nempè quòd rationes Ordinario reddendæ non eſſent.

ε Item Congregatio cenſuit,Ordinarium ex cap.9. Seſ.22.pòſſe ab adminiſtratoribus hoſpitalium,aliorúmque piorum locorum rationem adminiſtrationis exigere, donec coram eodem Ordinario doctum fuerit de inſtitutione, in qua ſecus expreſsè cautum ſit.

## CAPVT X.

*Quorumcumque Notariorum ſufficientiam ſcrutentur Ordinarij, & non ſufficientes ac delinquentes prohibeant ac arceant à cauſis Eccleſiaſticis ad arbitrium ſuum.*

CVm ex notariorum imperitia plurima damna, & multarum occaſio litium oriatur; poſſit Epiſcopus quoſ-

quoſcumque notarios, etiam ſi Apoſtolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, 1 *examinatione adhibita*, eorum ſufficientiam ſcrutari, 2 *illiſque non idoneis repertis*, aut quandocunque in officio delinquentibus, officij eius in negotiis, litibus, & cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus exercendi vſum perpetuò, aut ad tempus prohibere. *a neque eorum appellatio*, interdictionem Ordinarij ſuſpendat.

## DECLARATIONES.

1 *Examinatione adhibita.*] Fuit deciſum, cap. hoc habere locum etiam reſpectu contractuum, qui fiunt à Notariis ſuper bonis hoſpitalium, & ſuper bonis patrimonialibus Clericorum.

2 *Illiſque non idoneis repertis*] Facultas prohibendi Notariis, minus idoneis repertis, ne in negotiis Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus ſuum officium exerceant, hoc decreto, etiam quoad negotia & lites piorum locorum à Laicis adminiſtratoribus attributa, intelligitur. Congregatio ita cenſuit intelligi. Item, eadem facultas (*prohibendi ſcilic. Notariis minus idoneis exercitium.*) extenditur ad contractus perſonarum Eccleſiaſticarum, qui de eorum patrimonialibus bonis conficiuntur, præſertim ſtante conſuetudine, quòd cauſſæ earum ratione bonorum ad forum Eccleſiaſticum ſpectant. Congregatio quippe cenſuit extendi.

## REMISSIONES.

a *NEque eorum appellatio, &c.*] Vide Azeued. ad l. 2. n 18. tit. 7. lib. 3 nouæ Recopil pag 285.

## CAPVT XI.

*Occupator quarumcumque obuentionum piis locis applicandarum, aut impediens quocumque colore ne fructus percipiantur à quibus debent, anathemati ſubiaceat tamdiu, quamdiu non reſtituerit, ac à ſummo Pontifice abſolutionem non obtinuerit. Adduntur ſpeciales ſpecialibus perſonis pœnæ circa idem negotium.*

SI a quem Clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali, præfulgeat, in tantum a 5. Aurelianenſ. 10.

b 1. Thim. 6. Conc. Triburien. c. 7. Conc. Aurel. 3. c. 12. Conc. Pariſ. 1. c. 1. Cōc. Turonen. 1. c. 19. Conc. Aurel. 5. c. 15. Conc. Magūtien. ca. 6. & 11. Conc. Vvormat. c. 75. Cōc. Aquiſgran. c. 88. Conc. Later. ſub Leone 10. Seſſ. 9 & 10. cap. prædia cum ſeqq. 12. q. 2.

tantum malorum [b] omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſæcularis, vel regularis beneficij, Montium Pietatis, aliorúmque piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obuentiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates conuerti debent; per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore in proprios vſus conuertere, illóſque vſurpare 1 *præſumpſerit*, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur; α is anathemati tamdiu ſubiaceat, quandiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocúnque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, peruenerint; Eccleſiæ, eiuſque adminiſtratori, ſiue beneficiato integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. 2 *Quod ſi eiuſdem Eccleſiæ patronus fuerit*; etiam iure patronatus vltra prædictas pœnas eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat; nec non quibuſcunque beneficiis priuatus ſit, & ad quæcúmque alia beneficia inhabilis efficiatur; & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendatur.

## DECLARATIONES.

1 *Præſumpſerit* ] Diſpoſitio huius capitis non habet locum, quando dominus beneficij cædit arbores frugiferas, & illas ad proprium commodum conuertit: ſed hoc capitulum ſibi vendicat locum in caſu cædentium arbores frugiferas, quando ipſi cædentes ſunt extranei, & hanc cæſionem committunt, licet cum iniuria hoc non facerent, ſed ſolùm animo furandi.

2 *Quòd ſi eiuſdem Eccleſiæ Patronus fuerit.* ] Nullus Laicus abſque ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ Eccleſias ſeu Eccleſiaſtica bona poſſidere poteſt, etſi eſſent Iuris patronatus proprij, non obſtante etiã quacunque poſſeſſione: Et qui bona Eccleſiarum abſque Sanctæ Sedis

Sedis Apoſtolicæ impetrato aſſenſu poſt publicationem Concilij, in perpetuum ſcienter aut annuo cenſu locauerunt,conduxerunt,permutarunt, aut aliàs alienauerunt, & alienata receperunt; ſubiacent pœnis præſentis Decreti. Verùm occupãs Hoſpitale in quo fuit præſentatus à prætenſo Patrono,non obtenta licentia & inſtitutione ab Epiſcopo , non incidit in pœnas huius Decreti : ſicut nec Rectores piorũ locorum cædentes arbores fructiferas , incidunt in hunc Canonem,niſi in proprios vſus conuerterent, damnificando ipſa loca.

Poſtquam Sedes Apoſtolica Placentiam in feudum conceſſit, non potuerunt vendi nec emi bona Eccleſiaſtica, domus, ædificia, vel iura Eccleſiis attributa, vigore Breuis Apoſtolici ibi regiſtrata, vt in cap. II. Seſs. 25. etiam continetur.

---

## REMISSIONES.

a VIde P. Valer Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 30. tract. 5. num. 154. verſ. 13.

a *Is anathemati tamdiu ſubiaceat.*] Vide Salzed in pract. c. 3. verſ. & nota, P. Azor. inſtit. moral. par. I. lib 9. c. 27. qu 10. in med Zerol. in praxi Epiſcop. par. I. verbo Bona pag. 51. P. Soar. de Cenſur. tom. 5. diſp. 22 Sect. 6. nu. 21. Sayr. eod. tract. li 3 c. 31. nu. 26. P. Paul. Comitol. Reſponſ. moral. li. 6. qu 23. n. 2.

### *Decretum ſuper petitione conceſſionis calicis.*

INſuper, a cum eadem ſacroſancta Synodus ſuperiori Seſſione duos articulos, aliàs propoſitos, & tum nondum diſcuſſos, videlicet: An rationes, quibus S. Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiã non celebrantes ſacerdotes, ſub vna panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus: &, An, ſi honeſtis, & Chriſtianæ caritati cõſentaneis rationibus cõcedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis vſus videatur, ſub aliquibus cõditionibus cõcedendus ſit, & quænã illæ ſint; in aliud tempus, oblata ſibi occaſione, examinandos, atque definiendos reſeruauerit: nunc, eorum, pro quibus petitur, ſaluti optimè conſultum volens, decreuit, integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout a Seſſ. 21. can. 4.

præ-

præſenti decreto refert: qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod vtile Reip. Chriſtianæ, & ſalutare petentibus vſum Calicis, fore iudicauerit.

*Indictio futuræ Seſſionis.*

Inſuper eadem ſacroſancta Tridentina Synodus diem futuræ Seſſionis ad feriam quintam, poſt octauam feſtiuitatis omnium Sanctorũ, quæ erit dies XII. menſis Nouemb. indicit; & in ea decernetur de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Matrimonij, &c.

*Prorogata fuit Seſſ. vſq; ad diem XV. Iulij,* M. D. LXIII.

## SESSIO XXIII.

QVÆ EST SEPTIMA,

## SVB PIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA DIE XV. IVLII, M. D. LXIII.

### Vera, & Catholica doctrina de *a* Sacramento Ordinis, ad condemnandos errores noſtri temporis, à ſancta Synodo Tridentina decreta, & publicata Seſſione 7.

CAPVT I.

*Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis ac eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus dedit poteſtatem conſecrandi, & offerendi viſibile ſacrificium, ac remittendi & retinendi peccata.*

SAcrificium, & ſacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta ſunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in nouo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit; fateri etiam oportet, in ea nouum eſſe viſibile, & ex-

& externum ſacerdotium, in quod vetus tranſlatum eſt, hoc autem *ab β eodem Domino Saluatore noſtro inſtitutum eſſe*, atque Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, [a] & miniſtrandi corpus, & ſanguinem eius, necnon & peccata dimittendi, & retinendi, ſacræ litteræ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.

*a Matth.20. Matth.18. Ioan 20.*

---

## REMISSIONES.

α VIde Barthol Ledeſm. in ſua ſumma de Sacram. tit. de Sacramento Ordinis, Petr Ledeſm. in ſumma part. 1. tit de Sacrament. Ordinis, Viuald. in candelabr. aureo. ti de Sacram. Ordinis, P. Henriq in ſum p.2.lib. 10. de Ordinis Sacram. Card Thuſc. lit. O. concl. 189. Quarant. in ſumma Bullarij verbo ordo, P. Vaſquez in 3 part. D. Thomæ tom.3 diſp 235. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit lib. 30 P. Ægid. de Coninck. de Sacram. & cenſur. tom.2. diſp. 20. Zerol. in praxi Epiſcopali part 1. & 2. verbo Ordo. Balduin Iunium ſuper opera controu. Bellarm. par 2 li.6.c.3 & 4.

β *Ab eodem Domino Saluatore noſtro inſtitutum* ] Vide Sayr. de Sacram. in genere li.2.qu 3.art 1.verſ De Sacram. Ordinis, P. Henriq in ſum. li. 10. in procem. § 2 lit. M pag mihi 878. & §.5. & cap 3. in princip P. Valer. Reginal d. lib 30. n.3 P. Vaſquez d tom.3. diſp 239. P. Ægid de Sacram. & Cenſur. tom. 1. qu. 83 nu. 106.

## CAPVT II.

*Ad venerationem tanti ſacrificij, ab initio Eccleſia fuerunt in vſu ſeptem Ordines; quorum alij ſunt aliis maiores, ita vt ſubdiaconatus referatur inter maiores ſeu ſacros.*

α CVm autem diuina res ſit tam ſancti ſacerdotij miniſterium; conſentaneum fuit, quo digniùs; & maiori cum veneratione exerceri poſſet, vt in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diuerſi eſſent miniſtrorum Ordines, qui ſacerdotio ex officio deſeruirent; ita diſtributi, vt *qui β γ δ iam clericali Tonſura inſigniti eſſent*, per minores ad maiores aſcenderent: nam non ſolùm de ſacerdotibus, [b] ſed & de Diaconis ſacræ litteræ apertam

*b 1.Tim.3. & Actor.21. verſ. 8.*

T

mentionem faciunt; & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda ſunt, grauiſſimis verbis docent; & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque vniuſcuiuſque corú propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarij in vſu fuiſſe cognoſcuntur, quamuis non pari gradu. nam Subdiaconatus ad maiores ordines a à Patribus & ſacris Concilijs refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentiſſimè legimus.

a c. Nullus 69. diſt.

## REMISSIONES.

α Vide Balduin Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. part. 1. li. 6. c. 3. in fine.

β *Qui iam clericali tonſura inſigniti eſſent.* ] Quot ſint Ordines, an nouem vt volunt Canoniſtæ, an ſeptem tantùm, vt volunt Theologi? & an prima tonſura ſit Ordo? Vide apud Hiſpanos li. 1. tit. 6. par. 1 ad finem ibi, *corden de corona es entrada*, plures Doctores plena manu refert Cened. ad Decret collect. 105. num 2. quibus adde Veg. *in eſpeſo de curas* c. 14 à num. 4. Valent. tom. 4. diſp 9. qu 1 puncto 1. Menoch. conſ. 912. num 21. Surd. conſ. 259 nu. 8. Vincent. de Franch. Neapol. deciſ. 189. num. 9 Fr. Emman in ſum tom. 2. cap. 13. Viuald. in candelabro aureo tit. de Sacram. Ordinis. num. 6. 10. & 11. Barthol. Ledeſm. in ſummario de Sacram. Ordinis diffic. 5. P. Henriq. in ſum. lib. 10. cap. 2 Catechiſm. ad parochos de Sacram. Ordinis verſ. Docendum igitur erit, Nauar. conſ. 12 de tempor. ordinat. Iacob. de Graffis li. 1. aure. deciſ. p. 2 cap. 9 à numer. 11 D. Sahagum de Sacram. Ordinis à num 7. Velaſq. de Auendan. lib. 29 Tauri gloſſ 3. num. 9 & 10 Pet. Ledeſm in ſum. p. 1 tit. de Sacram. Ordinis ca. 1. Ludou. Lop. in inſtruct. conſcient. tom 2. p. 1. cap. fin. Coſm Philiarch. de officio Sacerdot. par. 2. lib. 1. cap 13. Carrill. in itinerario ordin. ſect 3. cap. 7 à nu. 17. Nunno p. 3. in addit quæſt. 37. & 40. art. 2. Petr. Alphonſ. de Vaſconcellos in harmonia Rubricarum ad Rub. de tempor. ordinat. num. 3. & 4 Ceuall. commun contra commun quæſt. 524. Mendez à Caſtro in l cùm oportet numer. 166 Cod de bonis quæ liber. Cardinal. Thuſc. lit. O. concl. 189 Nicol Garſi. de Benefic. p. 7 cap. 1. à nu. 1. nouiſſimè D. Marta in votis nouiſſimarum deciſ. voto 14. à num. 1. Balduin. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. p. 1. li. 4. c. 10. verſ. denique, P Vaſquez in 3. p. D Thom to. 3. diſp. 236. P. Ægid. de Sacr. & cenſur tom. 2 diſp. 10. n. 5 Thom. Valaſc. tom. 1. alleg. 3. num 8.

γ An Epiſcopatus ſit Ordo diſtinctus à Sacerdotio? Vide Petr. Alphonſ. de Vaſconcellos in harmonia Rub. ad Rub. de tranſlatione Epiſcopi, nu. fin. Burſat. conſ. 125 Sayr. de Sacram. in genere l. 1 c. 2. q. 1. art. 5 verſ. De conſecrat. P. Vaſquez d. tom 3. diſp. 240. P. Paul. Comitol. Reſponſ. moral. p. 1. q. 48. nu 11.

δ An

δ An Ordinario Epiſcopalis verè & propriè ſit Sacramentum? Vide Balduin. Iunium ſuper opera controu. Bellarm. p 2. li. 6. c. 3. verſ. primum ergo, poſt P. Valent. Mich. Medin. Pet. Sot. & Vaſquez, reſoluit P. Ægid de Sacram. tom 2. diſp. 20. nu. 43.

## CAPVT III.

*Cùm ordinatio conferat gratiam, ea indubiè eſt ſacramentum.*

α CVm Scripturæ teſtimonio, [a] Apoſtolica traditione, & Patrum vnanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem ſanctę Eccleſiæ Sacramentis, inquit enim Apoſtolus: [b] Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearū, non [c] enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.

a 1. *Tim.* 4.
b 2. *Tim.* 1. b 1. *Tim* 4. d
c 2. *Tim.* 1. b

## REMISSIONES.

α VIde Sayr. de Sacram. in genere lib. 6. ca 1. in fine, P. Henriq. in ſumma lib. 10 c. 14. §. 2.

β *Gratiam conferre dubitare nemo poteſt.*] Vide Sayr. de Sacr. in genere. li. 5. c 1. q vnic. ar 2. verſ. de Sacram. Ord P. Henriq. in ſum. li 10. c. 1. §. 3. lit R. & ca. 14. in princip P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. l. 30. tract. 1. à nu. 16.

## CAPVT IV.

*Non omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes, ſed ij ſoli qui legitimè ſunt ordinati ab Epiſcopis qui ſunt ſummi ſacerdotes, miniſtros eccleſiæ ordinant, etiam non requiſito laicorum ſuffragio aut conſenſu. Ordinatis ineſt character indelebilis, ob quem fit, vt nunquam iterum laici effici. poſſint.*

QVoniam verò in Sacramento [a] Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt; meritò ſācta Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt, noui Teſta-

a *Seſſ* 7. *de Sacram. in genere can.* 9.

menti ſacerdotes temporariam tãtummodo poteſtatem habere; & ſemel ritè ordinatos, iterum laicos effici poſſe ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. Quòd ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè noui Teſtamenti ſacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali prędi-

*b Cant. 6.*
*c 1. Cor. 12.*

tos affirmet; nihil aliud facere videtur, quàm [b] eccleſiaſticam hierarchiam, quæ [c] eſt vt caſtrorum acies ordinata, confundere: perinde ac ſi contra B. Pauli [d] doctrinam

*d Eph. 4.*

omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores. Proinde ſacroſancta Synodus declarat, præter cæteros eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere; & poſitos, [e] ſicut idem Apoſtolus ait, à Spiritu Sãcto, regere Eccleſiam Dei: [f] eoſque presbyteris [g] ſuperiores eſſe; ac Sacramentum Confirmationis cõferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare; atque alia pleraque peragere ipſos poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet inſuper ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, ſacerdotum, & cæterorum Ordinum, [h] nec populi, nec cuiuſuis ſæcularis poteſtatis, & magiſtratus conſenſum, ſiue vocationem, ſiue auctoritatem ita requiri, vt ſine ea irrita ſit ordinatio: quin potiùs decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut ſæculari poteſtate, ac magiſtratu vocati, & inſtituti, ad hæc miniſteria exęrcenda aſcendunt, & qui ea propria temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, [i] ſed fures & latrones, per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. Hæc ſunt, quæ generatim ſacræ Synodo viſum eſt Chriſti fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis, & propriis canonibus in hunc, qui ſequitur, modum damnare conſtituit; vt omnes, adiuuante Chriſto fidei regula vtentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoſcere, & tenere poſſint.

*e Act. 20.*
*f Caleſt. 1 ep. ad epiſ. Gallatæ c. 1*
*g Seſſ. 7. de confir can. 3. Hiſpalen 2. c. 5. 7. & alibi.*

*h Laodiceni Concil. c. 13.*

*i Ioan. 10.*

(. ·.)

RE-

## REMISSIONES.

* Vide P. Henriq. in ſum. lib. 10 cap. 7. in princip. & cap 14. § 2. lit P. P. Vaſquez in 3. part. D Thom tom. 3 diſp. 241. à n. 2. & diſp. 244 nu. 17. Balduin. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. p. 1. l 4. c. 10 verſ Septimus Ordo Sacerdotum eſt, P. Valeri. Reginal. in praxi fori pœnit l. 30 tract. 1 num 3. verſ. Quod attinet, & n. 16. verſ Eidem.

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

### *CANON I.

Si quis dixerit, [a] non eſſe in nouo Teſtamento ſacerdotium viſibile, & externum: vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus, & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; ſed officium tantùm, & nudum miniſterium prædicandi Euangelium; vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe ſacerdotes; anathema ſit. a Sup. c. 1.

### *CANON II.

Si quis dixerit, præter ſacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios ordines, & maiores, & minores, [b] per quos, velut per gradus quoſdam, in ſacerdotium tendatur; anathema ſit. b Sup. c. 2.

### *CANON III.

Si quis dixerit, Ordinem, ſiue ſacram Ordinationem [c] non eſſe verè & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantùm ritum quendam eligendi miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum; anathema ſit. c Sup. c. 3.

### *CANON IV.

Si quis dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum; ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum; aut per eam non imprimi

a l. Tolet. c. 7.

characterem; vel eum, qui ſacerdos ſemel fuit, [a] laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit.

### Canon V.

Si quis dixerit, ſacram Vnctionem, qua Eccleſia in ſancta ordinatione vtitur, non tantùm non requiri, ſed contemnendam, & pernicioſam eſſe; ſimiliter & alias Ordinis cærimonias, anathema ſit.

### Canon VI.

Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris; anathema ſit

### α Canon VII.

b Suprà c. 4.

Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, [b] & ordinandi; vel eam, quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem; vel Ordines ab ipſis collatos ſine populi, vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione, irritos eſſe, aut eos, qui nec ab eccleſiaſtica & canonica poteſtate ritè ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi & Sacramentorũ miniſtros; anathema ſit.

### α Canon VIII.

Si quis dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos, & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum; anathema ſit,

---

## REMISSIONES.

### α CANON I.

Vide Bald. Iunium ſuper opera controu. Bellarm. p. 2. l 6. c 3. & 4.

α CANON II. Vide Thom. Valaſc. tom. 1 alleg. 2. n 4. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 30. nu. 3.

α CANON III. Vide Thom. Valaſc. tom. 1. alleg. 2. Petr. Ledeſm. in ſum. p. 1 tract. de Sacram. Ord. c. 1 concl 1.

α CANON IV. Vide P. Henriq in ſum. lib. 10 cap. 4. §. 2. lit. F. & G P. Valer. d. lib. 30. num. 3. P Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 10. n. 58 Bald. Iunium ſuper opera controuerſ. Bellarm. p. 2. lib. 6. c. 4. verſ. item patet, Pet. Ledeſm. d. tract. de Sacram. Ordinis c. 4. concl. 2.

α CANON VII. Vide Sayr de Sacram. in genere, lib. 1. c. 1. q. 3 art. 5. verſ. De conſecrat. Epiſcopi, P. Ægid d. diſp 20. nu. 24. & nu. 75. P. Vaſquez d. tom. 3. diſp. 143 à num. 1. & diſp. 244 num 17.

α CA-

a CANON VIII. Vide P. Henriq. in ſum. lib 10 c 3. in fine, P. Paul. Comitol. Reſponſor. moral. lib. 1. qu. 99. num. 3. Pet Ledeſm. d. tract. de Sacram. Ord. c. 5.

---

# DECRETVM DE REFORMATIONE.

EAdem ſacroſancta Tridentina Synodus, reformationis materiam proſequens, hæc, quæ ſequuntur, in præſenti decernenda eſſe ſtatuit, & decernit.

## CAPVT I.

*Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac cathedralibus præfectus, etiam Cardinalis, nunquam abſit à diœceſi ſua, niſi ad ſummum tres menſes continuos, vel interruptos, exceptis modis infraſcriptis, probandis coram Metropolitano, aut (in caſu) ſuffraganeo. Tempore abſentiæ nullum populus damnum ſentiat. Aliter facientes grauiter puniuntur. Eadem ſeruentur in Curatis, in quorum abſentia ponendi Vicarij approbati.*

*Quædam notatu digna ponuntur in hoc capitulo.*

αβγ &c. CVm [a] præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura cõmiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbíque diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarúmque miſerabilium perſonarum *curam paternā gerere*, & in cætera munera paſtoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed [b] mercenariorum more deſerunt: ſacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factíque [c] forma gregis, in iudicio, & veritate paſcãt, & regant. *Ne verò ea, quæ de reſidentia* ſanctè, & vtiliter iam [d] antea ſub fel. rec. Paulo III. ſancita fuerũt, in ſenſus à ſacroſanctę Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius decreti quinque menſibus cõtinuis abeſſe liceat; illis inhærendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes

a *Ioan. 21. Act. 20. Epheſ. 4. 3. diſt. c. ſicut 7. q. 1. c. qui Epiſcopatum 8. qu. 1. c. gloria Epiſc. 12. q 2.*

b *Ioan. 10.*

c *1. Pet. 5. 2*

d *Supr. Seſſ. 6. de refor. c. 1.*

Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus eccleſiis quibuſcunque, quocunque nomine, & titulo præfectos, *etiam n ſi ſancta Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint* obligari ad perſonalem 1 *in ſua eccleſia vel diœceſi reſidentiam*, vbi iniuncto ſibi officio defungi teneantur: neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis, & modis infraſcriptis [a] 2 *Nam cùm Chriſtiana caritas*, vrgens neceſſitas, debita obedientia, ac euidens Eccleſiæ, vel Reip. vtilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent, & exigant; decernit eadem ſacroſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas à Beatiſſimo Romano Pontifice, 3 *aut à Metropolitano*, 4 *vel, eo abſente*, Suffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas; niſi cùm abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipubl. officium, epiſcopatibus adiunctum: cuius quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit: ad eundem tamen cum Concilio prouinciali ſpectabit iudicare de licentiis à ſe, vel à Suffraganeo datis; & videre, ne quis eo iure abutatur: & vt pœnis canonicis errantes puniantur. [b] Interea meminerint diſceſſuri, ita ouibus ſuis prouidendum, vt, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. *Quoniam* 9 *autem* qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt: ſacroſancta Synod. vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſiue continuũ, ſiue interruptum, [c] extra prædictas cauſas, *nullo t x pacto debere duos*, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, vt id æqua ex cauſa fiat, & abſque vllo gregis detrimento: quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore, cùm Deo corda pateant; cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, [d] ne per illius temporis ſpatium, Dominici Aduentus, Quadrageſimæ Natiuitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis

a c. dicæte. c. inter quatuor, c. tuæ, & c. relatũ de cleric. non reſid. c. ad ſupplicationẽ de renũc. c. quorumdam, 74. diſt.

b c. cum ex eo de elect. in 6. c. beneficiũ, de regul. eo. li. & c. 2. in fi. ſupr. ſeſſ. 6. Sardicen. concil. c. 14.

c c. præſentium, 7. q. 1. & infr. ſeſſ. 24 de refor. c. 11.

d c. ſi quis in clero. 7. q. 1.

ris

ris Chriſti diebus quibus refici maximè, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oues debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali vllo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua diœceſi eos aliò vocent.

Si quis autem, quod vtinam numquam eueniat, contra huius decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas aduerſus non reſidentes, ſub [a] Paulo III. impoſitas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; *eum* λ *pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere*, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri aut ipſo ceſſante, per Superiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, 5 *aut pauperibus loci erogare*: prohibita quacumque conuentione, vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuſcúmque priuilegiis cuicúmque Collegio, aut fabricæ conceſſis. 6 μ ν ξ *Eadem omnino*, etiam quo ad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas 7 *de curatis inferioribus*, 8 *& aliis quibuſcumq;* qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum, 9 *curam animarum habens*, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen, vt, quandocumque eos, 10 *cauſa priùs per Epiſcopum cognita.*, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. *Diſcedendi* ο *autem licentiam in ſcriptis*, gratiſque concedendam vltra bimeſtre tempus, *niſi ex graui cauſa* 11 *non obtineant.* 12 *Quod ſi per edictum citati*, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint; 13 *liberum eſſet vult Ordinariis*, 14 *per cenſuras Eccleſiaſticas*, & ſequeſtrationem, 15 *& ſubſtractionem fructuum*, aliáque iuris remedia, 16 *etiam vſq; ad priuationem* 17 *compellere*; nec executionem hanc, quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuſcumque beneficij, pactione, ſtatuto, etiam iuramento, vel quacumque auctoritate confirmato, 18 π *conſuetudine*, *etiam immemorabili* quæ

*a Sup. Seſs. 6. de refor. c. 1. & inf. in Bulla S. D. N. Pij IV. ſuper reſidentia, c. 2. ex conquerente. & fere per totum, de cler. non reſid.*

poriùs corruptela cenſenda eſt, *ſiue* p *appellatione*, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel ſ *vigore* a *Eugenianæ conſtitutionis* ſuſpendi poſſe. Poſtremò, tam decretum illud ſub Paulo III. quàm hoc ipſum in Conciliis Prouincialibus, & Epiſcopalibus publicari Sancta Synodus præcipit: cupit enim, quæ adeò ex Paſtorum munere, animarúmque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus, mentibuſque infigi, vt in poſterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut deſuetudine aboleantur.

a *infrà Seſſ. 24. c. 18. §. debeat.*

b *Extrauag cõmunium, lib. 5. c. 3. Diuina, de priuilegiis.*

c *Supra Seſſ. 6. de Reſor. c. 1.*

## DECLARATIONES.

1 *In ſua Eccleſia vel Diœceſi reſidentiam.* ] Epiſcopus, modò in Epiſcopatu reſideat, ſolutus eſt à reſidentia beneficij ſimplicis, aut Dignitatis, quam ſine vlla animarum curâ obtinet, etiam extra Diœceſim, in aliqua Cathedrali: eámque retinere, ac eius fructus percipere poteſt, exceptis portionibus & diſtributionibus quotidianis, & aliis, ſi quæ fortè ſint, quæ abſentes iuſta aliqua de cauſſa non percipiunt. *Vide ſuprà, Seſſ. 6. cap. 1. de Reform. §. Habens Archidiaconatum.*

Epiſcopus proinde reſidens in vrbe Cathedrali, liber eſt à reſidentia Monaſterij Monachorum Regularium. quod obtinet cum diſpenſatione Papæ, licet illi annexæ ſint aliquæ Eccleſiæ curatæ poſt erectionem Monaſterij, & præſertim ſi in tali Monaſterio non ſit fons bapriſmalis, nec aliqua animarum cura, & curatæ regi ſoleant per Vicarios.

2 *Nam cum Chriſtiana charitas* ] Non licet Epiſcopo à ſua Eccleſia abeſſe, niſi ob aliquam cauſarum, quæ habentur in hoc cap. infrà, de quibus non eſt perpetuus morbus. Itáque non licet Epiſcopo abſentare ſe ab Epiſcopatu ſuo propter morbum perpetuum.

3 *Aut à Metropolitano.* ] Metropolitani prouidere debent, vt prouinciales eorum Epiſcopi, iuxta Decreta Concilij Tridentini reſideant in Eccleſiis propriis, curámque commiſſi ſibi gregis habeant diligentem.

4 *Vel eo abſente, Suffraganeo Epiſcopo.* ] Abſente Metropolitano, Epiſcopus antiquior reſidens, ſuper abſentia Epiſcopi comprouincialis inquirit.

5 *Aut pauperibus loci erogare.* ] *Hæc pœna habet etiam locum in Curatis inferioribus, ita vt Epiſcopus debeat compellere Parochum, qui per biennium non reſidet, licet poſtmodum reſideat, ad reſtituen-

tuendos fructus illius temporis, quos abſens recepit, quamuis ad reſidendum, ne per edictum quidem monitus fuiſſet.

6 *Eadem omnino* ] Epiſcopus ad reſidentiam cogere poteſt Rectorem, licet eius Eccleſia Parochialis pertineat ad inferioris collationem.

7 *De curatis inferioribus.* ] Non licet Epiſcopo, pro Cathedralis Eccleſiæ ſeruitio, vel etiam ſuo, aliquem ex Curatis, extra ipſorum curam, ad certa negotia adhibere, conſtituto ibi etiam Vicario idoneo. Neque excuſantur à reſidentia ob defectum domus, neque ſi habent officium inquiſitionis, nec propter litem. Et etiam Coadiutores perpetui tenentur ad reſidendum perſonaliter ſicut veri curati, & ſub hoc capit. comprehenduntur, etiamſi in aliis beneficiis ſeruiant, etiam in Cathedralibus. Infrà hoc cap. §. Epiſcopus non poteſt.

8 *Et aliis quibuſcúnque.* ] Capellani coadiutores Rectorum Parochialium cum Capellanis perpetuis inſtitutis auctoritate Apoſtolica, tenentur ad perſonalem reſidentiam, ſicuti tenentur Rectores ipſi. Congregatio cenſuit, omnino teneri & eos dumtaxat excipi, qui ex inſtitutione poſſunt per alium ſeruire, vel quibus nulla expreſſa reſidentiæ perſonalis obligatio iniuncta eſt. Vnde & Ordinarius tenetur eos cogere ſicut ipſos Rectores, nec cum aliquo huiuſmodi diſpenſare, quoad reſidentiam, niſi vt cum Rectoribus Epiſcopus poteſt, eodémque iure examinandi tenentur, quo Rectores Parochiales, ex c. 18. Seſſ. 24.

9 *Curam animarum habens.* ] Etiamſi eſſent in Parochia tres tantùm incolæ, & ibi fuerint duæ Eccleſiæ vnitæ, reſidendum eſt in digniori: quod ſi non conſtet quæ ſit dignior, reſidendum erit in frequentiori. Obtinens legitimè ante Concilij Tridentini confirmationem, Parochialem Eccleſiam, & Canonicatum, non eſt cogendus alterutrum reſignare: dummodo in Parochiali Eccleſia reſideat, fructúſque Canonicatus percipiat, & amittat tantùm quotidianas diſtributiones, atque illas quas abſentes iuſtis de cauſſis non percipiunt: qui tamen, ſi ſtatutis horis in ipſo Canonicatu etiam reſideat & illi inſeruiat, tunc quotidianas diſtributiones conſequetur. *Vide Seſſ. 5. cap. 1. de Reform. §. Per ſeipſos.*

Si Parochialis Eccleſia tribus, aut quatuor milliaribus diſtet à ciuitate, in hac Rector habitare debet, nec Dominicis diebus tantùm ad ſuam Eccleſiam accedens, habetur pro reſidente.

An propter intemperiem aeris relicto ibi Vicario approbato, ex Ordinarij conſenſu, Parochus non inde oriundus poſſit alibi habitare? Congregatio cenſuit, non poſſe: ſi tamen Rector infirmus eſſet, & in loco Parochialis curæ, curari non poteſt defectu Medicorum medicinarúmve, tunc poſſe ab Ordinario dari ei dilationem trium vel quatuor menſiũ, vt in locis vicinioribus maneat, recuperandæ ſanitatis cauſſa, poſito interea ab ipſo Ordinario in Parochiali, Vicario,

cum

cum congrua portione ex redditibus Parochialis. Itáque Rector qui habet Vicarium perpetuum in ſua Parochia ſeu Rectoria, poteſt & debet compelli ad perſonaliter reſidendum; niſi tota cura animarum tranſlata fuiſſet legitimè in ſolum Vicarium perpetuum. Infrà hoc c. §. Parochus.

Fuit olim Monaſterium inſigne Sancti Benedicti, in loco campeſtri, quod præſenter caret conuentu, & eſt commendatum, in quodam caſtro, fere per vnum milliare diſtante à Parochiali, cuius monaſterij cura fuit ſemper ſolita exerceri per deputatos ab Abbate ſeu Commendatario pro tempore, habétque collationem nonnullorum beneficiorum curatorum exiſtentium in alienis diœceſibus, & homines dicti caſtri veniunt diebus Feſtis ad audiendam Miſſam, & diuina officia ad Eccleſiam dicti Monaſterij, quæ celebrantur per eoſdem hæredes deputatos: quam ob rem dictus commendatarius tenetur ad reſidentiam, & ad ſacros Ordines accipiendos. Vide Seſſ. 6. capit. 2. de Reform. §. In titulum. de Com. Ordin.

10 *Cauſſa prius per Epiſcopum cognita.* ] Omnia hæc committuntur Epiſcopo, qui exequutioni demandet, etiam in illis Parochialibus, quarum collatio ad inferiores ſpectat, etiamſi inferiores eſſent Abbates Regulares.

Stante conſuetudine in Eccleſia Cathedrali, quòd Canonici non intereſſentes diuinis, non percipiant fructus præbendæ, nec diſtributiones quotidianas, licet Epiſcopo retinere penes ſe vnum vel duos Canonicos, qui dictos fructus, & diſtributiones percipere poſſint, ac ſi in Choro præſentes eſſent: exceptis tamen diſtributionibus quotidianis.

Parochialem Eccleſiam habens cum Canonicatu, in Parochiali reſidere tenetur, quo etiam eſt conforme Bullæ Pij V. quæ incipit, *cupientes pro noſtris*, publicatæ 8. Id. Iulij, Anno 1568. ſuper hoc editæ, & percipit fructus præbendæ. Eius tamen quotidianas diſtributiones perdit, & ſi quid præterea abſentes iuſta de cauſſa non percipiunt. *Vide in hoc c. §. Curam, & Seſſ 5 a c. 1. de Reform §. Per ſeipſos.* Si autem Canonicatus eſt in eodem loco, vbi Eccleſia Parochialis, poteſt vtríque inſeruire, & percipere quotidianas diſtributiones, & commoda, quæ ſunt illi muneri attributa: ſi verò inſeruire nequeat, diſtributiones tantum eorum dierum, quibus non ineſt, amittat, neque alio damno affici poteſt. Quod procedit non obſtante quacúmque nobilitate Canonicorum, aut Eccleſiæ Cathedralis, etiam Metropolitanæ.

Epiſcopus procedens per ſubtractionem fructuum aduerſus Parochos non reſidentes iuxta Concilium Tridentinum, non tenetur obſeruare eadem interualla, & eandem rationem, quæ contra Epiſcopos non reſidentes ſtatuit caput tertium Seſſionis ſextæ. Et reſidens in Parochiali, quæ non longè abeſt à Collegiata, in qua

Cano-

Cannnicatum obtinet; diebus ferialibus ad Eccleſiam Collegiatam accedere, & in ea diuinis inſeruire poteſt: modò omnibus diebus & horis ſuis debitis & congruis, Parochiali inſeruiat, & nihil prorſus relinquat ex debito ſeruitio ipſius Parochialis.

Habens Canonicatum & Parochialem, & reſidens in Parochiali, ex præſcripto Bullæ Pij V. diſtributiones quotidianas lucratur: ſi Canonicatus conſiſtit ſolùm in diſtributionibus quotidianis, non habens præbendam Hoc procedit, ſi vtrique inſeruire nequiuerit: quia ſi ambobus commodè ſeruire poſſet, lucraretur ſolùm iuxta ſeruitium quod præſtaret. Porrò obtinens duos Canonicatus, in digniori reſidere debet, & ſolum diſtributiones illius amittit, in quo non reſidet. Atque ideo Epiſcopo Boſſanenſi ſcribatur, vt reſtituat Canonicatum præsbytero N. cùm non debeat ibi reſidere, reſidens in Canonicatu S. Mariæ digniori. *Vide Seſſ. 21. de Ref. cap. 3. §. Habens.*

Obtinens parochialem, & Canonicatum præbendæ Magiſtralis, cum diſpenſatione ante Concilium Tridentinum legitimè obtentâ, tenetur in parochiali reſidere; atque in Magiſtrali præbenda idoneum virum ſubſtituere debet, qui Sacræ Scripturæ interpretandæ munus obeat *Vide Seſſ. 5. c. 2. de Ref. § De cætero.*

Eum, qui obtinet Eccleſiam baptiſmalem, cui incumbit ſola cura baptizandi omnes infantes oppidi, & exiſtentes ſub cura Archipreſbyteri, præſuppoſito quòd in Eccleſia Archipresbyter præter baptiſmum, cætera Sacramenta adminiſtret, Congregatio die 11. Iul. 1587, cenſuit teneri ad reſidentiam, ad minus tanquam Coadiutorem Eccleſiæ Parochialis Quin & obtinens Canonicatum, cui ſit vnita Parochialis ad vitam obtinentis, tenetur in Parochiali reſidere, etiamſi vnio facta ſit ad vitam obtinentis tantùm.

Præpoſitura, licet tantùm ſit Iuriſdictionalis, intelligitur tamen eſſe comprehenſa in Bulla S. D. N. Pij V. de reſidentia Parochorum, edita & publicata 8. Id. Iulij 1568. Etiam perpetui coadiutores reſidere tenentur; ſicut veri curati, etiamſi in aliis beneficiis inſeruirent etiam in Cathedralibus.

## *Cauſſæ non excuſantes Parochos à reſidentia.*

A Reſidentia non excuſatur exercens officium Subcollectoris Apoſtolici, vel Inquiſitoris, neque etiam excuſat lis ſuper eadem Parochiali mota. *Vide Seſſ. 7. c 5. §* Subcollectores.

Similiter Licentia obtenta ab Epiſcopo de non reſidendo, non excuſat à reſidentia, cum eam Epiſcopus concedere non poſſit.

Obtinens Parochialem Eccleſiam per prouiſionem Sedis Apoſtolicæ, & habens liberum curæ exercitium, & omnium bonorum fru-

ctuum

ctuum ac prouentuum ad dictam Eccleſiam Parochialem pertinentium poſſeſſionem, licet in limine adeptæ poſſeſſionis prædictæ, mota lis fuerit per aliquem in petitorio, tamen tenetur ſe promoueri facere infra annum, lite pendente, & compellendus eſt ad reſidendum in dicta Eccleſia. Et præſuppoſito, quod non teneatur reſidere, eo caſu debet Epiſcopus idoneum Vicarium deputare, partémque fructuum omnium pro ſufficienti victu aſſignare, iuxta Concilij Tridentini formam, *Vide Seſſ. 7. de Ref. c. 7. §.* Portione etiam.

Licet Epiſcopus pro viſitatione ſuæ Diœceſis vti opera Parochi poſſit, ille tamen ob eam cauſſam, vltra quadrimeſtre ſingulis annis abeſſe non poteſt à ſua Parochia, & interea poni debet in ea idoneus Vicarius, cum congrua portione fructuum dictæ Parochiæ, arbitrio ipſius Epiſcopi aſſignanda: Odium à reſidentia non excuſat, inimicitiæ tamen excuſant ad tempus, ſi non fuerint contractæ culpâ Rectoris Parochialis, & Epiſcopo cum iſtis ad annum diſpenſare conceditur, dummodo tamen in Parochiali idoneus remaneat Vicarius. *Infrà eodem c. §. Presbytero.*

## *Cauſſæ excuſantes à Reſidentia.*

PArochus Eccleſiæ, in qua fuit conſtitutus Capellanus, cui ex inſtitutione Capellaniæ impoſita fuit tota cura animarum, ſeu Vicaria perpetua, quoad Capellanus vixerit, non tenetur in ea reſidere.

Infirmitas excuſat à reſidentia, quando in loco Parochiæ non ſunt Medici, vel Medicinæ, & quando infirmitas alibi curari poteſt. Hoc caſu per quatuor menſes diſpenſat Epiſcopus, vt in locis vicinioribus Parochus maneat, recuperandæ ſanitatis cauſsâ, poſito interea ab ipſo Ordinario in Parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus ipſius Parochialis, &c.

Presbytero habenti inimicitiam cum Domino loci, vbi ſitum eſt beneficium, Epiſcopus debet (ſi non poteſt eos reconciliare,) dare aliud beneficium, extra territorium & Iuriſdictionem illius Domini, vel permittere eidem presbytero, vt abeſſe poſſit à beneficio, etiam per annum, conſtituto tamen Vicario idoneo cum aſſignatione æquæ portionis fructuum beneficij, vt ei inſeruiant, donec cauſa inimicitiarum inter eos deſierit. Priùs tamen, habèns Canonicatum & Parochialem, in qua non poteſt ſine diſcrimine vitæ propter inimicitias reſidere, non eſt cogendus, (dum ſubeſt inimicitiarum cauſſa) in ea reſidere, ſed permittendum eſt ei, vt reſideat in Canonicatu. Dabuntur literæ Ordinario, vt cognoſcat, ſi ſunt veræ & graues inimicitiæ, quæ narrantur, & abſque ipſius culpâ, ac poſtquam obtinuit illius beneficij diſpenſationem, exortæ: tunc Ordinarius det ei dilationem vt in alio viciniori, & tutiori loco manere

re poſſit, durantibus tamen dumtaxat inimicitiis, dum non vltra annum durent. Interea autem idoneum Vicarium in illa Eccleſia conſtituat, aſſignata ei congrua portione ex redditibus ipſius Eccleſiæ: quod ſi eſſet Canonicus, & fructus conſiſterent in diſtributionibus quotidianis, illas Canonicus lucrabitur, deducta tamen tertia parte pro deſeruientibus. Curabit autem Epiſcopus, vt inimicitiæ extinguantur: ſi id perficere non potuerit, reſcribere debet ad Cardinales Congregationes Conc. cuius culpâ factum fuerit quò minus reconciliatio proceſſerit.

Quando Epiſcopus legitimè diſpenſauit à reſidentia, per aliquod tempus, vtputà octo menſium, relicto tamen idoneo Vicario in Parochiali, vt Rector alicui opere vacare poſſit, v. g. fabricæ Monaſterij, abſens excuſatur. Confer. cum hoc cap. §. de Curatis.

In his quæ pertinent ad reſidentiam, obſeruanda ſunt, quæ habentur in hoc cap. & in reliquis. Si non poſſunt ſeruari Decreta Concilij Tridentini prædicta, id agendum eſt, quod commodiùs, & meliùs poteſt: & qui non habet domum propriam in loco, vbi reſidere tenetur, aliquam conducere debet: vbi verò populus non poteſt victum ſuo Curato ſubminiſtrare, Ordinarius ea obſeruare debet, quæ habentur cap. 3. Seſſ. 24. de Reform. & in caſu quo iura aliquid diſponant, non debet pro iuris declaratione ad Papam recurrere. Qui finitima vrbi beneficia obtinent, ſi domum non habent vbi habitant, conducant habitationis locum.

Parochus non habens commodam habitationem in Parochia, fuit diſpenſatus, vt degere poſſit in loco vicino, dummodo prope Eccleſiam ſubſtitutus eius habitet.

Aliquando hæc facultas eadem de cauſſa conceſſa fuit, ſine conditione illa, *Dummodo prope Eccleſiam ſubſtitutus eius habitet.*

Inter cauſas excuſantes connumeratur infirmitas incurabilis, aeris intemperies, certo anni tempore, & quando ita ſolitum eſt fieri ab omnibus ſacerdotibus, præſertim alienigenis, & ad tempus.

Fuit etiam quis diſpenſatus à reſidentia in ſua Parochiali, ad tempus à S. D. N. donec inſtrueret alium Canonicum de negotiis illius Capituli, in quo ipſe erat Canonicus, vt eadem tractaret.

Creati auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ex fructibus Parochialis cum congrua portione duobus perpetuis Coadiutores in cura, non poſſunt ſeruire per ſubſtitutos, ſed ab Ordinario cogendi ſunt ad reſidentiam. Congregatio ita cenſuit. Epiſcopus ergo ex hoc Decreto debebit eos cogere ad reſidentiam, & ad exercendam curam perſonaliter.

S. D. N. ex ſententia Congregationis declarauit, quòd Canonici obtinentes ex legitima diſpenſatione, Parochiales, eas quidem retinere poſſint, ſed in ipſis perſonaliter reſidere debent, &, ſi reditus ſuo-

rum

rum Canonicatuum verè conſiſtant in diſtributionibus quotidianis ita vt omnes percipiant de communi maſſa, & nullæ prorſus diſtinctæ ſint,ne dematur aliquid his, qui horis diuinis interſint: poſſint ſic reſidentes in ſuis parochialibus eos integros percipere. Quòd ſi poſt debitum ſeruitium Parochialibus ſuis præſtitum, etiam inſeruire Cathedrali poſſint,tunc eas portiones non percipiant niſi quatenus inſeruierint. Sup.hoc cap.§. *Et aliis*.item § habens Canonicatum.

Congregatio Concilij cenſuit, Parocho propter inimicitias vltra primum annum abſenti,concedendum ſecundum, ob nouam cauſſam, quæ ſuperuenerit ex incremento inimicitiarum & homicidio ſubſequuto.

Congregatio Concilij cenſuit, vltra bimeſtre tempus, abeſſe non poſſe Parochos ſine licentia Epiſcopi, & valet conſtitutio Epiſcopi inhibentis ne parochi poſſint abeſſe vltra duos dies ſine licentia, vt hic. In infirmitatibus curabilibus datur etiam quadrimeſtre.

Epiſcopus non poteſt vti operâ parochi in Viſitatione vel alio ſeruitio ſuæ Diœceſis: niſi pro tempore hic permiſſo duorum menſium,& tunc pro eo tempore idoneus Vicarius deputetur. *Idem hoc c.* §. *De curatis.*

11 *Niſi ex graui cauſa non obtineant.* ] Non ſunt denegandæ literæ commendatitiæ ab Epiſcopo Sacerdotibus & Clericis, qui non habent beneficia in titulum,requirentia reſidentiam.

Propter inimicitias, quæ non ſuperuenerunt culpâ Parochi, datur quidem annus, & creſcentibus inimititiis datur alius annus: ſed odium ſolum parochianorum non ſufficit, neque ſi omnes fere fructus eſſent alij reſeruati, neque continua aëris intemperies, neque ſi eſſet neceſſarius magiſter ludi in ciuitate, aut oppido, neque ſeruitium Epiſcopi etiam ad tempus. Hoc ſæpe reperitur.

Multa conceſſa ſunt contra hoc Decretum in Regno Poloniæ,ex variis cauſſis & neceſſitatibus.

12 *Quod ſi per edictum ciuati.* ] Reſpicit modum procedendi contra obligatos ad reſidendum, ſeſe abſentantes.

13 *Liberum eſſe vult Ordinariis.* ] Epiſcopus cogere poteſt Rectorem, licet eius Eccleſia Parochialis pertineat ad inferioris collationem. *Infra hoc c.* §. *Compellere.*

14 *Per cenſuras Eccleſiaſticas.* ] Non tamen per excommunicationem, ſi abfuerit per aliquod breue tempus: licet poſſit conſtituere Epiſcopus, quod non poſſit abeſſe Parochus abſque licentia vltra duos vel tres dies, ſub pœna excommunicationis, *Infrà* §. *Epiſcopus poteſt.*

15 *Et ſubtractionem fructuum.* ] Quando alicui Parocho conceditur ſtudendi facultas,vt fructus ſuos faciat, hæc infracta ſeruare debet.

bet.

bet: Primò vt ſtudeat Theologiæ aut iuri Canonico in celebri Vniuerſitate Secundò, ſi eſt ætatis annorum triginta, nulla facultas concedi debet: ideo ætas eſt exprimenda, & hoc niſi iam ſtudia incœpiſſet, & illa nondum abſoluiſſet, propter quod iam cœpta ſtudia poteſt finire. Tertiò ad quinquennium tantùm, à principio ſtudij computandum licentia hæc eſt concedenda, adiecta clauſula, *vt infrà annum ad ſubdiaconatum promoueatur* Quartò, interim Cura animarum per idoneum Vicarium ab Ordinario eligendum, aſſignata illi congrua portione fructuum exerceatur. Atq; hæc facultas ſolùm habet locum in Parochialibus ante Concilium Tridentinum, obtentis, quia in obtentis poſt Concilium prædicta licentia non datur: ſecus in Canonicatibus, etiam poſt Concilium Tridentinum obtentis, in quibus datur ſtatuendi facultas.

Epiſcopus poteſt prohibere Parochis ſub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam decimam non excedat, ne vltra biduum à ſua Eccleſia poſſint abeſſe, non tamen id prohibere poteſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Parochus qui non vult in ſua parochiali reſidere, debet ea, ſeruato Iuris Ordine, priuari.

Rector parochialis Islerdenſis monitus ab Ordinario vt reſideret, noluit, & propterea eſt contumax, appellatus: viſum eſt committendum Auditori Cameræ quod Epiſcopo committat: vt Eccleſiæ Vicarium præficiat, ne cultus, & reliqua cura deſeratur.

16 *Etiam vſque ad priuationem.* ] Arbitrio Epiſcopi relictum eſt, qua via, & quo remedio ex his vti voluerit contra non reſidentes.

17 *Compellere.* ] Hæc compulſio ad Epiſcopum pertinet, etiam quando collatio pertineret ad Abbatem regularem.

18 *Conſuetudine etiam immemorabili.* ] Vicarius amouibilis in exercitio curæ animarum, arguit curam eſſe penes deputantem, & ideo ipſum teneri ad reſidentiam

Poſtulantibus Equitibus Hieroſolymitanis, vt Capellani Melitæ commorantes, Confeſſores Equitum, & habentes in aliis locis Parochias non cogantur reſidere. Congregatio reſpondit, illis, qui habent parochias in Italia, permittendum eſſe, vt non reſideant ad annum: qui verò habent in aliis prouinciis, ad decem & octo menſes.

Quandoque ex cauſſa diſpenſari ſolet, vt quis in Parochiali continuè non reſideat, hebens Canonicatum, ſi vtrique inſeruire poſſit.

Epiſcopus licentiam dare debet Priori petenti, vt per quatuor menſes à ſuo Prioratu abeſſe poſſit in loco commodiori, valetudinis ſuæ curandæ cauſſa.

Gratia de non reſidendo à S. D. N. obtenta, & de percipiendo fructus ratione Studij, non valet, niſi & Ordinarij conſenſus accedat.

Ita Pius IV. in declaratione, quòd gratia de non reſidendo non valet ſine Ordinarij conſenſu, quæ publicata fuit anno 1564. die 24. Nouembris.

## REMISSIONES.

α VIde Concil. Brachar 4. act. 2. cap. 11. Nau. in Man. cap. 25. num. 121. verſ. 4. limita, P. Pechi. in reg. 1. de Regulis iuris lib. 6. n. 9. Anton. Pagan. de Reſidentia, Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 41. nu. 9. Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Religionis li. 2. cap. 1. dub. 1. Ceuall. communium contra commun. q. 585. P. Leſſi. de Iuſtit. lib. 2. c. 34. dub. 29. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 20. num. 68. & lib. 30. tract. 5. à num. 54 cum ſeqq.

β An Prior, qui habet Vicarium perpetuum, cui incumbit cura animarum, teneatur reſidere? Decreuit ſacra Congregatio, quòd non, his verbis: Habens parochialem, in qua Vicarium perpetuum legitimè inſtitui obtinuit eo viuente reſidere non tenetur, refert Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſ. 6. nu. 99.

γ An Epiſcopo liceat pro Cathedrali Eccleſiæ ſeruitio, & item ſuo, aliquem ex curatis ſuæ diœceſis, ex ipſorum Eccleſiis conſtituto in illis idoneo Vicario ad certa negotia adhibere, qui, quandò in huiuſmodi ſunt ſeruitio, à ſuis Eccleſiis minimè abeſſe cenſeantur? Congregatio cenſuit, non licere, teſte Gonzal. d. Gloſſ. 6. numer. 258.

δ Sacra Congregatio cenſuit, quòd exercens Inquiſitoris officium à reſidentia parochialis non excuſatur, refert Gonzal d. Gloſ. 6. nu. 266. & Gloſ. 43. num. 164.

ε Sacra Congregatio cenſuit, quòd à reſidentia non excuſatur exercens officium Subcollectoris Apoſtolici, teſte Gonzal. d. Gloſ. 6. num. 266.

ſ *Curam paternam gerere.*] Vide Paul. Montan. de Tutelis, & curis cap. 55. Gloſſ. 1. nu. 197.

η *Etiamſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint.*] Vide P. Azori inſt. Moral p. 2. lib. 4. c. 5. q. 3. & lib. 7. c. 4. q. 7. & c. 6 q. 1. Flamin de Reſignat. lib. 1 quæſt. 10. num. 8.

θ *Quoniam autem, &c.*] Quòd abeſſe non dicitur, qui ſtatim eſt reuerſurus, probat li. Poſtliminium, §. captiuis, li. Nihil, ff. de Captiu & poſtlimin. reuerſ ad hoc propoſitum Gonzal. Gloſ. 43. num. 5. & in parocho rurali qui ſingulis quibuſque hebdomadibus in vrbem venit cauſa inuiſendi parentes, & cum illis vno tantùm die moratur, relicto tamen ad occurrentes caſus Capellano, quòd non peccet lethaliter, nec teneatur ad reſtitutionem fructuum, reſoluit Ludouic. Beia Reſponſor caſuum conſcientiæ, p. 4. caſu 21.

ι *Nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes extedere.*] Vide P. Azori.

P.Azori inſtit Moral.part.1 lib.7.cap.4.q.9 & q.10 quærit, an in parochis ad abſentiam duorum menſium neceſſe ſit, vt facultas ab Epiſcopo impetretur? Negatiuè reſoluit cum Nauar. in Man.cap.25. numer.121. de quo vide P.Sanch.de Matrim.lib.3.diſput.31. numer. 11.

κ Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit, poſſe Epiſcopum ob legitimam cauſam dare Canonicis ſuis facultatem, vt poſſint abeſſe per quatuor menſes, refert P.Comitol.Reſpönſ. Moral. lib. 1. q.59. num.2.

λ *Cùm pro rata temporis abſentia fructus ſuos non facere* ] Vide Flamin. de Reſignation.li.1.q.10.num.32.

μ *Eadem omnino, &c.* ] Quòd Capellani, Coadiutores Rectorum parochialium inſtituti auctoritate Apoſt. teneantur ad perſonalem reſidentiam vt Rectores ipſi, cenſuiſſe ſacram Congregationem refert Gonzal ad reg 8.Cancel Gloſ 5.§ 9.nu.17.

## *Cauſæ aliquæ, propter quas non tenetur quis reſidere, adductæ à Doctoribus infrà citatis.*

ν SAcra Cōgregatio cenſuit, quòd ſi curatus abſit cauſa inimicitiarum, & non poſſit reſidere ſine diſcrimine vitę, ei permittitur per annum abeſſe à ſuo benefi cio, poſito tamen in illo per Epiſcopum idoneo Vicario, ſeu OEconomo, refert Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo, Priuatio, §.4.dub.1.vbi reſoluit, quòd ſi intra annum inimicitiæ non extinguantur, & curatus ſeu beneficiatus fuerit in culpa tā cauſandarum inimicitiarum, quam non extinctionis earundem, quòd priuetur.

ξ Congregatio cenſuit, quòd vbi non adeſt copia Medicorum, vel Medicinarum, poteſt per Epiſcopum dari dilatio trium vel quatuor menſium, vt ægrotus in locis viciniorib us curetur: Epiſcopus tamen propter perpetuum morbum non poteſt ſe abſentare à ſuo Epiſcopatu Senectus in parocho non excuſata reſidentia, ſed debet poni Vicarius idoneus cum aſſignatione congruæ portionis ex ipſius parochialis redditibus, refert Zerol.in praxi Epiſcop. p.1.verbo, Reſidentia verſ.7.& 9.

ο *Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, &c.* ] Vide P. Azori inſtit. Moral.p.1.lib.7.cap.5.q 4.& 5.& c.4.q.fin P. Sanch. de Matrim lib. 3 diſp.7.num.17.

π *Conſuetudine etiam immemorabili.* ] Sanctiſſimus D. N. ex ſententia congregatio Concilij declarauit immemorabilem cōſuetudinem non excuſare à reſidētia in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus: in Collegiatis tamen inſignibus poſſe excuſare, dum tamen ſint rurales prorſus deſtitutæ, in quibus nūquam antea ſupra hominum memoriā ſolitū eſſet reſidere, aut cuius adeò tenues redditus eſſent, vt Canonicos aliunde non habentes vnde viuant,

alere non poſſent, refert Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1, verbo Reſidentia verſ. Sextò.

ε *Siue appellatione.* ] Quòd tamen detur effectus deuolutiuus, reſoluit Steph. Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Archiepiſcopi auctoritas, verſ. Quintò quæro pag. 66.

ſ *Vigore Eugenianæ conſtitutionis.* ] Vide Fr. Emman. in explicat. Bullæ Cruciatæ in addit. fol. mihi 211. nouiſſimè Petr. Cened. practic. & Canon. quæſt. lib. 1. q. 1. nu. 31. verſ. Pro vera.

## CAPVT II.

*Vltra tres menſes conſecrationem differentes quidam, fructibus perceptis reſtituendis ſunt obnoxij, & totidem menſibus abſentes, ſunt ipſis Eccleſiis iure priuati.*

α ECcleſiis a Cathedralibus ſexu ſuperioribus, quocumque nomine, ac titulo præfecti, etiam ſi ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur: ſi intra totidē menſes poſtea id facere neglexerint; Eccleſiis ipſo iure ſint priuati: *Conſecratio* β *verò*, ſi extra Curiam Romanam fiat, in Eccleſia, ad quam promoti fuerint, aut in prouincia, ſi commodè fieri poterit; celebretur.

a *Seſſ. 7. c. 9. Conc. Chalc. actio 16 c. 25. Conc. Vormatien. c. 76. c. quoniam, 75. diſt c. quoniam, 100. diſt.*

## REMISSIONES.

α VIde Nau. in Man. cap 25. n. 118. verſ. 8. Gonzal. ad reg. 8 Cancel. Gloſſ. 24 num. 141. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 31. tract. 2. c. 24. num. 58.

β *Conſecratio verò, &c.* ] Vide P. Henriq. in ſum. p. 2. lib. 10. cap. 23. §. 5. in princip. P. Leſſi. de Iuſtit. lib. 2. cap 34. num 103.

## CAPVT III.

*Breue eſt, non ſummatur.*

α EPiſcopi 1 *per ſemetipſos* Ordines conferant: quòd ſi ægritudine fuerint impediti; b ſubditos ſuos non aliter, quàm iam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.

b *Infrà c. 8. & 10. Conc. Carthag. 1. c 22.*

DE-

## DECLARATIONES,

1 *Per ſemetipſos* ] Hoc caput non aduerſatur proximo ſequenti.

Ordinarij dantes dimiſſorias pro accipiendis Ordinibus nemini concedant eſſe abſentem, niſi cum examinauerint vel examinari fecerint per ſuum delegatum ad hoc ſpecialiter deputatum, quod ſeruandum eſt etiam cum illis, qui à Sede Apoſtolica facultatem habent Ordines à quocunque ſuſcipiendi. *Vide not. infrà, capite octauo.*

Epiſcopus poteſt alienos Clericos ordinare, ſi habeant dimiſſorias proprij Ordinarij, iuxta caput. 8. infrà, quando Epiſcopus dimittens ex alia legitima cauſa quam ægritudinis, eſt impeditus.

Dimiſſorias verò literas Epiſcopus abſens dare poteſt, ac ordinandos etiam ſuo examine ſubiicere, ſi ita ſibi videbitur, &, ſi abſentes ſint, ad ſe. vt eos ipſe examinet, vocare ſi commodum erit; alioquin eorum examen committat Ordinario loci, in quo illi degunt & ordinandi ſunt. *Suprà hoc c. § . Ordinarij.*

2 *Iam probatos & examinatos.* ] Vel dandam licentiam Ordinario Congregatio cenſuit, ad hoc vt quis ad ſacros Ordines ab aliis Epiſcopis promoueri poſſit, cum teſtimonio tamen de vita & moribus proprij Ordinarij, vt ſancitum eſt Seſ 23. c. 8. cui in hac parte non aduerſari præſens cap. etiam declarauit.

Fratres Carthuſiani volentes ordinari ab Epiſcopo alterius Diœceſis debent habere licentiam ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi ſunt, *Vide Seſſ. 7. cap 11. de Reform, & infrà, c. 8.*

## REMISSIONES.

*a* Vide Thom. Valaſc. to. 1 allegationum iuris alleg. 5. numer 1. Zerol. in praxi Epiſcop. part 1. verbo Dimiſſoriæ §. 10. verſ. Secundum, vbi dicit quòd hoc Decretum intelligi debet habilibus ſtantibus terminis. Vide Petr Ledeſm. in ſum p. 1. tract. de Sacram. Ordinis; cap. 5. concl. 10.

## CAPVT IV.

*Breue eſt, non ſummatur.*

*α* Prima *a* *Tonſura* *β* non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & *a c fin de temp. ordin in 6.*

ſcribere neſciant ; & *de* γ *quibus probabilis coniectura non ſit*, eos non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

## REMISSIONES.

α VIde Conſt. Epiſcop. Conimb. 1 in princip. tit. 8 & Epiſcop. Portucal. 2. in princip. tit 9 Viuald. in Candelabro aureo tit. de Sacramento Ordinis, c. de ſcientia Ordinis nu 39. Salzed. ad Bern. cap 21 verbo Ordinari, Petr. Ledeſm. in ſum. p. 1. verbo Ordo c. 7. verſ *De la primora*, P. Henriq. in ſum. lib. 10. cap 17. num. 2. P. Ægidi. de Sacram. & cenſur. tom. 2. diſp. 20. num. 105. Thom. Valaſc. allegationum iuris tom 1. alleg 9. num. 4.

β *Prima tonſura non initientur, qui Confirmationem non ſuſceperint.* ] An non confirmatus ſuſcipiens Ordines peccet mortaliter? Negant Nau. in Man. c. 12. num. 9. Viuald in Candel. de Confirm numer. 41. Victor de Sacram. Ordinis, num. 132. P. Soar tom. 3. diſp. 38. ſect. 1. P. Ægidi. de Sacram tom. 1. q. 72. art. 9. num. 90. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 28. num. 24.

γ *De quibus probabilis coniectura non ſit, &c.* ] An ſuſcipiens primam tonſuram, aut minores Ordines cum animo nunquam ſuſcipiendi maiores, aut ſolùm vt declinet forum ſæculare, & Epiſcopus ſcienter talem ordinans, peccent mortaliter? Affirmat Bannes 2. 2. q. 12. art. 1. in 2. diffic. concl. fin. Negant P. Sanch. de Matrim. lib, 7. diſp. 31. verſ. 16. & 17. P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 10. num. 104 & 105.

## CAPVT V.

### *Quibus debeant eſſe muniti, qui volunt ordinari, & dicta ſi non habeant, timeant reiectionem*

AD minores Ordines promouendi bonum à Parocho, & à Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant. Hi verò, qui ad ſingulos maiores erunt aſſumendi, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant: qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat; 1 *vt nominibus ac deſiderio eorum*, qui volunt promoueri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum a natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat; b 2 *& litteras teſtimoniales*, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quam primum tranſmittat.

a *c. quando, 24 diſt.*
b *Vide 3. Carthag. c. 22. & 4. Carthag. 22.*

DECLA-

## DECLARATIONES.

1 *Vt nominibus ac deſiderio.*] Regulares promouendi ad Ordines, inter alia non tenentur etiam nomen, & deſiderium ſuum in Eccleſia publicè proponi facere, & teſtimonium deferre, ad præſcriptum huius cap. ſed ſufficit teſtimonium à ſuis ſuperioribus allatum.

Poteſt Epiſcopus ſine atteſtationibus, & inquiſitione quæ in hoc Decreto iniungitur, aliquem promouere, ſi ipſum omnes qualitates requiſitas habere ſciuerit, prout Congregatio reſpondit, ſed non debet id facere ordinariè.

Similiter ab inferioribus poſſunt concedi litteræ Teſtimoniales Epiſcopis illas requirentibus, quando ſcilicet Epiſcopus tanquam vicinior vel Diœceſanus ordinat Subdiœceſanos inferioris, qui etiam eſſent nullius Diœceſis.

2 *Et litteras Teſtimoniales.*] Quæſitum eſt, An ex Bullâ Sixti V. contra malè promotos, Epiſcopus ordinâs, circa Clericos alterius Diœceſis ordinandos, Teſtimonialės litteras à ſuis Ordinariis habentes, de requiſitis ad ordinationẽ, aliâ diligentia vti teneatur, quam ipſos examinandi quoad ſufficientiam? S. D N. de ſententia congregationis reſpondit, Sanctitatis ſuæ mentẽ eſſe, Ordinarium cum ſuis ſubditis dimiſſorias petentibus teneri adhibere diligentiam ſuper omnibus requiſitis circa ordinandum, iuxta Concilium Tridentinum & ſacros Canones: Et ſi ea ipſos habere conſtiterit, in iiſdem dimiſſoriis ex ſcientia ſua de eiſdem fidem facere, & tunc cum talibus dimiſſorias habentibus non opus eſſe Epiſcopũ ordinantem facere diligentiam ſuper dicti. requiſitis in examine, ſuper idoneitate & literaturâ.

## REMISSIONES.

a VIde Concil. Brachar. 4. act. 2. de examine. Ord cap. 4. Hoied. de incompatibil. beneſi cap. 24 num. 38. & 39. Petr. Ledeſin. in ſum. verbo Ordo; c. 7 verſ. *En lo que toca*, P. Henriq. in ſum. lib. 10. cap. 17 §. 2. Thom. Valaſc. tom. 1. alleg 9 num. 5.

## CAPVT VI.

*Nullus omnino beneficij ſit capax, niſi qui habeat* 14. *annos: fori priuilegio gaudens quæ habere ac agere debeat, ſiue vnicam habuerit, ſiue nullam.*

1 N*Vllus prima tonſura initiatus*, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, 2 *a* ß *ante decimum quartum annum*, 3 *beneficium* poſſit obtinere. Is etiam *fori*

*priuilegio non gaudeat*, *niſi γ δ ε beneficium Eccleſiaſticum* habeat; 4 *aut clericalem habitum*, *& ι κ* &c. *Tonſuram deferens*, 5 ν *alicui Eccleſiæ ex mandato ξ ο Epiſcopi* inſeruiat; vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos verſetur. *In Clericis verò coniugatis* ſeruetur conſtitutio Bonifacij IX. quæ incipit, a Clerici, qui cum vnicis: modò hi Clerici alicuius Eccleſiæ ſeruitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant, vel miniſtrent; & Clericali habitu, & Tonſura vtantur: nemini, quo ad hoc, priuilegio, *vel π conſuetudine, etiam immemorabili*, ſuffragante.

a c.1 de Cler. Coniug. in 6.

## DECLARATIONES.

1 *Nullus prima tonſura initiatus.* ] Hoc caput non prohibet, quin ille qui iam 14 annum ſuæ ætatis attigit, licet nondum expleuerit, poſſit beneficium ſimplex obtinere.

2 *Ante 14. annum.* ] Niſi in fundatione aliter ſit ſtatutum, quia fundationi non eſt derogatum.

3 *Beneficium.* ] Congregatio cenſuit idem in penſione. *Fori priuilegio non gaudeat.* Clerici, qui in Decreto hoc priuilegio fori priuantur, priuilegio tamen Canonis non intelliguntur priuati.

4 *Aut Clericalem habitum.* ] Prouiſo in 13. anno ætatis de Canonicatu in Eccleſia Collegiata, vbi, vigore ſtatuti Eccleſiæ, prouiſi ante realem poſſeſſionem & fructuum perceptionem tenentur portare habitum & tonſuram per biennium, obſtat hoc Decretum. Ita cenſuit Congregatio die 14. Auguſti, anno 1586. Clericus in minoribus conſtitutus non beneficiatus, niſi incedat in habitu, quamuis ſit adſcriptus, non gaudet priuilegio fori, licet non ſit monitus.

5 *Alicui Eccleſiæ* ] Hæc verba important, vt Clericus qui diu ſine habitu & tonſura incedens, Eccleſiæ alicui, etiam de mandato Epiſcopi, inſeruit, ipſo facto, ſine aliqua monitione præcedente, amittat fori priuilegium, attenta mente Concilij, quæ ad tollen. penitus abuſus, voluit hoc abolere. Ita cenſuit Congregatio die 16. Nouembris, 1581.

An Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus in habitu & tõſura incedens, ac de mandato Epiſcopi inſeruiens Capellæ, quæ in Eccleſia exiſtit, ab ipſóque Epiſcopo Confraternitati laicorum pro oratorio aſſignata eſt, gaudeat priuilegio fori ex hoc. cap. Congregatio Concilij cenſuit gaudere: & idem cenſendum eſt ſi ſeruitium non continuatum, ſed aliquo impedimento neceſſario interpolatum præſtiterit.

ſtiterit.

De iure communi fuit dubitatum, an Clericus deferens habitum vel tonſuram, vel ſimul vtrumq; propter delicta priuetur priuilegio clericali? Tu diſtingue, ſi eſt in ſacris, retinet priuilegium, ſed punitur. *Inn in c. Praterea. De Apoſtatis.* Si eſt in minoribus Ordinibus & deliquit, non priuatur priuilegio fori, niſi poſt trinam monitionem, *c. In audientia, de ſent. excom. c. vlt. de vita & honeſt. cler. Inno. d. c. Praterea.* Et niſi ſe immiſceat enormitas, putà quod ſit ſeditioſus, quo caſu ipſo facto priuatur priuilegio.

Clericus non beneficiatus, qui incedens in habitu & tonſura inſeruit alicui Eccleſiæ, ſi fuerit cum armis deprehenſus non caret fori priuilegio Sic fuit deciſum ex cap. *In audientia, de ſent excom.*

Cui reſeruata fuit penſio vt clerico, ſi non incedat in habitu & tonſura, non gaudet priuilegio fori. Fuit deciſum ſic, ex eo quod Concilium Tridentinum corrigit ius commune; & tres caſus excipit per dictionem (niſi.)

Clericum primæ tonſuræ, preſentatum ad capellam Sacerdotalem, qui ſuper tali præſentatione obtinuit à Papa nouam prouiſionem, etiam in vim motus proprij, poſſe in ſuis cauſſis ciuilibus gaudere priuilegio fori; quamuis poſſeſſionem beneficij non habeat propter alium intruſum, contra quem litem mouit, Congregatio die .6. Iulij 1587. cenſuit.

Idem erit ſi gerat tonſuram vel habitum, ſed in reliquis viuat vt laicus, *not. ſing. Innoc c. 1. de Apoſtatis, ad fin* nec ſufficit corona ſeu tonſura ſine habitu, ſed computatiuè requiritur vtrumque. *ita Gemin. in c. ſi Iudex, verſ. idem, de ſent. excomm. in 6.* habitus quoque debet eſſe decens, & vſque ad talos hodie, ex huius decreti præſcripto, nec monitio requiritur. Item nec habitus & tonſura ſufficiunt, niſi etiam aliqui Eccleſiæ inſeruiant. Et ita Congregatio cenſuit in vna Neapolitana.

6 *In clericis verò coniugatis.*] Cenſuit Congregatio, clericum coniugatum, qui poſt dimiſſum habitum, & tonſuram clericalem, pro delicto aliquo in Curia laicali eſt citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit, ſi deinde reaſſumpto habitu & tonſura (modò non in fraudem) Eccleſiæ inſeruiat, iuxta hoc decretum non poſſe à iudice laico propter id delictum in carcerem coniici, aut perſonaliter adſtringi facit *c. ſi Iudex laicus, de ſent. excom. in 6.*

Quidem Clericatus charactere inſignitus beneficium Eccleſiaſticum obtinuit, cui poſtea, animo vxorem ducendi vnà cum clericatu renuntiauit, deinde non ſecuto Matrimonio, clericalem habitum reaſſumpſit, & aliud beneficium exigui reditus adeptus eſt, dubitatur an gaudeat priuilegio fori? Congregatio die 11. Iunij 1587 cenſuit gaudere, quia clericali priuilegio renuntiare non poteſt, cum in fauorem totius ordinis pronuntiatum ſit. *c. ſi diligenter, & ibi gloſſ. de for. compet. Dec. in c. Tua, de Apoſt. Roland. conſ. 4. vol. 1 n. 9*

Epiſcopus auctoritate ſua ordinaria cum ſibi ſubdito viro bigamo

qui aliàs cum duabus virginibus ſucceſſiuè legitimum matrimoniũ contraxerit & conſummauerit, & modò defunctæ ſunt, diſpenſare non poteſt, vt primam tonſuram & beneficia ſimplicia à ſe, vel ab aliis accipiat. Ita cenſuit Congregatio die 30. Ianuar. 1587.

# REMISSIONES.

α *Ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere.* ] Vide Caualcan. deciſ 29. nu. 1 Card. Tolet in ſum lib. 5. c. 79 verſ. 3. Petr. Pechi. in reg. beneficium nu. 17. verſ. cæterùm quid in iſtis, lib. 6 & Valer. Reginald. in praxi fori pœniten. lib. 30. tract. 3. num. 166 in fine, P. Azor. inſt. moral. part. 2 lib. 6. cap. 5. quæſt. 8. 9. Gutier. Canon lib. 1 cap. 16 num. 33. Iacob. de Graffis deciſ. aure. lib. 1. cap. 51. n. 8. tom. 1. Pat. Henriq. in ſum. li. 10. ca. 19 §. 1. Petr. Ledeſm. in ſumm. part. 1. tit de Sacram. Ordinis, cap. 7 verſ *de la prima*, & p. 2. tract 7. cap 1. concl. 7. prope finem, pag. 163. Ceuall. Communium contra commun. quæſt. 523. numer 3. nouiſſimè Ioann. Aloyſ Ricci. in collect. deciſ. collect 860. P. Leſſi. de Iuſtit. lib. 2. cap 34. dub. 20. n. 109 Nicol. Garci de Benefic p. 7. cap 4. num. 8. Flamin. de Reſignat. lib. 4 quæſt. 1. num. 7. & quæſt. 11 num. 13 & lib. 3. qu. 7. numer. 65. vbi numer. 66. reſoluit, ex diſpenſatione poſſe obtineri: huiuſmodi tamen diſpenſatio hodie non conceditur, de quo Thom. Valaſc. tom. 1 alleg. 7. nu. 10. Quòd Epiſcopus non diſpenſat, refert P. Azor. d. qu. 9. verſ. Si quæras. quod ſacra Cardinalium congregatio cenſuit procedere, niſi aliter in fundatione dicatur, quia non eſt ei derogatum, reſoluunt Emman. Saja in Aphoriſmis, verbo beneficium n 30. Gonzal ad reg 8. Cancel gl 5. nu. 9. Aloyſ. Ricci. d. collect 860. verſ. Nunc limita, & primò.

β Quòd dicti quatuordecim anni ſufficiant inchoati, licèt non expleti, affirmant P Henriq. d. §. 2. P. Leſſi. d. num 109 Aloyſ. Ricci d. collect 860. verſ. Limita ſecundò. Ceuall. qu 523. n 4. & qu 593. nu. 18. Thom. Valaſc. tom. 1 alleg. 8 Garci deciſ 32.

γ *Is enim fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat.* ] Vide Maſcard de Probat. concl. 301. num, 14 Guttier pract. lib. 1. qu 7 Licèt ſit modici valoris, affirmat Aloyſ Ricci. curiæ Archiep. Neapol. deciſ. 7.

δ Quòd Clericus primæ tonſuræ, ſeu in minoribus conſtitutus, penſionem habens, gaudet priuilegio fori, reſoluunt Salzed. in pract. cap. 67. num. 9 Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Clericus, §. 2. dub. 1. D Marta de iuriſdict. p. 2. c. 2 nu 45 Creſcent. deciſ 14. de ſent. & re iud. Sed cenſuit ſacra Cardin. congregatio. Cui reſeruata fuit penſio vt clerico, ſi non incedit in habitu & tonſura, non gaudet priuilegio fori; hanc deciſionem tradunt partem hanc ſequentes Azeued. li. 1. nu 5. verſ. Sed an penſio, tit. 4 lib. 1 nouæ Recopil. Flam de Reſi-

gnat.

gnat.li.1.q.11.nu.70 & li.2.q.15.n.15.Gonzal.ad reg.8 Cancel. gl. 5.§.5.num 6 & Nicol.Garci. de Benefic.p.1.cap.5.num.70.Cened. pract.quæſt.lib.1.q.4.nu.31. cum ſeqq.& num.37.reſoluit,capellaniam ſufficere, quando alicui in perpetuum, vel in titulum fuerit aſſignata.

ſ An clericus primæ tonſuræ præſentatus ad capellam Sacerdotalem, qui ſuper tali præſentatione obtinuit à Papa nouam prouiſionem,etiam in vim motus proprij, poſſit in ſuis cauſis ciuilibus gaudere priuilegio fori, quamuis poſſeſſionem beneficij non habeat, propter intruſum, contra quem litem mouit? Congregatio die 16. Julij 1587. cenſuit gaudere,teſte Flamin de Reſigna lib.7.quæſt.1. numer. 47. Vide Marc. Anton Genuenſ in praxi Archiepiſc. curiæ Neapol.cap.7.num.6. Farin.in praxi crim. quæſt.8.num.45.Nicol. Garci de Benefic.p.2.cap.2 nu 8 cum ſeqq.Ordin.reg. Luſitan.lib.2. tit. 1. §. 25.

ſ Clericos, qui in hoc decreto Concilij priuilegio fori priuantur, priuilegio tamen Canonis non intelligi priuatos, cenſuit ſacra Cardinalium Congregatio, quam referunt Gonzal. & Garci. vbi ſupra, Graffis lib.1. deciſ.c.49 à nu.28. Cened.pract.& canon qu.li.1.qu.4. num. 21.

u Quòd ad penſionem obtinendam ſufficit ætas ſeptem annorum, reſoluit Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap 397. numer.17. cum ſeqq.

b Quòd,qui collationem beneficij obtinet, beneficium habere dicitur, ſaltem ad hoc, quòd priuilegio fori gaudeat, docent Millis in ſuo Repert. verbo Obtinere dicitur quis beneficium, Couarr lib.3. Vari.cap.16. in princip. Rebuff.in praxi par.3. tit.de Simon. in reſignat.à num.25. Flamin de Reſignationib.lib.10.qu 6. nu.1.Cened. d.qu.4.nu 21. Contrarium tuetur Farin.in praxi crim qu.8. nu.45. & num.70.

c *Niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum* ] An Clericus habens primam tonſuram, vel minores ordines,vt priuilegio fori fruatur, teneatur portare habitum & tonſuram clericalem, ſi beneficium habeat? Negant propter illam dictionem, *Aut*, quæ diſiungit in terminis Fr.Emman. in ſum p.1. cap 155. concl.2.Clar. §.fin.qu.36. nu.19. Læli. Zechi. de Repub. Eccleſiaſt. tit.de Clericis verſ.Ad hoc,Salzed.ad Bernard.c.61.nu.9. verſ. Si tamen.Curi Philip.p.5.§ 1. num 3.ad finem; Azeued l.1.nu 9.verſ. Tonſura,& verſ. Sed ſi beneficium tit.4.li.1.nouæ Recopil. Farin.d.q.8.nu.7.Ceuall. qu 563.n.3.Bouadil.in ſua Politica lib.2.cap.18.n.102.lit.E. Cened. d. q. 4. num.19.

x *Et tonſuram deferens* ] Quòd nouitius alicuius Religionis, etſi prima clericorum careat tonſura, gaudet priuilegio Canonis, & fori,optimè tradunt P.Azor inſt. moral. li.12.c.3.q.2.p.1.Fr.Emman. qu.Regular.tom 3 q.51.art.12.

λ Auctores ſtatim citandi docent, quòd regulariter receptio clericatus beneficij, vel ſeruitij in Eccleſia poſt delictum commiſſum nihil proficit aſſumenti, ad effectum exemptionis à iudice ſæculari, & ſic ab ipſo poterit puniri abſque eo, quòd delinquens fori priuilegio gaudeat; dummodo conſtet ipſum Ordinem Eccleſiaſticum ſuſcepiſſe in fraudem, vt ſe eximeret à iuriſdictione ſæculari: ſecus tamen ſi conſtaret abſque vlla fraude poſt commiſſum delictum, aliquem aſſumpſiſſe clericatus Ordinem, quia tunc huiuſmodi ordo eum liberat à iuriſdictione iudicis ſæcularis, reſoluunt Cou. pract. c. 32 n. 4. Gom. tom. 3. Vari. c 10. nu 5. Plac de delictis c. 35. Cancer. lib 2. Vari. c 2. à nu. 133. Clar §. fin q 36 nu 43. Auend li. 1. de exeq. mand. c 21. n. 12. Menoch. de Præſumpt. li. 6. q 76. n. 35. Perez ad lib. 3. Ordin. tit. 1. in Rub. pag 450. Flamin. Chartar. de Execut. ſentent. capto bann. ca. fin ſub nu. 308. Guttier pract. li. 1. qu. 5. Lancellot. de Attent. p 2 c. 4. limit. 20. n. 16. Azeued. l. 1. nu. 3 tit. 4. lib. 1. nouæ Recopil. Farin. in praxi crimin. li. 1. q 8. à nu. 104. Ceuall. Commun contra communes q. 563. à n. 5. Zerol. in praxi Epiſcop p. 1. verbo Clericus nu 6. Valaſc. conſ 48. plures refert Doctores Cened. ad Decretal. collect. 23. nu. 1.

μ Quando reus per iudicem ſæcularem eſt captus, ſi controuertatur an ſit clericus primæ tonſuræ, vel minorum Ordinum, deferátque habitum, & illas qualitates obtineat, quæ in præſenti deſiderantur, huiuſmodi controuerſiam per iudicem Eccleſiaſticum dirimendam eſſe, cùm ſit quid ſpirituale, probat text in c. ſi iudex laicus, de ſentent. excomm. li. 6. cuius textus auctoritate opinionem hanc communem eſſe profitentur Cou. pract. 33 à princip. Clar §. fin, q. 36. n 21. Marant. de ordine iudici. p. 4. diſt. 11 n. 69 in fine, Bellug. in ſpeculo 11. §. videamus, nu. 4. Sigiſmund. Scacci. li. 1. de Iudiciis cauſar. c. 11 nu. 88. Salzed ad Bernard c. 62. n. 14. Menoch. de Præſumpt. li. 6. q. 76. n. 34. Maſcard. de Probat. concl. 689. nu 7. Azeued. l. 1 nu. 53. verſ. debet tamen, tit. 16. li 8. nouæ Recopi, Anaſtaſ. Germon de ſacrorum immun. li. 3 c. 15 à n. 55. Stephan Gratian diſcept. forenſ. c. 190. n. 13. cum ſeqq. Zerol. in praxi Epiſcop par. 1. verbo Clericus n. 3. Farin. d. qu. 8. num. 53.

ν *Alicui Eccleſiæ inſeruiat.*] Non ſufficere quòd tonſuratus bis, vel ter inſeruiat Eccleſiæ, vt gaudeat fori priuilegio (cùm hæc ſint verba ſignificantia actum perſeueratiuum, vnde requiritur frequentia, & perſeuerantia in ſeruitij præſtatione) reſoluit Cened. d qu. 4 nu. 15.

ξ *Ex mandato Epiſcopi inſeruiat.*] Vide Ordin regiam Luſitan. lib. 2. tit. 1. §. 27. Bajard ad Clar. qu 36. n. 27. & ibi Hieron. Giarch. num. 8. Garci. de Nobil. gl. 9. n. 50. P Henriq. li. 10. c 15 §. 2. & li. 14. c. 49. §. 1. in fine, Soar. de Paz. in praxi tom 2. prælud. 2. n. 7. Morl in emporio iuris par. 1. tit. 2. in prælud. n. 138. D. Barboſ in l. Titia, nu 36. ff. ſoluto mat. Salzed ad Bernard. c. 62. n 13. Ceuall communium contra commun. q 896. n. 579. tom. 4. D. Marta de Iuriſdict p. 4 caſu 135. in fine, Dom. Garci Maſtrillo Siciliæ dec. 113. Valaſq conſ. 105. n. 32. Thom.

Valaſ.

Valaſ.tom.1 alleg. 0 n.1. & alleg.44.nu.2. Nicol.Garci. de Benefic. p.2.c.2. Auend.ad l.29.Tauri gl.3.n.10.Fr.Emman qu.Regul.tom.2. qu 109. art 1.

*e Ex mandato Epiſcopi.*] An expreſſum requiratur? Affirmant Menoch li.6 de Præſumpt.qu.76. nu.41. Cened.pract.li.1. qu.4.nu.24. & num.26.

*π Vel conſuetudine etiam immemorabili ſuffragante.*] Vide Thom. Valaſc tom.1. alleg.56.

## CAPVT VII.

*Tempore congruo diſpiciatur de cuiuſlibet ordinandi qualitatibus, per exercitatas in Eccleſiaſticis perſonas.*

*α* SAncta Synodus, [a] antiquorum canonum veſtigiis inhærendo, decernit, vt quando Epiſcopus ordinationem facere diſpoſuerit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, *ad β ciuitatem euocentur.* Epiſcopus autem ſacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis diuinæ legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis, ſibi aſcitis, 1 *γ ordinandorum genus,* perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem 2 *diligenter inueſtiget*, & examinet. *a c. quando 24. diſt.*

## DECLARATIONES.

1 *Ordinandorum genus.*] Non excluditur filius Neophytæ.

2 *Inueſtiget & examinet*] Qui ſubdiaconi vel Diaconi vel presbyteri ſunt, petúntque admitti ad Cathedralis Eccleſiæ Canonicatus, ipſis in forma dignis à Sede Apoſtolica, collatos, vt eum Ordinem habeant, quem dicti Canonicatus requirunt, non opus eſt, quod examinentur cauſſa explorandi eorum litteraturam: illi verò qui ſacros Ordines nondum ſuſceperunt, examinandi ſunt, an illam doctrinam habeant, quæ ex præſcripto Concilij Trident. neceſſaria eſt illi Ordini ſacro, qui Canonicatui quem conſequi volunt, erit annexus.

Quæſitum fuit, quid reſpondendum de ordinatis ante legitimam ætatem ab Epiſcopo, qui ante ordinationem in Eccleſia publico edicto proteſtatus fuerat, quod non intendebat ordinare, niſi eos, qui legitimam ætatem haberent, præſuppoſita atteſtatione eiuſdem Eccle-

Eccleſiæ Decani, aſſerentis ſe audiſſe ab ipſo Epiſcopo, quod diceret huiuſmodi proteſtationem fieri ad terrorem, cæterum ſe habere intentionem ordines ſimpliciter conferendi; equidem videtur eos eſſe ordinatos, ſed ab exercitio ordinum eſſe ſuſpenſos vſque ad debitum tempus. Sed quia in contrarium inclinabat maior Cardinalium Illuſtriſſimorum pars, dicendo, quod non ſufficit vnus teſtis, idcirco terminatum eſt ex vno ore ab Illuſtriſſimis, vt res ad Papam deferretur.

## REMISSIONES.

α Vide Concil. Bracha. 4. act. 2. Cened. ad Decret. collect 15. à princ & ad Decretal. col. 56. nu. 5.

β *Ad ciuitatem euocentur.* ] An locus, vbi Epiſcopus ordines confert, ſit in litteris ordinandorum exprimendus? Vide Cald. Pereira de Emptione c. 5. num 10

γ *Ordinandorum genus.* ] Vide Pat. Sanch in præcepta Decalogi li. 2. cap. 28. num. 15. Cened. ad Decretal. collect. 77. nu. 2. vbi dicit, quòd verbum (*genus*) de quo in præſenti, propriè idem ſignificat, quod legitimus, vel liber; non autem refertur ad deſcendentes ex genere Hebræorum, vt multi opinantur.

## CAPVT VIII.

*Vnuſquiſque à proprio Epiſcopo, aut alio, ſed de proprij licentia & teſtimonio ſub graui pœna ordinandus ad Cathedralem Eccleſiam, aut ex diœceſi inuentam conuenientiorem conueniat.*

a *Gelaſ. 1 in ep. 1. ca. 13. ca. vlt. 75. diſt c. 1. cum ſeq. de temp. ordin.*

ORdinationes [a] ſacrorum Ordinum, α β &c. *ſtatutis à iure temporibus*, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebrentur. ſi auté in alio diœceſis loco, præſente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur. [b] 1 & &c. *Vnuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur.* Quod ſi [c] quis 2 *ab alio promoueri petat*, nullatenus id ei, etiã 3 *cuiuſuis generalis*, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus [d] permittatur; *niſi eius probitas, ac mores* θ *Ordinarij ſui* 5 *teſtimonio cõmendentur.* 6 ι κ *ſi ſecus fiat*; ordinans à λ *collatione Ordinũ* per annum, & ordinatus à 7 *ſuſceptorum Ordinum executione*, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

b *Conc. Carthag. 4. c. 22.*

c *Sup ſeſ. 14. de reform. c. 2. & 3.*

d *Hic ſup ca. 3. Conc. Carth 3. c. 21. Conc Aurel. 3. c. 15. c. 1. 21. q. 2. 9 qu. 2. per totã c. 1. cum ſeq. de tẽp. ord. in 6.*

DE-

# DECLARATIONES.

1 *Vnuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur* ] De omnibus ordinibus tam ſacris, quam minoribus intelligitur hoc capitulum.

Priuilegium ſuſcipiendi ordines extra tempora per hoc Decretum non eſt ſublatum.

2 *Ab alio promoueri petat.* ] Eſt concedenda licentia cum infrà tacta probatione probitatis, & morum tantùm, nec aduerſatur cap. 5. ſupra poſitum, nec 11 huius Seſſ.

S. D. N. Gregor. XIII. ſtatuit, vt Regulares ſuſcipiant Ordines ſacros ab Epiſcopis, in quorum Diœceſi ſunt Monaſteria, in quibus tunc degunt, vel dimiſſorias ab eis accipiant, iuxta hoc Decretum. *Supr c. 3. Seſſ. 23. §. Fratres.*

3 *Cuiuſuis ſpecialis reſcripti.* ] Etiam à Sede Apoſtolica obtenti.

4 *Niſi eius probitas ac mores.* ] Qui à Sede Apoſtolica obtinuit, vt ordinari poſſit ab alio, quàm à ſuo Ordinario, debet probitatem ſuam, & mores Ordinarij ſui teſtimonio comprobare: ac ideo inoleuit illa clauſula, *ſuo ordinario, vel de eius licentia probitas & mores ordinandi commendentur à quocunque alio.* Ita cenſuit Congregatio die 28. April 1575. *Vide ſup Seſſ. 7. c. 11. de Reform. §. Facultates.*

Cenſuit Congregatio, in caſu, quo aliquis fuerit abſens per plures annos ab Ordinario, ita vt illum commendare de vita & moribus non poſſit, ſufficere literas dimiſſorias Ordinarij, quæ continebunt, quod ordinandus non ſit excommunicatus, vel contumax, ſed de legitimis progenitus parentibus: informatio verò de vita & moribus, habenda eſt ex loco, in quo fuit verſatus.

Bayliuo S. Stephani petenti ne aliquis Epiſcopus poſſit Ordinare ſubditum Bayliui, abſque ipſius fide & teſtimonio de vita & moribus ordinandi: Congregatio reſpondit, hoc nihil eſſe ad ordines: quod ſi tamen Epiſcopi viciniores non poſſent habere notitiam de vita & moribus eorum qui ſibi ſubditi non ſunt, & ſubditos, non inuenire Epiſcopos, qui eos ordinare velint abſque teſtimonio & fide ſui Ordinarij, requirentibus Epiſcopis poſſe tum has fides dare.

Epiſcopus Vrgellenſis, antequam ſubditos aliquos Abbatis Monaſterij B. Mariæ Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium ordinare vellet, decernebat nomine ſuo proprio edictum, vt in Eccleſia dicti Monaſterij publicaretur, ſi qui ad ordines maiores aſſumendi eſſent iuxta c. 5 præſentis ſeſſ. ſed Congregatio cenſuit debere Epiſcopum mittere edicta ad Abbatem, aut debere curare, vt illa publicentur nomine ſuo proprio in Eccleſiis Parochialibus ſibi ſubiectis: erat autem Abbas in quaſi poſſeſſione, vt in eius Eccleſia, aut oppido non publicarentur aliqua edicta decreta ab aliquo Ordinario, niſi in ſubſidium iuris.

5 *Teſtimonio commendentur.* ] Etiamſi eſſent abſentes, & ad titulum

pen-

penſionis, vel patrimonij aſſumendi eſſent, ſed non teſtimonio Vicarij Generalis, niſi haberet ſpeciale mandatum concedendi dimiſſorias.

Per literas, quas Epiſcopus abſens à ſua Diœceſi poterit dare, ſi abſentes Diœceſani literas petierint, vt ordinari poſſint ab alio, & propter abſentiam valde eis incommodum ſit ire, ad ſubiiciendum ſe examini Ordinarij poterit Ordinarius Epiſcopus examen illorum demandare Epiſcopo loci, in quo degunt Vide ſeſ. 7. c. 11. de Refor. §. Et diligenti.

6 *Si ſecus fiat.*] Clericus ab alieno Epiſcopo ſine Ordinarij ſui dimiſſoriis ordinatus & miniſtrans efficitur irregularis.

7 *Susceptorum ordinum.*] Abſoluere a ſuſpenſione eos, qui nullius diœceſis exiſtentes, ſine literis dimiſſoriis ordinati fuerunt, ſpectat ad Epiſcopum, ad quem ex Concilio pertinebat dimiſſorias concedere. Proprius autem Epiſcopus ad hoc vt poſſit dimiſſorias concedere, dicitur ille, in cuius Diœceſi ordinandus beneficium habet. Et ita fuit iudicatum in vna Leodienſium, ſi rectè conſideretur. *Sup. Seſſ. 23. cap. 4 §. Fratres.*

Epiſcopus ordinans aliquem ad primam tonſuram, quem parentes dicebant natum in Diœceſi, & pro tali habetur, non incurrit irregularitatem, etiam ſi ſit alterius Diœceſis is qui ſic ordinatur.

## REMISSIONES.

α *STatutis à iure temporibus.*] Vide P. Henriq. in ſum p. 2. lib. 10 c. 12. à princip. vbi enumerat quatuor anni Tempora, & præter illa Sabbatum ante Dominicam in Paſſione, & Sabbatum ſanctum.

β Quòd non valeat conſuetudo, quòd ſacri Ordines conferantur extra Quatuor tempora, probat text. in c. 1. de temporib. ordinat. Rebuff. in praxi benefic p. 2. tit. de Clericis ad ſacros Ordines malè promotis gl. 1. n. 14 & 15. Quarant. in ſumma Bullarij verbo Ordo verſ. Deuenio ad ſecundum ibi amplia. Papam tamen quolibet tempore Ordines conferre poſſe, docet Rebuff. de gloſſ. 1. nu. 11. & num. 12. quod poteſt Epiſcopo concedere ex ſpeciali gratia, vt Ordines etiam extra quatuor Tempora conferre poſſit, de quo etiam Quarant. vbi ſuprà.

γ An minores Ordines conferri poſſint diebus feſtiuis? Affirmant Rebuff. d. gl. 1. n. 2 & 3. Viuald in Candelab. tit. de Sacram Ord. n. 36. verſ. Tertia concluſio, P. Henriq. d. cap. 12. §. 1. Fr. Emman. in ſumma tom. 2. c. 16. n. 3. Iacob de Graffis lib. 3. aure decis. p. 2. c. 11. num 20. Thom Valaſc tom. 1. alleg 4 nu. 4 & n. 3. dicit, quòd prima Tonſura poteſt conferri omni tempore.

δ Fratres Minores, & omnes, qui illorum priuilegiis conceſſis & concedendis fruuntur, ex Confirmatione S. D. N. Clem. VIII. poſſe extra

extra tempora à iure ſtatuta dominicis, vel aliis feſtis diebus, ſacros Ordines ſuſcipere docet F. Emman. q. Reg. tom. 3. q 43. art. 5.

ε *Vnuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur.* ] Vide Fr. Emman. qu. Regular tom. 1. q. 18. art. 4. P. Paul. Comitol Reſponſor. Moral. l. 6. quæſt. 46.

ζ Quòd ſufficiat Epiſcopus originis, tenent Zerol. in praxi Epiſc. p. 2. verbo Dimiſsoriæ, pa. 40 P. Paul. Comitol. d. li. 6 qu. 45. D Guttier. Canon. lib 3. tract de Matrimonio cap. 63. nu. 29. Quæ concurrere debeant vt quis dicatur originarius, vide apud Seſſe Aragon deciſ. 30. Balb. p. 3. deciſ. 339. Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ p. 4. collect 846.

η Quod non procedat in Regularibus, qui à quocunque Catholico Epiſcopo poſſunt ordinari, reſoluit Fr. Emman. qu. Regul. tom. 3. q. 24. art. 1.

θ *Ordinarij ſui teſtimonio.* ] Vide Nauar in Man. c 25. nu. 69 Fr. Emman. in ſum. p. 2 c. 14 nu 6. Et de Monachis quæſt. Regular. tom. 1. q. 18. art. 5.

ι *Si ſecus fiat, ordinatus à ſuſceptorum ordinum executione, &c* ] Vide Guttier. Canon li. 1. c. 26. nu. 24. Salzed. in pract. c. 26. lit. E. Zerol. in praxi Epiſc 2. verbò Dimiſſoriæ, pag. 40. Flamin. de Reſignat lib. 4. q. 2 nu. 89. Cened. pract lib 1. qu. 38. à n. 4. P. Ægid de Sacram. to. 2. diſput. 15. dub. 5. nu 35. P. Valer Reginal. in praxi lib. 32. tractat 2 n. 69.

κ Quòd non comprehendit initiatos prima tonſura, docent Tolet. in inſtruct Sacerd. l 1. c. 49, nu. 5. Zerol. p. 1. verbo Dimiſſoriæ.

λ *Ordinans à collatione Ordinum per annum* ] Multos caſus, in quibus excuſatio datur ab hac cenſura, proſequitur P. Soar. tom. 3. diſpu. 31. ſect. 1. num. 15. P. Valer. Reginald li. 32 tracta. 2. nu. 69. verſ. Sunt autem, in fine, vbi dicit excuſationem dandam, quando vnus Epiſcopus ordinat ſubditum alterius ſub ſpe rationabili ratihabitionis, ex c. fin. 9. q. 2.

## CAPVT IX.

### *Epiſcopus familiarem ordinans, conferat ſtatim ei beneficium reipſa.*

1 EPiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare nō poſſit, 2 *niſi per triennium* ſecum fuerit commoratus, 3 *& beneficium*, quacumque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat: conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.

## DECLARATIONES.

1 *Epiſcopus familiarem ſuum* ] Habet locum hoc decretum etiam in minoribus Ordinibus, vt ſcilic. teneatur Epiſcopus etiam conferre beneficium.

2 *Niſi per triennium.*] Ex identitate rationis ſufficit quod triénium inceperit, antequam fuiſſet Epiſcopus.

3 *Et beneficium.*] Familiaris Epiſcopi, de quo hoc decretum loquitur poteſt ordinari ad titulum patrimonij, ſi illud ſufficiens habuerit, & ſi Epiſcopus ita iudicauerit expedire pro neceſſitate aut commoditate Eccleſiæ, iuxta Decretum *c. 2. ſeſſ. 21. §. Pro neceſſitate.* modò certæ ac particulari Eccleſiæ adſcribatur, vbi ſuo munere fungi debeat, *iuxta c. 16 infr. hac eadem Seſſ.* § Non adſcribatur.

Congregatio Concilij declarauit, quod Epiſcopus poſſit ordinare familiarem ſuum triennalem non ſubditum, & dare illi dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos à quocunque, diſpenſare tamen non poteſt ſuper illis interſtitiis, de quibus *cap. 11. & 14. infra hac eadem Seſſ.* niſi pro Eccleſiæ ſuæ vtilitate.

Quicunq; per decem annos, ſiue in curia, ſiuę alibi reſiderit, poteſt ibidem à Vicario Sanctiſſimi ordinari; familiares verò ſeu officiales Papæ, ac familiares Cardinalium, etſi Cardinales habitaſſent Romæ, atque etiam Epiſcoporum in Curia reſidentium, qui ſaltem per triennium habitauerint in Vrbe, poſſunt de licentia ipſorum Dominorum à Vicario Sanctiſſimi promoueri, dum tamen ſupradicti omnes ſufficientem titulum habeant, & alia à Iure requiſita.

## REMISSIONES.

*a* VIde Nauar. conſ. 23. & conſ. 26. cum ſeq. ſub tit de Temporibus ordinat. Pet. Ledeſm. in ſum. tit. de Sacram. Ord. c. 5 concl. 9. verſ *Es tanto.* Iacob. dę Graffis p 2. deciſ. aure. lib. 3. cap. 12. num. 7. Zerol. in praxi Eſpiſcop. par. 1. verbo Dimiſſoriæ pag. 106. & p. 2. verbo Ord verſ. Quintò pag. 78 Fr. Emman in ſum. p. 2. cap 14 n. 10. P. Henriq. in ſumma lib. 10. cap 11. § 1. Flamin de Reſignat. l. 4. qu. 8. num 91. Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Ordo, verſ. Limita in eo. pag. 375. Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Archiepiſ. Neapol. c. 81. n. 3. Nicol. Garc. de Benefic. p. 2. cap. 5. num 80 cum ſeqq. Cened. pract. & Canon, quæſt. li. 1. qu 38 à num. 29 Thom. Valaſc. to. 1. alleg. 5. n. 2. P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit lib. 31. nu. 69. verſ. Sunt autem aliquot, tract. 2. vbi dicit loqui tex in præſenti de Epiſcopo ordinario, quia ei, qui tantùm eſt titularis, talis promotio eſt interdicta in præced. ſeſ. 14. c. 2. Latè Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ. p. 3. collect. 596. vbi in verſ. Amplia 4. refert procedere in magiſtro actorum Curiæ Epiſcopalis, qui vt familiaris, poterit ab Epiſcopo ordinari, & citat Stephan. Grat. deciſ. 233.

## *Deciſiones à ſacra Cardinalium congregatione ſuper hoc cap. editæ, & adductæ per Doctores infrà citatos.*

PRima. Pro neceſſitate & commoditate Eccleſiarum ad titulum patrimonij, poſſunt etiam ordinari familiares triennales Epiſcoporum, & debent adſcribi Eccleſiis, pro quarum neceſſitate ſunt ordinati refert Garci. d. p 2. c. 5 n. 81.

Secunda. Epiſcopus ordinat. familiarem ſuum ad titulum penſionis, ſi pro neceſſitate, vel vtilitate ſuarum Eccleſiarum iudicat ordinandum, refert Gar. d. c. 5. num. 81.

Tertia. Familiaris Epiſcopi, de quo hoc Decretum loquitur, poteſt etiam ordinari ad titulum patrimonij, ſi illud ſufficiens habuerit, ſi Epiſcopus ita iudicauerit pro neceſſitate aut commoditate ſuæ Eccleſiæ, & certæ Eccleſiæ adſcribatur, vbi ſuo munere fungi debeat refert Garci d. c. 5. n 82.

Quarta. Ex identitate rationis ſufficit, quòd triennium incœperit antequam fuiſſet Epiſcopus, refert Garc. d. ca. 5. nu. 83. reſoluit Aloyſ. Ricc. in collect. deciſ p. 3 collect. 596. verſ. Amplia quintò, vbi citat Gam. deciſ. 93.

Quinta Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum ſuo familiari triennali, alias non ſubdito; ſuper illegitimitate, etiam ad minores Ordines, nec ſuper interſtitiis, niſi pro Eccleſiæ ſuę vtilitate, refert Garci d. c. 5. nu. 86. reſoluunt Cened pract. li. 1. q. 383. n 31. Sayr ſub tit. de tempor. ordinat. deciſ. 28 & 29. Zerol. d. verſ. Quintò dubitatur, & verſ. Sextò.

Sexta. Procedit hoc Decretum tam in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus, & vtroque caſu opus eſt collatione beneficij, referunt hanc Cardinalium deciſionem Rot. deciſ 731. numer. 3 par. 1. in nouis. Zerol in praxi Epiſcop p. 2. verbo Ordo, verſ. Quintò dubitatur, poſt med. Nauarr. conſ. 23. numer. 1. de tempor. ordinat. Cened. d qu. 38. numer. 30 verſ. Quod Decretum, Sayr. tit. de temporibus ordinat. deciſ. 26. vbi reſoluit procedere etiam in prima Tonſura.

Quare requirat text. in præſenti in familiari triennium, & beneficium, ſi ſufficit beneficium? Reſpondet multa cumulando Zerol. d. §. Dimiſſoriæ ad Ordines, numer. 1. & p. 1. verbo, Ordo, verſ. Quintò dubitatur, Rot. diuerſor. 731 p. 1. Farin. deciſ. 212. vbi reſoluit, quòd beneficium eſt ſtatim re ipſa conferendum, aliàs ſi poſt aliquot menſes, non ſatisfit Concilio.

## CAPVT X.

*Abbates exempti, etiam nullius diœceſis, nulli ſeculari aut Regulari ſibi non ſubdito dent dimiſſorias, nec quæcumque Capitula etiam cathedralium eccleſiarum. Extenditur pœna impetrantium literas dimiſſorias à Capitulo ſede vacante.*

1 α *Abbatibus, ac aliis quibuſcumq́, quãtumuis* 2 *exemptis*, non liceat in poſterum, intra fines alicuius diœceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis 3 β *ſubditus ſibi non ſit*, Tonſuram, vel minores Ordines conferre: 4 *nec ipſi Abbates*, 5 *& alij exẽpti*, aut Collegia, *vel γ Capitula* quæcumque, etiam eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab aliis ordinentur, concedant[a] ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus, quæ in huius ſanctæ Synodi decretis continentur, *ad δ Epiſcopos, intra quorum* diœceſis fines exiſtant, pertineat: non obſtantibus quibuſuis priuilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. *Pœnam quoq́, impoſitam iis*, qui contra huius ſanctæ Synodi ſub Paulo[b] III. decretum 6 *à Capitulo Epiſcopali, ſede vacante*, ε *litteras dimiſſorias* impetrant; ad illos qui eaſdem litteras non à Capitulo, ſed ab aliis quibuſuis, in iuriſdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante, ſuccedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam decreti, ab officio, & beneficio per annum ſint ipſo iure ſuſpenſi.

a *Supr. c. 5. cum ſeq. & infr. c. 11. cum ſeq.*

b *ſup. ſeſſ. 7. de refor. c. 10.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Abbatibus ac aliis quibuſcunque.* ] Abbates primam tonſuram, aut minores ordines, præterquam ſuis ſubditis Regularibus, alicui conferre non poſſunt, nonobſtante quacunque conſuetudine contraria. Et ita reſolutum eſt in quadam deciſione facta, 3 Mart. 1594. *Item infra hac eadem ſeſſ. c. 16. §. Sine.*

Quidam laicus annis elapſis primam tonſuram ſuſcepit, & ordines

nes minores ab Abbate Caſſinenſi, eius in temporalibus & ſpiritualibus ſuperiore, credens illum habere poteſtatem; ſed cum videatur eſſe contra diſpoſitionem huius capituli, dubitatur an iſte indigeat diſpenſatione, vel neceſſe habeat, cupiens eſſe clericus, iterum ordinari ad dictos ordines, tanquam nulliter ei collatos? Congregatio Concilij ſic reſpondit: *Indigebat diſpenſatione, ſed non eſt neceſſe, vt iterum ordinetur.*

Abbates regulares habentes ius baculum deferendi & mitram, poſtquam ſacerdotalem ordinem & munus Benedictionis ſuſceperint, poſſunt tonſuram & Ordines minores ſecularibus Epiſcopi iuriſdictioni ſubditis conferre, ſi modo ipſius Epiſcopi conſenſus accedat, & à dicto Epiſcopo pro ſe quiſq; literas dimiſſorias impetrauerit, ita vt ſatis non ſit id generatim ab Epiſcopo conceſſum eſſe ſed hac conceſſione ſemper opus eſt ſingulis. Etiamſi non ſit benedictus Abbas, tamen poteſt ſuis ſubditis ordines minores conferre, ſi id fuerit ei ex priuilegio conceſſum. Quocirca Abbas qui eſt benedictus, vel ex priuilegio Sedis Apoſtol. habet vt Pontificalia exercere poſſit ac ſi eſſet benedictus, poteſt omnia ſacra benedicere, illis exceptis, in quibus vnctio requiritur.

Poſſunt etiam dicti Abbates ordines conferre aliis regularibus, qui dimiſſorias ſpeciales ſuorum ſuperiorum, necnon ſpecialem cõſenſum Epiſcopi loci habuerint in quo ordines huiuſmodi ſuſcipere cupiunt. Tonſuratus verò ab Abbate non benedicto, vel non habente hanc poteſtatem ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, debet iterum tonſurari. *Vide huius ſeſſ. c.8. §. S. D. N.*

2 *Quantumuis exemptis.*] Non licet præpoſito Terræ Prati, Florentinenſis Diœceſis concedere literas dimiſſorias, & idem dicendũ eſt de Archipresbytero Terræ Collis, qui eſt exemptus, & habet iuriſdictionem ordinariam & Archipresbytero Barenſi habenti multa priuilegia Apoſtolica & exemptiones.

Non licet ex hoc Decreto fratribus S. Ioannis Hieroſolymitani concedere aliquibus clericis ſecularibus litteras dimiſſorias, vt ab Epiſcopis ordinentur.

Inter Archimandritam & Archiepiſcopum Meſſanenſem ſuper collatione Ordinum, & conceſſione literarum dimiſſorialium, circa hoc cap. controuerſia vergente, Congregatio cenſuit non licere Archimandritæ Ordines conferre.

3 *Subditus ſibi non ſit.*] Hoc verum eſt, cum iure proprio ſibi non liceat vt in cap. *Abbates de priuileg. in 6.* ſecus ſi ex priuilegio Apoſtolico. Eadem pœna ad impetrantes dimiſſorias à Capitulo Sede vacante, aut Abbatibus, & ſimilibus, extenditur.

4 *Nec ipſi Abbates*] Nulli Abbati (etiam quibuſuis priuilegiis munitio,) licet concedere dimiſſorias cuicunque clerico ſeculari, etiam ad Ordinarium eius directas.

5 *Et alij exempti.*] Licet fratres S. Ioannis Hieroſolymitani ſint priuilegiati etiam circa clericos, qui in eorum Monaſteriis, & ordini-

bus inſeruiunt, non poſſunt tamen literas dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos aliis concedere, niſi fuerint ſui ordinis profeſſi.

6 *A Capitulo Epiſcopali, Sede vacante.* ] Sacra Congregatio cenſuit die 5. Iulij. 1575. non licere Capitulo literas dimiſſorias concedere ex hoc Decreto, quamuis habeat territorium diſtinctum & exemptum, ac immemorabilem poſſeſſionem, & ſint iudices Ordinarij.

Non impediuntur tamen Capitula Cathedralium, quin Sede vacante Vicarium creare poſſint, ſi aliàs ad Capitulum hæc electio ſpectabat.

## REMISSIONES.

α Vide Rebuff. reſp. 2. Veg. tom. 2. de Curis c. 14. § 8. num. 31. Fr. Emman. in ſum p. 2. c. 14. nu. 2. & qu. Regular. tom. 1. qu. 18. art. 1. P. Henriq. in ſum. li. 10. c. 23. §. 3. P. Ledeſm. in ſum. tract. de Sacram. Ordin. c. 8. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. lib. 12. c. 20. q. 7. & p. 2. li. 3. c. 48. q. 15. verſ. Cæterùm, Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Abbas, Flores Vari. lib. 3. qu. 24. nu. 4. & nu. 31. Thom. Valaſc. tom. 1. alleg. 3. nu. 6. plures ex antiquioribus refert Cened. ad Decret. collect. 105.

β *Cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit.* ] Vide Fr. Emman. in ſum. part. 2. cap. 14. nu. 9. & qu. Regular. tom. 3. qu. 23. art. 2.

γ *Vel Capitula.* ] Quæ quidem Capitula iure aliquo ſpeciali iuriſdictionem habere in aliqua Diœceſis parte requirit Fr. Emman. d. ca. 14. nu. 9. nam de Capitulo Sede vacante extat Decretum huius Concilij ſeſſ. 7. cap. 10.

δ *Ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtant, pertineat.* ] Quòd tamen ſi ſint negligentes, & generaliter non faciant ea, quæ debent, & admoniti ſe non emendauerint, tunc Archiepiſcopus, inuitis eis, ſupplebit vices eorum, ſcilicet, quòd in Parochia illorum ordinabit Clericos, inſtituet in Eccleſiis, excommunicabit, & abſoluet, reſoluit Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Archiepiſcopi auctoritas, nu. 21. in medio.

ε *Literas dimiſſorias, &c.* ] Vide P. Azor. vbi ſuprà, Zerol. d. verbo Abbas pag. 10.

## CAPVT XI.

*Minoribus ordinandi ſeruent interſtitia, exerceant Ordinis ſuſcepti officium, reuereantur ſuperiores in ordine, frequenter communionem ſumant, ſintq; tales quos ſcientiæ ſpes maioribus Ordinibus dignos oſtendat, annus ſit medius à poſtremo minorum ad primum maiorum ordinum.*

a c *in ſingulis 77. diſt. & infr. c. 13.*

α β MInores Ordines iis, qui ſaltem [a] 1 *Latinam linguam intelligant*, per temporum interſtitia, niſi aliud

aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur; vt eo accuratiùs, quantũ ſit huius diſciplinæ pódus, poſſint edoceri, [a] ac in vnoquoque munere, iuxta præſcriptum Epiſcopi, ſe exerceant; idq́ue in ea, cui aſcripti erunt, [b] ε Eccleſia, *niſi γ forte ex cauſa ſtudiorum abſint*: atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accreſcat. quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque maior erga Preſbyteros, & ſuperiores Ordines reuerentia, & crebrior, quàm antea, Corporis Chriſti Communio maximè comprobabunt. Cumq́ue hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribus ordinibus dignum oſtendat. *Hi δ ε ζ n verò non niſi poſt annum* à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum ad ſacros Ordines promoueantur: 2 *niſi neceſſitas*, aut Eccleſiæ vtilitas, iudicio *Epiſcopi*, aliud expoſcat.

a *infr. c. 17. & 1. 25. diſt. c. 1. ε Braccaren.*

b *38. vide 1. Nic. c. 2. Sardic. c. 13. & Caium Papam.*

## DECLARATIONES.

1 *Latinam linguam intelligant.*] Congregatio cenſuit, homines regionis Illyricæ, quamuis Latini idiomatis rudes, ſi tamen linguam Illyricam calleant, poſſe ad ordines promoueri, niſi canonicum obſtet impedimentum.

2 *Niſi neceſſitas.*] Talem habet neceſſitatem, qui eſt prouiſus de beneficio curato: tenetur enim ſe promoueri facere ad ſacerdotium intra annum, & quando prouidetur, non eſt neceſſe, vt ſit in aliquo ordine.

## REMISSIONES.

α VIde Concil Brachar. 4. act. 2. c. 1. Viual. in Candel. tit. de Sacr. Ordin. verſ. Sexta, Fr. Emman. qu. Regular. tom. 3. q. 24. art. 3. Thom. Valaſc tom 1. alleg. 4. à principio.

β Quòd non peccat, nec eſt ſuſpenſus, qui quatuor minores Ordines eodem die ſuſcipit, imò etiam quòd poteſt accipere illos & Subdiaconatum, vbi eſt talis conſuetudo, reſoluunt Guttier. Canon li. 1. cap 26. nu. 31. & 32. Emman. de Saa. verbo Ordo 17. Pat Soar. tom. 5. diſp. 31. ſect. 1. nu. 41. Fr. Emman. d. tom. 3. q. 23 art. 4 Thom. Valaſc. tom. 1. alleg. 4 nu 2 P Valerius Reginald. in praxi fori pœniten. l. 32. tract 2 num. 70. verſ. Ad hanc, & Menoch de Arbit. caſu. 564 num 8,

dicit, quod Concilium in præſenti omnem ſuſtulit conſuetudinem in contrarium.

γ *Niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint.*] Vide Horat Lutium de priuil. ſcholaſt. priuil 99

δ *Hi verò non niſi poſt annum.*] Vide Fr. Emman. in ſum. p. 1. c. 16. nu. 3. qu. Regular. tom. 3. qu. 8. art. 6.

ε Sacra Cardinalium congragatio cenſuit in ordinatione Regularium diſpenſationem ſuper interſtitiis pertinere ad Epiſcopum ordinantem, debet tamen fieri mentio in literis dimiſſorialibus ſuorum ſuperiorum petentium ab Epiſcopo, vt ſuper illis diſpenſare dignetur, attenta neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, ſeu religionis, refert Proſper. de Auguſtino in addit. ad Quarant. in ſumma Bullarij verbo Ordo prope finem, pag. 395. Aloyſ. Ricci Neapol. Archiepiſ. deciſ 83.

ſ Sacra Cardinalium congregatio cenſuit eos, qui ad Subdiaconatus Ordinem quatuor Temporibus Quadrageſimę promoti fuerint, poſſe anno ſequenti eiſdem quatuor Temporibus Quadrageſimæ ad Diaconatum promoueri, licèt annus naturalis integer tunc lapſus non fuerit, cùm futuro anno Paſchę feſtum celerius, quàm ſuperiori celebretur, refert Proſper. de Auguſtino vbi ſuprà.

η Sacra Cardinalium congregatio ſic cenſuit: Licèt ex decretis huius Concilij poſt minores Ordines expectandus eſſet annus, antequam quis ad ſacros Ordines promoueatur, poteſt tamen quis parochialem acquirere, etiamſi non habeat aliquem ordinem ſacrum, & infra annum promoueri ad Sacerdotium debet, refert Garci. de Benefic. p. 7. c. 4 n. 47.

An obtinentem beneficium curatum oporteat eſſe Diaconum, vel ſaltem Subdiaconum; cum intra annum debeat promoueri ad Sacerdotium? Congregatio cenſuit non oportere, prout refert Nauarr. in Man. c. 25 num. 116. P. Azor. inſtitut. Moral. p. 2. lib. 6. cap. 5. q. 9. ad finem.

## CAPVT XII.

*Ætas ordinandorum ad Subdiaconatum, Diaconatum, Preſbyteratum, ſeruanda etiam per Regulares examinandos ab Epiſcopis.*

a 2. Toletàn c. 1. & 3. Carthag. c. 4 & Agathēſ. c. 16 annum. 25. requirebant.

b Annum 30. requirit Fabian. diſt. 78. Si quis, & Bonifa. l. Cōcil. 4. Tolet. c. 18

α NVllus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante β *vigeſimum ſecundum*, ad Diaconatus ante [a] vigeſimum tertium, ad Presbyteratur, [b] ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatus. Sciant tamen Epiſcopi, non ſingulos, in ea ætate conſtitutos, debere ad

hos

hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit. 1 *Regulares quoq;* 2 *nec in minori ætate*, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur: priuilegiis quibuſcúmque, quoad hoc, penitus excluſis.

## DECLARATIONES.

1 *Regulares quoque.* ] Iuxta textum cap. *Cum nullus*, §. *Religioſi. de temp. Ordin. & ibi Gemin. num.* 3. & aliàs Congregatio hoc cenſuit.

2 *Nec in minori ætate*] Circa ætatem Epiſcopus non poteſt diſpenſare, *Gloſſ. in Clem. Generalem, Silueſt. ver. ætas, num.* 2.

S. D. N Gregorius XIII. reformatio Calendario, decem dies detraxit. omnis vero qui promoueri voluerit ad Ordines, debet habere rationem illorum decem dierum, eóſque impleuiſſe antequam ordinari ſe curet Ita in quadam Tornacenſi, Anno 1601.

## REMISSIONES.

α VIde Nauar. in Man. cap. 25. nu. 69. cum. ſeqq. & n. 105. Fr Emman quæſt. Regul. tom. 3 quæſt. 23. art. 6 P. Henriq in ſum. lib. 10. cap. 19. §. 2. Petr. Ledeſm in ſum p. 1. tract. de Sacram. Ordinis cap 7 à principio, Guttier Canon. lib 1 cap. 26. à num. 8 latè Garci. de Benefic. p. 7. cap. 4. num. 21. cum ſeqq. P. Ægid. de Sacram. tom 2. diſp 20. num 102.

β *Ante vigeſimum ſecundum.* ] Sufficere inceptum affirmant P. Henriq. d. §. 2 & lib. 13. cap. 38. §. 2. ibi ætas pro Subdiaconatu deſignatur annus 22. inchoatus, pro Diaconatu 23 inceptus, ſed ad Presbyteratum ſatis eſt 25. incœpiſſe per diem. Vide etiam P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 30. tract. 3. num. 166.

### CAPVT XIII.

*Subdiaconi ordinentur ſperantes ſe continere poſſe, diebus feſtiuis quibus miniſtrauerint communionem ſumant: annus ſit Eccleſiaſticus ante promotionem ad Diaconatum, Ordines ſacri duo nulli conferantur eodem die.*

α SVbdiaconi, & diaconi ordinentur, a vt habentes bonum teſtimonium, & in minoribus b Ordinibus iam probati, ac litteris, & iis, quæ ad Ordinem exer- a 1. Tim. 3. b 4. Tolet. 19.

cendum pertinent, inſtructi; Qui ſperent, Deo auctore, ſe continere poſſe, Eccleſiis, quibus aſcribentur, inſeruiant, ſciantq; maximè decere, 1 *ſi ſaltem diebus Dominicis*, & ſolemnibus, cùm altare miniſtrauerint, ſacram Communionem perceperint. Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, 2 *ß γ ſi per annum ſaltem* in eo non ſint verſati, 3 *ad altiorem gradum*, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur, 4 *Duo* [a] *ſacri Ordines* non eodem die, etiam Regularibus, conferantur: priuilegiis, ac indultis quibuſuis conceſſis, non obſtantibus quibuſcúmque.

a hic ſup. c. 11.

## DECLARATIONES.

1 *Si ſaltem in diebus Dominicis.* ] Si iſti Diaconi & Subdiaconi in Miſſa ſolemni miniſtrantes eſſent ſacerdotes, melius eſt, vt ante vel poſt Miſſam maiorem celebrent, quàm Euchariſtiam ſolam recipiant de manu ſacerdotis, cui ipſi adminiſtrauerint.

2 *Si per annum ſaltem.* ] Ob eminentiam doctrinæ vel bonum teſtimonium, & de conſenſu Ordinarij Summus Pontifex concedit, vt quis omnes Ordines, etiam Presbyteratus, breuiori tempore ſumere poſſit, etiam extra tempora. Sic reſponſum fuit Epiſcopo Placentino.

An per Bullam Sixti V. contra malè promotos in interſtitiis ſeruandis, annus, qui interponi debet in promotione de vno ad alterum ſacrum Ordinem, duodecim menſium completus eſſe debeat, vel ſufficiat lapſa eſſe quatuor interſtitia, quæ propter varietatem feſtorum mobilium occurrunt, quouſque 12. menſis compleatur? S. D. N. ex ſententia Congregationis dixit, attendendum eſſe curſum quatuor dictorum interſtitiorum, non autem tempus 12. menſium completorum. Sed quæſtioni huic: An per dictam conſtitutionem cenſeatur reuocatum ſeu reſtrictum arbitrium Epiſcopo conceſſum vt poſſit ordinare infra annum à promotione vnius Ordinis ſacri ad alterum iuxta decretum Concilij Tridentini hoc capite? Sanctitas ſua reſpondit, non eſſe ſuæ mentis alterare diſpoſitionem ſupradicti Decreti, imò vult illud manere in ſua priſtina validitate & vigore abſque vlla innouatione, vel ſubſtitutione.

3 *Ad altiorem gradum.* ] Niſi eſſet prouiſus de Parochiali, *vt ſuprà, c. 11. §. Niſi neceſſitas.*

4 *Duo ſacri Ordines* ] Qui ex conſuetudine alicuius regionis quatuor minores Ordines & ſubdiaconatum eodem die ſuſceperunt, non ſunt ob hoc ſuſpenſi.

RE-

# REMISSIONES.

a VIde Pet. Ledeſm. in ſum. p. 1. tract. de Sacram. Ordinis, cap. 8. concl. 11.

b *Si per annum ſaltem in eo non ſint verſati, &c.*] An qui ordinatur non ſeruatis interſtitiis, aliquam contrahat cenſuram, vel irregularitatem? Negant Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Ordo, § 8. pag. 79. & part. 2. eod. verbo, verſ. Ad quintum, Sayr. ſub tit. de temporib. ordin. deciſ. 56. quem refert Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. part 3. Collect. 576. Affirmat Pat. Henriq. in ſumma, lib. 6. cap. 10. §. 3.

c Quòd promoti ad ſacros Ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel ſine literis dimiſſoriis, ſint ſuſpenſi ab omni Ordinum exercitio, ſublata omni facultate aſcendendi ad alios Ordines ſuperiores, & ſi in eis ſuſpenſi miniſtrare præſumpſerint, irregulares effecti, omnibus, & quibuſcúnque per eos in titulum, commendam, aut aliis obtentis dignitatibus, officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, ipſo facto priuantur, & priuuati eſſe declarantur, & inhabiles, & incapaces in perpetuum ad illa, & alia ſimilia beneficia, & diſſimilia in perpetuum obtinenda, tenent P. Azori. inſtit Moral. part 2. lib. 7. cap. 17. qu. 18 Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Ordo, in princip.

d *Duo ſacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur.*] Vide P. Henriq. in ſumma, lib. 6. cap. 10. §. 3 lit. Q. & lib. 13. cap. 38. in fine, Fr. Emman. in explicat. Bullæ Cruciatæ, fol. mihi 238. & quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 23. art. 4. & q. 24. art. 3. & art. 5. P. Valer. Reginald in praxi fori pœnitent. lib. 30. tract. 1. num. 189. vbi reſoluit, irregularem eſſe eum, qui contra patriæ conſuetudinem, vno, eodémque die quatuor Ordines minores, & Subdiaconatum, vel duos maiores Ordines ſuſceperit furtiuè, id eſt, inſcio, ſeu non aduertente Epiſcopo.

## CAPVT XIV.

*Ordinandi preſbyteri annum egerint in exercitio diaconali, ſint tales qui nouerint docere cæteros, & miniſtrare Sacramenta, caſtis moribus bonorum operum dent exemplum & vitæ monita. Ordinati frequenter miſſam celebrent. Quidam promoti per ſaltum diſpenſabiles ab Epiſcopo.*

a QVi piè & fideliter in miniſteriis antè actis ſe geſſerint, & ad Preſbyteratus Ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimoniũ; & hi ſint, qui non modò in

Diaconatu ad minus 1 *annum integrum*, niſi *ob β Eccleſiæ vtilitatem*, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, miniſtrauerint, *ſed etiam 2 ad populum docendum ea*, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac adminiſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur: atque ita pietate, ac caſtis moribus conſpicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari. 3 γ *Curet Epiſcopus, vt ij ſaltem diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus*, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent. 4 δ *Cum promotis per ſaltum*, ſi non miniſtrauerint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.

## DECLARATIONES.

1 *Annum integrum.*] Intellige, Eccleſiaſticum. Vide c. præc. §. *An per Bullam.*

2 *Sed etiam ad populum docendum.*] Subdiaconi & Diaconi, qui carent Doctrinâ hîc requiſitâ in Ordine presbyteratus, non ſunt ad Ordinem presbyteratus admittendi, vbi eſt defectus ſacerdotum, & vbi propter tenuitatem præbendarum nulla adeſt ſpes habendi literatos ſacerdotes. Congregatio quippe cenſuit, nunquam ignaros promouendos eſſe ad ſacros Ordines, ſed iam promotis conferri poſſe Parochiales, quando literatiores inueniri non poſſent. Interim Epiſcopus diligenter curare debet vt diſcant, & prout profecerint, debebit eos promouere, ac tandem ex ſua conſcientia & iudicio rem totam conficiat, iuxta illud: *Tu magis ſcire potes.* Interea autem, ſi adſit penuria ſacerdotum ſæcularium, vtendum eſt opera Regularium.

3 *Curet Epiſcopus.*] Adhortationibus & monitionibus cum ſuis presbyteris agere debet Epiſcopus, non autem cogere poteſt cenſuris Eccleſiaſticis, vt diebus Dominicis & feſtiuis ſolemnibus ipſi presbyteri celebrent. Nec enim poteſt Epiſcopus ſub pœnis, & cenſuris monere, vt legitimè non impediti debeant celebrare, ſed ſolis adhortationibus & monitionibus eſt locus.

4 *Cum promotis per ſaltum*] Ea non ſolùm intelligenda ſunt de promotis per ſaltum, aliquo ſacrorum Ordinum omiſſo, imò verò etiam de promotis ad maiores Ordines omiſſis minoribus, ſiue omnibus, ſiue vno tantùm, & etiam caſu quo aliqui omiſerint primam ton-

tonſuram. Congregatio enim cenſuit, Anno 1588. habere locum Decretum Concilij in omnibus caſibus poſitis.

## REMISSIONES.

α VIde Concil. Brachar. 4 act. 2. cap. de Examine ordin. cap. 10. Fr. Emman. in ſum. pag. 2. cap. 14. num. 1.

β *Ob Eccleſiæ vtilitatem.* ] Vide Fr. Emman. q. Regul. tom. 3 q. 24. art. 6. & 7.

γ *Curet Epiſcopus, vt ij ſaltem diebus Dominicis, &c.* ] Vide Spin. in Speculo teſtam. Gloſſ. 3 princip. n. 63. Fr. Emman. in ſum. p. 1. c 252. n. 1. P Azori inſt. Moral p. 1 li. 10. c. 24 colum. mihi 1016. cum ſeqq.

δ *Cum promotis per ſaltum, &c.* ] Vide Nauar. in Manual. c. 25 n. 71. Fr. Emman. in ſumma part. 2. cap. 17. num. 9.

## CAPVT XV.

*Præter poteſtatem abſoluendi acceptam in ordinatione, debent etiam Regulares antea idonei ab Ordinario reputari, & approbati eſſe vt ſæcularium audiant Confeſſiones.*

αβ &c. 1 QVamuis *Presbyteri* in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant; decernit tamen ſancta Synodus, 2 ζ *nullum* a *etiam Regularem*, 3 η *poſſe Confeſſiones ſæcularium*, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; niſi aut Parochiale beneficium, aut 4 ϑ &c. *ab Epiſcopis per examen* ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, *aut* μ &c. *aliàs idoneus iudicetur*, 5 *& approbationem*, quæ gratis detur, obtineat: priuilegiis, & conſuetudine quacúmque, etiam immemorabili, non obſtantibus.

a Clem dudum, §. ac deinde de ſepult.

## DECLARATIONES.

1 *Quamuis presbyteri.* ] S. D. N. audita relatione Congregationis, declarauit Epiſcopos vigore priuilegij, *de quo in cap. fin de pœnit. & remiſſ.* non poſſe ſibi eligere ſacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit ad hoc iuxta formam huius Decreti admiſ-

admiſſus, ſeu approbatus ad audiendas Confeſſiones. *Vide infrà, hoc c. §. Niſi.*

2 *Nullum, etiam Regularem.*] S. D. N declarauit, tempore Iubilæi poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua quibuſuis ſacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas Confeſſiones: in Bullâ enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum qui audiunt Confeſſiones, non autem de ordinario pœnitentium.

3 *Poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire.*] Nec etiam id facere poſſunt in priuatis domibus ex vrgenti cauſsâ, veluti infirmorum & ſenum, qui ob ingraueſcentem ætatem Eccleſiam commodè adire non poſſunt. Nec in huiuſmodi caſibus conſtitutiones Synodales, & aliæ prohibitiones allegari poſſunt.

Prælati Regulares ſeu alij Religioſi Confeſſores non poſſunt audire Confeſſiones ſæcularium, qui ſunt de familia, & deſeruiunt ipſorum Monaſteriis, abſque approbatione, vel licentia Epiſcopi. Sic Congregatio die decima quarta, Auguſti 1568. cenſuit. *Vide Clementinarum lib. 5. cap. 2. de Priuilegiis*, ſecus tamen ſi illi ſæculares ſunt verè de familia, & continui commenſales. *Ex decіſ. 96.*

4 *Ab Epiſcopis per examen*] Regulares & fratres mendicantes Confeſſores audientes ſæcularium Confeſſiones, ſemel ab Epiſcopo in ciuitate & Diœceſi ſua præuio examine approbati, ab eodem Epiſcopo iterum non ſunt examinandi, à ſucceſſore verò de nouo examinari poſſunt, iuxta Bullam Pij V. 8. Idib. Auguſti, Pontificatus ſui anno ſexto, quæ non eſt reuocata per reductionem priuilegiorum ad terminos Concilij per S. D. N. Gregorium XIII.

Nihilominus adiecit, ſemel examinatum & idoneum approbatum ab Ordinario, ab eius ſucceſſore pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete de nouo poſſe examinari. Atque ideo Fratres Ordinum mendicantium à ſuis Generalibus, vel eorum miniſtris Prouincialibus ad audiendas Confeſsiones Chriſti fidelium vtriúſque ſexus approbati, hoc Concilij Tridentini Decreto non comprehenduntur.

5 *Et approbationem.*] Nullus præterquam Epiſcopus ſe interponere debet in his, quæ ſpectant ad approbandos ſacerdotes ſacræ Confeſsionis miniſtros.

Abſolutio data à ſacerdote vigore facultatis generaliter à Summo Pontifice, vel ſpecialiter à Parocho conceſſæ, ſi ab Epiſcopo is ſacerdos examinatus & approbatus non fuerit, valida non cenſetur, etiam quoad eos qui tali ſacerdoti bonâ fide confeſsi ſunt, tati eſſe approbatum, vel ignorantes approbationem requiri. Congregatio enim Concilij cenſuit, eam eſſe abſolutionem nullam, tametſi confitentes, quoad Deum excuſati cenſeantur: vbi tamen reſciuerint, reiterandam eſſe Confeſsionem reſpondit eadem Congregatio.

Sub-

Subditi inferiorum & exemptorum, licentiam audiendi Cōfeſſiones petere ab Epiſcopo debent, & ab eo approbationem obtinere, offerantúrque Epiſcopo à ſuperiore illarum Eccleſiarum. Nec poteſt contra hoc Decretum Concilij Prouinciale, vel Metropolitanum Concilium aliquia ſtatuere, veluti ſi aliquis Baro prætextu inimicitiarum cum Epiſcopo & eius clero, vellet confiteri extero preſbytero, etiam approbato ab Ordinario ſuó, quaſi hunc voluerit accerſiri vt eius & ſuæ familiæ Confeſſiones audiat, poterit ei permitti, dummodò ille exterus ab Epiſcopo Baronis pœnitentis ad id idoneus ſit approbatus.

---

## REMISSIONES.

α Vide Zerol. in praxi Epiſcop part 1 verbo Confeſſores, pag 86, Fr. Emman in explicat. Bullæ Cruciatæ, fol. 80. verſo, & qu. Regul. tom. 1. q 59 art 1. P. Vaſqu. in 3. p. D. Thom. tom. 3. diſp. 219. nu. 55. & ſeqq. P. Valer. Reginald in praxi fori pœn. lib. 1. nu. 169. P. Sanch. de Matrimon lib. 3 diſp. 32. nu 62. vbi diſp 39. num. 13. & 14, aſſerit licentiam audiendi aliquorum Confeſſiones metu, vel dolo obtentam dare veram iuriſdictionem, de quo etiam P. Ægid. de Sacrament & Cenſur. tom. 2. diſp. 8. num 39.

β An non approbatus inualide Confeſſiones audiat? Affirmant P. Sanch. de Matrim. lib. 6. diſp. 38. num. 10. P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 8, num. 49.

γ An ſufficiat approbationem petiiſſe ſi iniuſtè negetur? Negant P. Soar. tom. 4. diſp. 28. ſect. 5. à num. 5. Valer Regin. d. lib. 1. nu. 192. P. Ægid. diſp. 8. num. 58.

δ An vt approbatio valeat, debeat haberi in ſcriptis? Negat P. Valer. Regin. d. lib. 1. num. 198.

ε An expiret licentia delegata audiendi Confeſſiones mortuo, vel amoto delegante? Negant P. Sanch de Matrim. lib. 8. diſp. 28. nu 80. Fr. Ioann. de la Cruz, de ſtatu Relig. lib. 2. c 3. dub. 1. concl. 3. verſ. Ex dictis.

ζ *Etiam Regularem.* ] Sacra Cardinalium Congregatio ſic cenſuit: Fratres Mendicantes ſemel examinati non debent iterum ab Ordinario, nec etiam per ſucceſſorem examinari, referunt Zerol. d. verbo Confeſſores, § 2. Fr Ioan. de la Cruz, de ſtatu Religio. lib. 2. c. 6. dub. 4. concl. 3. Fr. Emman. qu. Reg. t. 1 q. 59. art. 4 quorum primus dicit, quòd hoc debet intelligi, primò quando ille Regularis ſic examinatus fuit approbatus vndequáque, id eſt, in totum, vt quia ſufficiens, & idoneus repertus fuit in examine, quoad omnes interrogationes, ſecus verò quando fuiſſet admiſſus ad tempus.

η *Confeſſiones ſæcularium.* ] An approbatio ad audiendas Confeſſiones ſæcularium requiratur etiam in Religioſis habentibus à Papa priuilegium eas audiendi? Affirmat P. Valer. Regin. d. lib 1. n 174.

θ *Ab*

θ *Ab Epiſcopis.*] An comprehendat Vicarium generalem, Capitulum Sede vacante, & Abbates, qui Summi Pontificis priuilegio exercent iuriſdictionem Epiſcopalem in populum, ab omni Epiſcopi iuriſdictione exemptum? Affirmant P. Soar. tom. 4. diſp. 28. ſect. 5. in princip. Pater Sanches de Matrimonio, lib. 3. diſp. 29. num. 14. optimè P. Valer. Regin. d. li. 1. n. 180.

ι An hæc approbatio debeat fieri ab Epiſcopo ipſius Confeſſarij? Affirmant P. Soar. tom. 4. diſp. 28 ſect. 6. num. 10. P. Valer Regin. d. lib. 1. à num. 183. Fr Ioann. de la Cruz, d. cap. 6. dub. 5. & expreſſè ex ore Pontificis bis cenſuiſſe Card. ſic refert P. Ægid. tom. 2. diſp. 8. nu. 10. S. D. N. audita conſultatione congregationis, declarauit Epiſcopum vigore priuilegij, de quo in cap fin. de Pœnit. & remiſſ. non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admiſſus, ſeu approbatus ad audiendas Confeſſiones.

κ An approbatus in vno Epiſcopatu poſſit in quocúnque alio Confeſſiones illorum audire, qui per Iubilæum. vel aliam Bullam facultatem habent eligendi confeſſorem idoneum, & ab Ordinario approbatum? Negatiuam partem amplectitur Beia reſponſ. caſuum Conſcient. part. 4. caſu 20. Affirmatiuam tuentur Cordub. in ſua ſumma. q. 10. in reſp. ad ſecundum dubium, Fr. Emman. in expoſ. Bullæ Cruciatæ § 9. dub. 2.

λ Vtrum approbatus in vna Diœceſi, ſi transferat ſe in alteram Diœceſim, poſſit ibi à Parocho aſſumi, vt eum iuuet in audiendis Confeſſionibus ſine noua approbatione? Affirmat P. Henriq in ſumma, lib. 7. de Indulgent. cap. 12. nu. 4. Negat P. Ægid. de Sacram. & cenſur. tom 2. diſp. 8. nu. 52. vbi refert ſacram Cardinalium congregationem cenſuiſſe, in hæc verba Approbatus ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina, non cenſetur approbatus ab Ordinario, refert etiam Emman. vbi proximè, & Beia d. caſu 20. verſ. Tandem.

μ *Aut aliàs idoneus iudicetur.*] Vide Conſtit. Brachar. 3. titul. 3. Pat. Henriq. in ſum. p. 1. lib. 3. cap. 6. à princip. Fr. Emman. in explicat. Bullæ Cruciatæ, fol. 21. verſ. cum ſeqq. & in addit. fol. 61. verſo.

ν An valeat approbatio, ſi Epiſcopus eam det abſque iudicio, aut etiam contra iudicium, putà videns illum, cui dat, non eſſe idoneum? Vide P. Soar. tom. 4. diſp. 28. ſect. 5. num. 7. P. Valer. Regin. d. lib. 1. num. 197.

ξ Quòd vbíque in confinibus diuerſarum Diœceſum ſoleant ſubditi vnius Parochi confiteri alteri Parocho ex conſuetudine, quæ ab Epiſcopis ſcita, & tolerata dat illis iuriſdictionem, aſſerit Fr. Ludou. Beia reſpon. caſuum conſcient. p. 4. caſu 5. verſ. Tum quod.

C A-

## CAPVT XVI.

*Quiſque ordinandus vtilis ſit Eccleſiæ, & in ea adſcribatur, functurus ſuis ibidem muneribus. Deſertor punitur. Nemo peregrinus ſine literis commendatitiis ſui Ordinarij celebret.*

CVm [a] nullus debeat ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis; ſancta Synodus, veſtigiis ſexti Canonis Cōcilij [b] Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, 1 *vt nullus in poſterum ordinetur*, 2 *qui illi Eccleſiæ, aut pio loco*, 3 *pro cuius neceſſitate*, *aut vtilitate* aſſumitur, 4 *non aſcribatur*, vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. [c] Quòd ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit; ei ſacrorum exercitium interdicatur. 5 *α β Nullus præterea* [d] *Clericus* peregrinus 6 *ſine commendatitiis ſui Ordinarij* litteris ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur.

*a c. neminem, 70. diſt.*
*b Et Canonum citatorum. Seſſ 24. c. 17.*
*c Conc. Nicænum. c. 15. & 16. c. ſanctorum, 70. diſt. c. tuæ, de Cle. pereg. Conc. Antioche c. 7.*
*7. Conc Chalced. cap. 13. Conc. Aquiſgran. c. 59. & 61. Conc. Epaunen. c. 6. Conc. Aurelian. 3. c. 15. d. 1. Cart c. 5. Laodicen. 41. 3. Carthag. c. 28.*

## DECLARATIONES,

1 *Vt nullus in poſterum ordinetur.* ] Hoc fiat in ipſa promotione, nam poſtea fieri non poteſt.

2 *Qui illi Eccleſiæ, aut pio loco.* ] Clericus qui certo loco non eſt adſcriptus ab Epiſcopo ſuo, non poteſt inuitus retineri, ſed liberè poteſt ex ſua Diœceſi abire.

3 *Pro cuius neceſſitate, vel vtilitate.* ] Clericus iuxta hoc Decretum certæ Eccleſiæ adſcriptus, à nullo Epiſcopo recipiendus eſt ſine Ordinarij licentia: ſecus ſi nullum beneficium habeat, aut nulli loco ſit adſcriptus, quia tunc ab omnibus Epiſcopis recipi poteſt, & Epiſcopus ei petenti dimiſſorias concedere debet.

4 *Non adſcribatur.* ] Hoc etiam locum habet in familiaribus triennalibus Epiſcoporum, qui ad titulum patrimonij poſſunt promoueri, nam & ij debent adſcribi alicui Eccleſiæ ordinatæ. *iux not. ſuprà, cap. 9. Seſſ 21. & Seſſ. 23. cap. 9.* §. Familiaris.

5 *Nullus præterea Clericus peregrinus.* ] Non poſſunt cogi ordinati ad titulum patrimonij, qui incertis diebus vagantur, vt deſeruiant aliquibus diebus, Eccleſiis, veluti diebus feſtiuis. *vide cap præc. §. Curet.*

6 *Sine commenda itiis ſui Ordinarij.* ] Abbas non poteſt huiuſmodi literas concedere. *Vide Seſſ. 23. de Reform. c. 10. § Nec ipſi.*

Non ſunt denegandæ literæ commendatitiæ ab Epiſcopo ſacerdotibus & Clericis, qui non habent beneficia requirentia reſidentiam in titulum.

## REMISSIONES.

α *NVllus prætereà Clericus peregrinus, &c.* ] Concordat cap. extraneo, cum duobus ſeqq 71. dict c. fraternitati, de Clericis non reſid. Concil. Brachar 4. act 2. cap. 12. P. Henriq in ſum. lib. 10. ca 14. §. 6 in fine, Fr Emman. quæſt. Regul. tom. 2 q. 121. art. 1 P. Soar de Relig. tract. de voto lib 3 cap. 4. num. 9.

β Quòd qui non habet literas teſtimoniales ſui Epiſcopi, nullo iure eſt ſuſpenſus, ſed poteſt celebrare ſecluſo ſcandalo, reſoluit P. Henriq d. §. 6. lit I, Nauar. Conſ. 5. ſub. tit. de Celebrat. Miſſ. Pat. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 19 num 41. verſ. Tantopere.

## CAPVT XVII.

*Exercitia minorum Ordinum reſtitui debent, aſſignatione facta fructuum ſimplicium beneficiorum vel fabricæ. Deficientibus tamen Clericis cælibatum colentibus, ſufficiantur coniugati monogami tonſurati & induti clericaliter in Eccleſia.*

VT ſanctorum Ordinum à Diaconatu ad Oſtiariatum functiones, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermiſſæ, in vſum iuxta ſacros a Canones reuocentur; *nec a ab hæreticis, tamquam otioſæ*, traducantur; illius priſtini moris reſtituẽdi deſiderio flagrans ſancta Synodus, decernit, vt in poſterum 1 β *huiuſcemodi miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis Ordinibus* 2 *exerceantur*; omneſque & ſingulos Prælatos Eccleſiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, vt, quantum fieri commodè poterit, in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & 3 *parochialibus* ſuæ diœceſis, ſi populus frequens, & Eccleſiæ prouentus id ferre queant; huiuſmodi functiones curent reſtituendas, & ex aliqua parte reddi-

*a c. 1. 25. diſt. c. acolytus, c. exorciſta, c. lector cap. oſtiarius, & cap. Pſalmiſta, 23. diſt. ſuprà, c. 31. Innocentius, in Epiſt. 4. c. 5.*

reddituum aliquorum ſimplicium beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ, ſi prouentus ſuppetant, aut vtriſque illorum, eas functiones exercentibus ſtipendia aſſignent: quibus, ſi negligentes fuerint, Ordinarij iudicio, aut ex parte mulctari, aut in totum priuari poſſint. Quòd ſi miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præſtò non erunt; ſuffici poſſint etiam coniugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonſuram, & habitum Clericalem in Eccleſia geſtent.

## DECLARATIONES.

1 *Huiuſcemodi miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis Ordinibus.*] Munus Acolyti aut Thuribularij, & his ſimilia, non poſſunt exerceri niſi per conſtitutos in illis Ordinibus; quod eſt notandum, cum hoc (vt plurimum) paſſim non ſeruetur, cap *In ſancta, diſt. 92.*

2 *Exerceantur.*] Ne quidem per fratres laicos, qui talibus Ordinibus non ſint inſigniti, exerceri debent.

3 *Et Parochialibus.*] hoc habet locum etiam in Regularibus qui curam animarum exercent.

## REMISSIONES.

α *NEc ab hæreticis tanquam otioſæ, &c.*] Quòd Ordo neceſſarius ſit ad filios ſpirituales multiplicandos ad Eccleſiæ regimen, reſoluit Sayr. de Sacram. in genere, lib. 6. cap. 4. q. 1. verſ. Alia quatuor Sacramenta.

β *Vt in poſterum huiuſcemodi miniſteria, &c.*] Vide P. Azori. inſtit. Mora. p. 1. lib. 12. cap. 18. q. 23.

## CAPVT XVIII.

*Datur forma erigendi Seminarium Clericorum præcipuè tenuiorum, in cuius erectione plurima veniunt obſeruanda pro educatione promouendorum in Cathedralibus. & maioribus Eccleſiis.*

αβ CVm adoleſcẽtiũ ætas a niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas; & niſi à te-

a 4. Tolet. ca. 21. in eundem finẽ conſtituit, Gen. 8. Conc. Aquiſgran. ca. 135. Conc. Later. ſub. Leone X. Seſſ. 9. de Reformatione Curiæ, & aliorum.

neris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfectè, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodũ Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeueret: ſancta Synodus ſtatuit, a 1 *vt ſingulæ Cathedrales*, Metropolitanæ, atq; his maiores Eccleſiæ, 2 *pro modo facultatum*, & diœceſis amplitudine certum puerorũ ipſius ciuitatis, & diœceſis, vel eius prouinciæ, ſi ibi non repe-riantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, 3 *vel alio in loco conuenienti*, ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religioſe educare, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. 4. *In hoc verò Collegio recipiantur*, qui ad minimum duodecim annos, 5 *& ex legitimo matrimonio nati ſint*; ac legere, & ſcribere competenter nouerint; & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuò inſeruituros. b *Pauperum* 7 *autem filios præcipuè eligi vult*; nec tamen diuiorum excludit; modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & Eccleſiæ inſeruiendi. Hos pueros Epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur, diuiſos, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim cùm ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet; partim in Collegio erudiendos retinebit, alioſq; in locũ eductorum ſufficiet: ita vt hoc Collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Vt verò in eadem diſciplina Eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur; 6 *Tonſura ſtatim*, atq; habitu Clericali ſemper vtentur; *grammatices*, 8 *cantus*; computi Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcent: ſacram Scripturam, libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atq; Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad Confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac cærimoniarum formas ediſcent. Curet Epiſcopus, vt ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint; ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & iuxta Confeſſoris iudicium ſumant corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti; Cathedrali, & aliis loci Eccleſiis diebus feſtis inſeruiant.

a Conſtitut. *Alexandri.* 3. part. 1 c. 18. & in 2. Lateran. c. 11.

b c. quia, de mag. cum. alleg. in meo trac. de priu. ſch. priu. 81.

ſeruiant. *Quæ omnia*, atq; alia ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli 7 *cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum*, & grauiorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eaque vt ſemper obſeruentur, ſæpiùs viſitando operam dabunt. Dyſcolos, & incorrigibiles, ac malorũ morum ſeminatores acriter punient; eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo: omniaque impedimenta auferentes, quæcumque ad conſeruandum, & augendum tam pium, & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt: *Et quia ad Collegij fabricam* inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſoluendam, & ad alendam iuuentutẽ, & ad alios ſumptus certi redditus erunt neceſſarij; vltra ea, quæ ad inſtituendos vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis, & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic Seminario ſub eadem Epiſcopi cura applicata cenſeatur: 8 *ijdem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo*, quarum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur; *itemq; duorum de Clero ciuitatis*, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, alterius verò ad Clerum pertineat 9 *ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis*, 10 *& Capituli*, 11 *quarumcumq; dignitatum*, perſonatuum, officiorum, 12 *præbendarum*, portionum, 13 *Abbatiarum*, & Prioratuum, cuiuſcumq; Ordines, etiam Regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & 14 *hoſpitalium*, quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem, iuxta conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit,[a] Quia contingit: 15 *& beneficiorum quorumcunq;*, etiam Regularium, etiam ſi iuris patronatus cuiuſcumq; fuerint, etiam ſi exempta, 16 *etiamſi nullius Diœceſis*, vel aliis Eccleſiis, monaſteriis, & hoſpitalibus & aliis quibuſuis locis piis, 17 *etiam exemptis*, annexa, & ex fabricis Eccleſiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumq; aliis Eccleſiaſticis redditibus, 18 *ſeu prouentibus*, 19 *etiam aliorum Collegiorum*: in quibus tamen Seminaria diſcentium, vel docentium [b] ad cõmune Eccleſiæ bonum promouendum 20 *actu non habentur*: 21 *hæc enim exempta eſſe voluit*: 22 *præterquam ratione redditüum, qui*

a *c. quia contingit, de relig. dom. in Clem. lib.3 tit.11 c.2. ſupr Seſſ.7.c. 15 de Refor.*

b *c. fin. de mag. & c. cum ex eo, de Elect. in 6.*

*ſuperflui eſſent*, vltra cõuenientem ipſorum Seminariorum ſuſtentationem, ſeu corporum, 23 *vel confraternitatum*, 24 *quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur*, & omnium monaſteriorum 25 *non tamen mendicantium*, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolui ſolét, & milites cuiuſcúmque militię, aut Ordinis, pertinentibus *fratribus η θ ſancti Ioannis Hieroſolymitani* dumtaxat exceptis [a] 26 *partem aliquam*, vel portionem detrahant: & eam portionem ſic detractam, necnon 27 *ι beneficia aliquot ſimplicia*, cuiuſcúmque qualitatis, & dignitatis fuerint, & *κ etiam præſtimonia*, vel præſtimoniales portiones, nuncupatas 28 *etiam ente vacationem*, ſine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic Collegio applicabũt, & incorporabunt. quod locum habeat, etiam ſi beneficia ſint reſeruata, vel affecta; *nec λ per reſignationem ipſorum* beneficiorum 29 *μ.ν vniones & applicationes ſuſpendi*, vel nullo modo impediri poſſint: ſed omnino quacúmque vacatione, etiam ſi in Curia effectum ſuum ſortiantur, & quacúmque conſtitutione non obſtante. Ad hanc autem portionem ſoluendam, beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, & omnium, & ſingulorum ſuprà commemoratorum poſſeſſores, non modò pro ſe, 30 ξ *ſed pro penſionibus*, quas aliis forſan ex dictis fructibus ſoluerent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis penſionibus, illis erit ſoluendum, ab Epiſcopo loci per Cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia iuris remedia 31 *compellantur*; etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachij ſæcularis: quibúſuis, quoad omnia & ſingula ſupradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiam ſi ſpecialem derogationem requirerent, conſuetudine, etiam immemorabili, quauis appellatione, & allegatione, quæ executionem impediat, non obſtantibus. Succedente verò caſu, quo per vniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter Seminarium ipſum in totum, vel in partem dotatum reperiatur; tunc portio ex ſingulis beneficiis, vt ſuprà, detracta, & incorporata ab Epiſcopo, prout res ipſa exegerit, in totum vel pro parte

remit-

[a] Sup. Seſſ. 5. c. 1. de Reform.

remittatur. Quòd ſi Cathedralium, & aliarum maiorum Eccleſiarum Prælati in hac Seminarij erectione, eiuſque conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint; Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum, & Superiores Synodus prouincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat; & vt quamprimum hoc ſanctum, & pium opus; vbicúmque fieri poterit, promoueatur, ſtudiosè curabit. Rationes autem reddituum huius Seminarij Epiſcopus annis ſingulis accipiat, præſentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis.

32 *Deinde*, vt cum minori impenſa huiuſmodi ſcholis inſtituendis prouideatur; ſtatuit ſancta Synodus, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum Ordinarij ſcholaſterias obtinentes, & alios, quibus eſt lectionis, vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos, per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem ſcholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per ſubſtractionem fructuum, cogant, & compellant.

33 *Quod ſi iudicio Epiſcopi digni non fuerint*; alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remota, quod ſi neglexerint; Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur Epiſcopo expedire. De cætero verò officia, vel dignitates illæ, quæ ſcholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina, aut in iure Canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſe ipſos id munus explere poſſint, conferantur: & aliter facta prouiſio nulla ſit, & inualida: non obſtantibus quibúſuis priuilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

34 *Si verò in aliqua prouincia* Eccleſiæ tanta paupertate laborent, vt Collegium in aliquibus erigi non poſſit, Synodus prouincialis, vel Metropolitanus cum duobus antiquioribus Suffraganeis in Eccleſia Metropolitana, vel aliæ prouinciæ Eccleſia commodiori vnum,

aut plura Collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum, aut plurium Eccleſiarum, in quibus ſingulis Collegium commodè inſtitui non poteſt, erigenda curabit, vbi pueri illarum Eccleſiarum educentur.

In Eccleſiis autem, amplas diœceſes habentibus, poſſit Epiſcopus, vnum vel plura in diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere Seminaria: quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Poſtremò, ſi vel pro vnionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione, & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius Seminarij inſtitutio, vel conſeruatio impediretur, aut perturbaretur: Epiſcopus cum ſuprà deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro Eccleſiarum, & beneficiorum qualitate, etiam ſupra ſcripta, ſi opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia & ſingula, quæ ad fęlicem huius Seminarij profectum neceſſaria, & opportuna videbuntur, decernere, ac prouidere valeat.

## DECLARATIONES.

1 *Vt ſingula Cathedrales.* ] Si duæ Cathedrales erunt vnitæ, in vnaquáq; ipſarum Seminarium eſt erigendum: ſi verò non poterit erigi in quáque, erunt deputandi duo Magiſtri, vnus Gramaticæ, alter Muſicæ, ſumptibus ſeparatis cuiúſque ciuitatis Infra hoc cap. §. *Si verò in aliqua.*

2 *Pro modo facultatum certum puerorum numerum.* ] In hoc Seminario non debent admitti plures pueri, quam qui eâ pecuniâ ali poſſint, quæ ex dimidiâ decima, ſecundum antiquam taxam, taxata fuit.

3 *Vel alio in loco conuenienti.* ] Locus Seminarij ædificationi deputandus, de ſententia ciuitatis, cuius intereſt, approbari debet.

4 *In hoc verò Collegio.* ] In Seminario collocari debent pueri, qui ſunt procliuiores ad vitam Eccleſiaſticam, & precipuè pauperes, qui dum in eo maneat, Eccleſiaſticis præceptis & moribus imbuendi ſunt.

5 Et

5 *Et ex legitimo matrimonio nati ſunt.*] Non ſpurij, etiam ſi eſſent legitimati.

6 *Tonſura ſtatim vtentur.*] Quomodo, aut quis poſſit ex fructibus Seminarij, nomine tituli ſibi aſſignatis promoueri ad ſacros Ordines, vide quæ ſuprà notata ſunt *c. 2. ſeſſ. 21.*

Declarauit S. D. N. Greg. XIII. Clericos Seminarij ad ſacros Ordines promoueri non poſſe, niſi pro ſeruitio Seminarij vniti, & tunc cum aſſignatione certi annui reditus, vnde ſic promotus honeſtè viuere poſſit: quæ tamen aſſignatio ceſſet poſtquam ille aliunde ſe æquè ſuſtentare poterit. *Vide Seſſ. 21. cap. 2. §. Eum benefic.*

7 *Cum conſilio duorum Canonicorum.*] Duo Canonici electi ab Epiſcopo ad conſtituendam educationem puerorum in Seminariis, debent eſſe perpetui, nec poſſunt per eum, ad libitum (niſi ex iuſta cauſa & legitima) mutari. Imò verò Epiſcopus tenetur conſilium Canonicorum prædictorum adhibere in conſtituendis regulis vniuerſalibus, Seminarij loco, & ſimilibus, ac etiam ſimul eſſe in ſingulis rebus, vt putà electione puerorum ſingulorum introducendorum, electione Magiſtrorum, librorum legendorum, Confeſſoris poſitione, diſcipulorum expulſione, viſitatione, & ſimilibus. Tenetur etiam Epiſcopus cum conſilio eorundem tam circa viſitationem diſciplinę ac morum clericorum, quàm circa temporalium rerum adminiſtrationem, ac omnium eorum, quę hîc exprimuntur, prouidere: & ſufficit illorum conſilium requiri tantum, potéſtque præterea Epiſcopus eõrum conſilio adhibito ſtatuere, & declarare, quæ pro prouidentia ſua magis expedire iudicauerit.

8 *Iidem Epiſcopi cum conſilio duorum, &c.*] Epiſcopus tenetur Deputatos adhibere in conſilio pro tota temporali adminiſtratione prædicti Seminarij, excepta exactione, quæ ad ſolùm Epiſcopum ſpectat. Itaque Epiſcopus tenetur adhibere in concilium prædictos deputatos, non tamen tenetur eorum ſequi conſilium, & niſi eorum conſilium adhibuerit, minime validam vnionem beneficiorum faciet.

An Epiſcopus vigore huius § *& quia*, potuerit diſmembrare Canonicatum à Collegiata, in qua ſunt ſeptem Canonicatus, & applicare illum Seminario? Congregatio cenſuit, Epiſcopum ex hoc cap. potuiſſe id facere. Attamen ante erectionem factam Seminarij, nihil eo nomine ſoluendum eſt.

9 *Ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis.*] Debet primò Epiſcopus ex ſuis, & ſui Capituli fructibus contribuere Seminario, ac poſtea reliquos ad idem cogere, & clero totius Diœceſis pro contributione Seminarij debet imponi media Decima ſuper fructibus omnium beneficiorum. Super hoſpitale tamen, quod neque in titulum, neque in adminiſtrationem datur, ſed merè laicale eſt, non poteſt taxa ratione Seminarij imponi.

10 *Ex capitulo.*] Canonici qui contribuunt Seminario ex fructibus

ſuæ præbendæ, non debent contribuere ex diſtributionibus quotidianis, à præbendis diſtinctis vel incertis. Hæc comprehendit etiam Regulares, qui de incertis nihil ſoluunt. Alias, nullus eſt exemptus à contributione Seminarij, niſi qui nominatim à Concil. Tridentino excipitur Vide infr. hoc cap. § *Præbendarum*

Congregatio cenſuit, ſi fructus ac reditus Eccleſiæ collegiatæ conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis quæ ſolummodo dari ſolent iis, qui diuinis officiis perſonaliter interſunt, non teneri Capitulum ad contributionem Seminarij.

Antequam fructus taxentur pro rata Seminario ſoluenda, deducendæ ſunt expenſæ, quæ in beneficiis fiunt, onerum quoque ratio habenda eſt.

11 *Quarumcunq; dignitatum* ] Etiam Cardinales cogi poſſunt ad contribuendum Seminario, de fructibus beneficiorum, quæ habent in Diœceſi, in qua eſt Seminarium.

Breue S. D. N. de conceſſione immunitatis contributionis Seminarij facta Canonicis regularibus, non habet locum, vbi tempore conceſſionis immunitatis prędictæ, iam erat ſtabilita taxa, & ſeminarium erat in quaſi poſſeſſione ab eis exigendi.

12 *Præbendarum,* ] Neque hoc Decreto, neque Breui Pij V. comprehenduntur diſtributiones quotidianæ à præbendis diſtinctæ & minus certæ pro quibus nihil exigendum à ſeminario. Vide hoc cap. ſup §. *Et Capituli.*

13 *Abbatiarum.* ] Si Abbas ſua mercede conductum Theologum habeat, qui Sacram Scripturam interpretetur; & Grammaticum, qui literas his ſumptibus deductis, deinde his etiam qui fiunt non modò in percipiendis & colligendis annuis fructibus & prouentibus Abbatiæ, ſed etiam in ſuſcipiendis & proſequendis litibus, quæ ad tuēda Iura ipſius Abbatiæ pertinent, verus Abbatiæ reditus eſtimandus eſt, atque talis ęſtimationis & ſummę eorúmque omnium ſumptuum, de quibus dictum eſt, habita ratione Abbas contribuere debet Seminario. Sed ſi Abbatia ſeu aliud beneficium nullius eſt Diœceſis, ſoluat Seminario illius Diœceſis in qua aliàs dicta Abbatia conſtituta erat; ſi verò Eccleſia ſeu beneficium eſt in vna Diœceſi, & bona eius in altera, contributio Seminarij fieri debet Epiſcopo loci, vbi eſt Eccleſia: niſi bona in altera Diœceſi exiſtentia ſint propria alicuius Eccleſiæ ibi conſtructæ, quæ tanquam membrum ſubiecta eſſet Eccleſiæ Parochiali, aut eidem vnita; quo caſu contributio fieri debet vbi ſunt bona. Quod etiam declarandum eſt, ſi Eccleſia iſta vnita aut ſubiecta, conſtructa fuerit ante acquiſitionem ipſorum bonorum; quia ſi conſtaret bona fuiſſe prius applicata Eccleſiæ principali, licet verè poſtea ædificata fuerit alia Eccleſia, contributio fiet Epiſcopo Eccleſiæ principalis. Vide infra hoc cap §. *Et Beneficiorum.*

14 *Et Hoſpitalium.* ] Hoſpitalia exempta ad contributionem Seminarij

narij non tenentur. Neque Concilium comprehendit Hoſpitalia, quæ adminiſtrantur à laicis, & in quibus ſunt bona laicorum, ſed ea tantùm, quæ dantur in titulum vel adminiſtrationem perpetuam, atque ita etiam intelligitur Clem. *Quia contingit* ibi allegata. Idémque Concilium ibidem cogit ad contributionem Seminarij illas confraternitates quas nonnulli vocant Scholas, quæ habent de bonis Eccleſiaſticis, intuitu ſcil. bonorum Eccleſiaſticorum. Alioqui Hoſpitalia, quæ data non ſunt in titulum, commendam, ſeu adminiſtrationem, modò beneficia annexa, redditus aut prouentus Eccleſiaſticos non habeant, non tenentur contribuere Seminario.

Domus Hoſpitalis S. Antonij data in commendam debet Seminario contribuere, licet non fuerit æſtimata, neque taxata in libris Sacræ Cameræ Apoſtolicæ, quia debent eius bona æſtimari, ac deductis oneribus ſolitis, debet Commendatarius Seminario contribuere mediam decimam ſecundum antiquam taxam.

Hoſpitale vnius Diœceſis habens beneficium annexum, quod eſt alterius Diœceſis, tenetur contribuere pro rata fructuum beneficij annexi Seminario, quod eſt in Diœceſi, in qua ſitum eſt beneficium.

15 *Et beneficiorum quorumcunque.* ] Membra ſeu bona alicuius beneficij poſita in alia Diœceſi, tenentur ad contributionem Seminarij Diœceſis, vbi ſitum eſt beneficium, licet in dictis bonis erecta fuiſſet Eccleſia, poſtquam erant bona dicti beneficij: beneficia verò vnita, contribuere tenentur Seminario propriæ Diœceſis, licet Eccleſia, cui ſunt vnita, ſint in alia Diœceſi. Sicut & Parochiales, quæ ſunt in vna Diœceſi, licet ab alio, quam ab Ordinario illius Diœceſis collatæ ſint, debent contribuere Seminario Diœceſis in qua ſitæ ſunt. Et bona ſita in vna Diœceſi, quæ propriè ſint attributa alicui ſacello eiuſdem Diœceſis, quod, tanquam membrum quoddam, ſubiectum aut vnitum ſit alicui beneficio in altera Diœceſi ſito, neque conſtat eadem bona illi beneficio prius adiecta fuiſſe, quam in eis ædificaretur ſacellum; contribuere debent Seminario Diœceſis in qua ſitum eſt beneficium, cui illud ſacellum (cuius prædicta bona ſunt,) vnitum aut ſubiectum eſt. Quod ſi bona priùs applicata fuiſſent, quam in eis ædificaretur ſacellum, contributio fieri debebit Seminario loci Diœceſis, in qua hoc beneficium eſt conſtitutum. At verò ex beneficio, quod in diuerſis Diœceſibus habet bona, contribuendum eſt Epiſcopo loci, in quo eſt beneficij Eccleſia: niſi bona in aliis Diœceſibus poſita, ſint propria vnius Eccleſiæ dicti beneficij, quia tunc contribuere debet Epiſcopis locorum, in quibus bona cum ſua particulari Eccleſia ſunt vnita, dummodo tamen Eccleſia ſubiecta aut vnita, conſtructa fuerit ante acquiſitionem bonorum. Igitur de contributione facienda Seminariis ex bonis beneficiorum, quæ ſunt in diuerſis Diœceſibus, declaratum eſt: Primò, Eccleſiam habentem prædia vel bona in

alia

alia Diœceſi, debere ex illis contribuere. Secundò, ſi vnum beneficium annexum ſit alteri, cum ſuis bonis in alia Diœceſi, illa bona contribuere debere Epiſcopo loci, vbi ſita ſunt cum ſua Eccleſia non obſtante annexione. Tertiò, ſi bona vnius Diœceſis, ſint vnita beneficio alterius Diœceſis, ſiue careant Eccleſia, ſiue aliquam habeant, quæ tamen non ſit Domina bonorum, ſed ædificata fuerit ad commoditatem incolarum, nec bona ſint ei applicata ab initio, non ſequuntur illam Eccleſiam. Imò ſi ſunt vnita alteri beneficio in alia Diœceſi, contribuere debent illi Eccleſiæ cui vnita ſunt, vt in primo caſu dictum eſt.

Pro contributione Seminarij non debet imponi penſio beneficio, ſed detrahenda eſt certa pars ex fructibus eius.

16 *Etiamſi nullius Diœceſis.* ] Beneficium nullius Diœceſis, ſoluit Seminario illius Diœceſis, in quo aliàs beneficium illud conſtitutum erat. *Supr. hoc c. § Abbatiarum.*

17 *Etiam exemptis.* ] Exempta Monaſteria non excuſantur à contributione Seminarij.

18 *Seu prouentibus.* ] Non tamen incertis.

19 *Etiam aliorum Collegiorum.* ] Congregatio cenſuit hoc intelligendum de ſæcularibus, non regularibus Collegiis. Seminario diſcentium, vel docentium, intelligitur Seminarium Clericorum ſæcularium.

Collegij pro erudiendis pueris inſtituti, quod ex dicto Concilij Tridentini Decreto, iam ſit Seminario applicatum, Ordinarius eſt adminiſtrator, cum onere tamen, vt omnia curet exequi, quæ ordinata fuerunt in dicti Collegij inſtitutione.

Fratres mendicantes ex redditibus beneficiorum Monaſteriis annexorum, Seminario contribuere debent: nec obeſt quod prætendant ſe eſſe exemptos, quia videlicet in illis lectiones Grammaticæ, & conſcientiæ caſuum pro audiendis confeſſionibus quotidie habeantur: Congregatio enim cenſuit non eſſe ob id exempta, ſed tantum eius impenſæ rationem habendam, quæ ante Concilium fieri ſolebat pro ſalariis horum lectorum, & ea, tanquam æs alienum, detrahenda; cæterum teneri ex reliquo ad contribuendum Seminario ad ratam.

Si Monaſteria Regularium ex conſtitutionibus ſuæ Religionis tenentur Collegium Vniuerſitatis propriis expenſis ſingulorum Monaſteriorum ſuſtentare, qua de cauſſa ſolebant ante Concilium eoſdem prorſus ſumptus facere, quos faciunt hoc tempore: æquum eſt vt eorum ſumptuum, (perinde atque æris alieni ac legitimi oneris, quod annuis fructibus eiuſdem Religionis impoſitum ſit) ratio habeatur in taxatione Seminarij, ita vt ea deducta, pro reliquis dumtaxat fructibus qui ſuperſunt, ad ratam, partem Seminario contribuant. Similiter ſi ante Concil. Trident. ex inſtitutis Religionis ſolebant in ipſis Monaſteriis, ſumptibus eorum ſuſtentari profeſſores ad docendam Monaſticam iuuentutem, detrahenda eſt hæc impen-

ſa

ſa tanquam æs alienum,& de reliqua ſumma aliquid eadem Monaſteria Seminario ex præſcripto Concil. Tridentini erecto contribuere debent,pro rata.

20 *Actu non habentur* ] Monaſteria in quibus actu Seminarium non eſt, & tamen contribuunt alteri Seminario pro ſuſtentatione Scholarium, cenſentur eodem iure, ac ſi Scholares haberent: propterea non contribuunt, niſi de redditibus, qui ſuperſunt.

21 *Hæc enim exempta eſſe voluit.* ] Tenentur tamen contribuere pro reliquis fructibus,deductis impenſis Seminarij,quæ deducuntur tanquam æs alienum.

Legata hac de cauſſa, vt conducatur ſcilicet Grammaticus, qui pueros pauperes literis inſtruat, intelliguntur ex Concil. Tridentin. hoc cap. eſſe applicata Seminario cum onere erudiendi pueros pauperes, ſicut Teſtator iuſſit. Et relicta pauperibus, ſiue ad educationem & inſtructionem miſerabilium puerorum cuiuſdam Collegij, quo poſtea ſublato, tandem ad Hoſpitale aliquod ea lege peruenerunt,vt aliqui darentur qui ad priſtinum pietatis vſum, & officia ea conferret,ex Decreto Concil. Trident. Seminario attribuere licet,& ei applicata cenſentur.

22 *Præterquam ratione redituum qui ſuperflui eſſent.* ] Beneficium, etiamſi habeat Seminarium tenetur contribuere pro reliquis fructibus: nam impenſæ Seminarij deducuntur, tanquam æs alienum.

23 *Confraternitatum* ] Modo tamen aliquod beneficium annexum habeant. *Infr. hoc c. §. Confraternitates.*

24 *Quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur* ] Non autem ſi ex eleemoſynis & collectis, Confraternitatum reditus conſiſtunt. *Infr. hoc cap. §. Confratern.*

25 *Non tamen mendicantium.* ] Hinc apertè colligitur fratres mendicantes ad Seminarij contributionem non teneri: quod procedit,ſi non habent beneficia vnita Monaſteriis, quia de beneficiis vnitis etiam ipſi ſoluere debent,habita ratione duntaxat redditumm dictorum beneficiorum. *Supr. hoc c. § Fratres.*

Congregatio cenſuit,portionem, quam Seminario legitimè contribuere tenebatur id beneficium, quod vnitum poſtea fuit Monaſteriis, vel mendicantium, vel eorum, qui iiſdem, ac mendicantes, gaudeant priuilegiis, non poſſe ampliùs exigi, propterea quod beneficij ſtatus mutatus ſit adeptione eorum, quos ex Pij V. Sanctæ mem. priuilegio ab huiuſmodi onere Seminarij exemptos eſſe perſpicuum eſt.

Si ignoratur, cuius naturæ ſint bona vnita Monaſterio, Eccleſiaſtica videlicet, vel laicalia donata, vel alias exempta à contributione Seminarij, ei obnoxia ſunt: & hoc procedit in Monaſteriis, quæ non ſunt mendicantium; nam in mendicantium Monaſteriis quæ poſſident bona immobilia, onus probandi ea eſſe per vniones acquiſita,in Epiſcopum transfertur, quo id non probante,ipſa erunt exempta.

San-

Sanctiſſimus Dominus noſter Gregor. XIII. ex ſententia Congregationis declarauit, equites Hieroſolymitanos non teneri ad contributionem Seminarij pro illis beneficiis Eccleſiaſticis, quæ ad ſuam Religionem Hieroſolymitanam non pertinent.

26 *Partem aliquam.* ] Ad rationem dimidiæ decimæ, iuxta taxam antiquam, ſi Seminarium erat erectum poſt diem 11. Iul. 1567. *Vide ſupr. hoc c. §. Domus, &c.*

Pars aut portio aliqua pro illis beneficiis, quæ in libris Decimarum non reperiuntur, taxata, Seminario non debetur, licet etiam bona reperiantur taxata in libris Decimarum, quando beneficia ob paupertatem Religioſorum ea obtinentium, fuerint facta immunia à ſolutione decimarum. Non contribuunt enim tunc Seminario.

Epiſcopus, qui ante diem 11. Iul. 1567. re ipſa Seminarium non erexerit, quandocunque illud erigere conſtituerit, ab ipſa reali erectione nihil eius nomine vltra dimidiam decimam relatam ad antiquam taxam exigat, & ſi quid amplius exegerit, vel reſtituat, vel cum eo compenſet, quod in poſterum poſt ipſam erectionem, ad eam rationem exigendum erit: niſi tamen clarè appareat, totum illud, quod amplius erit exactum, iam fuiſſe verè conuerſum in præparamenta neceſſaria aut aliam ſimilem operam Seminarij: antiqua autem taxa ea eſt intelligenda, quæ in vſu fuerit, antequam alia noua ibidem fuerit.

27 *Beneficia aliquot ſimplicia.* ] Non tamen ſi eſſent ad collationem & prouiſionem inferiorum. Vnde Concilium non decernit, vt omnia aut quæcunque beneficia ſimplicia vniantur Seminario, ſed vt aliquot: ideóque vnio facta omnium beneficiorum ſimplicium, non valet, vt alias declarauit Congregatio. Similiter vniones factæ abſque Conſilio eorum quatuor, quos iubet Concilium adhiberi, non valet.

Vniones verò legitimè factæ ſortiri debent effectum, non ſolùm cùm vnita contigerit vacare per obitum, ſed etiam cum per reſignationem, eaque debet Epiſcopus D. Datarium docere.

28 *Etiam ante vocationem.* ] Si vnio ſit facta non *prout ex nunc*, ſed *in futurum*, per deceſſum obtinentis cenſetur beneficium incorporatum & vnitum Seminario.

29 *Vniones, & applicationes.* ] Illud autem in contributione Seminarij ſeruandum eſt, vt priùs detrahatur totum id quod ex cauſſa oneris perpetui (puta quartæ fructuum quæ ſoluitur Cameræ Apoſtolicæ, & ſimilium) re ipſa ſolutum erit ab his, qui Seminario contribuere tenentur. *Vide ſupr. hoc c. §. Si Monaſteria.*

Vniones de beneficiis reſeruatis, validæ ſunt, ſi modo factæ fuerint ante ipſorum vacationem: quod ſi poſt vacationem factæ reperiantur, nullæ ſint, & prouiſi a Sede Apoſtolica, mitti debent in poſſeſſionem dictorum beneficiorum.

Non

Non poteſt Epiſcopus vigore huius Decreti applicare & vnire Seminario beneficia quæ reſidentiam requirunt, veluti Canonicatus, &c. Nec ea beneficia, quæ ſunt ad inferiorum collationem, nec quæ commendata ſunt, nec beneficia Iuriſ. patronatus, etiam Eccleſiaſtici, neque quæ Monaſteriis ſunt vnita vel annexa.

Seminario poſſunt ac debent vniri beneficia opima, ſi venit caſus vacationis.

Beneficia ſimplicia quæ per mortem vacarunt, poſſunt vniri Seminario, per Epiſcopum, licet eſſent reſeruata, vel affectata, niſi tamen alia beneficia ſimplicia, quæ iam vacaſſent in menſe Epiſcopi prædicti, & quorum collatio ad Epiſcopum ſpectabat, ipſe non Seminario vniuiſſet, ſed aliis contribuiſſet, vel aliam vnionem factam non continuò enuntiaſſet, vel fortè exequutioni non demandaſſet.

Epiſcopo Hoſtienſi conceſſum fuit, vt poſſit cogere Clericos ad contributionem Collegij aut Seminarij, ſed ad finem à Concilio præſcriptum.

Item ſi rurale beneficium vniatur Seminario ad præbendam lectoris, *ex nunc prout ex tunc*, quandocúmque vel quomodocúmque vacauerit, intelligitur vnitum.

Item, qui in Collegio illo per triennium ſtuduerit, habet priuilegia data ipſis Vniuerſitatibus.

Epiſcopo Auguſtano propter merita ſua conceſſum fuit, vt Prioratum S. Viti Vrbis Auguſtanæ Seminario applicaret.

Epiſcopo Herbipolenſi à Gregor. XIII. conceſſum fuit, vt Monaſterium Monialium deſertum, ne in hæreticorum manus veniret, Seminario ſuo vniret, idque fuit factum Ann. 1582.

30 *Sed pro penſionibus.*] Portionarius contribuere debet Seminario pro rata ad rationem illam, qua contribuit Titularis.

In taxa Seminario pro penſionibus ſoluenda, eſt ea ineunda ratio. Primùm inquiratur, quanta ſit taxa antiqua vnius decimæ, cuius taxæ partem dimidiam beneficiatus perſoluit, ex penſionibus verò remanebit proportionabiliter habito reſpectu ad verum valorem beneficij, & taxam perſolutam hoc modo; vid. ſi beneficium in taxa eſt pro decima integra, putà Ducator. 60. 30. quidem à Beneficiato perſoluentur, quæ ſunt pars dimidiæ decimæ. Attendatur poſtea ad verum beneficij valorem, nempe Ducat. 900 penſio verò fingatur 600. atque ita ex 30. Seminario ſolutis, beneficiatus viginti nomine penſionis, reliqua decem ratione beneficij præſtabit.

31 *Compellantur.*] Si videlicet verè Seminarium fuerit erectum: nam ante erectionem nullus poteſt cogi ad ſolutionem.

Soluentes penſionem, poſſunt retinere ratam taxæ debitam pro Seminario, vt Seminario ſit ſatisfactum.

32 *Deinde, vt cum, &c.*] Congregatio Cardinalium cenſuit, eum qui obtinet Scholaſticam, cogi omnino debere ad obeundum munus ſuum. Ita in quadam deciſione data Epiſcopo Iprenſi die vlt. Aug. ann. 1574

33 *Quod ſi iudicio Epiſcopi* ] Ante omnia in Seminariis conducendus eſt Grammaticus & Muſicus, qui pueros inſtruant, & ſi reperiantur Ieſuitæ, ceteris anteponendi ſunt.

Licentiato in ſacra pagina aut iure Canonico in qualibet Vniuerſitate approbata non obſtat, quod non ſit ex illis, qui eſſent in illa regione, in qua eſſet ſcholaſteria.

34 *Si verò in aliqua prouincia.* ] In Eccleſiis vbi adeo ſunt tenues reditus, vt huiuſmodi Seminaria erigi non poſſint, prouideatur ſaltem expenſis beneficia obtinentium de duobus Magiſtris, altero Grammaticæ, altero Muſicæ. *Suprà initio huius capitis.*

Dubitatum fuit aliquando, An beneficia vnius Diœceſis aliàs per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Seminario Clericorum alterius Diœceſis, in qua exiſtunt, erecto & inſtituto iuxta hoc Decretum Concilij, annexa illam portionem ſoluere cenſeantur, quam vigore eiuſdem Decreti impoſitam ſoluere conſueuerunt, qui ante memoratam vnionem beneficia ipſa in titulum ſiue commendam per 15. annos obtinuerunt? Congregatio cenſuit, portionem detractam, & applicatam ſeminario non poſſe auferri: quià vnio de qua agitur, applicatur tantū illi Seminario alterius Diœceſis, in qua ſunt fructus beneficij vniti, ſed non eximit à portione priori Seminario debita & perſolui ſolita: nam ius acquiſitum fuit, & non poteſt tolli: non obſtante Concilio illis verbis: *hac enim exempta eſſe voluit*: nam illud habet locum in collegiis & Seminariis, ante Concilium erectis vel dotatis, vt ex talibus non detrahatur portio pro alio Seminario; nos verò loquimur, quando prius conſueuit perſolui, & poſtea ſubſequuta fuit vnio.

Quærebatur, An fratres mendicantes, Moniales S. Baſilij, & Monachæ Carthuſianæ pro grangiis, quæ omnes in ciuitate Hieracenſi ante annū 1567 pro Seminario ſine vlla controuerſia cōtribuerunt, poſſint etiam hodie cogi ad eandem rationem? Sacra Congregatio Concil. ſub die 19. Mar. 1587. reſcripſit Epiſcopo Hieracenſi, circa hoc fratres mendicantium eſſe exemptos, ex Concilio hoc capitulo, & reliquo. Regulares ex priuilegio fel. rec. Pij V. Moniales tamen teneri, niſi ob earum paupertatem aliqua bona poſſideant, quæ immunia facta ſint à ſolutione decimarum, *Supr. hoc cap. § Pars aut portio, & §. Cumque.*

Confraternitates numeroſæ quæ oblationes incertas & maximas habent, contribuere tenentur, ſi nimirum habent fructus Eccleſiaſticos.

An penſiones ſuper curatis, & menſa Epiſcopali, ad rationem ſimplicium curatorum taxari debeant? Sacra Congregatio reſcripſit, penſiones teneri pro rata illius taxæ, quæ ab Epiſcopo cum Conſilio Deputatorum ad præſcriptum Concilij hoc ca. fuit impoſita beneficiis ipſis, ex quorum fructibus ſoluuntur penſiones. *Supr. hoc cap. §. In taxa.*

Vbi

Vbi non adſunt præbendæ in Cathedrali, diſtributiones taxari non debent. Congregatio quippe cenſuit & reſcripſit Epiſcopo Hieracenſi eodem die, non taxandas diſtributiones quotidianas. *Sup. hoc c. 5. Et Capituli, & Seſſ. 2. c. 3. de Refor. §. Diſtributiones.*

Qui habent præbendam in Cathedrali & Curatum in ciuitate ex diſpenſatione Apoſtolica, pro diſtributionibus non ſunt vllatenus taxandi Sacra Congregatio enim reſcripſit eidem, non teneri Canonicos pro diſtributionibus merè quotidianis. *vbi ſupr.*

Illuſtriſſimi D. D. Cardinales pro Abbatiis & beneficiis eorum, ad ſimplicium rationem dixerunt faciendam eſſe taxationem. Et enim ipſa ſacra Congregatio reſcripſit eiſdem D. D. Cardinales exiſtimare, etiam eos teneri iuxta taxam ab Epiſcopo & Deputatis, vt ſuprà, legitimè factam. *Sup. hoc c. § Quarumcunque.*

Equites Hieroſolymitanos pro Grangiis contribuere Sacra Congregatio reſcripſit eidem eodem die, non teneri.

An Abbatiæ & beneficia, quæ habent Eccleſias matrices in alia Diœceſi, contribuant? Sacra Congregatio eodem die reſcripſit eidē, Abbatias, de quibus agitur, teneri; ſi bona, quæ habent in Diœceſibus, ſint propria alicuius Eccleſiæ ibidem ſitæ, quæ tanquam membrum ſubiecta ſit, aut vnita Eccleſiæ Monaſterij in aliena Diœceſi exiſtenti. *Supr. hoc c. §. Et beneficiorum.*

Sanctiſſimus Dominus noſter Gregor XIII relatione Congregationis Concilij audita, reſpondit, quod Epiſcopus Termularum, qui erexerat Seminarium Anno 1575 S. M. & impoſuit tamen ſecundum Concilium prouinciale Beneuenti, cùm ſit Epiſcopus in quaſi poſſeſſione exigendi à toto Clero Diœceſis, non obſtante quod Seminarium fuerit erectum ante prædictum Decretum, Epiſcopum rectè poſſe exigere taxam impoſitam die 7. Octob. 1580 non reclamauerat enim Abbas S. Mariæ Montis Leſigliæ eiuſdem Diœceſis.

## REMISSIONES.

a VIde Gonzal ad reg. 8. cancel. gloſſ. 5. §. 7. nu. 68. cum ſequentibus, latiſſimè Zero in praxi Epiſcop par. 1. verbo Seminarium pag. mihi 326.

## *Deciſiones Illuſtriſs. Cardinal. Sacræ Congreg. quas refert Zerol. d. verbo Seminarium §. 5.*

b PRima. Epiſcopus poſt erectionem Seminarij beneficia ſimplicia vacantia non applicabit Seminario, ſed familiaribus ſuis, vel conſanguineis conferat, tantùm de ſua menſa Epiſcopali aſſignet Seminario, quoad vixerit, vel alia beneficia vacantia, ſaltem eiuſdem valoris, & ad eius collationem ſpectantia, eidem Seminario vniuerit.

Secunda. Non poteſt Epiſcopus vnire affecta, ſeu reſeruata, ſi alia vacantia in menſe ſuo ſimplicia alteri contuliſſet.

Tertia. Epiſcopus debet primùm ex ſua, & Capituli menſa contribuere Seminario, & poſtea cogere alios ſuo exemplo contribuere.

Quarta Cardinales etiam debent contribuere eidem de fructibus beneficiorum, quæ habent in Diœceſi vbi eſt Seminarium.

Quinta. Omnes tenentur ſoluere, niſi qui nominatim excipiuntur à Concilio in præſenti.

Sexta. Confraternitates, & ſcholæ habentes redditus etiam tenentur contribuere, ſi ſint Eccleſiaſtici.

Septima. Confraternitates, & Capellæ habentes redditus Eccleſiaſticos, exiſtentes tamen intra Eccleſias Regularium, tenentur contribuere.

Octaua. Hoſpitalia data in titulum, vel adminiſtrationem, ſi habeant beneficia annexa, vel redditus, aut prouentus Eccleſiaſticos, etiam tenentur ſoluere, refert idem Zerol. p. 1. verbo Hoſpitale, verſ. Decimum dubium

Nona Legata facta pro magiſtro Grammatices, qui pueros pauperes doceat applicari poſſunt Seminario cum onere erudiendi pueros, ſicut teſtator iuſſit.

Decima. Bona, quæ fuerunt applicata alicui collegio, propter Chriſtianam educationem miſerabilium puerorum, ſi Collegium id ſublatum ſit, debent ea bona applicari Seminario.

Vndecima. Contribuere non tenentur Canonici de diſtributionibus quotidianis Seminario, ſi contribuunt ex fructibus ſuæ præbendæ.

Duodecima. Qui ſolùm habent quotidianas diſtributiones, non tenentur de illis contribuere Seminario, refert idem Zerol. p. 1. verbo Diſtributiones. § 5. Gonzal. ad reg. 8. cancel. § 7. procem. numer. 170. cum ſeqq.

Decimatertia. Cooptati in Seminarij Collegium non poſſunt ordinari ad titulum Seminarij, niſi ob cauſam inſeruiendi beneficio, quod forſan eſſet ab Ordinario Seminario iunctum, vel ab alio.

y *Pauperum autem filios præcipuè eligi vult.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſcopali p. 1 d. verbo Seminarium. § 2.

δ *Grammatices, cantus, &c.* ] Vide Zerol. d. verbo Seminarium § 4.

ε *Quæ omnia. &c.* ] Vide Zerol. d. verbo Seminarium. § 3.

ζ *Cum conſilio duorum Canonicorum, &c.* ] Quòd Epiſcopus tenetur adhibere in conſilium prædictos deputatos, non tamen tenetur ſequi conſilium eorum, tenet Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 46. num. 74.

η *Fratribus S. Ioannis Hieroſolymitani.* ] Vide Gonzal ad reg. 8. Cancel. gl. 8. num. 53.

De

θ De Collegiis, & Monaſteriis Mendicantium vide Fr. Emman q. Regular. tom 1. q. 45. ar. 2. & q. 66 art. 3.

ι *Nec non beneficia.*] Vide Gonzal ad reg. 8. Cancel. gl. 3. n. 3.

κ *Etiam præſtimonia.*] Quòd ſint beneficia eccleſiaſtica, ex hoc tex. colligit Gonzal. gl. 5. §. 2. num. 8.

λ *Nec per reſignationem ipſorum.*] Vide Flamin. de Reſign. li. 2. qu 9. nu 2. & lib. 10. q. 7. nu. 17.

μ *Vniones, & applicationes ſuſpendi, &c.*] De Reſignat. ſimplici intelligi, non autem de conditionali in fauorem certæ perſonæ, ſacram Cardinalium congregationem decidiſſe teſtatur Gonzal. gl. 14. n. 10.

ν Sacra Cardinalium congregatio cenſuit, debere priùs eſſe erecta iſta Seminaria, & in illis ſcholares actualiter adeſſe, vt vniones factæ Seminario ſubſiſtant, refert Gonzal. gl. 7. nu. 68.

ξ *Sed pro penſionibus &c.*] Vide Tyraq de iure primog. q. 70. nu. 10. Valaſc. de iure Emphyt. q. 17. nu. 10.

### *Indictio futuræ Seſſionis.*

Inſuper, eadem ſacroſancta Tridentina Synodus proximam futuram Seſſionem in diem decimam ſextā menſis Septembris indicit: in qua agetur de Sacramento Matrimonij, & de aliis, ſi qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expediri poſſint; item de prouiſionibus Epiſcopatuum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum eccleſiaſticorum, ac de diuerſis reformationis articulis.

*Prorogata fuit Seſſio ad diem XI. Nouem.*
M. D. LXIII.

# SESSIO XXIV.

## QVÆ EST OCTAVA SVB PIO IV. PONTIF. MAX.

### CELEBRATA DIE XI. NOVEMB. M. D. LXIII.

### *Doctrina de Sacramento Matrimonij.*

α MAtrimonij perpetuum, β indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus inſtinctu pronunciauit, *cum dixit Hoc* γ a *nunc os ex oſſibus meis*, & caro de carne mea. quamobrem b relinquet

a Gen. c. 3 Eſd. 4. Eph 5. 1. Cor. 6. c. fraternitis, 35. q. 10. c. debitum, de big. ca. 1. in pri. de coniu lepr.
b Matt. 19.

homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.

Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari, & coniungi, Chriſtus Dominus apertius docuit, cùm poſtrema illa verba, tanquam à Deo prolata, referens dixit: [a] Itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro, ſtatimq; eiuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto antè pronunciatam, his verbis confirmauit: [b] Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

*a Matth. 19. Marc. 16. 1. Cor. 6. Eph. 5. c. ſunt qui. 27. qu. 2. c. de infidelib. de conſan. & affin. c. Martinus de cognat. ſpirit.*
*b Ibid.*

Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatem confirmaret, coniugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atq; perfector, ſua nobis paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit, dicens: [c] Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea: mox ſubiungens: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem [d] dico in Chriſto, & in Eccleſia.

*c c. nemo, in fin. 31. q. 4. Eph. 5. in fin. c. debitum, de biga.*
*d ibid.*

*Cùm* [S] *igitur Matrimonium in lege* [e] Euangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet; meritò inter nouæ legis Sacramenta annumerandum, ſancti Patres noſtri, [f] Concilia & vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt: aduerſus quam impij homines huius ſæculi inſanientes, non ſolum perperam de hoc venerabili Sacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo prætextu Euangelij libertatem carnis introducentes, multa ab eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata conſuetudine aliena, ſcripto, & verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſti fidelium iactura: quorum temeritati ſancta, & vniuerſalis Synodus cupiens occurrere, inſigniores prædictorum ſchiſmaticorum hæreſes, & errores, nec plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipſos hæreticos, eorumque errores decernens anathematiſmos.

*e Eph. 5.*

*f Concil. Florentin. ſub Eugen. 4. c. ad abolendã de hæret.*

(∴)

RE-

## REMISSIONES.

α DE Matrimonio latè ſcripſerunt Petr. Sot. de Matrim. Viuald. in Cand Aureo. tit. de Matrim. Veracruz in Specul. coniug. Gregor. Lop. tit. 1 p. 4. Perez tit. 1. li. 5. Ord. Marienſ titu. 1. lib. 5. Nouæ Reco Barthol. Ledeſm. in ſum. tit. de Matrim. Pet. de Ledeſm. in tract de Matrim. & in ſum. p. 1. de Sacram. Matrimonij, Cardinal. Bellarm. de Matrim Zerol. in praxi Epiſcop. verbo Matrimonium, p. 1 Stephan. Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Matrimonij impedimenta, & verbo Matrimoniales diſpenſationes, cum addit Proſper. de Auguſtino, nouiſſimè D. Ioannes Guttier. tractatum edidit de Matrim lib. 3. ſuarum quæſt. Canon. Et ex Doctiſſimis Theologis Societat. IESV Pat Henriq. in ſum p 2. li. 11. de Matrim. P. Rebello de Obligat. iuſtitiæ, p. 2. l. 3. de contractu Matrim. P. Ægid. de Coninck, de Sacram & Cenſur. tom. 2. diſp. 21 cum ſeqq. P. Valer. Reginald in praxi fori pœnitent. lib. 31. elegantem deniq; tractatum in tres tomos diuiſum in lucem edidit de Sanct. Matrimonij Sacrament. P. Thom. Sanchez.

β *Indiſſolubilemq; nexum.*] Vide P. Ægid. de Sacram. tom 2 diſput. 26. dub. 1. concl. 3. D. Guttier. d. tract. de Matrim c. 53. à princip. P. Rebello. p. 2. qu. 15. ſect. 1.

γ *Cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.*] Vide Perez lib. 1. in gl. verbo *Que es el Parayſo*, pag. 20 tit. 1 lib. 5 Ord Petr. Ledeſm. de Matrim. q. 42. art. 2. Viual. in Candel aureo p 1. de Matrim. numer. 7. P. Henriq in ſum. lib 11. de Matrim. c. 1 nu. 3. P. Sanch. de Matrim. l. 2. diſp. 4. num. 2. & diſput. 13. nu. 4. P. Rebello de Obligat iuſtit. p 2. l. 2. qu. 3. à princip. Guttier. d tract de Matrim. c. 39. à princ.

δ *Cùm igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubiis, &c.*] Ante legem Gratiæ Matrimonium nullo modo poſſe dici eodem modo eſſe Sacramentum, quo iam eſt, reſoluunt Petr. de Ledeſm. in ſum. de Sacram. Matrim. c. 1. concl. 6 Pat. Ægid. d. tom. 2. diſpu. 24. concl. 2. P. Rebello d. li. 2 q. 3. à nu. 12 P. Henriq. d. li. 11. ca. 2. nu. 1. & in commento lit. V. P Sanch. li. 2. de Matrim diſpu. 7. num. 2. nouiſſi. Guttier. d. tract. de Matrim. c. 42. à princip.

### *De Sacramento Matrimonij.*

### α CANON I.

Si quis dixerit, Matrimonium non eſſe verè, & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis, [a] à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, neque gratiam conferre; anathema ſit.

*a Matth. 19. Marc. 10. Epheſ. 5. c. ad abolendā de hæret.*

### a CANON II.

*a Mat. 19. c. ſi quis, 32 q. 7. toto t. i. de ſponſa duorum. c. gaudemus, de diuor.*

Si quis dixerit, [a] licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum; anathema ſit.

### a CANON III.

*b Leu. 18. c. pyſtacium, 30 q. 3 Conc. Tolet. 2. c. 5. 35 qu. 2 & 3. per totam, c. non debet, de conſan. & affin.*

Si quis dixerit, [b] eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, vt plures impediant, & dirimant; anathema ſit.

### a CANON IV.

Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.

### a CANON V

*c c. de illa cum ſeq. de diuor. c. de infidelib. de conſan. & affin.*

Si quis dixerit. [c] propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à coniuge, diſſolui poſſe matrimonij vinculum; anathema ſit.

### a CANON VI.

*d c. commiſſum de ſponſal.*

Si quis dixerit, [d] matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnen religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi; anathema ſit.

### a CANON VII.

*e Matt. 19. Luc. 16. 1. Cor. 7. c. placuit, cum multis ſeq. 32. q. 7. c. gaudemus; de diuor. Conc. Mileuitanum. c. 17. Conc. Africanum. c. 69.*

Si quis dixerit, [e] Eccleſiam errare, cùm docuit, & docet, iuxta Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugũ, matrimonij vinculum non poſſe diſſolui; & vtrumque, *vel ß etiam innocentem* qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere; mœcharíque eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ dimiſſo adultero, alij nupſerit; anathema ſit.

### a CANON VIII.

Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges, quoad thorũ, ſeu quoad coha-

A. Bonat. 953. p.4 n.2

cohabitationem, ad certum, incertúmve tempus fieri poſſe decerni; anathema ſit.

### a CANON IX.

Si quis dixerit; [a] Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto; & oppoſitum nil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, poſſeq; omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam vouerint, habere donum; anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec [b] patiatur nos ſupra id quod poſſumus, tentari.

### a CANON X.

Si quis dixerit, [c] ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio [d]; anathema ſit.

### a CANON XI.

Si quis dixerit, prohibitioné ſolemnitatis nuptiarum certis annis temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam; aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Eccleſia in illis vtitur, damnauerit; anathema ſit.

### a CANON XII.

Si quis dixerit, [e] cauſas matrimoniales non ſpectare ad iudices eccleſiaſticos; anathema ſit.

*a diſt. 27. c. presbyter. & per totam 17. q. 1. per totã, extra. qui cler. vel vouen. per totum, Conc. Carth. 4. cap 104. Conc. Matiſcon. c. 4. cum ſeq.*

*b 1. Cor. 10.*

*c Matth. 19. 1. Cor. 7. in fi. c. nuptiæ, 31. q. 2. c. qui ſint 33. q. 5. c. commiſſum, de ſponſal.*

*d 1. Corr. 7.*

*e c. multorum, 35. q. 6 c. de in fin de conſan. & affin. c. accedentib. de exceſ. prælat.*

## REMISSIONES.

### a CANON I.

VIde Perez vbi proximè Spin. in ſpeculo teſtam. gloſ 15. princip. n. 15, Sayr. de Sacram. in genere lib 1. c. 2 qu. 2. art. 4 verſ. Quod verò ad matrimonium, P. Valent. tom. 4. diſp. 10 qu. 1. puncto. 5 Pet de Ledeſm in ſum. p 1. de Sacram. matrim. cap. 1. concl. 1. & 19. P. Rebello de Obligat. iuſtit. p 2 lib. 2. q. 3. P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit. li 31 ca 1. à n. 2 P. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 24. dub. 1. à nu 5 D. Guttier. d. tract de matrim. c 42.

a CANON II. Vide Card. Bellarmin. lib. 1. de matrim. c. 11 præpoſit 2. Pat. Valent. p. 4 diſput. 10. qu. 1 puncto 3 col 3 verſ Quintò. P. Henriq. in ſum. lib. 12. cap. 6. § 1. P. Sanch lib 7 de matrim diſput. 80. P. Rebello de Obligat iuſtit p 2. li. 3 qu. fin. à num. 5. P. Ægid de

Sacram tom 2. diſp.26.dub.2.n.13. D. Guttier. d. tract de Matr c.96.

α CANON III. Vide P. Sanch. de Matrim. lib 7. diſp 51. nu 5. & 6. & lib. 8. diſp. 6. nu 11. cum ſeq. P. Rebello de Obligat. iuſtit p 2. lib. 3 qu. 15. num. 11. D Guttier. d. tract de Matrim. c 98. nu 19

α CANON IV. Vide Petr de Ledeſm. in ſum p 1. de Sacram. Matrim c. 10 conc. 1. P Rebello de Obligat. iuſtit. p 2. lib 3. qu. 1. nu. 1 P. Ægid. de Coninck. tom 2. diſp 31. nu. 10. Cened. pract. & Canon. q. lib. 1 qu. 39 num. 91.

α CANON V. Vide Gregor. lib. 3 tit. 2. part. 4 Perez. lib. 1 tit. 1. lib. 5 Ordinan. pag 10.

α CANON VI. Vide D. Barbos. p 2 Rub. ff. ſoluto Matrim. nu. 73. D. Guttier. d. tract. de Matrim. c. 54. à nu. 1. P. Sanch. de Matrim. lib. 2 diſp, 18. nu. 3. P. Rebello de Obligat iuſtit. p. 2. lib 3 qu. 4. à nu. 1. & q 4. ſect. 3. P. Valer. Reginald in praxi fori pœnit. lib. 31. nu 36. P. Ægid. de Coninck. de Sacram. tom. 2. diſp. 26. à num 30

α CANON VII. Vide Nauar. in Man cap. 22. numer. 21. Cou. de ſponſal p. 2 cap. 7 §. 6 num. 14. P. Rebello de Obligat. iuſt. p. 2. lib. 2. qu. 15. ſect. 2.

β *Vel etiam innocentem.* ] Vide Guttier. Canon. lib. 1 c. 15. nu. 4. D. Barboſ p. 2. Rub. ff. ſoluto Matrim. nu. 15. P. Sanch. de Matrim. lib 10. diſp 2. num. 2.

α CANON VIII. Vide P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib 31. nu. 313. verſ. Porrò.

α CANON IX. Vide Petr. de Ledeſm in ſum. p. 1. de Sacram. Matrim. cap. 13. concl. 8. Cardin. Bellar. in ſuis Controuerſ. lib. 2. de Monach. à cap 22. D. Guttier d. tract. de Matrim. c 94 à num. 5 Pat. Henriq in ſum. lib 12. c. 5. §. 1. lit. l. & §. 9. in princip lit. num. & O. P. Azor. inſtitut. Moral. p. 1. lib. 13. cap. 12 col. 1329 in fin P. Sanch de Matrim. lib. 7 diſp. 26. nu. 1. P. Valer. Reginald in praxi fori pœnit. lib. 31 num. 120. P. Ægid. de Sacram tom. 2 diſp 31 nu. 66.

α CANON X. Vide D. Guttier. d. tract de Matrim. c. 4 nu 6.

α CANON XI. Vide Matienſ. in gl. 1. Rub tit. 1. num. 147. lib. 5. nouæ Recopil. Cened ad Decret collect. 22. num. 1. in fin.

α CANON XII. Vide Zerol in praxi Epiſc. p. 1. verbo Matrim. §. 16 D Martam. de iuriſdict. p, 2. c. 8 à princip.

## Capvt I.

### *Decretum de reformatione Matrimonij*

α TAmetſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi ſint illi, vt eos ſancta Synodus anathemate dãnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant

quiq;

*quiq; β γ falsò affirmant , matrimonia, à filiisfamilias* ſine conſenſu parentum contracta , irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe , nihilhominus ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper [a] deteſtata eſt , atq; prohibuit. verùm , cùm ſancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodeſſe , & grauia peccata perpendat , quæ ex eiſdem clandeſtinis coniugiis eorum habent ; præſertim verò eorum , qui in ſtatu damnationis permanent , dum priore vxore , cum qua clàm contraxerant , relicta, cum alia palàm contrahunt , & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cùm ab Eccleſia , quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur : [b] icci̇rco ſacri Lateranenſis Concilij, ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo præcipit vt in poſterum, antequam matrimonium contrahatur , 1 δ *ter à proprio contrahentium Parocho tribus* ε *continuis* ζ *diebus feſtiuis in* η *Eccleſia* inter Miſſarum ſolemnia 2 θ ι &c. *publicè denuntietur*, inter quos matrimonium ſit contrahendum : 3 *quibus denuntiationibus factis, ſi* ν *nullum legitimum* opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij *in* ξ *facie Eccleſiæ* procedatur ; 4 ο *vbi Parochus, viro & muliere interrogatis*, & eorum *mutuo* π *conſenſu* intellecto , 5 ρ *vel dicat* , *Ego vos in matrimonium coniungo* , *in nomine* Patris, & Filij, & Spiritus Sancti : *6 vel aliis vtatur verbis*, iuxta receptum vniuſcuiuſque prouinciæ ritum. *Quòd* ς τ *ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio*, matrimonium malitiosè impediri poſſe , 7 *ſi tot præceſſerint denunciationes* ; tunc vel 8 *vna tantùm denunciatio fiat* , vel ſaltem Parocho , & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. *Deinde* υ *ante illius conſummationem* denunciationes in Eccleſia fiant ; vt, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, faciliùs detegantur : 9 ↓ &c. *niſi Ordinarius ipſe* expedire iudicauerit , vt prædictæ denunciationes remittantur : *quod* α α &c. *illius prudentia* , & iudicio ſancta Synodus relinquit. 10 ϛ ϛ &c. *Qui aliter, quàm præſente* θ θ &c. *Parocho* , *vel* π π &c. *alio*

a c. non omnis, c. honoratur. &, c. ſi. 32. q. 2. c. aliter, & c. monſtratet, 39. q. 5. c. videtur. qui matr. acc. poſ. Conc. Toletanū 3. c. 10.

b Conc. Lat. 2. in Can 31. & in cum inhibitio, de Cland. deſp.



Sed si pro fiat assisten tia aliquid petat com mittit simoniā = beneficina intr. de sim. qq. 4 § 16. n. 7

*ſacerdote*, 11 σσ &c. *de ipſius Parochi*, 12 υυ *ſeu Ordinarij* φφ &c. *licentia & βββ* &c. *duobus, vel tribus teſtibus* matrimonium cōtrahere attentabunt, eos ſancta Synodus 13 ζζζ &c. *ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit: & θθθ huiuſmodi contractus irritos*, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto 14 *irritos facit, & annullat*. Inſuper parochum, vel alium ſacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel ſacerdote huiuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes grauiter *arbitrio* λλλ *Ordinarij* puniri præcipit. Præterea eadem ſancta Synodus hortatur, *vt* μμμ &c. *coniuges ante benedictionem ſacerdotalem*, in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent; [a] *ſtatuitq;* ξξξ &c. *benedictionem a proprio Parocho fieri*; neque à quoquam, *niſi* ppp *ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam* ad prædictam benedictionem faciendam, alij ſacerdoti concedi poſſe; *quacúmque* σσσ *conſuetudine, etiam immemorabili*, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, vel priuilegio non obſtante. *Quòd* τττ *ſi quis Parochus*, vel alius ſacerdos, *ſiue* υυυ *regularis*, ſiue ſæcularis ſit, etiam ſi id ſibi ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, 15 *alterius parochiæ* ſponſos *ſine* φφφ *illorum Parochi licentia* matrimonio coniungere, *aut* χχχ *benedicere* [b] *auſus* ψψψ *fuerit*; 16 *ipſo iure tamdiu* ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur. *Habeat* ωωω *Parochus librum*, in quo coniugum, & teſtium nomina, diemque & locum contracti matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Poſtremo ſancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem *ſua* αααα *peccata diligenter confiteantur*, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè accedant. *Si* ββββ *quæ prouinciæ* aliis, vltra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis hac in re vtuntur, eas omninò retineri ſancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc

a c. 1. cū multis ſeq. 30. q. 1. & c. nulli, 35. q. 2.

b Gratis benedictio detur, Alexan. 3. Conſtit. ſua part. 1. c. 7. & Inno. III. in 2. Cōc. Lat. c. 66

hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, vt, cùm primùm potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum diœceſum Parochialibus Eccleſiis: idque in primo anno quàm ſæpiſſimè fiat; deinde verò quoties expedire viderint. Decernit inſuper, vt huiuſmodi decretum in vnaquáque Parochia ſuum robur 17 *γγγγ poſt triginta dies habere incipiat*, 18 *à die prima* publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.

---

## DECLARATIONES.

FVrioſus habens dilucida interualla ad Subdiaconatûs Ordinem promotus, continere tenetur, & concedenda non eſt ei diſpenſatio, vt Matrimonium contrahere poſſit.

1 *Ter à proprio contrahentium Parocho.* ] Quando Matrimonium contrahitur inter duos de diuerſis Parochiis, debent in ambabus fieri denuntiationes. Et quando Matrimonium contrahitur inter virum qui ſit de vna Parochia, & mulierem de alia, ſufficit, ſi contrahatur coram Parocho proprio mulieris, vel coram Parocho in Parochia viri. Sic Congregatio cenſuit, quod & ipſe Gregorius XIII. confirmauit, *iuxta Nau. cap. 25 num. 144.*

Matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, & à paruo tempore, in aliquo loco habitantes, ſi tamen ſint cogniti, ita vt non ſint de comprehenſis inter vagabundos: proprius autem eorum Parochus eſſe intelligitur, in cuius Parochia habitant eo tempore, quo Matrimonium contrahunt. *Vide infrà huius Seſſ. cap 7. §. Parochis.*

2 *Publicè denuntientur* ] Etſi denuntiationes omitterentur, tamen Matrimonium irritum non eſt, ſeruatis tamen cæteris requiſitis. *Nauar. Ench. cap 22 num. 70.*

3 *Quibus denuntiationibus factis.* ] Ex Concilio Rauennatenſi fuit approbatum & decretum in Congregatione, quod ſi qui peractis denuntiationibus intra quatuor menſes non contraxerint, non poſſint contrahere, niſi iterum peractis denuntiationibus: arbitrio tamen Epiſcopi ſunt puniendi. Matrimoniū verò, ſi, antequam fiant publicæ denuntiationes, conſummatum ſit, ſeu factis denuntiationibus conſummatum itidem ſit, antequam coram Parocho & teſtibus celebretur; eſt verum Matrimonium; modò tamen poſtea contractum ſit coram Parocho & teſtibus, & nullum aliud adſit impedimentum. Vbi verò talis eſt abuſus, videlicet quòd Matrimonium conſummetur, antequam factæ ſint denunciationes, ſeu poſt, & antequam

contra-

contractum ſit per verba de præſenti coram Parocho & teſtibus, eſt omnino tollendus: & qui id commiſerint ſeu in poſterum committent, puniri debent pœna ſtupri, ſed dumtaxat arbitraria.

Sponſus qui Sponſam ſe duxerit, & ſtuprauerit, non poteſt puniri pœna contra ſtuprantem à Sacris Canonibus inflictâ, prætextu quòd hodie ex Decreto Concilij. Sponſalia poſt copulam ſubſequutam non tranſeant in vim Matrimonij vt erat ante Concilium, ſed grauiter arbitrio Ordinarij dumtaxat ſunt puniendi ex hoc Decreto.

Monendi ſunt ſponſi vt factis Sponſalibus, quamprimùm contrahant Matrimonium per verba de præſenti, coram Parocho, & teſtibus ne ſponſæ hoc ſtupri periculum ſubeant, maximè ſi ipſi Sponſi ante conſummationem Matrimonij id petierunt. Et qui promittunt contrahere Matrimonium coram Parocho & teſtibus, & Notario qui recipit inſuper inſtrumentum de iuramento, in manibus ipſius Parochi præſtito, ſi deinde ſequuta eſt inter eos carnalis copula, nullis factis denuntiationibus, ſunt puniendi grauiter arbitrio Ordinarij, qui debet tale Matrimonium declarare eſſe nullum: ſed ſi poſtea voluerint contrahere per verba de præſenti, id eis permittitur, ſeruatis tamen ex hoc Decreto Concilij ſeruandis, & dummodo nullum aliud impedimentum legitimum adſit: & ſi alter quoque alterum voluiſſet cogere ad obſeruanda ſponſalia iurata, iuxta diſpoſitionem cap. *Ex literis, de Sponſal.* id eis permittitur.

4 *Vbi Parochus, viro & muliere interrogatis.* ] Matrimonium contractum coram coadiutore in adminiſtrandis ſacramentis Parochi, vel Vicarij perpetui in illâ Parochiâ, valet. Item valet, ſi fuerit contractum coram Parocho notorio fornicatore, non tamen adhuc in iudicio condemnato, & confeſſo. Similiter valet coram Parocho etiam non ſacerdote, vt dicitur in vna Abulenſi.

5 *Vel dicat: Ego vos in Matrimonium coniungo.* ] Etſi Parochus nihil dicat, conſtat tamen Matrimonium, modò partes contrahant.

6 *Vel aliis vtatur verbis.* ] Non pertinet ad ſubſtantiam Matrimonij, vt Parochus aliqua verba proferat: ideo valet Matrimonium quamuis verba exprimentia conſenſum, prolata ſint tantùm à contrahentibus; dummodò Parochus ſit præſens, & intelligat id quod agitur, licet diſſentiat, & contradicat: adhibitus verò Parochus intelligitur, etiamſi ex alia cauſſa principaliter eſſet vocatus, dummodò ſit adhibitus etiam ad illum actum.

7 *Si tot præceſſerint denuntiationes.* ] Vbi propter publicas denuntiationes Matrimonium malitioſè impediri poteſt, illis omiſſis, coram Parocho, vel alio Sacerdote de eius vel Epiſcopi licentia, & duobus vel tribus teſtibus adhibitis, per verba de præſenti contrahere

poſ-

poſſunt: quo facto, antequam deueniant ad conſummationem, ſemel vel bis erunt faciendæ denuntiationes. Epiſcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ ſunt nuptiæ, omittere poteſt aliquas denuntiationes, ſecundum prudentiam ſuam, & iudicium, non tamen iubere vt diebus ferialibus fiant.

8 *Vna tantum denuntiatio fiat.*] Arbitrio Ordinarij, non item Parochi aut Decani ruralis.

9 *Niſi Ordinarius ipſe.*] Epiſcopus poteſt poſt Matrimonium contractum, ante illius conſummationem (ſi ita expedire iudicauerit, ſecundum prudentiam ſuam & iudicium ex aliqua cauſſa arbitrio ſuo remittere denuntiationes, etiamſi non ſit ſuſpicio, quod Matrimonium malitioſè impediatur. *Suprà, § Sextò.*

Non permittitur hæc facultas Commendatario, licet eius Abbatia iura Epiſcopalia habeat, cuius Abbas appellatione Ordinarij venit, iuxta Gloſſ. *in cap. fin. de offic. Ordin. in* 6. dixit enim S. D. N. quod Ordinarius hîc non intelligitur, niſi Epiſcopus: tamen Cardinali Farneſio Commendatario Farfenſis Monaſterij, fuit permiſſum, non autem eius Vicario.

Omiſſio edictorum, quæ præcedere debent celebrationem Matrimonij, ex conſtitutionibus Synodalibus diœceſanis, & ex conſuetudine immemorabili, quam ſeruatam eſſe vellent etiam poſt Concilium Tridentinum, reddere non debet Matrimonium clandeſtinum, prolémque illegitimam, perinde ac Matrimonium contractum eſſet ſine Parocho & Teſtibus, vt Congregatio cenſuit, ex vi Concilij Tridentini.

Martha quæ contraxit Sponſalia de futuro cum N. cum quo carnalis copula non ſequuta eſt, potuit ingredi Monaſterium, & habitum religionis ſuſcipere, & in eo permanere & profiteri, & poſtquam profeſſionem emiſerit, tunc ab Ordinario pronuntiandum eſt licere N. Matrimonium liberè contrahere cum aliâ muliere.

10 *Qui aliter.*] Decretum hoc annullat ſolùm contractus Matrimoniales per verba de præſenti clandeſtinè factos: Sponſalia verò per verba de futuro, relinquit in terminis iuris communis, præterquam quod per copulam prædictam Sponſalia in Matrimonium non tranſibunt iuxta cap. *Ex literis, de Sponſalibus.*

Etiam prohibitione facta ab Ordinario, ne Parochus Matrimonio coniungat aliquos, non ita tollitur, ſeu ſuſpenditur Iuriſdictio Parochi, vt ad celebrandum Matrimonium non ſit legitimus Parochus, matrimoniúmque coram eo contractum, nullum ſit, ſed Matrimonium valet. Et ſi hæc prohibitio facta ſit non ipſi Rectori principali, ſed eius Vicario, qui ad nutum Ordinarij amoueri poteſt, Matrimonium in quo contra Ordinarij prohibitionem Vicarius iſte interuenit. Congregatio reſpondit validum eſſe.

Debet Epiſcopus cognoſcere, an poſſit per cenſuras Eccleſiaſticas

cogere

cogere renuentem ex coniugibus, ad obſeruanda ſponſalia de futuro, iuxta trad. in cap *Ex literis, de Sponſ. & Matrimoniis.*

Sponſalia inter impuberes ante ætatem, etiam vnius ex Sponſis, contracta per verba de præſenti, ſeruatâ formâ Concilij (vt hic) non tranſeunt in Matrimonium etiam ſubſequutâ copulâ poſt ætatem, non ſeruatâ de nouo eadem forma Concilij, de qua in hoc Decreto. Non impediuntur tamen, quo minùs iterum contrahere poſſint iuxta formam hic præſcriptam, & non ſubſequutâ copulâ, nullum erit impedimentum, quin cum conſanguinea, vel affine alterius partis contrahere poſſit: ſecus verò ſi eſſet ſequuta copula, ſic enim in primo vel ſecundo gradu, eſſet ortum impedimentum ex fornicatione. *Infrà, hoc cap. §. Matrimonium contractum per verba.*

Matrimonium contractum coram teſtibus, ſed ſine Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia poſt Concilium Tridentinum, non ſolùm eſt nullum, ſed nec vim habet ſponſalium: adeo vt ſic contrahentes ad denuo contrahendum compelli non poſſint. Imò contrahens non præſente Parocho, teſtes & notarius, qui clandeſtino iſti contractui interfuerunt, grauiter pœna arbitraria puniendi ſunt: eſt enim neceſſarium ad hoc vt contractus Matrimonij ſit validus, quòd præſente Parocho proprio contrahentium, vel alio Sacerdote de ipſius vel Ordinarij licentia, & coram teſtibus, verba de præſenti, ab vtróque contrahentium proferantur.

Satis eſt vt Matrimonium coram Parocho & teſtibus contrahatur per verba de præſenti, quod contrahentes valuit tunc adſtenti, denuntiationes tamen trinæ, & Sacerdotis benedictiones in Eccleſia faciendæ ſunt. Et Parochus ita præſens Matrimonio debet eſſe, vt appareat à contrahentibus hac de cauſa adhibitus fuiſſe. *Suprà, hoc c. §. vel aliis.*

Quod ſi Parochus adfuiſſet, nihil tamen eorum quæ agebantur vidit vel audiuit, Congregatio reſpondit Matrimonium non valere, ſi non intellexiſſet, niſi ipſe Parochus affectaſſet non intelligere.

Matrimonium contractum non ſeruata forma Concilij Tridentini (licet contrahentes certam inter ſe de contrahendo Matrimonio fidem dederint, & poſtea coram teſtibus ſine Parocho de præſenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos ſubſequuta,) non in ſponſalia de futuro reſoluitur, ita vt cogi poſſint contrahere ſeruata forma Concilij. *Sic reſponſum eſt Epiſcopo Patauino. Suprà, hoc c §. Matrimonium contractum.*

Congregatio Concilij perpenſis conſultationibus Epiſcopi Tricaricenſis circa formam Matrimoniorum quæ in partibus Hollandiæ Zelandiæ, & Friſiæ, contrahuntur, ita cenſuit: Vbi hoc decretum nondum eſt publicatum in Parochia, valet Matrimonium contractum abſque obſeruatione formæ à Concilio præſcriptæ, Publicatio aut decreti facta præſumitur, vbi decretum ipſum fuit aliquo tem-

tempore in Parochia tanquam decretum Concilij obſeruatum. Hæretici in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, tenentur præſcriptam formam obſeruare. Et propterea ipſorum Matrimonia abſque forma Concilij, quamuis coram miniſtro hæretico vel magiſtratu loci contracta, ſunt nulla Si verò Parochia, in qua fuit aliquando obſeruatum decretum, proprio Parocho careat & Cathedralis itidem Epiſcopo & Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium ſacerdotem ad id delegandi, nullúſque alius ibi ſit qui vices Parochi, aut Epiſcopi ſuppleat, Matrimonium valet abſque præſentia Parochi, ſeruata tamen in eo in quo poteſt, forma Concilij, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus Si verò extent quidem Parochus & Epiſcopus, ſed nullo conſtituto Vicario, vtérque metu hæreticorum lateat, ita vt verè ignoretur vbi ſit, vel eodem metu à diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum eſt Matrimonium contractum abſque Parocho, adhibitis tamen duobus teſtibus

11 *De ipſius Parochi* ] Generalis licentia alicui Sacerdoti à Parocho in ſcriptis data, exercendi ſcilicet omnia, quæ Parochi officia concernunt, ſufficit ad Matrimonij coram illo Sacerdote celebrati validitatem

*Vel alio Sacerdote.*] Si ſacerdos alienus non habuerit licentiam, neque ab Ordinario, neque à proprio contrahentium Parocho, Ordinarius non debet irritare Matrimonium coram tali contractum, ſed tantum declarare irritum: quia cum Concilium iam illud irritum fecerit, non eſt vlterius irritandum, ſed opus eſt ſola declaratione quòd irritum ſit, etiamſi is ſacerdos, eſſet aliquis Parochus, ſed non Parochus contrahentium: Quod ſi coniungendi ſunt diuerſarum Parochiarum, ſufficit, vt ſit Parochus, ſiue viri, ſiue mulieris. *Suprà, hoc cap in initio.*

12 *Seu Ordinarij licentia* ] Licet proprius Parochus non celebret ipſe Matrimonium, tenet, ſi Epiſcopus vocatus præſtaret ſe, vel conſtitueret aliquem vt proprium Parochum.

Intelligitur etiam de generali Vicario Epiſcopi qui hanc licentiam etiam concedere poterit Nec ſufficit tacita, quæ reſultat ex tolerantia Requiritur vero vel communiter generalis adminiſtrandi omnia Sacramenta, vel (ſi hæc abſit) expreſsè ſpecialis licentia Vicarij etiam temporalis ad nutum amouibilis Eccleſiæ Parochialis. Qui enim Sacramenta adminiſtrant, & Matrimoniis interueniunt, ſicut ipſi interuenire poſſunt, ita etiam dare licentiam aliis poſſunt interueniendi, ob fauorem Matrimonij.

13 *Ad ſic contrahendum, omnino inhabiles reddit.* ] Hic verſ. nihil pertinet ad ſponſalia per verba de futuro contracta, ſed tantum intelligitur de Matrimonio per verba de præſenti contracto. *Hoc ſæpe reſolutum eſt.*

Statuere Ordinarius non debet, vt illi, qui non ſeruata forma prædicta contraxerunt, ſint in habiles ad contrahendum, quia eſt contra

diſpo-

diſpoſitionem huius cap. per verba enim illa Decreti: *ad ſic contrahendum*, non intelligitur, quod quid extra formulam Decreti Matrimonium cantraxerunt, ſimpliciter inhabiles fiant ad rurſus contrahendum: quare qui in contrahendis Matrimoniis Decreti formulam ſecuti non ſunt, ſi rurſus contrahere velint ex decreti præſcripto, id eſt, adhibito Parocho & teſtibus, hoc Ordinarius illis concedere debet, niſi ſanguinis coniunctione aut propinquitate cum aliis ſacrorum Canonum exceptionibus, impediantur.

14 *Irritos facit & annullat.* ] De Matrimonij clandeſtini inualiditate arguitur in his locis, vbi Decretum iam publicatum fuit.

Primò, quid de illis locis cenſendum eſt, in quibus ſolùm Epiſcoporum aut paroch rum malitia, vel craſſa aut ſupina ignorantia ſeu negligentia non eſt publicatum hactenus? Secundò, quid faciendum, cum duo clandeſtinè contrahunt aut contraxerunt, & in vnius Parochia publicatum fuit decretum, in alterius non item, in qua contrahunt ſimul? Tertiò, quid faciendum cum iis, qui poſt contractum clandeſtinum Matrimonium, ídque ſiue ante Concilium, ſiue pòſt, decreto tamen hoc non publicato, auctoritate imprudentis Epiſcopi aut ignorantis Parochi, ſeparati fuerint, & poſtea cum aliis publicè contraxerint, neque iam ſine grauiſſimo ſcandalo ſeparari poſſunt.

Ad primum Sacra congregatio reſpondit, Anno. 1588. Decretum Concilij non obligare ſi in illa Parochia vbi contractum fuit Matrimonium, necdum erat publicatum, nec 30. dies à prima die publicationis adhuc fuerant elapſi, quantumuis vel malitiâ, vel ſupinâ negligentiâ omiſſa fuerit huiuſmodi publicatio.

Ad ſecundum itidem non obligare Decretum nondum in ea Parochia, vbi contrahitur, publicatum, vt dictum eſt.

Ad tertium, primum Matrimonium eſſe validum: ideóque in eos, qui primo ſpreto ad ſecundum conuolarunt, ſtatuendum prout à iure diſponitur.

Ex hoc textu ſunt argumenta. Quidam Parochi inſtabant contra Epiſcopum Eccleſiæ Syracuſanæ, negantes ei ampliùs deberi decimam aurei partem, quam accipiebat ex annulorum nubentium benedictionibus. Solus enim Parochus ex hoc cap. benedicit. Contrarium tamen cenſuit Congregatio, quia ille denarius non debebatur ratione miniſterij illius, ſed loco præbendæ ad ſuſtentationem ſuæ dignitatis, & cùm immemorabili tempore ita fieri conſueuerit, non eſt tollenda hæc laudabilis conſuetudo.

15 *Alterius Parochia.* ] Per alios Sacerdotes à Parocho proprio contrahentium, vel alio Sacerdote, qui ipſe Parochus vel Ordinarius licentiam dederit, Benedictio Sacerdotalis contrahentium Matrimonium non eſt facienda iuxta hoc Decretum, non obſtantibus quibuſcúnque.

16 *Ipſo iure tamdiu ſuſpenſus maneat.*] Id eſt, ſublata pœna excommunicationis. *de qua in Clem. 1. in fine, de priuileg.*

17 *Poſt 30. dies.*] Decretum Concilij Tridentini irritans Matrimonia clandeſtinè contracta abſque præſentia proprij Parochi, incipit habere robur poſt 30. dies à die publicationis ipſius Decreti in Parochia factæ, & poſt Kal. Maij, 1564. iuxta Bullam S. D.N. Pij V. tenet, ſicque duplex tempus concurrere debet, vnum poſt dictas Kal. Maij 1564. alterum poſt 30. dies à publicatione in loco, adeo vt ſi ante Kal. dictas facta fuiſſet publicatio, Decretum non obligaſſet Matrimonia contracta ante publicationem prędictam Decreti de Ref. matrimonij in Parochia contrahentium factam, ideo ante publicationem irrita non ſunt, nec vt irrita declaranda.

18 *A die prima publicationis.*] Hoc Decretum de Reformatione Matrimonij, ad hoc vt robur ſuum accipiat, neceſſe eſt in Parochiis publicari, nec eius publicatio in Diœceſana Synodo facta, æquipollet. Si tamen hæc verba, ſcilicet. (*Quod fiant Matrimonia præſentibus Parocho & teſtibus, alioquin ſint irrita.*] fuerint publicata in Parochia, ſufficiunt, & æquipollent publicationi totius Decreti, quantum ad matrimonij irritationem.

Qui contraxerunt in tertio vel quarto gradu, etiam poſt cõfirmationem Concilij priuſquam illis innoteſceret confirmatio, poſſunt ſimpliciter diſpenſari, etiam in ciuitatibus, vel locis, vbi, propter paupertatem ciuium, vel quando magna pars illorum inter ſe cognatione coniuncta eſt, ſolet diſpenſari: Cauſſa verò diſpenſandi in ſponſalibus ante confirmationem Concilij ſufficiens erat, ſi qui eſſent in gradu prohibito, vel fuiſſet conuerſatio cum Sponſa, aut præcedens publicatio ſponſalium. Sic Congregatio cenſuit. *Infrà huius Seſſ. cap. 5. §. Qui contraxerunt ſponſalia.*

Matrimonium contractum per verba de præſenti, de Anno. 1566. circa decimum vel vndecimum annum ætatis mulieris, in reliquis ſeruata forma Concilij Tridentini ſubſequuta carnali copula: ſi iſta mulier ex tũc ſimul cum viro cohabitauit per multos annos, an hodie poſt legitimam ætatem ipſius mulieris tranſeat in verum & validum matrimonium eadem forma Concilij Tridentini non adhibita? Congregatio Concilij cenſuit, non trãſire, niſi iterum coram Parocho proprio contrahatur per verba de præſenti, iuxta formam Concilij, ſi tempore aduenientis pubertatis mulieris ante copulam publicatum fuerat in Parochia contrahentium hoc Decretum Concilij, & elapſi erant 30. dies à prima publicatione. Si autẽ ſæpius reſpondit Sacra Congregatio in caſu etiam, quo mulier habebat circiter 12 annos, & videbatur proxima pubertati, quæ cohabitauit quatuor annos cum viro ſed non ſe cognouerunt, carnaliter. prætendebat enim mulierem eſſe arctam, cuius cauſſa fuit diſſolutum matrimonium, deinde inuenit, qui reſerauit ſeras: vir quidem repetebat

mulierem, per cap. *fraternitatis, de frig & maleſ.* illa tamen noluit redire, ſed oppoſuit nullitatem Matrimonij .*Vide ſuprà, hoc ca. §. Sponſalia inter, &c.*

---

# REMISSIONES.

α Vide Perez l. 1. verſ. Queri etiam poteſt, tit. 1. l. 5. Ordin. pag. 27. cum ſeq. Menoch. Conſ. 398. Ceuall. Communium contra, communes, q. 604. Gutier. de iuram. confirm part. 1. cap. 51. & lib. 3. Canon. tract de Matrim. c. 55. cum ſeqq. Latiſſimè Cened. pract. & Canon. q. lib. 1. q. 30 per totum, P. Henriq. in ſum. lib 11. cap 3. P. Rebello de Obligat iuſtit. p. 2. lib. 2. q. 7 & lib. 4. in fine, vbi plures ſacræ Cardinalium congregationis deciſiones refert circa ſingula huius decreti verba.

β *Quiq; falsò affirmarunt matrimonia à filiis familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe.* ] Vide Caſſan in Catalogo gloriæ mundi p. 10. conſid. 36. Perez l. 1 prope finem, verſ. Conſtat etiam ex prædicto Concilio, pag. 36. tit. 1. lib. 5. Ordin, P. Rebello d. lib. 2. quæſt. 7. ſect. 1. Gutier. Canon. lib. 1 cap 20. nu. 1. & 2 & d. tract. de Matrim. c. 79 à princip.

p.2.lib.2.ca.11.Viuald.in Candel.aureo tit.de Sacram.p.1.vbi de Baptiſmo num.70.Emman.Saa in ſum.verbo Matrimonium,tit.de imped.dirim.num.5.verſ.Cognatio ſpiritualis,Pat.Ægid.de Sacram.& cenſur.tom.2 diſp.32.nu.37.P.Henriq.lib.2.cap.11 § 3. Pat.Rebello de Oblig.iuſtit p.2.lib.3.qu.6.num.5.& in Appendice ad lib 4.n.95. P.Valer.Reginald.d.l.31.n.152.verſ.Secundum,qui duo poſteriores aſſerunt ſacræ Congregat.Cardinales in hęc verba reſpondiſſe:Cùm plures ſuſcipiunt, omnes contrahunt Cognationem, ſi plures ſint electi,vel nullus,ſin vnus eſt electus,ille tantùm contrahit.

σ *Tetigerint.*] An tactus ſit de ſubſtantia, ita vt eo deficiente compaternitas non contrahatur? Affirmant Caputaq dec.246.p.3.Verall. deciſ.164.p.1.

τ *Si Parochi culpa, vel negligentia, &c.*] Vtrùm Parochus peccet mortaliter, ſi eius culpa plures adhibiti, aut deſignati ſint? Affirmat P.Ægid de Sacram.& cenſur.tom.1.q.67.art 7.n.59.Negat P.Sanch. lib.7.diſp.57.num.5.

υ *Ac tenentem non egrediatur.*] An vnus tantùm, vel vna, in Confirmatione debeat eſſe ſuſceptor? Affirmat P.Rebello d.qu.6.num.6. Negant reſoluentes etiam omnia ſupra dicta perinde procedere in Confirmatione,ac in Baptiſmo,P.Sanch.l.7.diſp.57.num 9.P.Valer. Reginal.d.li.31 num 152.

φ *Omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis Cognationis impedimentis omnino ſublatis.*] An per hæc verba cenſeatur ſublatus Catechiſmus,ſeu Cognatio quædam ſpiritualis, nata ex Catechizatione Baptizati? Affirmant Pat.Sanch.li.7.diſp.10. P. Valer. Regin. d. l. 31. nu.190 Pat Rebello d.p 2.li.3 qu 18.num 20.cum ſeqq. Vide Petr. de Ledeſm.d.c.17.concl 5.dub.1.& concl 6.dub 4.Guttier. d. tractat. de Matrim.c.84.per totum.

## CAPVT III.

*Breue eſt, non ſummatur.*

1 αβ &c. *IVſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum*, vbi ſponſalia *2 quacumque ratione valida non erunt*, ſancta Synodus prorſus tollit; *vbi* δ ε &c. *autẽ valida fuerint*, *3 primum gradum* non excedant: quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſeruari.

## DECLARATIONES.

1 *Iuſtitiæ publicæ honeſtatis.*] Hoc impedimentũ intelligitur tantùm in ſponſalibus de futuro,ſecus ſi Matrimonium fuiſſet contractum

B.onat.q.3 p.11.n.5

per

per verba de præſenti? vt declarauit Pius V. in quadam Bulla. Diſpoſitio etiam huius Decreti retrotranitur, prout ſupra in præcedenti Decreto de cognat. ſpir. dictum fuit Ita declarauit Sanctiſſimus Dominus noſter Gregor. XIII.

2 *Quacunq; ratione valida non erunt.* ] Si ſponſalia ſoluuntur de conſenſu, Congregatio cenſuit eſſe inualida.

3 *Primum gradum.* ] Facultate huius Decreti gaudent etiam illi, qui ante Concilium contraxerunt in ſecundo gradu, nam inter illos nulla affinitas præſupponitur.

In iuſtitia publicæ honeſtatis & affinitate ex fornicatione attendatur remotior gradus.

Ex ſponſalibus contractis per hæc verba, *promitto te ducere in vxorem, ſi factis denunciationibus non apparebit aliquod impedimentum*, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

Ex Matrimonio contracto per verba de præſenti etiam non conſummato, oritur affinitas vel impedimentum iuſtitiæ publicę honeſtatis, eſtque fortius & maius vinculum, quã impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus de futuro.

## REMISSIONES.

α VIde Emman. tom. 1. ſum. cap. 234. num. 4. in 2. edit. Veg. tom. 2. ſumm. cap. 34. caſu 16. Petr. de Ledeſm. de Matrim. q. 55. art. 4. dub. 1. & in ſum. p. 1. de Sacram. Matrimon. cap. 15. concl. 9. cum ſeqq. & c. 16 per totum, Pat. Henriq. in ſum. lib. 12. cap. 10 §. 2. P. Rebello de Obliga. iuſtit p. 2. lib. 3. qu. 14 & in hoc lib. 4. in Appendice num. 97. cum ſeqq. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit lib. 31. cap. 18. num. 126. cum ſeqq. P. Ægid. de Coninck, de Sacram. & cenſur to. 2. diſput. 32. numer 59. cum ſequentibus, P. Sanch. de Matrim. lib. 7. diſput. 68. numer. 10. cum ſeqq. nouiſſimè D. Guttier. tract. de Matrim. cap. 103.

β Extat ſuper hunc text. peculiaris declaratio Pij V. in Motu proprio, qui incipit, ad Romanum ſpectat, edito anno 1568. ibi, Auctoritate Apoſtol. tenore præſentium declaramus & definimus, Decretum Concilij huiuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio, ſic (vt prefertur) contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum Decretum Concil. introductum erat, refert Nau. in Man. c. 22. num. 57. P. Henriq. d. cap. 10. §. 2. Valent p. 4. diſpu. 10. qu. 5 puncto 3. P. Sanch. lib. 7. diſpu 70. num. 5. P. Rebello de Oblig. iuſtit. p. 2. lib. 4. in Append. nu. 98 P. Valer. Regin. d. li. 31. n. 128. P. Ægid. tom. 2. diſp. 32. dub. 5. n. 70 concl. 3.

γ Sacra Cardinalium congregatio cenſuit, ex Matrimonio per verba de præſenti copula non ſequuta, non oriri affinitatem, remanere

tamen impedimentum hoc vlterioris gradus, refert Pat. Rebello d. Appen. nu. 106. & Guttier d cap. 103 nu, 24.

δ *Vbi autem valida fuerint.* [ Vide P. Rebello d. qu. 14. num. 3. Pat. Ægid. d. diſp. 32. num. 61. vbi reſoluit ex ſponſalibus, aut matrimoniis metu, aut errore perſonæ, aut deliberatè, aut à deſtituto ſufficienti ratione contractis, ideóque inualidis, nullum naſci impedimentum: & idem extendit ad ſponſalia aut matrimonia, cum incerta contracta, quia deficit legitimus conſenſus, qui debet in certam perſonam ferri, & P. Valer. Regin. d. l. 31. num. 117. Guttier. d. cap. 103. numer. 18

ε An hoc impedimentum oriatur ex ſponſalibus conditionatis ante aduentum conditionis? Negant ob defectum conſenſus, qui ſuſpenditur vſque ad eundem aduentum, P. Sanch. lib. 7. diſp. 69. Pat. Valer Regin. d lib. 31. nu. 129. P. Ægid. diſp. 32 num. 61. Pet. de Ledeſm. d. cap. 15 concl 9. dub 2. in fine, Guttier. d cap 103. nu 19.

ζ An oriatur ex ſponſalibus contractis à parentibus nomine filiorum, ſine conſenſu illorum? Negant P. Sanch. lib 7. diſp. 68. nu. 18. & 19. P. Valer. Regin. d. li. 31. nu 129. verſ. Aduerte quintò, vbi ſecus reſoluendum putat, ſi iidem filij conſenſerint, ſiue expreſsè, ſiue tacitè, vt ſi parentes fuerint, nec cum iam eſſent doli capaces, contradixerint. Vide Pet. de Ledeſm. d. cap 16 concl 3 dub. 2.

η An oriatur ex omnibus ſponſalibus quacunque ratione irritis quandiu ipſa publica ſunt, & nullitas occulta? Affirmant Nauar. in Man cap. 22. num 57. P. Ægid. d. diſput 32 nu. 69 P. Valer. Reginald. d lib. 32. nu. 127. vbi num. 70. verſ. Excipe, reſoluit, matrimonium clandeſtinum, cùm habeat rationem ſponſalium, inducere eodem modo impedimentum, atque alia ſponſalia.

## CAPVT IV.

*Breue eſt, non ſummatur.*

αβ &c. PRæterea [a] ſancta Synodus, eiſdem, & aliis grauiſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod 1 *propter affinitatem & ex fornicatione* contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit; ad eos tantùm 2 *qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur*, reſtringit: 3 ε *in vlterioribus verò gradibus ſtatuit*, huiuſmodi affinitatem matrimoniũ poſtea contractũ non dirimere.

*a c quadã, cum multis ſeq. 32. q. 7 & toto tit. de eo qui cogn. cõſ. vxo. ſua.*

## DECLARATIONES.

DIſpoſitio huius Decreti etiam retrotrahitur prout ſuprà in præcedentibus Decretis, c, 1. & 3. de cognat. ſpir. & iuſtitia publicæ

blicæ honeſtatis dictum fuit, & ita etiam declarauit S.D.N. Gregor. XIII. deuotè hoc cap. intelligendum eſſe.

1 *Propter affinitatem ex fornicatione.* ] Qui ſuſpicatus eſt etiam leuiter ſe fornicatum fuiſſe, & carnalem habuiſſe commixtionem cum muliere, cuius ſororem poſtea duxit in vxorem, indiget diſpenſatione, & filij, qui ex tali matrimonio procreauit, illegitimi ſunt.

2 *Primo & ſecundo gradu* ] In primo, & ſecundo gradu tranſuerſali diſpenſatur ex cauſſis ordinariis: in deſcendentibus, non niſi ex magna cauſſa.

3 *In vlterioribus verò.* ] Impedimentum iſtud quod propter fornicationem contractum matrimonium dirimit, habet etiam locum & compræhendit ſponſalia per verba de futuro contracta, vt cenſuit Congregatio.

S.D.N. Gregor. XIII. ex ſententia Congregationis dixit, per hoc Decretum ſublatum cenſeri impedimentum quoq; ſuperuenientis affinitatis poſt contractum matrimonium: quia ſi impedimentum dirimens ſublatum eſt, quod maius eſt, ergo & iſtud quod ſolùm impedit, ne is per quem contracta eſt affinitas ſine peccato poſſit exigere debitum, quod minus eſt: præterea Concilium ſuſtulit tertium & quartum.

## REMISSIONES.

α Vide Perez lib 8. Ordin. pag. mihi 315. Guttier. Canon lib. 1 c. 15 n. 11. Veg tom. 1. ſum cap 34. caſu 53 Fr. Emamn. in ſum. tom. 1. cap. 218. num. 4 in 2. edit & quæſt. Regular. tom. 1. qu 63. art. 1 P. Henriq. in ſum. lib. 12. cap. 10. § 1. Sayr. in Claui regia, lib. 8. cap. 4. nu. 6 P. Sanches de matrim. lib. 7 diſp 67 nu 4. cum ſeqq. Petr. de Ledeſm. de matrim. q. 55. art 3. dub. fin. & in ſum. p. 1. de Sacram. matrim. cap. 15. P. Ægid. de Coninck. de Sacram. & cenſur. tom. 2. diſp. 32. à num. 43. P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnitent. lib. 31. nu. 147 plures ex antiquioribus refert Cened. ad Decret. collect 19. num 4. nouiſſimè D. Guttier. tract. de matrim cap 99.

β An affinitas iure naturæ ſequatur ex copula fornicaria? Affirmant P. Rebello de Obligat. iuſtit. p. 2. lib. 3 q. 15. num. 9. P. Sanch. lib. 7. diſp 65. num. 8. P. Ægid. d. diſp. 32. nu. 49.

γ An affinitas ex matrimonio orta ſit reſtricta per Concil. in præſenti? Negant reſoluentes hodie etiam dirimere matrimonium vſque ad quartum gradum, ſicut ſtatutum erat in cap. Non debet, de Conſang & affinit Viuald. in Candel aureo tit. de Sacram p. 1. vbi de matrim. num 195. Nauar in Man. cap. 12 num 43 Philiarch de officio Sacerd. tom. 1. p. 2 lib. 2. cap 12. verſ. Conſanguinitatis, Lara in l. ſi quis à liberis, in princip. numer. 90. ff. de liberis agnoſc. Emman Saa in ſum verbo matrimonium, tit. de imped dirim. num. 13. Perez lib. 5. col. 3. tit. 15 lib 8. Ordin. Llamas p 3 methodi curat. ca. 8.

§.19. Tolet. in ſum lib.7.c.11. num.4. Azeued l.7.nu 9.tit.20.lib.8. nouæ Recopil. Barthol. Ledeſm de Matrim.dub 41 concl.1.Valent. p.4 diſp.10.q.5.puncto 3. Fr. Emman. tom.1. ſum.cap.228 nu 4 in 2.edit.P.Henriq.lib.12 cap.10.nu. 1 lit.H Pet.de Ledſdem.de Matr. q.55 art 6. paulò poſt princip P.Rebello d.q.15 nu.6.D.Guttier.d. tract. de Matrim. cap. 99. nu 14.

*ð* *Ex fornicatione.*] An ex omni copula illicita? Affirmant P.Sanch. lib 7.diſp. 67. num.7.P.Valer.Regin.d lib.31.num.147. Petr.de Ledeſm d.cap.15conc 6.

*ı* *In vlterioribus verò gradibus,&c.* ] Vide motum proprium Pij V. editum anno 1566, incip.ad Romanum ibi:Declaramus,& auctoritate Apoſtolica decernimus,nullum hodie impedimentum remanere, quominus in vlterioribus gradibus huiuſmodi liberè & licitè matrimonium contrahi poſſit, refert P. Sanch lib 7.diſp 67.nu.4 & nouiſſimè D.Guttier.d tract.de Matrim.c 99.num.13

## CAPVT V.

a c.fi. § pen. de cland.deſp. Clē. vnica, de conſ. & aff.

1 α β &c. SI *quis intra* ª *gradus prohibitos* ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit; ſeparetur, 2 *& ſpe diſpenſationis* conſequendæ careat: ídque in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. 3 η θ *Quod ſi ignoranter id fecerit*, ſi quidem ſollemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit; eiſdem ſubiiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, ᵇ cuius ſalubria præcepta temerè contempſit. 4 *Si verò, ſollemnitatibus adhibitis*, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille 5 *probabilem ignorantiam* habuit; *ı tunc facilius cum eo*, & gratis diſpenſari poterit. 6 *In contrahendis matrimoniis* vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò: 7 κ &c.*idq; ex cauſa*, & gratis concedatur. 8 ⁊ ω *In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur*, niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſam.

b c.fi. de immu. eccl. cap. quia fruſtra de vſu.

## DECLARATIONES.

*1* *Si quis intra,&c.*] Intra gradus prohibitos, qui ſe cognouerunt carnaliter, ſine tractatu & conditione Matrimonij, poſtea volentes Matrimonium contrahere, & petentes ſecum diſpenſari in aliquo impe-

impedimento, & tacentes ſe carnaliter cognouiſſe: ſi obtineant ex aliqua cauſſa non probata diſpenſationem, poteſt ea dici ſubreptitia, & ſic nullam obtinuiſſe diſpenſationem, eo quod non narrauerint cognitionem carnalem.

2 *Spe diſpenſationis.* ] Quando ſcilicet impedimentum prouenit ex conſanguinitate & affinitate, non autem ex impedimento Iuſtitiæ publicæ honeſtatis, ad quod prohibitio hæc non ſe extendit. *Infrà, hoc cap. §. In ſecundo.*

Sic etiam indigent nouâ diſpenſatione, qui obtinuerunt literas, & eis non preſentatis, vel (quia per nuncium intellexerunt diſpenſationem fuiſſe obtentam, vel ſupplicationem datam,) contraxerunt, & ſe carnaliter cognouerunt.

3 *Quod ſi ignoranter.* ] Pro petitione eorum, qui contractis ſponſalibus, tam poſt publicatam confirmationem Concilij, quàm denuntiandi neceſſitatem in matrimonio, non ſeruata denuntiatione in poſtulatione diſpenſationis, non expreſſerunt, vt ipſi dicunt, errore agentium ante Concilij Tridentini confirmationẽ eſſe facta ſponſalia, non conceditur diſpenſatio.

4 *Si verò ſollemnitatibus.* ] Illis qui ignorantes gradum poſt Kalend. Maij 1564. contraxerunt, petentibus diſpenſationem in locis vbi non eſſet publicatum Decretum de clandeſtinis matrimoniis, cenſuerunt eam dandam eſſe gratis: hoc habet locum in compoſitionibus, non in mercede, quæ ſoluitur ob expeditionem bullarum.

5 *Probabilem ignorantiam.* ] Non debent concedi diſpenſationes matrimoniales ſub prętextu ignorantiæ decretorum Concilij, ſi hæc ignorantia fuerit poſt Kalend. Maij anni 1566 in ſupplicationibus autem non exprimantur Kalend. Maij, ſed ſufficit ſi colligatur ex narratione facti.

Placuit quoad tertium tantùm gradum diſpenſari cum iis, qui ignorantes gradum, non clandeſtinè poſt Concilij confirmationem contraxerunt, dum tamen eorum ignorantia probabilis fuerit. Item pro iis, qui ignorantes contraxerunt in tertio aut quarto, ſi poſtmodum factis aliis proclamationibus iuxta Concilium Tridentinum habetur notitia impedimenti. Pro iis etiam qui in tertio aut quarto gradu propter anguſtiam loci, aut eo quod non inueniuntur paris conditionis, ſicut & pro eo qui vult duxere in vxorem ſibi attinentem pauperem, conſtituendo illi dotem aut etiam pro ſedandis litibus, aut diſcordiis componendis contrahere volunt, viſæ fuerunt legitimæ cauſſæ ad diſpenſandum de contrahendo, dummodo gratis prorſus. At in tertio maturiùs procedatur. *Suprà huius Seſſ. cap. 1. §. Qui contraxerunt.*

Idem ſeruandum eſt quod in caſibus ſupradictis, in iis videlicet matrimoniis per verba de futuro publicatis, præcedentibus aut ſub-

ſequutis oſculis, aut per fidei vel munerum dationem, quæ in nonnullis prouinciis vim habent matrimonij contracti per verba de præſenti, dummodo huiuſmodi ſponſalia contracta ſint ante confirmationem Concilij, & fuerint proclamata interuenientibus aliquibus ſupradictis actibus. Et ſi etiam de tertio gradu agatur, placuit quod poſſint accipi componendæ. Sed non poſſint cogi iſti qui contraxerunt, ad petendam diſpenſationem etiamſi matrimonium eſſet conſummatum, ſi nollent petere, & ambo velint reſilire, vel alter ſaltem eorum.

6 *In contrahendis matrimoniis.* ] Cum dubitatur an contrahentes ſint in quarto vel quinto gradibus prohibitis, arbitrio Ordinarij hoc relinquitur vt credat illis teſtibus & probationibus, quæ ei magis probare videbuntur. Congregatio idem cenſuit, in ſponſalibus eſſe obſeruandum.

7 *Idq; ex cauſſa.* ] Cauſa eſt legitima, ſi dos non eſſet competens, in quarto tamen gradu.

S. D. N. ex vna ſententiâ Congregationis reſpondit, diſpenſationem ſubreptitiè obtentam non videri, cùm in ſupplici libello dictum fuerit de loci anguſtia; ſi modò verum eſt oratores, in eo loco, vbi contrahendum eſt matrimonium, viros, ſibi non conſanguineos paris conditionis, quibus nubant, inuenire non poſſe.

Cardinales Congregationis Concilij Tridentini habent facultatem à Papa declarandi, quæ ſunt cauſſæ diſpenſationis matrimonialis, & quo ſenſu ſunt illæ accipiendæ. Cauſa verò dotis non ſufficientis eſt iuſta, vt cum aliquo in quarto conſanguinitatis gradu diſpenſari poſſit pro cuius verificatione ſufficit, ſi in eo loco, in quo mulier habitat, ipſa diligentiam adhibeat, in perquirendo virum parem, à quo cum tali dote in matrimonium dicatur, neque tamen inueniat, qui eam habere velit.

Qui contraxerunt in ſecundo aut tertio gradu etiam poſt confirmationem Concilij antequam tamen illius confirmatio innoteſceret, potuerunt ſimpliciter diſpenſari. *Suprà, hoc cap. §. Placuit quoad.*

Qui contraxerunt ſponſalia ante Concilij confirmationem, cum eſſent in gradu prohibito, & poſtea volunt contrahere matrimonium non poſſunt abſque cauſſa diſpenſari. Cauſſa idonea videtur, ſi conuerſatio cum ſponſa, aut publicatio ſponſalium præceſſerunt, aut quid ſimile, præter aliquas cauſas à iure receptas. Vicarius Epiſcopi nihil prorſus poteſt accipere ſiue pro laboribus in inſtruendo proceſſum, ſiue pro Decreto ſuper diſpenſationibus matrimonialibus habitis à Sede Sancta Apoſtolica. *Suprà, huius Seſſ. cap. 1 §. Qui contraxerunt in tertio.*

8 *In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur.* ] Pius V. declarauit hoc intelligi de gradibus affinitatis & conſanguinitatis, Congregatio tamen

men idem cenſuit in ſponſalibus, provt decretum fuit in Congregatione, caput tertium ſuprà loqui de ſponſalibus de futuro iuxta Bullam Pij V. incipientem: *Ad Romanum*, ſextum verò loqui de Matrimonio contracto,& conſummato,quia verba contextus id ita eſſe oſtendunt. De Matrimonio verò rato tantùm, nihil habetur in hoc Concilio Tridentino, ſed illud (provt eſt de iure) eſt maius quoddam impedimentum quàm ſint ſponſalia, & idcirco remittendum iuris diſpoſitioni, & prudentiæ Sanctiſſimi Domini noſtri, qui pro rerum & cauſarum varietate prouidebit ſingulis caſibus.

Cum iis qui contraxerunt in ſecundo gradu ante Concilij confirmationem ſub ſpe diſpenſationis obtinendæ, & præſertim ſi venerunt ad Curiam; atque cœperunt agere pœnitentiam ſalutarem ipſis impoſitam, videtur diſpenſandum eſſe, etiamſi nulla ſignata ſit ſupplicatio.

Facta relatione cum Sanctiſſimo in conſiſtorio, Sanctitas ſua viſa eſt annuere conceſſioni iſtarum diſpenſationum, *Suprà,hoc cap.§.Intra gradus*, pro iis qui ſe carnaliter cognouerunt,provt ante ſolitum erat, cum iſta expreſſione copulæ, etſi non exprimeretur; quòd publica facta eſſet. Si poſt impetratas literas diſpenſationis, ante illarum præſentationem & Decretum Ordinarij,ſe cognouerunt nullis factis,aut adhibitis ſolemnitatibus, committitur Ordinario, vt,ſi dictæ literæ diſpenſationis ſibi præſentabuntur,& cauſſa in eis expreſſa probabitur legitima coram ſe, ſimúlque quod oratores poſt impetratas literas ſe cognouerint; diſpenſet cum eis: iniunctâ tamen ipſis ſalutari pœnitentiâ,propter inceſtum,arbitrio ſuo. Quòd ſi tales contraxerint coram parocho habitâ notitiâ obtentæ diſpenſationis,& ſe carnaliter cognouerunt, committitur vt ſuprà. Additur verò punitio parocho qui non ſeruata forma Concilij coniunxit oratores in Matrimonium,& quidem grauior,ſi ſciuit illos in gradu prohibito ſe attinere, nec literas diſpenſationis vidit.

Iis qui Romam miſerunt pro diſpenſatione, & habito nuncio quòd literæ fuerunt expeditæ,contraxerunt, vel ſe cognouerunt, & ita verum eſt fuiſſe expeditas, & haberi datas ante contractum vel commiſtionem, dandas diſpenſationes eſſe Congregatio Cardinalium cenſuit. Idem viſum eſt, etiam hoc poſito,quòd literæ non eſſent expeditæ, ſed ſupplicatio ſignata,& ex toto expedita. Ipſa quoque Congregatio Cardinalium cenſuit, diſpenſationem reddi nullam ex copula præcedente diſpenſationem,ſi eius mentio non eſt facta in ſupplicatione:copulâ verò ſuperueniente poſt diſpenſationem ab Ordinario factam, non impediri Matrimonij validitatem.

Epiſcopus auctoritate Ordinaria non habet facultatem diſpenſandi in gradibus affinitatis ſeu conſanguinitatis à iure prohibitis, circa contrahentes Matrimonia.

RE-

# REMISSIONES.

α VIde Pet. Ægid. de Conink. de Sacrament. & Cenſur. tom. 1. diſp. 33. à num. 42. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 31. num. 139. cum ſeqq. & num. 198. & 203. P. Rebello de Oblig. iuſt. p. 2. lib. 3. q. 5 à nu. 19.

β An conſanguinei, vel affines, qui tacita copula obtinuerunt diſpenſationem ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, ſint ſubreptitij, & matrimonium poſtea contractum ſit nullum? Negant Nau. Conſ. 1. quæſt. 19. ſub tit. de Conſtitut. & Conſ. fin. de Cognat. ſpirit. & Conſ. 8 & 9. de Conſanguin. & affin. Emman. Sa verbo, Diſpenſatio, num. 10. Salzed. ad Bernard. cap. 126. verſ. Vnde meritò, Veg tom. 2. ſum. cap. 34. caſu 97. verſ. *Nota porque viene*, Fr. Emman. in ſum. tom 1. cap. 236. num. 5. P. Henriq. in ſum lib. 11. cap 2. §. 4. & §. 7. Ceuall. Communium contra commun. q. 737. Pet. de Ledeſm. de Matrim. qu. 56. art. 5. & in ſum. de Matrim. c. 27. diffic. 3. concl. 1. Læli. Zechi. de Repub. Eccleſiaſt. cap. 18. de Parocho, pag. 367.

Affirmant Galleg de Cognat. ſpirit. cap. 24 à nu 1. Sarmi lib 1. ſelectar. cap. 9. num. 3. Emman ſibi contrarius *del orden del Iuizo*, cap. 10. num 4 P. Valer. Reginald in praxi fori pœnitent. lib. 31 num 200. verſ. Simúlque, Ludou. Lopez in inſtructor Conſci tom. 1. cap 296, Guttier. Canon. lib. 1. cap 15. & nouiſſimè tract. de Matrim. cap 124. num 12 cum ſeqq. Paul. Comitol Reſponſ. Moral. lib. 1 quæſt 104. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1 verbo, Diſpenſatio, §. 4. Steph. Quarant. in ſumma Bullarij verbo, Matrimoniales diſpenſationes, nu. 13. P. Rebello de Oblig. iuſtit. p. 2. lib 3. qu. 5 num 24 P. Sanch. lib 3 diſp. 14. n. 3. & lib. 8. diſput. 25. Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Archiepiſcop. Curiæ Neapolit. cap. 25. num. 4 Latè Nicol. Garzi. de Benefic. p. 8. c 3. num 31. cum ſeqq vbi num. 66 & 70. ſequentes adducit ſuper hoc ſacræ Congregationis reſponſiones.

γ Congregatio Cardinalium Concilij cenſuit, diſpenſationem ſubreptitiam, ſi inter conſanguineos, vel affines, vel ſpirituali Cognatione coniunctos carnalis copula præceſſiſſet, cuius mentionem in ſupplicatione non feciſſent, propterea quòd tales conſanguinei, affines, & cognati ſpirituales per hanc carnalem copulam redditi ſunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, ex eo, quòd dicuntur commiſiſſe inceſtum, qui impedit inceſtuoſos contrahere matrimonium, ideo pro validitate diſpenſationis ſuper gradu prohibito neceſſariam eſſe de iure expreſſionem copulæ carnalis, prout ſtylus curiæ obſeruat.

δ Con-

δ Congregatio Cardinalium Concilij Trident. cenſuit, diſpenſationem reddi nullam ex copula præcedente diſpenſationem, ſi de ea non fuerit facta mentio in ſupplicatione. Copulam verò ſuperuenientem poſt diſpenſationem ab Ordinario factam non impedire matrimonij validitatem.

ε An diſpenſatio ſuper impedimento Cognationis ſpiritualis, vel etiam publicæ honeſtatis, non facta mentione de copula inter impetrantes habita, ſit ſubreptitia, & nulla? Negat cum Nauar. P. Sanch. lib 7. diſput 15 num. 8. & lib. 8 diſput. 25. num. 9. Affirmant, per text. in cap. 1. de eo qui cognouit conſang. vxoris ſuæ, Galleg de Cognat. ſpirit. cap. 24. Matienſ. in Rub. tit. 1. gloſſ. 1. num. 137. lib. 5. nouæ Recopil. Guttier. Canon lib. 1 cap 13. num. 15. Men. de Arbit. caſu 502. à num. 1. Garci. d. cap. 3 num. 64.

ζ *Intra gradus prohibitos* ] An intelligatur de quocúnque etiam impedimento dirimente? Negat P Henriq. lib. 12. cap. 3. § 8. lit. P Affirmant Petr Ledeſm de Matrim. q. 56. art fin. dub. 2. diffic. 1. concl. 1. P. Sanch. lib. 8. diſp. 42 num 7 & diſp. 15. num 24.

η *Quod ſi ignoranter id fecerit, &c.*] Vide Nauar. in cap. ſi quando, de Reſcript. except 5. num. 5 & in cap. ſi quis autem, de pœnit. diſt 7. num 66 cum ſeqq Guttier. Canon lib. 1. cap 15. num 2. P. Sanch. lib. 3. diſp. 41 num 7. in fine.

θ An excuſet ignorantia craſſa? Affirmant, dummodo non ſit ingens temeritas, P. Sanch lib. 2. diſp. 40. num 4. in med.

ι *Tunc faciliùs cum eo, & gratis, poterit diſpenſare.* ] An ſolus Romanus Pontifex? Affirmat P. Sanch. de Matrimon. lib. 8. diſput. 6. num. 19.

κ *Idque ex cauſa.*] Cauſas, quæ hodie in praxi verſantur in Romana Curia, pro quibus diſpenſationes ad contrahenda Matrimonia conceduntur, vide apud P. Henriq. lib. 12. cap. 3. §. 9. P. Sanch. lib. 8. diſput 19 Galleg. de Cognat. ſpirit cap. 22. Fr. Emman in ſum. tom. 5. cap. 237. in 2 edit. P. Ægidi. de Sacrament & Cenſ. tom. 2. diſp. 33. num. 45. cum ſeqq. P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 31 n. 196. cum ſeqq. Petr. de Ledeſm. in ſum. p. 1. de Sacram. Matrim. cap. 17. concl. 5. cum ſeqq.

λ Prima eſt. Quòd cùm oratrix dotem habeat minùs competentem, iuxta ſtatus ſui conditionem, cum qua virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, inuenire queat, & dictus orator intendat illam cum dicta minùs competenti dote in vxorem ducere, &c quam referunt Fr. Emman. d. cap. 237. concl. 1. num. 2. Iacob de Graffis, part. 1 deciſ. lib. 2. cap. 81. in fine, Petr. de Ledeſm. de Matrim. quæſt. 56. art. fin & in ſumm. de Sacrament tit de Matrim cap. 27. concluſ. 5. Galleg. de Cognat. ſpirituali, cap. 22. num. 8. Guttier. Canon. lib. 2. cap. 15. num. 107 P. Sanch. lib 8. diſput. 19 nu. 16. P. Valer. Regin. d lib. 31. num. 194. vbi num. 196. reſoluit, cenſendam iuſtam cauſam diſpenſandi, cùm in

defe-

defectu ipſo dotis inuenitur ratio pietatis. Vide P. Henriq. lib. 11. cap. 4. §. 9. verſ. Tertia, P. Ægid. d. diſp. 33. nu. 47. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. p. 3. Collect. 709.

μ Vtrùm fœmina in Ordine ad hunc effectum poſſit dici pauper, & carere dote, quæ nihil quidem habet proprium, habet tamen parentes, alióſve conſanguineos diuites? Vide Couarr. de Sponſal. part. 2. cap. 6. §. 9. & 10. Patr. Sanch. lib. 8 diſput. 19 numer. 19. & 20. Patr. Ægid. d diſput. 33. numer. 48. vbi reſoluit, non dici pauperem, ſi eos poſſit cogere vt ſtatim dent dotem, dici tamen, quando de facto conſtaret nullum non conſanguineum, qui ſit paris conditionis cum ea fœmina, velle eam habere vxorem, eò quòd communiter ſibi perſuadeant parentes non daturos ſufficientem dotem.

ν Secunda. Quòd cùm dicta oratrix in dicto loco, propter illius anguſtiam, virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, inuenire nequeat, &c. referunt Galleg. de Cognat. ſpirit. cap. 22 num. 10. Veg. in ſum. tom. 2 cap. 34. caſu 167. Fr. Emman. d cap. 237. num. 2. verſ. *La quarta*, P. Henriq. d. §. 9. P. Sanch. lib. 8 diſput. 19 nu. 12. P. Ægid. d. diſput. 33. nu. 46. P. Valer. Reginald. d. lib. 31. nu. 196. verſ. Ad tertiam, vbi reſoluit requiri tantùm, vt intra oppidum proprium fœminæ non inueniatur æqualis cui nubat; refértque ita reſponſum eſſe Archiep. Mediolanenſi à Congregatione Cardinalium 18 Nouembris, Anno 1570. cuius reſponſionis verba adducit P. Sanch. d. diſput. 19 nu. 13. dicens, nu 15. non eſſe adſtringendam ad nubendum alicui vetulo, aut durioris, intolerabilioriſve ingenij. Vide Aloyſ. Ricci. Curiæ Archiep. Neapol. deciſ. 25.

ξ Tertia. Quòd cùm inter dictorum oratorum parentes, conſanguineos, vel affines, graues inimicitiæ ortæ iam ſint, & ad præſens vigeant, aliunde tamen, quàm ex cauſa Matrimonij inter oratores contrahendi prouenientes, & ante illius tractatum exortæ, & certum ſit, quòd ſi oratores prædicti inuicem Matrimonialiter copularentur, inimicitiæ huiuſmodi omnino componerentur, pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis, oratores prædicti cupiunt, &c. referunt P. Sanch. lib. 8. diſp. 19. num. 8. P. Val. Regin. d. lib. 31. nu. 196. verſ. Ad ſecundam.

ο Quarta. Quòd cùm inter dictos oratores, ſeu eorum parentes lites ſuper rebus magni momenti ortæ iam ſint, & ad præſens vigeant, lites huiuſmodi omnino conantur, &c. referunt Fr. Emman. d c. 237. num. 2. verſ. *La ſegunda por ſe acabar vn gran pleyto.* P. Ægid. d. diſp. 33. num. 45. P. Sanch. lib 8. diſp. 19. num 8. vbi num. 9. reſoluit, quòd ad hanc cauſam reducitur euitatio ſcandalorum inter cognatos, & num. 11 dicit, ſimiliter eſſe iuſtam diſpenſandi cauſam, quando diſpenſatio eſt quaſi remedium neceſſarium obuiandi alicui magno delicto.

π Quin-

ϖ Quinta. Quòd cùm dictus locus ad littus maris ſitus, continuis inuaſionibus pyratarum, & Fidei Orthodoxæ hoſtium expoſitus ſit, proptereà externi homines non ita libenter, vt cum dicti loci habitatricibus contrahant accedere velint, cupiunt, &c. refert Stephan. Quaranta in ſumma Bullar. verbo, Matrimoniales diſpenſationes.

ς Sexta. Cùm autem Pater Sancte, niſi Matrimonium inter oratores contrahatur, dicta oratrix innupta, & diffamata remaneret, grauiáque exinde ſcandali poſſint veroſimiliter exoriri, refert Patr. Sanch. lib. 8. diſp. 19. num. 9.

Septima Quòd dicta oratrix vigeſimumquartum annum excedens hactenus virum paris conditionis, cui nubere poſſet, non inuenit, refert Stephan. Quarant. d. verbo Matrimoniales diſpenſationes.

σ Vltra prædictas principaliores cauſas quatuor alias afferunt P. Ægid. d. diſp. 33. num 49. P. Sanch. diſp. 19. nu. 30 cum ſeqq P. Val. d. lib. 31. nu. 197. in princip.

τ Octaua. Conſeruatio diuitiarum in eadem cognatione, ne cauſa dotis diſtrahantur ad aliam cognationis familiam, quando eæ ampliſſimæ ſunt, referunt Galleg. d. cap. 22 numer. 11 cum ſeqq. Veg. tom. 2. ſum. cap. 34. caſu 167 Fr. Emman. d cap. 237. concl. 1. in fine, P. Ægid. d. diſp. 33. num. 49. P. Valer. Reginald. d. lib. 31. num. 197.

υ Nona. Excellentia meritorum in Eccleſiam ſiue diſpenſationem petentis, ſiue eius cui petitur, referunt Galleg. d cap. 22. numer. 17. P. Sanch. d. diſp. 19. numer. 31. P. Ægid d. diſp. numer. 49. verſ. 6.

φ Decima Proles habita ex conſanguinea, quando bona fide ſuſcepta eſt, referunt P Ledeſm. de Matrim q. 56. art. vlt ad fin. Guttier. Canon. lib. 2. c 15. nu 107. P. Sanch. d. diſp 19. nu. 33. P Ægid. d. diſp. 33. nu 49 verſ. 7.

χ Vndecima. Conſeruatio illuſtris familiæ in eodem ſanguine, aliàs perituræ, vt ſi eius caput eſſet fœmina, quia hoc ad Reipub. bonum aliquo modo ſpectat, refert P. Ægid. d. diſp. 33. numer. 49. verſ. 4.

ψ *In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes.*] Vide P. Henriq. in ſum. lib. 12. cap. 3. num. 6 in comment. lit. X. Guttier. tract. de Matrimon. cap. 128. numer. 14. P. Sanch. d. lib. 8. diſput. 19 num. 5. Zerol in praxi Epiſcop. p 1. verbo, Diſpenſatio, § 2. vbi refert ſe vidiſſe diſpenſari inter Barones, & titulatos Regni Neapol. Vide etiam P. Ægid. d. diſput. 33. numer. 44. vbi dicit hunc Tridentini locum intelligendum eſſe de gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ortæ ex legitimo Matrimonio, quia in affinitate orta ex fornicatione, præſertim occultà, longè faciliùs diſpenſatur.

ω Quo-

α Quomodo intelligatur ſecundus gradus in collaterali, vel deſcendenti inæquali? Vide Rebuff. in Reg. de diſpenſat. in gradu prohibito, Gloſſ. fin. num. 8.

## Capvt VI.

*Inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum conſiſtit matrimonium, Raptor dotet raptam, ſiue eam ducat, ſiue non excommunicantur conſentientes raptui.*

α β &c. DEcernit ſancta Synodus, inter raptorem, & raptam, θ *quamdiu ipſa in poteſtate raptoris* manſerit, ι *nullum poſſe conſiſtere matrimonium.* [a] Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit; eam raptor in vxorem habeat; κ *& nihilhominus raptor ipſe*, λ *ac omnes illi conſilium, auxilium*, & fauorem præbentes, 1 μ *ſint ipſo iure excommunicati*, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. ν *Teneatur præterea raptor* mulierem raptam, ſiue eam vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.

[a] *c. fin. de rap. Vide Conc. Chalced. c. 26. c. eos, & c. de puellis, 36. q. 1. Conc. Chalced. cap. 27. Cōc. Vormatien. c. 17. Exod. 21. c. 1. de adult.*

## DECLARATIONES.

1 *Sint ipſo iure excommunicati.* ] An quilibet mulierum raptores, v. g. qui non idcirco rapiunt vt eas in vxores ducant, ſed ob aliam cauſſam, ſint ipſo iure excommunicati per hoc capitulum? Viſum fuit multis ex Illuſtriſſimis, non comprehendi niſi eos qui rapiunt vt in vxores ducant. *Vide Nauarr. cap. 27. num.* 150. Quomodocumque ſit, fuit deciſum per ſacram Congregationem die 23. Ianuarij 1586. raptores ob aliam cauſſam, quam vt in vxores ducant, non comprehendi à Concilio, propter identitatem vel maioritatem rationis: nec conſtitutio pœnalis extenditur tali caſu.

RE-

# REMISSIONES.

α Vide Perez l.2.verbo, *Fuere deſpoſada*, tit.15.lib.8. Ordinam.pag. 188.Nauar.Conſ.32.de Sponſalib.& Conſ.3.n.7. de conſang. & affinit.Frat.Emman in ſum.to.1.cap.232.in 2. edit. Zerol in praxi p.2.verbo, Raptus, Petr de Ledeſma in Summa, p.1. de Sacramento Matrimonij,cap.26 per totum,P.Henriq.in ſum, lib.11.cap. 14.§.4.& 5.P.Leonard.Leſſi de Iuſtit.lib.4.cap.3.dubit.9.numer.68. cum ſeqq.P.Sanch.lib.7.diſput. 13 Pat.Rebello de Obligat. iuſtit.p. 2 lib.3 q.11.P.Valer.Reginald.in praxi fori pœnit.lib. 22. à num 28. cum ſeqq.& lib. 31. à num. 64. P. Ægid. de Sacrament. & Cenſur. tom.2,diſput. 31.à num. 46. Ioann. Aloyſ. Ricci. in collecte decis.p.4. Collect.911.

β An hoc Decretum habeat locum in Raptu, qui fit tantùm cauſa libidinis explendæ?Negant Salzed.in pract.cap. 78. in fine, Fr.Emman.in ſum.tom.1.cap.232 num.7. in 2.edit. Veg. tom. 2. ſum. cap. 34.caſu 157.notab.1.P.Sanch.lib 7.diſput.13 numer.4.P.Leſſi d.cap. 3. dubit. 9. num. 70. P. Valer. d. lib 31. numer. 165. verſ Primum.

γ An procedat cum puella, quæ ſponte conſentit repugnantibus parentibus?Affirmant Salzed.d. cap. 78. §. fin. Veg. d. caſu 157. notab.1.P.Henriq d.cap. 14.numer 4 Zerol. in praxi Epiſcop.p. 2. verbo Raptus.§.1 Fr.Emman.d.cap 231.num.1.P. Rebello,de.q. 11 nu. 6 Petr.de Ledeſm. d.cap. 26. cond. 2. dub. 1. Negant, ex ratione, quia iſte raptus non repugnat vllo modo libertati matrimonij, cui Concilium hoc Decreto ſolùm voluit conſulere, P. Sanch. lib 7. diſput.13.numer 13.P.Leſſi.d.cap.3.dubit.9.numer.70 P. Valer Reginald.d.lib.22.num 31.& lib.31.nu.165.verſ.5. P. Ægid. d. diſput. 31.num.48.

δ An comprehendat Raptum quo ſponſus rapit propriam ſponſam?Negant Fr.Emman. d.cap. 231. num. 4. P. Henriq. d. cap 14. num 4.Pat.Sanch.diſput.13.num.15.Pat.Leſſi. d. num.70. verſ. Tertium.

ε An habeat locum in muliere rapiente virum? Affirmant Fr Emman. d. cap. 232. num. 4. verſ. *Lo quinto ſe ha da notar que eſte decreto ha logar tambien quando vna muger robuſta arrebata a vn hombre de menos fuerças.* P. Henriq d. cap. 14. num. 4. verſ. si fortè fœmina robuſta, Veg. tom. 2 ſum.cap.34. caſu 157.notab.5.Negant. Far.in praxi crimin quæſt.145.nu.45.P. Sanch.d. diſp.13 nu.16. P. Rebello d.q.11.nu.6.P.Valer Regin d lib.31.nu.165.verſ. Septimum. eſt Dicit vtramque opinionem probabilem P.de Ledeſm. d. cap. 26. concl.2.dub.5.

ζ An habeat locum in rapiente fœminam corruptam,meretricẽ,vel

in honeſtam? Affirmat P. Valer.Reginal.d.lib.31.nu.165.verſ.Sextum eſt, vbi in verſ.Quartum, dicit nō requiri copulam, cùm hæc ad matrimonium ineundum nihil conferat, & in verſ. Quintum aſſerit requirit vt fœmina abducatur nolens, de quo etiam Sayr. deciſ.1.de Raptorib.

*η* An procedat, ſi ſolis importunis precibus, aut pretio conducta fœmina extrahatur? Negat dummodo illæ preces tales non eſſent vt violentiæ æquiparentur. P.Sanch.lib.7.diſp.13.nu.11.vbi nu.12.dicit etiam non eſſe locum his pœnis, ſi dolis circumuenta virgo extrahatur.

*θ* *Quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit.* ] An ad hoc vt raptus dicatur, requiratur traductio de loco ad locum? Affirmant Nauar. Conſ. 1.num.viii ſub tit. de Raptorib. Fr. Emman.d c.232.nu 2.P. Sanch.lib 7.diſp 13.nu.7. P. Ægid.d. tom.2. diſp.31. nu.48.verſ.Vt autem.

*ι* *Nullum poſſe conſiſtere matrimonium.* ] Quid in Sponſalibus? Negant etiam Fr. Emman.d.c.231.num.3. Veg.de caſu 157.notab 3.P. Sanch.d.diſp.13.num.17.

*κ* *Et nihilnominus raptor ipſa, &c.* ] An raptor, ſi nubat, fiat infamis? Affirmant P.Leſſi. d. c. 3. nu. 69. Farin. d. q. 175. nu. 101. Negant, ex ea ratione, quia aliàs rapta cogeretur nubere infami, P.Henriq. d. cap.14. nu.4 verſ.Si ducat non ita fit. Fr.Emman. d. cap.231.nu.4 verſ. *Lo ſexto*. Petr. de Ledeſm.d.16 dub.fin.

*λ* *Ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes.* ] Vide P. Sanch.lib.7.diſp 13.num.3.& 4.Farin d.quæſt. 145.nu. 11 & 47 vbi reſoluit, quòd raptui opem ferentes ſcienter tamen & dolosè, capitali ſupplicio ſubiiciuntur, licèt quoad alias pœnas & præſertim amiſſionem bonorum tantum modo, qui in actu rapinæ auxilium præſtiterunt, non autem alij illas incurrant.

*μ* *Sint ipſo iure excommunicati.* ] Vide Farinac.in praxi crimin.q.145. nu.21 P.Sanch.l.7.diſp.13.à princip. vbi etiam reſoluit excommunicationem huius decreti non eſſe de reſeruatis Pontifici, & P. Valer. Regin.d.lib.22.num.31 verſ. De excommunicatione dicit illam eſſe latæ ſententiæ, & nulli reſeruatam.

*ν* *Teneatur præterea raptor mulierem raptam, &c.* ] Vide Henriq.d. cap 14.num.5.P.Sanch d.diſput 13.num.3.& 4.vbi num 1 verſ. Teneri raptorem, reſoluit, quòd in ſententia iudicis conſtituentis hanc dotem, attendenda maximè eſt raptoris, & raptæ qualitas perſonarum. Vide Farin.d.quæſt.145.num.57. Et quòd requiratur ſententia iudicis, vt eam teneatur dotare, Pat. Ægidi d. diſput. 31. numer. 48. Valeri.d.numer.31.verſ.De dotatione.

CAPVT

## Capvt VII.

*Quomodo vagabundi coniungendi matrimonio.*

αβ MVlti ſunt, a qui vagantur, & incertas habent ſedes, &, vt improbi ſunt ingenij, prima vxore relicta, aliam, & plerumq; plures, illa viuente, diuerſis in locis ducunt. cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paternè monet, 1 γ δ *ne hoc genus hominum vagantium* ad matrimonium facilè recipiant: magiſtratus etiam ſæculares hortatur, vt eos ſeuere coërceant: 2 *Parochis autem præcipit*, ne illorum matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, ε *&, re ad Ordinarium delata*, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

a *Deiis & c. 25. Concil. Agathen.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Ne hoc genus hominum vagantium.* ] Non dicitur vagans illa mulier, quæ per octo annos in vna eadémque terra habitauit.

2 *Parochis autem præcipit.* [ Si contingat contrahentes, alienigenas eſſe: & à paruo tempore ibi habitantes, conſtito tamen quòd non ſint de comprehenſis inter vagabundos, proprius parochus ad contrahendum, is eſt, in cuius Parochia contrahentes habitant eo tempore quo contrahunt. *Vide huius Seſſ. de Ref. c. 1. §. Matrimonium contrahitur.*

---

## REMISSIONES.

α VIde Perez l. 1. in princip. tit. 14. li. 8. Ordinam. P. Henriq. in ſum. lib. 11. cap 3. §. 3. Fr Emman. in ſum. tom 2. cap. 219 nu. 3. Petr. de Ledeſm. in ſum p. 1. de Sacram. Matrim. c. 7. concl. 4 dub. 3. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1 verbo Matrimonium, verſ. 6. & p. 2 verbo Parochus. pag. 81. Latè P. Sanch de Matrim. libr 3. diſp 25. numer. 8. cum ſeqq. Cened. pract & Canon. quæſt lib 1. q. 30. num. 66. cum ſeqq. P. Ægid. de Coninck de Sacram. & Cenſuris, to 2. diſp. 27. n. 20. P. Rebello de Obligat. iuſtitiæ, p. 2. lib 2. q. 8. nu. 3. P. Valer. Regin. in praxi fori pœn. lib. 31. num. 239. nouiſſimè D. Gutier. Canon lib. 3. tract. de Matrimonio, cap. 65.

β Vagabundus quis dicatur? Vide D. Barboſ. in l. hæreſes abſens, §. proinde, ff. de Iudiciis in art. de foro delicti, num. 14. & ſeq Cened. d.

q. 30. num 69. & 70. P. Sanch lib. 3. diſp. 25. à princip. P. Ægid. de Sacram & Cenſur tom. 1 quæſt. 8. num. 62. & tom. 2. q. 27 num. 10. verſ. Nota 1. P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib 1. numer. 64.

γ *Hoc genus vagantium* ] An procedat, ſi vnus contrahentium ſit notus, & incola, & propriam habeat ſedem, ſubditúſque ſit parochi? Affirmant Cened. d. q 30. num. 68. verſ. Circa hanc, Gutier. d. cap. 65. num. 8.

δ An procedat in illis, qui alibi habentes domicilium habitant ac contrahunt in loco vbi ignoti ſunt? Affirmant P. Ægid. d. diſp. 27 nu. 20. verſ. Nota 2. vbi in verſ. Nota 3. dicit Concilium in præſenti eſſe intelligendum de iis, qui communiter dicuntur vagi, non autem de his qui domicilium transferunt, notiq; ſunt in iis locis, de quo etiam Gutier d. tract. de Matr. cap. 65. num. 9.

ε *Et re ad Ordinarium delata* ] An parochus, qui vagos non præmiſſa debita diligentia & licentia Ordinarij matrimonio coniunxerit, peccet mortaliter? Affirmant, matrimonium tamen valere reſoluentes, Veracruz in appendice in quæſt. quomodo qui vagantur admittendi ſunt ad matrimonium, verſ. Quamuis ſi fiat, P. Sanch. lib. 3. diſput. 25. num. 16 & 17. P. Henriq. lib. 11. cap. 3. num. 3 Cened. d. q. 3. num. 68. in princip. D. Gutier. d. tract. de Matrim. cap. 65. num. 15. & cap. 67. num. 2.

## CAPVT VIII.

*Concubinarij cuiuſcumq; ſint conditionis, feriantur excommunicatione, ſi ter moniti non abſtinent à conuerſatione nefanda. Mulieres concubinæ, ſi ter monitæ non abſtinent, extra territorium ac diœceſim trudantur, aliis pœnis in ſuo robore permanentibus.*

1 α GRaue peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere; grauiſſimum verò, & in huius magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum; a vxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu viuere, ac audere eas quandoque domi etiam cum vxoribus, alere, & retinere. quare, vt huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis prouideat, ſtatuit huiuſmodi concubinarios, tam ſolutos, quam vxoratos, cuiuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi, poſtquam ab Ordinario, β γ *etiam ex officio*, *ter admoniti*

a *Inf Seſſ. 25 c. 14 de Refor. Com. Rom. ſub. Nic. 1. in fi. Conc. Lat ſub Leone X. Seſſ 9. de Ref Curia & aliorũ verſ. Concubinarij.*

*niti ea* de re fuerint, concubinas non eiecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſeiunxerint; [a] excommunicatione feriendos eſſe; à qua non abſoluantur; donec re-ipſa admonitioni factæ paruerint. 2 *Quòd ſi in concubinatu per annum*, cenſuris neglectis, permanſerint; contra eos ab Ordinario ſeuerè pro qualitate criminis procedatur. 8 *Mulieres*, [b] *ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ*, quæ cum adulteris, ſeu concubinariis publicè viuunt, ſit ter admonitæ non paruerint; ε *ab Ordinariis locorum*, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur; 3 *& extra oppidum*, vel diœceſim, ſi id eiſdem Ordinariis videbitur, ζ *inuocato, ſi opus fuerit*, brachio ſæculari, eiiciantur: aliis pœnis, contra adulteros, & concubinarios inflictis, 4 *in ſuo robore permanentibus*.

a *Conc. Tolet. 1. c. 17. c. is qui, 34. diſt.*

b *Conc. Arelat. 2. c. 3. c. fraternitatis, 34. diſt. c. fi. concubinæ, de ſentent. excom. c. 2. in fin. de cohabit. Cler. & mul.*

---

# DECLARATIONES.

1 *Graue peccatum eſt.*] Per hoc Decretum non tolluntur aliæ pœnæ à iure communi vel ſtatutis ſynodalibus contra concubinarios inflictæ, neque alius modus procedendi contra eoſdem: ſi tamen vellet Ordinarius illos excommunicare, forma hic præſcripta ſeruanda eſſet. Quapropter Archiepiſcopus Mediolanenſium, qui adulterum condemnauit ad ſcuta quinquaginta quæ piis locis applicata fuere, non tamen factis monitionibus, de quibus mentio eſt in hoc cap. non contrauenit ſtatuto Concilij, vt Congregatio die tertia Nouembris, 1587. cenſuit. Concilium quippe non ſuſtulit alias pœnas contra adulteros, vt patet ex fine capitis, & ſic ille non malè geſſit, ſed valde bene.

2 *Quod ſi in eo concubinatu per annum.*] Præſentis capituli tenor obſeruandus eſt etiam eo caſu quo concubinatus exerceretur cum diuerſis concubinis. *Vide, de clerico in Seſſ. 25. cap. 14.*

3 *Extra oppidum.*] Mulieres, quæ cum adulteris & concubinariis publicè viuunt, poſſunt vltra exilium, aliis etiam pœnis contra adulteros inflictis cumulatim puniri.

4 *In ſuo robore permanentibus.*] Non tolluntur priuilegia conceſſa religionibus de habilitandis illegitimis ad dignitates & gradus illarum.

Trina monitio tunc demum neceſſaria eſt inter concubinarios, quando in eos vult Epiſcopus ferre ſententiam excommunicationis:

ſi vero pœnis pecuniariis vel aliis mulctare eos velit iudex, non requiruntur iſtæ ſolemnitates.

# REMISSIONES.

α VIde Ordin. Regiam Luſitanorum, lib 2. tit. 1. §. 13. Salzed. ad Bernard. cap. 79. verſ. Laicus, Baiard. ad Cler. q. 37. num. 13. Zerol. in praxi Epiſcop. part. 1. verbo Concubinarij, §. 2. pag. 60. Bouadil. in ſua Politica, lib. 2. cap. 17. num. 53 Iacob. de Graffis, lib. 2. deciſ. cap. 76. num. 3. Thom. Valaſc. tom. 1. Allegationum iuris, alleg. 34. à numer. 8. vbi numer. 9. aſſerit pariter eundem concubinatum prohiberi per conſtitutiones Synodales huius Regni tam in clericis, quàm in laicis, vt videre licet ex Conſtit. Archiep. Ebor. 16. titul. 10. & Conſt. 1. tit. 25 & ex Conſtitut. Epiſcop. Conimbric. 2. tit. 15. & Conſt. 4 tit. 33. & ex Conſtit. Epiſcop. Lamec. 15. titul. 12. & Conſtit. vni, tit. 30. & ex conſtit. Epiſcopat. Portucal. 14. titul. 15. & conſt. 4. tit. 31. vide Sayr. in Claui regi, lib. 8. cap. 2. num. 9. cum ſeqq. Petr. de Ledeſm. in ſum. p. 2. tract. 27 cap. 18. concl. 2.

β *Etiam ex officio ter admoniti.* ] An diſtinctis temporibus? Affirmat Auend de Exeq. mandatis p. 1. cap. 22. num. 14.

γ An Epiſcopus in prima admonitione poſſit pœna pecuniaria concubinarium punire? Affirmat Thom. Valaſc. d. alleg. 34. num 11. vbi num. 12. refert ita fuiſſe iudicatum, cùm hæc dubitatio accidiſſet inter iudicem coronæ Senatus Portucal, & officialem Epiſcopi, in Senatu Palatino.

δ *Mulieres ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ, &c.* ] Vide Sayr. in Claui regia, lib. 8. cap. 2. num. 14. Bouadil. in ſua Politica, lib. 2. cap. 17. num. 53. verſ. *Y por vn decreto del ſancto Concilio.*

ε *Ab Ordinariis locorum, &c.* ] An crimen concubinatus ſit mixti fori, ita vt per iudices ſæculares poſſit etiam puniri? Affirmant Ordin. Regia Luſitan. lib. 2 tit. 9. in principio ibi, *Barrigueiros*, Greg. lib. 58. verbo *Eſtos*, tit. 6. part. 1. Auend ad cap. 26. prætor. num. 2 p. 1. Azeued lib. 4 num. 4. tit. 1 lib. 4. nouæ Recopil. Soar de Paz in praxi tom. 2. prælud. 2. num. 31. in fine, Farin. in praxi crim. n. q. 8. nu. 31. P. Azori. inſtit. Moral. p. 2. lib. 3. cap. 53. quæſt. 2, verſ. Dubiæ quæſtionis, Bouad. in ſua Politica, d. ca. 17. num. 53. Thom. Valaſc d. alleg. 34. num. 4.

ζ *Inuocato, ſi opus fuerit, brachio ſæculari.* ] An ſi iudex ſæcularis neget, poſſit ad id cogi ſub pœna excommunicationis? Affirmant Ludou. Rodolphin. de brachio ſeculari, num. 45. Menoch. de Arbit. caſu 451 Bellacomb. tom. 1. Commun. opin. li. 3. tit. 1. nu. 118. pag. 367. Farin. in praxi crimin. q 197. num 8. Bouadil. d. cap 17 num. 80. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. q. 8. art. 14. D. Mart. de iuriſdictione, p. 1. cap 52. num. 1.

## CAPVT IX.

*Domini ac magiſtratus cogentes directè vel indirectè, minis & pœnis ſubditos ſuos ad certa matrimonia contrahenda cum certis perſonis, ipſo facto excommunicantur.*

α ITa plerúmque temporalium dominorum, ac magiſtratuum mentis oculos terreni affectus, atque cupiditates excœcant, vt viros, & mulieres, ſub eorum iuriſdictione degentes, maximè diuites, vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis matrimonium inuitos contrahere, quos ipſi domini, vel magiſtratus illis præſcripſerint. [a] Quare cùm maximè nefarium ſit, matrimonij libertatem violare; & ab eis iniurias naſci, à quibus iura expectantur: præcipit ſancta Synodus omnibus, 1 *cuiuſcumq; gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant*, ß *ſub anathematis pœna*, [b] quam ipſo facto incurrant, ne quouis modò directè vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogant, quo minùs, liberè matrimonia contrahunt.

*a c. cum locum e. requiſiuit, & c. Gemma, de deſponſatione impuberum.*

*b Conc. Pariſ. 1. c. 6. c. nullus, 36 q. 2.*

## DECLARATIONES.

1 *Cuiuſcunq; gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant.* ] S. D. N. Gregorius XIII declarauit, non comprehendi priuatas perſonas, ſed tantùm ſupradictos dominos temporales, & magiſtratus, cuiuſcúmque dignitatis exiſtant Verum eſt tamen, particulares ac priuatas perſonas grauiter peccare, ſi minis adigant inuitos contrahere matrimonium, & quidem eorum peccatum Ordinarij poſſent excommunicatione dignum iudicare.

## REMISSIONES.

α VIde Gutier. Canon. lib. 1. cap 20. num 32. P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit lib 20. nu. 19. Latè P Sanch de Matrim. lib. 2 diſp. 27. P. Henriq. in ſum. libr. 11. cap. 6. § 6. lit. G. reſoluentes etiam Concilium ß in præſenti locum tantùm de domino

temporali, & de magiſtratu cogente, qui in foro exteriori habet iuriſdictionem in ſubditos; non comprehendere Regem, Imperatorem, parentes; nec illum, qui retrahit à matrimonio cum iſto aut illo. Vide etiam nouiſſimè Gutier. tract. de Matrim. cap. 79. à num 8.

β *Sub anathematis pœna* ] An hæc excommunicatio lata ſit ſolùm contra iniuſtè impedientes matrimonia? Affirmant Nauar. in Man. cap. 27 num. 105. P. Sanch. d. diſp. 17 num. 8 vbi num 9. reſoluit, parentes iniuſtè impedientes matrimonia filiorum non incurrere hanc excommunicationem, de quo etiam Gutier. d. c. 79. à num. 11. P. Molin. de Iuſtit. tract. 2 diſp. 176. verſ. Ad ſecundam partem, P. Henriq lib 11. cap. 6. nu. 5. in Commento.

## CAPVT X.

### *Tempora deſignantur quibus nuptiarum ſolemnitates celebrari non conuenit.*

*a Conc Laodicē. Can. 52. Cōc. Salegnſtadien. ca. 3. c. Capellanus de feriis.*

1 αβ AB *aduentu* Domini noſtri Ieſu [a] Chriſti vſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, vſque in octauam Paſchatis incluſiuè, antiquas ſollemniū nuptiarum prohibitiones diligenter γ *ab omnibus obſeruari* ſancta Synodus præcepit: in aliis verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit: quas Epiſcopi, vt ea, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant, curabunt: ſancta enim res eſt matrimonium, & ſanctè tractandum.

## DECLARATIONES.

1 *Ab aduentu.* ] Quocunque tempore poteſt Matrimonium contrahi coram parocho: ſed nuptiarum ſolemnitates, conuiuia, traductio ad domum; & carnalis copula certis temporibus prohibentur.

## REMISSIONES.

α VIde Matien. in Rub. tit. 1. Gloſſ. 1, numer. 147 lib. 5. Recopilat. latiſſimè, P. Sanch. de Matrim. lib. 7. diſput. 7. plures Doctores refert Cened. ad Decretal. Collect. 22. Petr. de Ledeſm. in ſum. p. 1 de Sacramento Matrimon. cap. 10. concluſ. 8. dub. 1. verſ. *El tercer.*

β *Ab*

β *Ab aduentu Domini.* ] An incipiat à media nocte, quæ eſt initium diei primę Dominicæ Aduentus, vbi conſuetudo aliud non expoſuerit? Affirmat Caualcan in ſuis deciſ. par. 2. deciſ. 12. de contractibus: quæ in ordine eſt 58. nu. 19. Negat. P. Sanch. lib. 7. diſp. 7. num. 2. reſoluens tempus Aduentus in hac prohibitione incipere à primis veſperis Sabbati præcedentis, in Feria autem quarta Cinerum à media nocte illius feriæ incipere.

γ *Ab omnibus obſeruari ſancta Synodus præcipit* ] An contrarium faciens peccet mortaliter? Affirmant non tamen ob id dirimi matrimonium reſoluentes. Matienſ. d. gloſſ. 1. nu. 147. Cened. d. collectan. 22. nu. 2 P. Sanch. d. diſp 7. à num. 3.

## DECRETVM DE REFORMATIONE.

Eadem ſacroſancta Synodus, reformationis materiam proſequens, hæc in præſenti Seſſione ſtatuenda decernit.

### CAPVT I.

*Norma procedendi ad Epiſcopi creationem Eccleſiæ Dei vtilem hic datur. Idem in Cardinalium electione teneatur omnino.*

α SI in quibuſlibet Eccleſiæ gradibus prouidenter, ſcienterq; curandum eſt, vt in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilq; præpoſterum; multò magis elaborandum eſt, vt in electione eius, qui ſupra omnes gradus conſtituitur non erretur. Nam totius familię Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi, quod requiritur in corpore; non inueniatur in capite. Vnde, etſi a aliàs ſancta Synodus de promouendis ad Cathedrales, & ſuperiores Eccleſias nonnulla vtiliter decreuit; hoc tamen munus huiuſmodi eſſe cenſet, vt, ſi pro rei magnitudine expendatur nunquam ſatis cautum de eo videri poſſit. Itaque ſtatuit, vt, cùm primùm eccleſia vacauerit, ſupplicationes, ac preces publicè, priuatimque habeantur, atque à Capitulo per ciuitatem & diœceſim indicantur, quibus Clerus, populúſque bonum à Deo paſtorem valeat impetrare. Omnes verò, & ſingulos, qui ad promotionem præſi-

a *Sup. de ref. ſeſ. 6. c. 1. ſeſ. 7. c. 1. & 3. ſeſſ. 22. c. 2.*



vill. 1. 3
trat. 2. 3
3

ciendorum, quodcumque ius, quacumque ratione, à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam, præſtant, nihil in iis pro præſenti temporum ratione innouãdo hortatur, & monet, vt in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi, quos digniores, & eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem præcibus vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos ſciant, [a] que iuxta ſacros canones, & Tridentinæ huius Synodi decreta requiruntur. Quoniam verò in ſumendo de prædictis omnibus qualitatibus graui, idoneoq; bonorum, & doctorum virorum teſtimonio, non vniformis ratio vbiq; ex nationum, populorum ac morũ varietate poteſt adhiberi; mandat ſancta Synodus, vt in prouinciali Synodo, per Metropolitanum habenda, præſcribatur quibuſque locis, & prouinciis propria examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis faciendæ forma, Sanctiſſimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quę magis eiſdem locis vtilis, atq; opportuna eſſe videbitur: ita tamen, vt, cùm deinde hoc examen, ſeu inquiſitio de perſona promouenda perfecta fuerit, [b] ea in inſtrumentum publicum redacta, cum toto teſtimonio, 1 *ac profeſſione fidei ab eo facta*, quamprimùm ad Sanctiſſimum Romanum Pontificem omnino tranſmittatur: vt ipſe Summus Pontifex, plena totius negotij, ac perſonarum notitia habita, pro gregis Dominici commodo de illis, ſi idonei per examẽ, ſeu per inquiſitionem factam reperti fuerint, eccleſiis poſſit vtiliùs prouidere. β *Omnes verò inquiſitiones*, informationes, teſtimonia, ac probationes, quæcúmque de promouendi qualitatibus, & eccleſiæ ſtatu à quibuſcunque, etiam in Romana Curia, habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Conſiſtorio, & alios

*a c. cũ in cunctis & c. cum nobis, olim, de elect. Conc. Lat. ſub Leone 10. de ref. Curiæ in prin. ſeſſ. 9.*

*b S D.N. Pius 4. in Bulla ſuper forma iuramẽti profeſſionis fidei*

& alios tres Cardinales diligenter examinentur; ac relatio ipſa Cardinalis relatoris & trium Cardinalium ſubſcriptione roboretur: in qua ipſi ſinguli quatuor Cardinales affirment, ſe, adhibita accurata diligentia, inueniſſe promouendos qualitatibus à iure, & ab hac [a] ſancta Synodo requiſitis, præditos; ac certò exiſtimare ſub periculo ſalutis æternæ idoneos eſſe, qui Eccleſiis præficiantur: ita vt relatione in vno Conſiſtorio facta, quo maturiùs interea de ipſa inquiſitione cognoſci poſſit, in aliud Cóſiſtorium iudicium differatur; niſi aliud Beatiſſimo Pontifici videbitur expedire. y *Ea verò omnia*, & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus aliàs in eadem Synodo conſtituta ſunt, decernit eadem, etiam in creatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiam ſi Diaconi ſint, exigenda; quos Sanctiſſimus Romanus Pontifex ex omnibus Chriſtianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, provt idoneos reperterit, aſſumet. Poſtremò, eadem ſancta Synodus, tot grauiſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quàm vt Beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſolicitudinem vniuerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat; vt lectiſſimos tantùm ſibi Cardinales aſciſcat; & bonos maximè, atque idoneos paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat, idque eò magis, quod ouium Chriſti ſanguinem, quæ ex malo negligentium, & ſui officij immemorum Paſtorum [b] regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus de manibus eius ſit requiſiturus.

[a] in dictis locis.

[b] Ezech. 33. & 34. Act. 20. ſup. ſeſſ. 6. de ref. c. 1.

---

DECLARATIONES.

1 *Ac profeſſione fidei ab eo facta.* ] Profeſſio fidei ab Epiſcopo emittenda eſt iuxta Bullam Pij IV.

Hoc decretum extenditur etiam ad eos, qui de Monaſteriis, conuentibus, domibus & aliis quibuſcúnque bonis regularibus, quorumcúnque Ordinum etiam militiarum, quocumque nomine vel titulo prouidentur.

Idem

Idem pius IV. per aliam Bullam, ad hanc fidei profeſſionem teneri voluit omnes Doctores, Magiſtros Regentes, & alios cuiuſcúmque artis & facultatis profeſſores, ſiue Clerici, ſiue laici, vel cuiuſcunque ordinis regulares ſint, qui docere vel promoueri, vt ſuprà voluerint. Itaque Ordinarij eorum locorum vbi ſtudia vigent, negligentes hanc fidei profeſſionem exigere, puniendi ſunt.

---

## REMISSIONES.

α VIde Nauar. in tract. de Orat. Miſcel. 33. cum ſeq & Miſcel. 42. Mandoſ. de Signaturæ gratiæ in prin. verb. Prouiſiones, Lud. Maretan. in Clypeo Militaris Eccleſiæ lib. 3. cap. 19. & 20. cum ſeqq. nouiſſimè P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit. li. 30. tract. 3. n. 163.

β *Omnes verò Inquiſitiones, &c.*] Vide Flamin. de Reſignat. li. 8. q. 5. nu. 10. cum ſeqq. & qu. 6. nu 4 vbi reſoluit, idem tenendum in beneficiis conſiſtorialibus, cùm in eis vigeat eadem ratio.

γ *Ea verò omnia, &c.*] Vide P. Azor. inſtit. Moral. par. 2. lib. 6 cap. 6. col. 682.

## CAPVT II.

*Quolibet triennio fiant Concilia prouincialia per ipſum Metropolitanum, aut, eo impedito, Coëpiſcopum antiquiorem. Ad ea conueniant quicunque de iure, vel conſuetudine intereſſe debent. Epiſcopi nulli Archiepiſcopo ſubiecti eligant vicinum Metropolitanum. In reliquis vigeat eorum exemptio. Synodi diœceſanæ quotannis celebrentur, &c.*

α PRouincialia Concilia, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſiis componendis,[a] aliiſque, ex ſacris Canonibus permiſſis renouentur. 1 β *Quare Metropolitani* per ſe ipſos, ſeu, illis legitimè impeditis, 2 *Coëpiſcopus* antiquior intra annum ad minus à fine præſentis Concilij, & deinde 3 γ *quolibet ſaltem triennio* poſt octauam Paſchæ reſurrectionis Domini noſtri IESV CHRISTI, ſeu alio commodiori tépore pro more prouinciæ non prætermittat 4 *Synodum in prouincia ſua* cogere: quò Epiſcopi omnes, & δ *alij, qui de iure*, vel conſuetudine intereſſe debét, exceptis iis, quibus cum

*a c. propter Eccleſiaſt. cum ſeq. 18. diſt. c. ſicut olim. de accuſa. Côc. Aur. 3. c. 1. Conc. Lat ſub Leon. 10 Seſſ. 10. ĩn 2. Lat. ſub Innoc. 3 exigebatur vt ſingulis annis Metropolit. viſita et, c. 6.*

cum imminenti periculo transfretandum eſſet, conueni-re omnino teneantur. 5 § *Nec Epiſcopi* comprouinciales prætextu cuiuſlibet conſuetudinis ad Metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inuiti compellantur. 6 ζ *Iidem Epiſcopi*, 7 *qui nulli Archiepiſcopo* ſubiiciuntur, aliquem 8 *vicinum Metropolitanum* 9 *ſemel eligant*; 10 *in cuius Synodo prouinciali cum aliis intereſſe debeant*; & quæ ibi ordinata fuerint, obſeruent, ac obſeruari faciant: in reliquis omnibus eorum exemptio, & priuilegia ſalua, atque integra maneant. 11 *Synodi quoque diœceſanæ*, 12 *quotannis celebrentur:* 13 ζ *ad quas exempti* etiam omnes, qui aliàs, ceſſante exemptione, intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur, ratione tamen Parochialium, aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ij, 14 *qui illarum curam gerunt*, quicunque illi ſint, Synodo intereſſe. Quod ſi in his tam Metropolitani, quàm Epiſcopi, & alij ſupraſcripti negligentes fuerint; pœnas, ſacris [a] canonibus ſancitas, incurrant. [a] *Conc. Tarracon. c. 8.*

# DECLARATIONES.

1 *Quare Metropolitani* ] Metropolitani negligentes conuocare Concilium Prouinciale, à ſummo Pontifice excitantur, præſentis tenore capituli.

Metropolitanus, qui ex aliqua cauſſa Concilium hoc ad præſcriptum tempus celebrare non poteſt, à ſummo Pontifice ſolet diſpenſari

2 *Coepiſcopus antiquior* ] Suffraganeus antiquior, Metropolitano impedito, debet conuocare Concilium Prouinciale, & in cæteris vice dicti Metropolitani fungi, prout decernitur hoc cap. & non alius Epiſcopus, qui non eſt ſuffraganeus, etſi ſit exemptus & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectus. licet in Concil Prouinciali per Metropolitanum, dum viueret, celebrato iuxta formam huius c. elegerit dict. Metropolitanum, cuius Synodo intereſſet, etiamſi omnibus d. Metropolitani ſuffraganeis antiquior eſſet, ac in Concil. Prouinciali ſuper omnes dictos ſuffraganeos ſederet.

3 *Quolibet ſaltem triennio.* ] In India ob diſtantiam Epiſcoporum comprouincialium hoc triennij tempus ad Concilium celebrandum vſque ad ſextum annum à Sede Apoſtolica prorogatur.

4 *Syno-*

4 *Synodum in Prouincia ſua.* ] Ad Archiepiſcopum ſpectat electio loci celebrandæ Synodi prouincialis: tamen ceſſantibus impedimentis iuſtis, & accedentibus commoditatibus neceſſariis, probauit Congregatio Concil. Metropolitanam Eccleſiam non eſſe relinquendam.

Decreta, quæ in Conciliis Prouincialibus conduntur, publicari non debent inconſulto Romano Pontifice: mittentes autem ad Sedem Apoſtolicam Diœceſanas Synodos, laudandi ſunt.

In Conciliis Prouincialibus attendendum eſt in præcedentia Epiſcoporum tempus ordinationis, non autem dignitas Eccleſiarum vel earum ordo & præeminentia.

Commendatarij Monaſteriorum ſiue Abbatiarum in Conciliis Prouincialibus inter Abbates ſunt recipiendi. Canonici Cathedralis Eccleſiæ præferendi ſunt quando capitulariter procedunt: extra hũc caſum Abbates titulares habentes vſum mitræ debent præcedere Commendatarios. poſt hos, locum habent Dignitates, & poſt Dignitates collocandi ſunt Procuratores Eccleſiarum Cathedralium: nec tenentur venire ad Concilium Prouinciale exempti & Abbates eorum, nec ij, qui de iure vel conſuetudine intereſſe non debent. Capitula tamen Cathedralium Eccleſiarum ſpecialiter inuitantur, & ad obſeruationem Decretorum Concilij Prouincialis omnes obligantur, cùm Epiſcoporum Iuriſdictioni ſubduntur: exempti quoque in caſibus à iure communi, ex Conc. Trident. Decretis debent aliquem Metropolitanum eligere cuius Concilio interſint, ſiquidem ſpecialiter Epiſcopis aut Concil. Prouinciali in Epiſcopo poteſtas tributa eſt, vt contra inobedientes, iuris remediis procedant.

5 *Nec Epiſcopi* ] Epiſcopi Prouinciales, non tenentur accedere ad ſuũ Metropolitanum, niſi vt interſint Synodo Prouinciali, non obſtante aliqua in contrarium conſuetudine. Et ideo Epiſcopi comprouinciales ex decreto huius c. non tenentur perſonaliter accedere, nec procuratorem mittere, ad præſtandam obedientiam Metropolitano ſuo, nulláque conſuetudo etiam immemorabilis obſtat.

Abbates Commendatarij, Capitulorum deputati vocem dumtaxat conſultiuam in Concilio Prouinciali habent Epiſcoporum procuratores poſſunt etiam deciſiuam habere, ſi Concilio Prouinciali placuerit.

6 *Itidem Epiſcopi.* ] Non ſolum Epiſcopi exempti tenentur eligere vt in hoc decreto, verùm etiam Prælati inferiores, qui hanc electionem liberam habent, licet eorum Capitula contradicerent: quæ Capitula tenentur ad eandem obſeruantiam decretorum in Concil. Prouinciali conditorum, ſicut ipſi Prælati eligentes.

7 *Qui nulli Archiepiſcopo ſubiiciuntur.* ] Hoc Decretum non habet locum in Epiſcopis, qui ſunt in Prouincia Romana, veluti, qui ſunt inter Capuanam Prouinciam & Piſanam, *ca. Tua, de offic. Vic.*

8 *Vicinum Metropolitanum.* ] Hunc ſolus Epiſcopus, & alij Inferiores Eccleſiarum abſque conſenſu Capituli & cleri, imò ipſis contradicen

dicentibus, & aliam electionem facientibus, eligere poſſunt, prout dictum eſt. Et notandum quod Epiſcop. exemptus, qui Metropolitanum vicinum ſemel elegit, & eius prouinciali Synodo interfuit, non poteſt ab eodem Metropolitano compelli, nec cogi ad conſtitutiones in ea Synodo editas obſeruandas. Sic Congregatio cenſuit, & hoc ratione exemptionis, nam Concilium loquitur tantum de intereſſentia, in reliquis verò ſeruat exemptioné Metropolitanorum.

9 *Semel eligant.*] Prouincialem Synodum ſemel eligens Epiſcopus exemptus, ad illam in futurum ſemper accedere tenetur, ſub eiſdem pœnis, ac ſi exemptus non eſſet, ſimilitérque eius ſucceſſor. Archipresbyter nullius Diœceſis poteſt Archiepiſcopum aliquem in Metropolitanum eligere, atque eius Synodo prouinciali ſe ſubiicere, non obſtante contradictione cleri dicti Archipresbyteratus

10 *In cuius Synodo Prouinciali cum aliis intereſſe debeant.*] Capitula etiam exempta tenentur obſeruare decreta in Synodo prouinciali facta.

11 *Synodi quoque diœceſanæ* ] Epiſcopi qui ſunt in prouincia Papæ, tenentur ſuas Synodos facere: ſi autem non faciant, accerſentur Romam ad celebrandum Concilium prouinciale.

12 *Quotannis celebrentur* ] Epiſcopus legitimis de cauſſis impeditus poteſt celebrari facere Synodum diœceſanam in ſuo Epiſcopatu per procuratorem aut Vicarium ſuum generalem, cum ſufficienti mandato, cùm hic Concilium loquatur imperſonaliter. Et in conſtitutionibus faciendis non eſt requirendus conſenſus & approbatio cleri, ſed tantum conſenſus Capituli, qui etiam non eſt neceſſariò ſequendus, præterquam in certis caſibus à iure expreſſis.

Scriptum fuit Archiepiſcopo Panormitano de Synodo, vt ne coniunctim cum aliis Epiſcopis, ſed vnuſquíſque ſeparatim ſuam celebraret Synodum, ex Concil. Trident. decreto.

Licet in Pontificali Romano legatur, quod conſtitutiones, quæ in Synodis fiunt per verbum *placet*, approbari debeant, hoc tamen non procedit in Synodo diœceſana, in qua conſenſus Capituli requiritur quidem, non autem eſt neceſſarium illum ſequi, niſi in quibuſdam caſibus à iure expreſſis.

13 *Ad quas exempti omnes.* ] Etiam Rectores, qui nullius diœceſis ſunt, tenentur accedere ad Synodum diœceſanam illius Epiſcopi, qui tanquam proximior poteſt eas Eccleſias viſitare ex decreto Concilij *præſentis Seſſ. c 9.* quia cum ius habeat viſitandi iſtos parochos, fruſtra videretur viſitare, niſi priùs ad Synodum vocati & inſtructi eſſent de iis ordinationibus, quas ſcire eos oportet, aliqui tamen dixerunt quod *d. c 9. infr.* tribuit tantum ius viſitandi, quod eſt longè diuerſum à iure cogendi à Synodum.

Ratione parochialium obtinentes beneficium in vna diœceſi, vel ciuitate, cùm tamen ipſi in alia habitent, tenentur ad Synodum diœceſanam illius Epiſcopi accedere, cui ſubiecti ſunt, eiuſque leges obſeruare.

14 *Qui illarum curam gerunt.*] Hoc ſeruandum eſt, etiam hoc poſito quod inſtitutio, vel nominatio ad illos pertineret.

## REMISSIONES.

α VIde Zerol. in praxi Epiſcop p. 1. verbo Concilium, pag. 74. latè P. Azor. inſtit Moral. p. 2. lib. 3. c. 47 per totum, Fr. Emman. quæſt. Reg. tom. 3. qu. 46. art. 2. cum ſeqq. nouiſſimè P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit li 20. n. 69. verſ. Quartum, Aloyſ Riccij, in collect. deciſ collect 1153.

β *Quare Metropolitani per ſeipſos, ſeu illis legitimè impeditis, &c* ] Vide Zerol. d verbo Concilium, § 7. P. Azori. d. c. 47. qu. 5.

γ *Quolibet ſaltem triennio.*] Vide P. Azor. d. c. 47. qu. 6. Zerol. d. verbo Concil. § 2.

δ *Et alÿ, qui de iure, vel conſuetudine intereſſe debent.* ] An procedat in habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem? Affirmat P. Azor. d. c. 47. q. 2. Negat in Rectoribus nullius iuriſdictionis, Sayr. deciſ. 11 de offic. Ordin.

ε *Nec Epiſcopi comprouinciales, &c.* ] An ſuffraganeus ad Metropolitanum accedere teneatur extra celebrationem Concilj Prouincialis? Negatiuè cenſuiſſe ſacram congregationem teſtatur Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Suffraganei, pag. 318.

ζ *Ad quas exempti etiam omnes, &c.* ] Vide P. Azor. d. c. 47. qu. 3.

## CAPVT III.

*Viſitationem ſuæ diœceſis faciant Epiſcopo & alij ſuperiores, eámque abſoluant intra biennium, certis ſeruandis, & ſaluis ſaluandis.*

a Conc. Tolet. 4. c. 35.

α β &c. PAtriarchæ, a Primates, Metropolitani, & Epiſcopi 1 *propriam diœceſim* per ſe ipſos, aut, ſi legitimè impediti fuerint, 2 *per ſuum generalem Vicariũ, aut Viſitatorem*, ſi quotannis totã, propter eius latitudinem, viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittãt. *A* δ *Metropolitanis verò*, etiam poſt plenè viſitatam propriam diœceſim, nõ viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque diœceſes ſuorum comprouincialiũ, niſi cauſa cognita, & probata in Concilio Prouinciali. 3 ε *Archidiaconi autem*, Decani, & alij inferio-

feriores in iis Eccleſiis, 4 *vbi hactenus viſitationem exercere* legitime conſueuerunt, debeant eandem, 5 ζ *aſſumpto notario*, de conſenſu Epiſcopi deinceps 6 *per ſemetipſos tandem* ibidem viſitare. 7 n *Viſitatores* etiam, à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius viſitandi habet, priùs ab Epiſcopo approbentur: *ſed non ideo Epiſcopus*, vel, eo impedito, eius Viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur; cui ipſi Archidiaconi, vel aliis inferiores, viſitationis factæ infrà menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere teneantur: non obſtantibus quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, atq; exemptionibus, & priuilegiis quibuſcumque. Viſitationum autem omnium iſtarum [a] præcipuus ſit ſcopus, ſanam, orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere; 9 *bonos mores tueri, prauos corrigere*; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere. Quæ vt faciliùs feliciuſque ſuccedant; monentur prædicti omnes, & ſinguli, ad quos viſitatio ſpectat, vt paterna caritate, Chriſtianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modeſto contenti equitatu famulatuque ſtudeant, 10 *quam celerrimè*, debita tamen cum diligentia, viſitationem [b] ipſam abſoluere. 11 θ *Interimq; caueant*, ne inutilib. ſumptibus cuiquã graues, oneroſive ſint, 12 *neve ipſi, aut quiſquã ſuorũ* 13 *quidquam procurationis cauſa* pro viſitatione, etiam teſtamẽtorũ ad pios vſus, 14 *præter id quod ex relictis piis iure debetur*, aut alio quouis nomine, nec pecuniã, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant: non obſtante quacunque cõſuetudine, etiam immemorabili: 15 ι *exceptis tantùm victualibus*, quæ ſibi, ac ſuis frugaliter, moderatéque pro temporis tantùm neceſſitate, & non vltra, erunt miniſtranda. Si tamen in optione eorum, qui viſitantur, ſi malint ſoluere, id quod erat ab ipſis antea ſolui, certa pecunia taxata, conſuetum; 16 *an verò prædicta victualia ſubminiſtrare*: ſaluo item iure conuentio-

[a] *c. § ſanè, de cenſi in 6 c. Florentinis 85. diſt.*

[b] *Conc. Braccaren. 2. ca 1. Conc. Ticinen. verſ ſtatuimus etiam ne Epiſcop c. cauendum, & c. inter cetera, 10. q 3 & c. cum Apoſtol. de cõſi.*

num antiquarum cum monaſteriis, aliiſve piis locis, aut eccleſiis non Parochialibus inito, quod illæſum permaneat. *In* x *iis verò locis, ſeu prouinciis*, vbi conſuetudo eſt, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant: ibi id obſeruetur. Quod ſi quiſquam, quod abſit, aliquid amplius in ſupra dictis omnibus caſibus accipere præſũpſerit; v *is præter dupli reſtitutionem*, intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis iuxta Conſtitutionem Concil. Generalis Lugdunenſis, quæ incipit, a Exigit: nec non & aliis pœnis in Synodo Prouinciali arbitrio Synodi, abſque vlla ſpe veniæ, µ *mulctetur*. Patroni verò in iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nullatenus ſe præſumant ingerere; neque viſitationi ornamentorum eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum prouentibus immiſceant: niſi quatenus id eis ex inſtitutione, ac fundatione competat: 17 *ſed Epiſcopi ipſi hæc faciant*, 18 & *fabricarum redditus in vſus* eccleſiæ neceſſarios, & vtiles, 19 *prout ſibi expedire magis viſum fuerit*, expendi curent.

a *Sexti decretal. lib. 3 de cenſib. tit. 20. cap. 2.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Propriam diœceſim* ] Hoc intelligitur habere locum etiam caſu quo Eccleſiæ ſint exemptæ, ſed tunc per ſeipſum tantum, vel illis quibus ſibi videbitur, adiunctis, *ex c. 4. ſeſſ. 6.*

Fuit dubitatum, an liceret Epiſcopo in viſitatione, homines monere per edicta ſub excommunicationis pœna ad reuelanda ea quæ ſcient contra Capitulares, & alios qui correctione, & emendatione indigent: Fuit reſolutum die vlt. Martij 1588 non licere.

2 *Per ſuum generalem Vicarium, Viſitatorem.* ] Comprehenduntur etiam exempti, qui viſitandi eſſent ab Epiſcopis, vt poſſint ipſis legitimè impeditis viſitari à Vicariis, vt hic.

3 *Archidiaconi autem* ] Ordinarius vel debet dare beneficium Eccleſiaſticum Archidiacono de conſuetudine iuriſdictionem exercendi, vel permittere ei exercere iuriſdictionem Archidiaconatus, ſicut erat ſolitus. Cùm autem Archidiacono prouiſum fuerit de alio beneficio, contigeritque Archidiaconatum ipſius Archidiaconi ceſſione vel morte vacare, Archidiaconatus ipſe in perpetuum poſtea ſublatus eſſe intelligitur. Interim verò dum Archidiaconus iuriſdictionem exercet, ſi ipſe, vel eius miniſtri, quicquam iniuſtè vel perperam

egerint

egerint, Ordinarius in eos animaduertere debet.

4 *Viſitationem.*] Congregatio cenſuit, Archidiaconum, dummodo viſitet, percipere fructus Archidiaconatus, cùm ſit abſens pro ſeruitio Eccleſiæ, & ex præſcripto Papæ.

5 *Aſſumpto notario.*] Verba hæc, quibus dicitur, quod Archidiaconi, Subdiaconi & alij inferiores, in ſua viſitatione debeant aſſumere notarium de Epiſcopi conſenſu, locum non habent in Abbate ſeculari.

6 *Per ſeipſos tantùm.*] Si iuriſdictio iſtorum inferiorum verſaretur ſolùm in videndis rationibus & computis Eccleſiarum, per ſubſtitutos poſſent implere ſuum munus.

7 *Viſitatores etiam*] Hoc decretum, quo iubetur Viſitatores à Capitulo deputatos, eſſe approbandos ab Ordinario, vendicat ſibi locum, etiam vbi ſoli Capitulo abſque Epiſcopo competit facultas viſitandi, pro vt declarauit Congregatio die 30. April. 1587.

8 *Sed non ideo Epiſcopus.*] Licet Epiſcopus poſſit iterum viſitare Eccleſias viſitatas ab inferioribus, vt hic, non poteſt tamen iterum punire punitos ab eis, nec ab eis abſolutos cogere ad innocentiam ſuam demonſtrandum.

9 *Bonos mores tueri, prauos corrigere.*] Epiſcopus viſitando poteſt aliquod crimen corrigere & punire, & non ſolum monere & reprehendere.

10 *Quàm celerrimè.*] Nullum certum tempus ab Epiſcopo obſeruandum ad viſitationem eſt præſcriptum, ſed relictum eſt arbitrio Epiſcopi, quod debet eſſe moderatum, & diſcretum.

Dum ipſe Epiſcopus viſitat, debet continenter viſitationem proſequi, neque ad extraneos actus diuertere; ſed quamprimum, legitimo impedimento ceſſante, vt perficiatur, incumbere.

11 *Interimq; caueant.*] Per Decretum hoc §. *interimque*, quo prohibetur Epiſcopis, præter victualia quicquam accipiant procurationis cauſſa, pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios vſus, aut alio quouis nomine, non cenſetur ſublatum Cathedraticum, quod ſingulis annis exigi ſolet ab Ordinario, tam in viſitatione, quam extra. Ita cenſuit Congregatio Concil, die 8. Octob. 1587. Melius tamen facerent ſi cathedraticum extra viſitationem exigerent.

12 *Neve ipſi aut quiſquam ſuorum.*] Non poteſt quicquam ab eis qui viſitantur, pro decretis & ordinationibus ſpectantibus ad viſitationem, vel etiam pro ſcriptura laboreve, percipere Epiſcopus, vel ei adiuncti.

13 *Quicquam procurationis cauſſa.*] Epiſcopus re ipſa non viſitans, nihil procurationis cauſſa exigere poteſt.

14 *Præter id, quod ex relictis piis iure debetur.*] Epiſcopus poteſt ex conſuetudine exigere, veluti trigeſimam, ex relictis piis ratione viſitationis teſtamentorum: ſecus verò ſi in teſtamentis nullum eſſet relictum pium.

15 *Exceptis tantum victualibus,*] Hęc debentur ab his, qui cõſueue-

runt procuratorem præſtare, & quandóque contingit à Communitatibus locorum.

Exſtante conſuetudine, vt Epiſcopo Diœceſeos viſitanti, à laicis victualia miniſtrentur, etiam Vicario viſitanti, ab Eccleſiarum Rectoribus conſuetudo attendenda ſit.

16 *Victualia ſubminiſtrare.* ] Si ex conſuetudine populus ſubminiſtrat victualia Epiſcopo viſitanti, poteſt ſeruare conſuetudinem Eccleſiæ vtilem: laudabile tamen eſt, vt Epiſcopus illum minus grauet. Si verò populus ſubminiſtrabat ante Concilium ſingulis triennijs, Epiſcopus non debet exigere ſi ſingulis annis viſitauerit, niſi pro tempore quo ante præſtabat populus: quod ſi ipſe recuſaret, cogendus non eſt.

Epiſcopus exiens per villas & oppida, vt Sacramentum Confirmationis tantùm conferat, à nemine eſt procurandus, & ipſi Epiſcopo Chriſmatis tantum conferendi cauſſa ad loca ſuæ Diœceſis accedenti laici vel Eccleſiarum Rectores, ad illius impenſas non tenentur.

17 *Sed Epiſcopi ipſi hoc faciant.* ] Capitulum quoddam prætendit quod Epiſcopus ſine adiunctis non poſſet viſitare corpus Eccleſiæ Cathedralis. Sacramentum, reliquias, veſtes, vaſa, ornamenta, cæteraque ad cultum diuinum deſtinata: nec capellas, capellanias, dotationes, annuè ſacrorum inſtitutiones, & memorias defunctorum, aliaque pia opera nec res aut bona dictè fabricæ, aut Eccleſiæ: Congregatiò tamen cenſuit, poſſe ſine adiunctis, de quibus ſeſſ. 25. c. 6. de reform.

18 *Et fabricarum reditus.* ] In fabricis, quæ non ſunt de iure patronatus à fortiori decretum hoc habet locum: nam earum reditus arbitrio Epiſcopi in vſus Eccleſiæ ſunt exponendi.

19 *Prout ſibi magis expedire viſum fuerit.* ] Cum ex hoc Decreto reditus fabricarum quæ ſunt de iure patronatus, expendi debeant prout Epiſcopo magis expedire videbitur, à fortiori hoc habet locum etiam in fabricis, quæ non ſunt de iure patronatus.

---

## REMISSIONES.

α VIde nouiſſimè P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnitent. l. 10. nu. 69. verſ. Quintùm, latè P. Azor inſtit. moral. par. 1. lib. 3. c. 40. à principio.

β *Patriarchæ.* ] Plura de Illuſtriſſimis Patriarchis Eccleſiæ, & de eorum numero, præminentia, origine, & dignitate congerunt Couarr. lib. 4. Vari cap. 14. numer. 13. verſ. Secunda autem Sedes, Altamiran. tract. de Viſitat. ſuper hunc text. verbo, Patriarchæ, & Primates, num. 1. Albert. Troti de vero & perfecto Clerico, lib. 1. cap. 13. numer. 4. Caſſan. in Catalog. p. 4 conſid. 9. Pelag. lib. 2. de planctu Eccleſiæ, c. 17. Pet. Rebuff. in Concord. tit. de Collat. §. ſi quis vero, in

gloſſ.

gloſſ. verbo, Patriarchales, Fuſc. de Viſitat. lib. 1. cap. 2. à num. 9. Ro-
phin. de Re Pontif. lib. 2. Rub. 5 cap. 33 & 34. Selu. de Benefic part 1.
quæ. 2. num. 28. Illeſcas part. 1. hiſtoriæ Pontificalis lib. 2. cap. 1. fol.
56. col. 1. Petr. Gregor. Syntagm. lib. 15. cap. 10 Luſit. Petr. Alphonſ.
de Vaſconcellos in Harmonia Rubricarum ad Rubr. de Auctoritate
& vſu pallij num 10. in fine, Læli. Zech. de Republ. Eccleſiaſt tit. de
Illuſtriſſimis Patriarchis, Segiſmund. de Appellat. qu 8. à numer. 99.
Pat. Henriq. in ſumma part 2. lib. 10. cap. 29. nouiſſime Fr Paulin.
Berti Lucenſ. in praxi crim Regular. tit. 4. c. 2. n. 7.

γ Patriarchas dici quaſi Patres Patrum, ſeu principes Epiſcoporum probat cap. Clericos, verſ. Patriarchæ 21. diſt. Vide Polydor. Virgil. de Inuent. rerum, lib. 4. c. 12. Læli. d. tit. de ſtatu Reuerendiſſ. Patriarcharum, n. 2. Pet. Gregori Syntagm l. 15. c. 2. n. 11. & rei benefic. cap. 10 n. 4. Pat. Henriq. d. c. 29. §. 1. & 2. Gonzal. ad reg Cancel. gl 41. num. 13.

δ *Metropolitanis verò, &c.*] An Archiepiſcop. poſſit viſitare prouinciam? Affirmat Cabed. p. 1. deciſ 78. nu. 2.

ε *Archidiaconi autem, decani, & alij inferiores, &c.*] Vide P. Azor. d. c. 40 q 7. Flores Vari li. 3. q 24. num. 23.

ζ *Aſſumpto Notario.*] Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Poteſt Epiſcopus in viſitatione vti quauis perſona, prout de iure cõmuni poteſt vti in actibus iudicialibus, & iterum: Epiſcopus non poteſt arctari in viſitatione, vt deferat Notarium Capituli, cum poteſtas viſitationis adeò ſibi Epiſcopo eſt conceſſa, vt ſibi nihil in ea vẽdicare Capitulum poſſit, & ideo poteſt Epiſcopus ſecum ferre vel Secretarium ſuum, vel alium Notarium, prout ſibi videbitur neceſſariò conuenire, refert iiſdem verbis Zerol. in praxi Epiſc. p. 2. verbo Viſitatio §. 10.

η *Viſitatores etiam à Capitulo viſitandi.*] An Capitulum ſuperſtite adhuc Epiſcopo, ex præſcriptione, vel priuilegio viſitandi ius habeat? Affirmat P. Azor. d. c. 40. q 8.

θ *Interimq; caueant &c.*] Vide Nau. conſ. 1. de Cenſibus, Zerol. p. 1. verbo Viſitatio, §. 5. in fine verſi. Præterea, Stephã. Gratian. diſcept. forenſ. c. 57. nu. 16. cum ſeqq.

ι *Exceptis tamen victualibus, &c.*] Vide latè, & eleganter Zerol d. verbo, Viſitatio, § 6. vbi dub. 1. dicit, quòd appellatione expenſarum victualium comprehenduntur illæ, quæ conſiſtunt in victu, non autem illæ, quæ concernunt alia neceſſaria perſonæ, putà ſi vellet viſitator ſumere medicinam, vel aliqua extra victum. Et dub 2. quòd Viſitator id, quod per victum ſibi neceſſarium contingebat. non poteſt in pecunia taxare. Et dub 3. quòd ſubditi non tenentur miniſtrare equitaturos Viſitatori. Et dub. 4. quod Secretarius, vel Scriba non poteſt aliquid recipere pro ſuis laboribus ſcribendo, & tranſcribendo, vel dando copiam ipſius viſitationis Et dub. 5. quòd quando Epiſcopus viſitat per alium, teneantur viſitati ad omnia ipſi

viſitatoribus ac ipſi Epiſcopo ſi viſitaret. Et dub. 6. quòd ſi Epiſcopus vna die duas Parochias viſitauerit, vnam tantùm procurationem habet. Et dubio 7. quòd Epiſcopus, vel alius viſitator non poteſt accipere procurationem ab hoſpitalibus, & aliis locis leproſorum, domorum Dei, pauperum, & infirmorum, nec ab Eccleſia paupere, quia debet gratis viſitari, & ſuper hoc editam fuiſſe à ſacra Cardinalium congregatione ſequentem deciſioñem refert Zerol. vbi ſupr. Quòd ſi beneficia ommia examinantur ab onere procurationis. Domini dixerunt, quæcunque beneficia etiam tenuia pro rata ad procurationem teneri.

η *In ijs verò locis ſeu prouincijs, &c* ] Vide Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 57 num 19.

λ *Is præter dupli reſtitutionem, &c.* ] Vide Concil. Brachar. 4 act. 2. de Viſita. cap. 9. fol. 28. P. Azor. inſt. Moral. p. 2. lib 3. cap 42. col. 360. vide ad hoc Nauar. conſ 11. de Cenſibus.

μ *Mulctetur.* ] Vide Spin. in Speculo teſtament. gloſſ. 4. principali, num. 91.

## CAPVT IV.

*Prædicationis munus frequenter obeundum: à parochianis eccleſia Parochiali adeunda eſt ad audiendum verbum Dei: nullus contradicente Epiſcopo prædicare præſumat in eccleſiis etiam regularium, & cæt.*

a Conc. Carth. 4. c. 20. Conc. Rhemen.

b c. Epiſcopus nullā rei 88 diſt. c. ſupr. ſeſſ. 5. de ref. c. 2. Conc. Arelat. 4. c. 10. Cōc. Lat. ſub In. 3. ca. 10. c. inter cætera de off. ord. Conc. Maguntiacum c. 25.

1 α PRædicationis munus, [a] quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta Synodus, quo frequentiùs poſſit ad fidelium ſalutem exerceri, Canones aliàs ſuper hoc editos, ſub fel. rec. [b] Paulo III. aptiùs præſentium temporum vſui accommodando, mandat, vt in eccleſia ſua, 2 *ipſi per ſe*, aut, ſi legitimè impediti fuerint, 3 *per eos, quos ad prædicationis munus aſſument*, in aliis autem eccleſiis 4 *per parochos* ſiue, iis impeditis, per alios 5 *ab Epiſcopo* β *impenſis eorum*, qui eas, 6 *præſtare vel tenentur, vel ſolent*, deputandos in ciuitate, aut in quacunque parte diœceſis, cenſebunt expedire, γ *ſaltem omnibus Dominicis*, & ſollemnibus diebus feſtis; tempore autem Ieiuniorum 7 *Quadrageſimæ*, & Aduentus Domini, quotidie, vel ſaltem

tem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, 8 *ſacras ſcripturas, diuinamq; legem annuncient*, & aliàs, quotieſcumque id opportunè fieri poſſe iudicauerint. 9 *Moneatq; Epiſcopus populum* diligenter *d teneri vnumquemque Parochiæ* ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, a ad audiendum verbum Dei. 10 c *Nullus autem ſæcularis*, ſiue 11 *regularis*, 12 *etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum*, 13 *contradicente Epiſcopo*, 14 *prædicare præſumat*. ζ *Iidem etiam* ſaltem Dominicis, & aliis feſtiuis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt; &, ſi opus ſit, etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellent: non obſtantibus priuilegiis, & conſuetudinibus. In reliquis, ea, quæ de prædicationis munere ſub eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.

a 4. *Carthag. cap.* 24.

## DECLARATIONES.

1 *Prædicationis munus.* ] Congregatio cenſuit, electionem, & deputationem prædicatoris ad ſolos Epiſcopos in eorum Cathedralibus Eccleſiis ſpectare, nulla habita ratione cuiuſcunque conſuetudinis etiam immemorabilis, qua talis deputatio Capitulo, vel Epiſcopo vna cum Capitulo, aut cuiuis alteri competeret. Eſt autem in optione Epiſcopi, vtrum ipſe malit Prædicatorem in ſua Cathedrali eligere, aut deputare, quando populus illum etiam ab immemorabili tempore eligere & nominare conſueuiſſet, vel prædictam nominationem ex immemorabili conſuetudine relinquere, ita tamen, vt ipſe Epiſcopus electionem, deputationémque Prædicatoris faciendo populum, ad ſuſtentationis gratia aliquid erogandum, non compellat: ſin verò populum prædicta facultate eligendi Prædicatorem Epiſcopus vti ſinat, eundem populum cogere poſſit ad eas impenſas & eleemoſynas Prædicatori præſtandas, quas ipſe populus in hanc cauſſam præſtare ſolitus eſt. In aliis Eccleſiis ad Epiſcopum ſimiliter pertinet electio, & deputatio Prædicatoris impenſis eorum, qui illas præſtare vel tenentur vel ſolent. Concilium tamen non ſuſtulit immemorabilem conſuetudinem, qua facultas nominandi Prædicatorem in Eccleſiis non Cathedralibus, alteri, quam Epiſcopo competeret in ſua Diœceſi, etiam ſi ſit Cathedralis. *Hoc c. Infr §. In optione.*

2 *Ipſi per ſe.*] Epiſcopus qui legitimè impeditus, hoc officium prædicandi per ſeipſum non præſtat, per alium impenſis ſuis præſtare debet niſi ex conſuetudine hoc ad alium ſpectaret.

Diaconus non debet prohiberi exercere onus prædicandi, niſi ob iuſtam aliquam cauſam.

3 *Per eos quos ad prædicationis munus aſſument.*] His verbis liquet quod ius eligendi Prædicatorum ſpectat ad Epiſcopum, & non ad alium quempiam.

Pius V. decreuerat in Cathedrali ſolum Epiſcopum teneri ad præſtandum ſtipendium Prædicatori, non obſtante quacúnque conſuetudine, etiam immemorabili: at Gregor. XIII. dixit deinceps rationem habendam eſſe conſuetudinis immemorabilis, & Epiſcopum hac ratione poſſe cogere.

In optione tamen Epiſcopi erit Prædicatorem in ſua Cathedrali deputare, etiamſi aliàs pertineret ad populum ex immemorabili conſuetudine. At tunc non poterit Epiſcopus compellere populum ad ſolitam eleemoſynam & impenſas Prædicatori præſtandum. Secus ſi Epiſcopus ſineret vt populus nominaret, & ſolitus eſſet eleemoſynas præſtare. Non poteſt Epiſcopus denegare licentiam prædicandi in Parochiali, eò quod prædicetur in Cathedrali, ſed permittere, iuxta formam huius Decreti, & cap. 3. Seſſ. 5.

4 *per Parochos.*] Onus eligendi Prædicatorem incumbit Epiſcopo vel Parocho, & ſi Curatores animarum per ſe volunt munus Prædicatoris obire, non debent prohiberi.

5 *Ab Epiſcopo.*] Vbi viget conſuetudo, quod populus ſoluat Concionatori, ea eſt ſeruanda, niſi forſan facultas nominandi Prædicatorem vniuerſitatis ab immemorabili tempore Epiſcopo competeret, & Epiſcopus talem nominationem ſibi vendicaret.

Merces quæ Prædicatoribus tribui ſolet, nulla ex parte à penſionariis eſt exigenda, atque eo minus, ſi populus hos ſumptus facere ſolebat.

Si ex publico ciuitatis ærario Concionatori ſolent eleemoſynæ dari, ea conſuetudo ſeruanda eſt.

6 *Præſtare vel tenentur, vel ſolent.*] Etiam pro Eccleſiis Cathedralibus.

7 *Quadrageſimæ.*] Redarguit Sedes Apoſtol. Epiſcopum, qui tempore quadrageſimæ ad aliam Eccleſiam Cathedralem ſibi vnitam, Concionatorem non deſtinauerat.

Per hoc Decretum relinquitur arbitrio Epiſcoporum an tempore quadrageſimæ, & Aduentus quotidie vel tribus diebus in hebdomada vel minus illis tribus diebus prædicetur, cùm hodie aduentus non dicatur propriè tempus ieiunij.

8 *Sacras Scripturas, diuinamq; legem annuntient.*] Non eſt ponendus punctus commatis poſt verbum *Ieiuniorum*, quaſi ſacra Scriptura annuncianda ſit in omnibus vigiliis, per annum, & quatuor anni

ſtatis

ſtatis temporibus, ſed refertur dumtaxat ad quadrageſimam, & aduentum

9 *Moneat Epiſcopus.* ] Ordinarius non poteſt per hoc Concilium mulctis & pœnis, etiam in cauſſa notabilis negligentiæ aut contumaciæ cogere populum ad audiendam miſſam, & ſacram concionem in Eccleſia Parochiali, nec pueros ad diſcendum Doctrinam Chriſtianam, etiam ſi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra ciuitatem.

10 *Nullus autem ſæcularis.* ] Vigore Bullæ fel. rec. Pij Quinti de profeſſione fidei facienda, regulares Concionatores non tenentur facere profeſſionem fidei antequam prædicandi munus aſſumant: poteſt tamen Ordinarius, quo tempore ſolet prædicandi licentiam ex Decreto Concilij Tridentini hoc cap. concedere regularibus, ab eiſdem exigere hanc fidei profeſſionem, ſi ita videbitur ſibi expedire.

11 *Siue regularis.* ] Munus prædicationis per Epiſcopum committi poteſt etiam clerico qui non ſit in ſacris Ordinibus conſtitutus, non enim alicuius Ordinis ſacri videtur actus eſſe. Fuit tamen dictum, quod ſecus de laico.

12 *Etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum.* ] Habet etiam locum in exemptis Eccleſiis, habentibus proprium Prælatum, in quibus, qui obtinere vult licentiam prædicandi ab Epiſcopo, à Prælato eidem offerri debet

13 *Contradicente Epiſcopo.* ] Per hæc verba quibus cauetur vt nullus prædicet contradicente Epiſcopo, Sedes Apoſtolica nemini prædicandi licentiam concedere ſolet, niſi de conſenſu Epiſcopi.

14 *Prædicare præſumat.* ] Immò ab Epiſcopo benedictionem petere tenetur ex Decreto Concilij, Seſſ. 5. cap 2. quo tempore poterit Epiſcopus profeſſionem fidei exigere ab eo.

Non poteſt Epiſcopus Ordinarius, ad libitum, & ſine cauſſa rationabili ſuſpendere à prædicatione.

---

## REMISSIONES.

*α* Vide latè Zerol. in praxi Epiſcop p. 1. verbo Prædicatio, pag. 287. P. Henriq. in ſum. p. 1. lib. 7. cap. 28. §. 8. nouiſſimè. P. Val Regin. in praxi fori pœn. lib. 20. num. 69. verſ. Tertium eſt, & lib. 18. num. 118. cum ſeqq.

*β* *Impenſis eorum.* ] Sacra Cardinalium Congregatio ita cenſuit: Munus eligendi Prædicatorem ad Epiſcopum ſpectat, niſi in contrarium ſit conſuetudo ab immemorabili tempore Et iterum: Epiſcopus debet ſumptibus propriis conducere in Eccleſia Cathedrali Prædicatorem, non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus

etiam immemorabilibus; & dum eſt dubium, quorum ſumptu ſit conducendus concionator pro Quadrageſima, debet Epiſcopus interdum proprio ſumptu conducere illum. Iiſdem verbis refert Zerol in praxi Epiſcop.p. 1 verbo Prædicatio, §. 7.

y *Saltem omnibus Dominicis, & ſollemnibus diebus feſtis.* ] Vide Bonadil. in ſua Politica, lib. 2. cap. 18. num 94. lit. K. vbi reſoluit, quòd correctores ciuitatum poſſunt facere etiam renitente Vicario generali, vt ſaltem omnibus diebus Dominicis, & ſolemnibus feſtis, populo prædicetur, de quo etiam latè Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. q. 62. art. 19.

δ *Teneri vnumquemq; Parochiæ ſuæ intereſſ.* ] Vide P. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 26. num. 5. P. Azori. inſtit. Moral. p. 1. lib. 7. cap. 3. q. 7. & lib. 12. cap. 2. q. 1. verſ. Deinde, Zerol. d. verbo Prædicatio, §. 4. & p. 2. verbo Parochus, pag. 81. vbi dicit ſacram Cardinalium congregationem diſpoſuiſſe, non poſſe Ordinarium mulctis, & pœnis cogere ire ad audiendum ſacram concionem, & Miſſam in Eccleſia Parochiali.

ε *Nullus autem ſæcularis, ſiue Regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat* ] Vide Pat. Henriq. d. lib. 2. cap. 18. § 8. Zerol. d. verbo prædicatio, §. 3. Fr. Emman. quæſt. Reg. tom. 3. q. 32. art. 5.

ζ *Iidem etiam, &c.* ] Vide etiam Beiam Reſponſ. caſuum Conſc. p. 3. caſu 27. verſ. Tandem, vbi etiam reſoluit, nequaquam eſſe abſoluendum eum, qui vel ob negligentiam, vel verecundiam Pater noſter, Aue Maria, Credo, & decem præcepta addiſcere non curat: poſtquam tamen ſic ignorans pro viribus elaborat, vt hæc memoriæ tradat, & nec verbum vnum retinere poteſt, dummodo tamen credat ſingulos articulos, quando ſibi proponuntur à miniſtris Eccleſiæ, & ſciat de illis, ac de præceptis Decalogi reſpondere quando interrogatur, & deprecetur Deum intendens ſaltem virtualiter ad ea quę in oratione Pater noſter continentur, abſolui tunc poterit. Vide etiam Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Doctrina Chriſtiana, §. 2. vbi §. 3. dicit ſacram Cardinalium Congr. cenſuiſſe in hæc verba: Ordinarius non poteſt mulctis, & pœnis, etiam in caſu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, cogere pueros ad diſcendam doctrinam Chriſtianam, etiamſi hoc fieri noluerint in oppidis, villis, & aliis locis extra ciuitatem: nec valet, quia Concilium loco citato dicit poſſe compelli per Cenſuras Eccleſiaſticas, quia ibi loquitur de compulſione illorum, quorum intereſt eam docere, & non de compulſione puerorum ſeu parentum ipſorum.

CAPVT

## CAPVT V.

*Cauſæ criminales grauiores contra Epiſcopos à ſolo ſummo Pontifice cognoſcantur & terminentur. Aliquando tamen ſua manu committet ſummus Pontifex cauſæ diſquiſitionem Metropolitanis; qui ſolam facti inſtructionem facient, & ad Sanctiſſimum Dominum mittent, &c. Minores criminales cognoſcantur à ſolo Concilio Prouinciali, &c.*

1 α CAuſæ criminales [a] β *grauiores* contra Epiſcopos, γ *etiam hæreſis*, quod abſit, quæ depoſitione, aut priuatione dignæ ſunt, δ *ab ipſo tantùm* ſummo Romano Pontifice cognoſcantur, & terminentur. Quòd ſi eiuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſariò extra Romanam Curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, 2 *niſi Metropolitanis*, aut Epiſcopis, à Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius Sanctiſſ. Pontificis ſignata, nec vnquam plus his tribuat, quàm vt ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant: quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant; [b] reſeruata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiua. Cætera aliàs ſub fel. rec. Iulio III. ſuper his decreta; necnon & conſtitutio ſub Innocentio III. in Concilio generali, quæ incipit, Qualiter [c] & quando; quam ſancta Synodus in præſenti innouat; ab omnibus obſeruetur. Minores vero criminales cauſæ Epiſcoporum, 3 *in Concilio tantùm Prouinciali cognoſcantur*, & terminentur, 4 *vel à deputandis* per Concilium Prouinciale.

a *Vide Cõc. Sardicen. ca. 5. c. ad abolendam, & c. excõmunicamus, § damnati vero, de hæret. & c. quo iure, 8. diſt.*

b *Supr. Seſſ. 13. de Refor. c. 6. 7. & 8.*

c *Lateran. c. 8. & decretal. lib. 5. tit. 1. c. 24.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Cauſſæ criminales.* ] Concilium prouinciale non poteſt formare hunc proceſſum contra Epiſcopum ad effectum tranſmittendi illum ad Sanctiſſimum, quia vult hoc cap. vt non ſolum diffinitio, ſed etiam

etiam cognitio ſit tantum Sanctiſſimi. Sic Congregatio cenſuit, die tertia Octob. 1585.

2 *Niſi Metropolitanis* ] Poteſt Metropolitanus cognoſcere cauſſas ciuiles Epiſcoporum, ex ſententia Congregationis.

3 *In Concilio tantum prouinciali.* ] In Concilio prouinciali poſſunt tractari & diffiniri cauſæ criminales minores, non exſiſtentibus inibi duodecim Epiſcopis à Concilio requiſitis: quia conſtat, Concilia prouincialia ex minori numero Epiſcoporum conſiſtere. Nec obſtat quod cognoſcendis cauſſis Epiſcoporum requirantur duodecim Epiſcopi, quia illud procedit in cauſſis maioribus, vt cenſuit Congregatio.

4 *Vel à deputandis.* ] Non eſt neceſſe, quòd ſint Epiſcopi, qui deputandi ſunt per Concilium prouinciale: cui facultas eſt generalis. Poterunt inſuper deputati prædicti cognoſcere & terminare cauſſas Concilio prouinciali diſſoluto, ſi cauſſæ erant cœptæ abiſtis deputatis ante diſſolutionem dicti Concilij: quia in ſimili non expirat Iuriſdictio Delegati. Quando verò cauſa non erat cœpta, dicti Deputati, non poſſunt ampliùs illas terminare.

## REMISSIONES.

α VIde Flamin. de Reſignat. lib. 1. q. 10. nu 40. P. Henriq. in ſum. lib. 13. cap 55. §. 2. Gonzal ad reg. 8. Cancel gloſſ. 4 . nu. 5. vbi reſoluit, Concilium in præſenti intelligendum eſſe de Epiſcopis reſidentibus, qui etiamſi ſit cauſa atrociſſima hæreſis, aut læſæ Maieſtatis, minimè citati poſſunt ad perſonaliter comparendum per quoſcunque iudices Ordinarios, vel delegatos etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, niſi expreſſa, ac ſpeciali commiſſione manu Papæ ſignata.

β *Grauiores* ] Quæ autem dicantur cauſæ graues, & grauiores, vide apud Clar. in pract. cauſarum criminal. in princip. num. 9. Læli. Iordanes lib. de maioribus Eccleſiæ cauſis, cap. 1. & 2. Menoch de Arbitr. caſu 266.

γ *Etiam hæreſis.* ] An cauſa hæreſis in Epiſcopo, reſeruetur Papæ? Affirmatiuè decidit cap. Inquiſitores, de hæret. in 6. reſoluunt Nauar. Conſ. 1. de foro comp. num. 5 Penna, p. 3 director. Inquiſit. commento 77. pag. mihi 557 Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. q. 81. art. 1. verſ. Aduertendum tamen.

δ *Ab ipſo tantum Romano Pontif.* ] An ſolus Papa poſſit deponere Epiſcopos? Affirmat Gonzal. de gloſſ. 41. num. 21.

CAPVT

## CAPVT VI.

*Datur Epiſcopis ampla poteſtas diſpenſandi in irregularibus, & ſuſpenſionibus certis, & abſoluendi ſibi ſubditos à quibuſuis caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, in foro conſcientiæ, etiam à crimine hæreſis.*

1 α LIceat β &c. *Epiſcopis* θ *in* [a] *irregularitatibus omnibus,* & ſuſpenſionibus, 2 ι *ex delicto occulto prouenientibus,* excepta ea, quæ oritur ex 3 κ *homicidio* λ &c. *voluntario,* & exceptis aliis deductis ξ ο *ad forum contentioſum,* 4 *diſpenſare;* & in quibuſcúmque ϖ *caſibus occultis,* [b] etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes, 5 ρ *quoſcúnque ſibi ſubditos,* σ τ *in diœceſi ſua* per ſe ipſos, 6 υ *aut Vicarium,* ad id ſpecialiter deputandum, φ *in foro conſcientiæ* gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari. 7 χ &c. *Idem & in hæreſis* crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, ββ *non eorum Vicariis,* ſit permiſſum.

[a] *Vide ſeſſ. 14. c. 7. c. miror, & c. Cōtumaces, 50. diſt. c. erga, 1. q. 1. at ſi Clerici, de iud. & c. nuper, de ſent. excōm.*

[b] *De quibus, ſub Alexandro, in Conc. Lat. part. 14. Conſtit. eius.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Liceat Epiſcopis.* ] In hoc Decreto non comprehenduntur inferiores, habentes Iuriſdictionem Ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ſed Epiſcopi priuatiuè quoad alios. Attamen Epiſcopi illarum Regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non eſt, non poſſunt vti iſta facultate conceſſa in hoc Decreto.

Epiſcopo in aliquod delictorum (de quibus hoc Capitulum) prolapſo, licet ad ſe abſoluendum, proprium ſuum Confeſſarium deputare, cum eadem auctoritate quam ipſe poteſt ex eodem hoc capite in ſibi ſubditos exercere.

2 *Ex delicto occulto prouenientibus.* ] Epiſcopus etſi à Simonia occulta diſpenſare poſſit, non poteſt tamen Simoniacum rehabilitare ad beneficia in poſterum obtinenda, nec ad ea retinenda quæ per Simoniam occultam obtinet.

3 *Homicidio voluntario.* ] Appellatione homicidij non venit mutilatio membri. Nec obſtat gloſſ. *in Clemen. prima, de homicid.* quia procedit, quoad incurrendum irregularitatem, non quoad diſpenſationem.

4 *Diſpen-*

4 *Diſpenſare.*] Quærebatur, an Epiſcopus in cauſa huius cap. 6. habeat facultatem diſpenſandi cum ſuo Diœceſano abſente in aliena diœceſi legitimè impedito, commoranti? Congregatio cenſuit, quod forenſis in caſu huius cap. 6. poteſt abſolui in Sacramento pœnitentiæ ab illo Epiſcopo, in cuius diœceſi vel Ciuitate commoratur, non autem ab alio diſpenſari. Facit ad hoc, quod Nuncij, qui poſſunt abſoluere, excommunicatos ob iniectionem manus in Clericos, non poſſint abſoluere ſubditos extra prouinciam. Accedit etiam, quod Concilium loquatur de abſolutione ſacramentali in foro conſcientiæ, quæ requirit præſentiam, exemplo Confeſſionis, quæ non poteſt fieri per nuncium, vel per literas.

5 *Quoſcúnque ſibi ſubditos* ] Qui non ſunt ſubditi Epiſcopi, putà medicus, Prætor, & ſimiles exteri, qui tamen hàbitant in Ciuitate, hoc Decreto comprehenduntur, etſi commiſerint crimina in aliis ciuitatibus: habita tamen hac diſtinctione, quod ſcilicet poſſent abſolui in ſacramento pœnitentiæ à ſuis criminibus, non tamen diſpenſari ſuper his.

6 *Aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum.* ] Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum poſſe non tantum Vicario generali, ſed etiam Pœnitentiario, aut Vicario ad id ſpecialiter deputato, committere abſolutionem huius cap.

7 *Idem & in hæreſis crimine.* ] Epiſcopus aut Inquiſitor abſoluere iam non poſſunt hominem hæreticum in foro Conſcientiæ, licet hæc facultas à Concilio ſit ipſis tradita.

Congregatio cenſuit, præſenti decreto Concilij derogatum eſſe non tantum in crimine hæreſis, ſed in omnibus caſibus comprehenſis, in dicta Bulla Pij V.

Item quærentibus, an idem decretum locum habeat in caſibus poſt Concilium Tridentinum ex noua lege Sedi Apoſtolicæ reſeruatis? S. D. N. Gregorius XIII audita relatione Congregationis. reſpondit non habere locum.

In delictis occultis, in materia clauſuræ, per conſtitutionem Pij V. cenſetur huic Decreto derogatum.

entodos los casos Reseruados despues del concillio no a lugar [illegible] de clausura aunque sea oculta.

## REMISSIONES.

α Vide Hugolin. de Irregul. cap. 33. §. 1 cum ſeq. & c. 61. P. Soar. de Cenſuris, tom. 5. diſp. 7 à n. 20. Sayr. eod. tract. lib. 7 cap. 7. per totum, P. Henriq in ſum, lib 7. cap. 13. §. 2. lit. V. & lib. 14. cap. 18. cum ſeqq. P. Sanch. in præcepta Decalogi, lib. 2. cap 11. P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 30. tract 2. tit. 3. à num. 91. P. Ægid. de Couink. de Sacram. & Cenſur. tom. 1. diſp. 18. dub 14. Nicol Garci. de Benef. p. 7. c. 11 n. 11. cum ſeqq. & p. 11 c. 10. n. 112. cum ſeqq. nouiſſimè Iacob de Graffis tom 1. concil. tit. de homicidio, Conſ 2. nu. 14. cum ſeqq. P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 5. à num. 1.

β Epi-

β *Epiſcopus.*] An etiam Abbatibus, aut aliis Prælatis habentibus propriam diœceſim,& in ea iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem? Negant Cened.in Collect.ad ſextum Collect.4 num.5.Arag.2 2. q.88. art.12 col.7 concl 4. Tolet in ſum.lib 1.cap.83.nu.5 ad finem.Patr. Soar.tom.4.de pœnit.diſp.30.ſect 2 num.6 P Ledeſm. tom 2. ſum. tract.1.cap.6 poſt concl 10.diffic.1. Nicol.Garci.d.p.7 cap.11.à n.12. Affirmant P.Henriq.in ſum.p.1.lib.6 cap 16.§.1 Fr.Emman quæſt. Regul tom 1.q 24 art.13 & 16.& q.61 art.9. Flores Vari.lib 3.q.24. nu 18.Sayr.in Claui reg lib.6. cap.11. nu.83. in fine, Auila de Cenſur p.7 diſp 10 dub.6. P Sanch in præcepta Decalogi, lib.2 cap 11. num. 5.

γ An competat ea poteſtas Epiſcopis electis, & confirmatis, nondum tamen conſecratis?Affirmant Cened d.Collect 4 nu.3 P.Soar. de Cenſur. tom.5 diſp 41 ſect.2.num.7. P.Sanch. de Matrim. lib 8. diſp 2.nu 11.Nouiſſimè D.Guttier.Canon.lib.3.de Matrim.cap 49. à num. 16.

δ An poſſit Epiſcopus eam facultatem diſpenſandi delegare alteri, vices ſuas illi committendo?Affirmant P.Soar. d.tom 5.diſp 41 ſect. 2.num 8 P.Valer.Regin in praxi fori pœnit.lib.30.tract.2 num 29. verſ Secundum D.Guttier d tract.de Matrim.cap.49.num.21 contra Henriq in ſum.lib.14. de Irreg. cap 14. num 7. & in Comment. lit. O

ε An illa facultas diſpenſandi competat Capitulo Sede vacante? Affirmant Cened.d.num.3. P Henriq d cap.16.§.1 Fr Emman.d.q. 61.art 9 P Soar.tom.4 de pœnit diſp.30 ſect 2 num.4 Lud.Beia reſponſ. caſuum conſcientiæ, p 4. caſu 37. Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Archiep Neapol cap 66 nu.22. P.Sanch.d.diſp 2 n.10 Nicol. Garc. de Benef.p.5. cap.7. nu.41. & cap.11 num 21. P Valer. Reginald.d.nu 29.verſ. Quartum, Sayr.deciſ.31.de tempor.Ordin.quem refert Aloyſ. Ricci in Collect. deciſ 3. Collect 721.verſ. Tertiò dubitatur.

ζ An competat Archiepiſcopo dum viſitat? Affirmant P. Henriq. lib.14.c.18.nu.3 Sayr.in Claui regia,lib.6.cap.11. num.79 Auila de Cenſuris,p.2.cap.7.diſp.1. dub.10. concl.3.& p.7 diſp.10.dub.6.notab.1. circa primam concluſionem, P Sanch. in præcepta Decalogi, lib.2 cap.11 nu.6 & lib.4. cap 38. num.13.& 14.

η An competat ſuperioribus, ſeu conuentualibus Religionum exemptarum, erga Religioſos eis ſubditos? Affirmant, dicentes hoc expreſsè conceſſiſſe Pium V.in quodam Breui,cuius verba refert Fr. Emman quæſt Regul. tom 1.q.61. art.9.& Fr.Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig lib.1 c.6.dub.16. Lud.Beia in reſponſ.caſuum conſcientiæ,p 4.caſu 37.in princip. P.Henriq.in ſum.lib 6.c.16 §.8.& lib 7. cap.25 §.2.& lib 14. cap.fin §.5 ad finem, P.Sanch.de Matrim.lib.8. diſp 2.nu 13. & d.cap.11. nu.7. P. Moli de Iuſtit.tract.3. diſp 61.nu. 4.& 5.& diſp.70 in fine,Sayr.de Cenſuris,lib 7. cap.7.nu.23. Nouiſſimè

ſimè Iacob de Graffis, tom.2. Concil. ſub tit. de Homicid. Conſ.2. num 23 cum ſeqq. Negant Pet. de Ledeſm. vbi ſup. diffic. 3. Marc. Anton. Genuenſ in praxi Archiep. Curiæ Neap. cap. 66 num. 19 Nicol. Garc. d cap. 11. numer. 20. P. Valer. Reginald. d. nu. 29. verſ. Quintum eſt. Vbi declarat, ſi à ſuo Prælato ei in illum finem ſubiiciantur.

θ *In irregularitatibus omnibus.* ] An habeat locum, ſiue delictum ſit proprium, ſiue alienum? Affirmat P. Valer. Reginald d. num. 29. in fine, vbi reſoluit, poſſe Epiſcopum diſpenſare in bigamia occulta, quam contraxit quis cognoſcendo vxorem ſuam, quam ignorabat adulterium commiſiſſe, & Poſtea re comperta vult facto diuortio ordinari. Item irregularitate ex defectu natalium, vt in Ordinibus bona fide ſuſceptis poſſit miniſtrare is, qui ob crimen occultum matris coniugatæ habebatur legitimus.

ι *Ex delicto occulto.* ] An occultum dicatur quod non eſt publicum, etiamſi ab aliquibus ſciatur? Affirmant Nauar. in Man. cap. 27. nu. 250. aliàs 255 Lud. Lop. tom. 1. p. 2. cap. 8. Maiol. de Irregul. li. 5. cap. 51. num. 4. P. Henriq. lib. 14. cap. 20. §. 4. Anton. Roch. de Viſitat. verbo Occultis, Veg. in ſumma, p. 1. cap. 49. caſu 16. Pat. Paul. Comitol. reſponſ. Moral. lib. 6. quæſt. 44 num 2. Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 89. num. 5. Viual. in Candel. aureo, tit. de Irregul. num. 315. Genuenſ d. cap. 66. num. 2. P. Azori. inſtit. Moral. p. 1. lib. 8. cap 10. quæſt. 9 Zerol. in praxi Epiſcop. p. 2. verbo Irregularitas, §, 1. Auil. de Cenſuris, p. 2. cap. 7. diſput. 1. dub. 12. concl. 2 & p. 7. diſput. 10. dub. 6. P. Soar. tom. 4. diſput. 30 ſect 2 numer. 2. & tom. 5. de Cenſur. diſput. 41. ſect. 2. numer. 6. P. Molin. de Iuſtit. tract. 3. diſput. 79 numer. 8. verſ 2. Fr. Emman. quæſt. Regul tom. 1. quæſt. 24. art. 11. P. Sanch. de Matrim. lib. 2. diſput 37. num 11. & lib. 8. diſput. 34. num. 55 & in præcepta Decalogi, lib. 2 cap. 11. num. 19. cum ſeqq. P. Valeri Reginald. d. tract. 2. num 30. Negant dicentes occultum dici, quod non poteſt probari, quia ita cenſuit ſacra congregatio, Nic. Garc de Benef. p. 7 c. 11 à n 46. Iacob de Graffis, lib 1. deciſ. cap. 13. nu 45. & tom. 2. Concil. tit. de Homicid. Conſ. 2. n. 20.

κ *Ex homicidio.* ] An ſub hoc verbo comprehendatur mutilatio voluntaria? Negant Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1 quæſt 24. art. 10. & in addit. Bullæ ad §. 13. nu. 6. Emman Saa verbo Irregularitas, tit. de Irreg. ex deform. illic in fine, P. Henriq. lib. 13. cap. 57. §. 1. lit. H. & lib. 14. cap. 19 §. 1. lit. I. Tolet. in ſum. lib. 1 cap. 88. verſ. 6 & cap. 89. num. 3 P. Soar tom. 5. diſp. 44 ſect. 2 nu. 4. Genuenſ. d. cap. 66. num. 9. P. Molin. d diſp. 79 ſub num. 8. Nicol. Garci. d. cap. 11. num 19. & 30. P. Sanch. in præcepta Decalogi, lib. 1. cap. 10 num 49. P. Valer. Reginald. d. lib. 30. tract. 2 nu. 91. P. Ægid de Sacram. & Cenſur. tom. 2. diſp. 18 dub. 8

λ *Voluntario.* ] Vide Fr. Emman. in explicat. Bullæ Cruciatæ, fol. mihi 136. Et quod dicatur homicidium voluntarium, quod caſuale in

in propoſito. Vide Cou. in Clem. ſi furioſus, p. 2. in initio, & § 1. nu. 2. Nau in Man. cap. 27. nu. 240. Veg. *en Eſpeio de Curas*, cap. 12 nu. 325. Ludou. Lop. tom. 2 p. 1. cap. 28. in prin. & cap. 30 Marc. Anton. Genuenſ. d. cap. 66. num. 7. Tolet. in ſum. lib. 1. cap. 77. & 79 Hugol. de Cenſur. cap. 33 de irregul. Auil. eod. tract. p. 7. diſp 3. dub. 7. & diſp. 6. ſect. 2. dub. 1. Fr. Emman. in Sum. tom. 1. cap. 176. cum duobus ſeqq. Anton. Roch. de Viſit. verbo Homicidio voluntario, P. Molin. tract. 3. diſp. 33. & 39. P. Soar. de Cenſur. tom. 5. diſp. 44. ſect. 1. & diſp. 45 ſect. 2. Sayr. eod. tract. lib. 7 cap. 7. nu. 5 cum ſeq. Vaſq. tom. 2. diſp. 10. nu 39.

μ An procedat in homicida, qui ex induſtria occidit aliquem? Affirmat Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Priuatio, §. 2 & verbo, Vicarius, §. 16. dub. 3.

ν An Epiſcopus poſſit in homicidio voluntario iuſto diſpenſare? Affirman. Salzed. in praxi cap. 14 lit C, Veg. in Sum. p. 1. cap. 56 caſu 6. & cap. 127 caſu 27. & p. 2 cap. 15. caſu 40. *& en Eſpeio de Curas*, cap. 11. num. 287. & cap 12. num. 323. Hugolin. de Irregularit. d. cap. 33. §. 1. num. 1. & cap. 44. §. 2. num 4. & cap 62. §. 2. num. 5. Auil. de Cenſur. p. 7. diſp. 6. ſect. 5. dub. 1. Zerol in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Irregularitas, §. 8. Pat. Henriq. lib. 14. cap. 9. §. 3. & cap. 19. §. 4 lit. K. Guttier. Canon. lib. 1. cap. 6. num. 170. Plac de Delictis, cap. 11 num. 11. Petr. Ledeſm. in ſum. p. 2. tract. 3. cap. 13 concl. 51. Viuald. in Candelabro aureo, tit de Irregular à num. 327. Fr. Emman. in ſum. tom. 1. cap. 173. num 4 & quæſt. Reg. tom. 1. q. 24. art. 8. & 9, dub. tom. 2. q. 105 art. 2. Negat Garc. p. 7. c. 11. à num. 39.

ξ *Ad forum contentioſum.*] An ſi delictum deductum ſit ad forum contentioſum, non tamem probatum, quia reus fuit abſolutus, poſſit Epiſcopus diſpenſare? Affirmant, ex ea ratione, quia adhuc manet occultum, & non fuit deductum cum effectu, ex quo non fuit probatum Viual. in Candelabro aureo, tit. de Excommunicat. num 42. Iacob de Graffis, lib. 1. deciſ. cap 13 num. 42, & tom. 2. Conſil 1. 5. tit de Homicid. Conſ. 2. n. 20. Veg. in ſum. p. 2. cap 15 caſu 2. Sayr. de Cenſur. lib. 7 cap. 7. num. 12. P. Soar. eod. tract. diſput. 41. ſect. 2. num. 6. P. Molin de Iuſtit tract. 3. diſp. 79. num. 8. verſ. 2. & 3. Auil. de Cenſuris, p. 7. diſput 1 dub 11. concl. 3. Anton. Genuenſ. d. cap. 66. nu. 5 & 6. P. Sanch. de Matrimon. lib. 2. diſp. 37, num. 12. & lib. 8. diſput. 34 numer. 57. v. Baa. ver. eps. § n° 34

ο Vtrùm ſi delictum deductum ſit ad forum contentioſum, & iam iudicio finito punitum, poſſit Epiſcopus diſpenſare in eo? Affirmant Auila de Cenſuris, p. 7. diſput. 10. dub. 7. P. Sanch. d cap 11. nu. 21. verſ. Sed quid, P. Valer. Regin d. lib. 30. tract. 1. nu. 29. verſ. Sextum eſt, P. Henriq. lib. 14 de Irregul. cap. 7. nu. 5. Negant Gutier. Canon. lib. 1. cap. 3. ad fin. Fr. Emman. tom. 1. ſum. cap. 168. in fine, in 2. edit.

ϖ *Caſibus occultis.*] Qui ſint, vide apud P. Henriq. lib. 14. cap 20. §. 4.

Fr. Emman. in explic. Bullæ Cruciatæ, fol. 136. P. Sanch. de Matrimonio, lib. 8. diſp. 34. num. 55. cum ſeqq.

β *Quoſcunq; ſibi ſubditos.*] An comprehendat vagabundos? Affirmant, quia cùm nullibi domicilium habeant, ſubduntur Epiſcopo, in cuius diœceſi reperiuntur P. Soar. tom. 4 de Pœn. diſp. 30 ſect. 2. num. 3. P. Sanch. in præcepta Decalogi, lib. 2. cap. 11. numer. 8. & num. 9. dicit quòd etiam comprehendit peregrinos, ſcholaſticos, & mercatores propriam diœceſim habentes, & num. 17. in fine, reſoluit verba Concilij (quoſcunque ſibi ſubditos in diœceſi ſua) eſſe intelligenda, vt nullatenus iuriſdictionem Epiſcopi limitent, ſed tantùm velint, vt Epiſcopus poſſit abſoluere quoſcunque ſibi ſubditos, & quomodocunque ſibi ſubdantur, nempe, vel quia ſunt Ordinarij ſubditi, vtpote, qui ibi domicilium habent, vel quia ſubdūtur quoad ſolum pœnitentiæ forum, eò quòd in ſua diœceſi inueniuntur tanquam aduenæ, & peregrini, de quo etiam vide Zerol. in Praxi Epiſcop. p. 1. verbo Vicarius, §. 18. dub 4. Nicolaum Garc. de Benefic. p. 11. c 10. num. 139.

σ *In diœceſi ſua.*] Poſſe Epiſcopum exercere diſpenſandi poteſtatem in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus erga ſubditos ſuos extra diœceſim, & verba illa, *in diœceſi ſua*, referri ad poſteriorem partem huius text. in quo conceditur Epiſcopis facultas abſoluendi à reſeruatis, reſoluunt P. Soar tom. 5. de Cenſuris, diſp. 41. ſect. 2. num 10. & n. 11. in fine, Pat. Sanc. d. cap. 11 num. 12. Contra verò P. Henriq. li 14 cap. 20. §. 5 Auil. de Cenſuris part 7. diſp. 10. dub. 6 Fr. Emman. in ſumma, tom. 2. cap. 69 num. 1. in fine, dixerunt Epiſcopum non poſſe diſpenſare in ſuſpenſione extra ſuam diœceſim virtute illius Decreti, non aduertentes eam limitationem non apponi in priori illa parte. Perez l. 3. fol. 99 paulò ante ſecundam partem tractatus hæreſis, titul. 4. lib 8. Ordinat. dicit eam diſpenſationem eſſe pro ſolo conſcientiæ foro

τ Si ipſemet Epiſcopus in hæreſim occultam aut in alios caſus labatur, à quibus poteſt ipſe ſuos ſubditos abſoluere, aut cum eis diſpenſare, poſſe eam facultatem ſuo Confeſſario committere, vt eum abſoluat, vel cum eo diſpenſet, docent P. Soar. d. diſp. 41 ſect. 2. nu. 15. P. Sanch. de Matrimon. lib. 8 diſputat 3. num. 3. & in præcepta Decalogi, lib. 2. cap. 11. num. 11. Nicol. Garc. de Benefic. part. 11. cap. 10. num. 139.

υ *Aut Vicarium.*] Vide Pat. Sanch. de Matrim lib. 2. diſp 40. numer. 15.

φ *In foro conſcientiæ.*] Quòd abſolutio prodeſt tantùm quoad forum conſcientiæ, & quòd ab excommunicatione poteſt Epiſcopus abſoluere extra Confeſſionem Sacramentalem vigore huius Decreti, tenent Fr. Emman. Regular. tom. 1. q. 20. art. 7. & quęſt. 61. art. 10. P. Henriq. in ſum. lib. 7. cap. 13. §. 2. Iacob de Graffis, lib. 1. cap. 13. num. 32. Marc. Anton. Genuenſ in praxi Archiepiſcopal. Curiæ Neapolit. cap. 69. numer. 18. P. Soar. de Relig. tom. 2 tract. 6. lib 6. cap 16. numer. 4.

num.4.P.Sanch.de Matrim.lib.8.diſp.34.num. 29. Auila de Cenſuris.p.1.cap.7.diſp.3,dub.13.

x *Idem, & in hæreſis crimine.*] Si hæreticus occultus à ſecreta hæreſi vel apoſtaſia ſit in foro conſcientiæ legitimè abſolutus,quòd non videtur manere irregularis,aſſerunt Viuald.in Appendice ad Candelab.aureum cap. .nu.13.P.Henriq.in ſum.lib.14.cap.4.§.6. Auil.de Cenſuris.p.7.diſp.4.dub.2.Nicol.Garci.de Benefic.pag.11 ca.10.numer.85.Contrà reſoluunt Perez lib.3.in tract.de hæretic. p.1.prope finem,pag.99 tit.4.lib. 8. Ordinat. Fr. Emman. in addition.ad Bullam Cruciatæ,§.13.numer.12.P.Soar. tom.5. diſput.43. ſect. 1. numer.4.

ꝟ An irregularitate orta ex hæreſi occulta, & non deducta ad forum contentioſum, diſpenſare poſſit Epiſcopus virtute huius capitis? Affirmant Hugolin de Irregular. cap. 36. in principio,numer.5. Pat. Sanch.in præcepta Decalogi,lib 2.cap.25.à numer 15.

ω Fr. Emman.in Addit.ad Bullam Cruciatæ, §. 9.num. 69.docet, quòd facultas data Epiſcopis hoc c.6, circa abſolutionem ab hæreſi, intelligitur ſolum,quando ipſe hæreitcus ſolus abſque eo, quòd ab alio audiuerit, committit occultè crimen hæreſis, manifeſtando illam aliquo actu exteriori, quamuis nemo eum audiat. Et quòd illa facultas non extenditur ad hæreſim occultam, quando adeſt complex,nam aliàs,inquit, eſſet deſtruere machinam ſancti Officij, &c. Et quòd Concilium non dat facultatem abſoluendi ab obligatione denunciandi complicem, quem habet, aliàs eſt excommunicatus per edictum ſancti Officij, cuius excommunicatio ſtat ſemper, de quo etiam Nicol. Garc. de Beneficiis, p. 11. cap. 7. numer. 142.

aa Vtrùm facultas conceſſa Epiſcopis in hoc capite ſit per Bullam Cœnæ reuocata, quoad abſolutionem ab hæreſi, & cæteris caſibus Bullæ Cœnæ? Eam facultatem non eſſe reuocatam tuentur Nauar.in Manual. cap 27 numer 260.in fine, & Conſ. 11. quæſt. 1. ſub titul. de Priuileg in 2.edit. Vela de Pœnis delictor ca.14.verſ. Iure verò Canonico,Llamas in Methodo curat.part.3.cap.1.§ vltim.in fine, Emman. Saa verbo Epiſcopus, numer. 37. Angles in Florib. Theolog. part. 1. titul. de Confeſſ. quæſt. 4 art. 5. diffic.6. Veg. tom.1.ſum cap.125.caſu 11.Cordub. in ſumma, quæſt 8. puncto 1. Viuald.in Candel.p.1 tract.de abſolut num.13.& p.2.in expoſitione Bullæ Cœnæ,num.141.Fr.Emman in ſumma,tom 1.cap.131.n 3 in 2.edit.& in explicat. Bullæ Cruciatæ, §.9.numer 70 & quæſt. Regular.tom.1.q.20.art.10.Gutier.Canon.in poſteriori edit.lib. 1 cap. 13.ad finem, Anton.Gom.in Bullam Cruciatæ clauſ.10.numer 44. in fine,P.Henriq in ſumma,lib 6.cap 14.num 7. Petr. de Ledeſm in ſum.p.2 tract 2 cap.6.poſt.20.concluſ. difficult. 7 Bannes,2.2.q. 11. art.4.dub.2. poſt.2.concluſ.argument.3.verſ. Et ſi quis obiiciat, &

cont. ipso loco Saa

ibi Arag. art. 3 Col. 10. verſ. Sed dubium eſt quiſnam poſſit. P. Soar. tom. 5 de Cenſuris, diſp. 21. ſect. 3. nu. 5. Prædictam tamen facultatem reuocatam eſſe tenent Maiol. de Irreg. lib. 5. c. 46. num. 6. verſ. Caueant, Tol. in ſumma in Bulla Cœnæ Excomm. 14. in fine, Viuald palinodiam recantans in editione nouiori anno Domini 1602. in Candelabro, p. 1. tit. 11. de Abſolut. num. 13. Hugolin de caſibus Pontifici reſeruatis p. 1. cap. 2. § 4. ſuper verſ. Etiam prætextu quarumcunque; facultatum, num. 3. Param. de Origine Inquiſit. lib. 3. q. 9. num. 191. P. Molin. de Iuſt. tract. 3. diſp. 64. num. 8. & tract. 5. diſp. 18. num. 2. Nic. Garc. de Benef. p. 11. cap. 10. num. 115. Sayr. deciſ. 16 de ſent. excommun. quem refert Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. p. 4. Collect. 821. verſ. Tertio. Et ſecundum hanc opinionem in ſupremo Generalis Inquiſitionis Prætorio Romano ſæpe pronunciatum eſſe teſtatur Penna in Direct. Inquiſit. p. 3. q. 92. comment 141. verſ. pen. ſic declaraſſe Greg. XIII. refert Fuſc. de Viſit. lib. 2. cap. 31. num. 5. & cap. 23. nu. 4 & audiuiſſe à religioſo docto, & fide digno ſic declaraſſe Clem. VIII. dicit P. Azor. inſtit. Moral p. 1 lib. 8. cap. 19. q. 3. & cap. 10. q. 10. & ita cenſuiſſe ſacram Cardinalium Congregationem aſſerit P. Soar. tom. 4 diſp. 30 ſect. 2. num. 11.

ββ *Non eorum Vicariis.*] Vide Fr. Emman. in explicat. Bullæ Cruciatæ, fol. 116. & in addit. p. 2. fol. 124. & quæſt. Regul. to. 1 q. 20 art. 11. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Vicarius, verſ. Primum dubiũ. pag. 337. & p. 2. verbo Hæretici, verſ. 4. P. Sanch. lib. 2. de Matrim. diſp. 40. num. 17. & in præcepta Decalogi, lib. 2. cap 11. num. 22. cum ſeqq. nouiſſimè Gutier. d. tract. de Matrim. cap. 49. nu. 18. 22. & ſi hic text. Vicarios non excluderet, illis videri datam poteſtatem reſoluit Steph. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 83. num. 12. Gutier. d. tract. de Matrim. cap. 59. num. 11.

## CAPVT VII.

*Adminiſtrentur ſacramenta, eorumque vis frequenter explicetur etiam lingua vernacula: Miſſæ quoq; myſterium populo diligenter inculcetur explanatione eius quod agitur.*

α VT fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta maiori cum reuerentia, atque animi deuotione accedat; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, vt non ſolùm, cùm hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, priùs illorum vim, & vſum pro ſuſcipientium captu explicent, ſed etiam idem à ſingulis parochis piè, pru-

prudentérque etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commodè fieri poterit, ſeruari ſtudeant, iuxta formam à ſancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam; quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabũt: necnon vt [a] inter Miſſarum ſolemnia, aut diuinorum celebrationem ſacra eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua ſingulis diebus feſtis, vel ſollemnibus explanent; eadémque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus, inſerere, atq; eos in lege Domini erudire ſtudeant.

*a Suprà, Seſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 8.*

---

## REMISSIONES.

a VIde Fr. Petrum Ledeſm in ſum. p. 1. in fine, tract. *de la doctrina Chriſtiana*, Fr. Ioannes Gonzal. *el tratado del perfecto Chriſtiano*, fol. 219. verſo vbi Concilium in præſenti citat.

## CAPVT VIII.

*Publicè peccantibus iniungenda publica pœnitentia, niſi Epiſcopi arbitrio aliter fuerit viſum: Pœnitentiarij in Cathedralibus collocandi cum quorundam abſeruatione.*

APoſtolus monet, [b] *à publicè peccantes* palam eſſe corripiendos. Qando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vnde alios ſcandalo offenſos, commotóſque fuiſſe non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam [c] publicè iniungi opportet; vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam. Epiſcopus tamen publicè hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare; quando ita magis iudicauerit expedire. 1 *In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis*, vbi id commodè fieri poterit, 2 *y* 8 *Pœnitentiarius aliquis*, 3 *cum vnione præbendæ*, 4 *proximè vacaturæ*, 5 *ab Epiſcopo inſtituatur*, qui Magi-

*b 1. Tim. 1. c ſed illud, 45. diſt. c. ſi peccauerit, verſ ergo, 2. q. 1.*

*c c. pœnitentes, & c. in capite. cũ ſeqq. 50. diſt*

ſter ſit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia; vel iure Canonico, & 5 *annorum quadraginta*, ſeu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui 6 *dum confeſſiones* in Eccleſia audiet, interim præſens in choro cenſeatur.

# DECLARATIONES.

1 *In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis.* ] Officium pœnitentiariæ in Cathedrali poteſt per ſolum Epiſcopum conſtitui, ad quem quoque pertinet electio perſonæ, quoties opus fuerit exercendo tali officio, nec requiritur aliquis Capituli conſenſus: collatio autem præbendæ vniendæ, ab his fieri debet, ad quos antea ſpectabat.

2 *Pœnitentiarius aliquis* ] Si officij Pœnitentiarij & vnitæ præbendæ vacatio contigat in menſe Apoſtolico, vel aliàs præbenda eſſet reſeruata, vel affecta, electio perſonæ Pœnitentiarij huiuſmodi pertineat ad Sanctiſſimum, provt bis, re diligenter diſcuſſa, citatis etiam procuratoribus Epiſcoporum, quorum intereſſet, & eorum binis allegationibus perpenſis, cenſuit Congregatio pertinere ad Sanctiſſimum.

Vniones factæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ in caſu huius cap. in fauorem Pœnitentiarij dicuntur ſaltem ex veriſimili mente compreheñſæ in hoc Decreto ad effectum vt tales vniones cadant ſub exceptione regulæ reuocatoriæ vnionum.

3 *Cum vnione præbendæ* ] Præbendæ pro Pœnitentiario à Capitulo, Sede vacante, aſſignari validè non poſſunt, ſed ab Epiſcopo hoc præſtandum eſt.

Portio, quæ ſit in Eccleſia, in præbendam pœnitentialem erigi non poteſt, ſed præbenda Canonicalis.

In Eccleſia, vbi hæc præbenda pœnitentialis nondum erecta eſt, à Sede Apoſtolica fuit deputatus Pœnitentiarius, cum aſſignatione ſtipendij 70. ſcutorum à Capitulo in perpetuum perſoluendorum. At ſi non eſſet præbenda, & fructus omnes exiſterent in diſtributionibus quotidianis, tunc diſtributiones habebuntur pro præbenda.

Pœnitentiarius à Capitulo Sede vacante inſtitutus acquirit aliquod ius ad Canonicatus, & præbendas eiuſdem Eccleſiæ vacantes, durante dicta Sede vacante, de quibus auctoritate Apoſtolica fuit prouiſus, etiamſi Canonicatus, & præbenda primò vacatura ſpectaret ad Pœnitentiarium.

4 *Proximè vacatura.* ] Non tamen in menſe Papæ. Præbenda in menſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis vacans non poteſt erigi in præbendam pœnitentialem. An autem præferatur prouiſio Theologi,

*Sup. cap. 1. Seſſ. 5.*

In Ec-

In Eccleſiis in quibus ex conſuetudine optantur præbendæ, ſi ea, quæ poſt Concilium primò vacauit,non fuit in pœnitentialem erecta, poteſt optari poſtea vacans : ſed ſi ante optationem Epiſcopus erexit,erectio præualet,nec poterit poſtea optari.

5 *ab Epiſcopo inſtituatur* ] Solo ſcilicet,abſque conſenſu Capituli, & etiam ab eodem eligatur. & licet vacaret ſedes Epiſcopalis, Capitulum nihil poteſt,etiam poſito quod eo tempore Pœnitentiarius moreretur *Sup.hoc.c. §.Cum vnione.*

6 *Dum Confeſſiones in Eccleſia audiet.* ] Si Pœnitentiarius ex vi huius Decreti deputatus, renueret Confeſſiones audire, puniri deberet ab Epiſcopo, & cogi vt officium ſibi iniunctum exequatur.

Pœnitentiarius habendus eſt pro præſente in choro, dum audit Confeſſiones in Eccleſia, ſiue ſit in Confeſſionario ſiue extrà. Illo autem tempore quo reſidet in Confeſſionario, nec audit Confeſſiones, aliis in choro diuina celebrantibus, aut recitat officium priuatè, & non celebrauerit miſſam, non eſt cenſendus eſſe præſens in choro.

Non poteſt Pœnitentiarius Canonicus cogi ad maiorem reſidentiam, quàm alij Canonici, qui per tres menſes abeſſe poſſunt, dummodo non adſit tempore, quo frequentiùs pœnitentes accedunt. Et diebus feſtis ſolemnibus,veluti tempore ieiuniorum quadregeſimę, & Aduentus, quatuor anni temporum, Reſurrectionis,Aſcenſionis, &c. Pœnitentiarius non poteſt abſoluere quemquam à caſibus, quos Epiſcopus ſibi expreſsè reſeruauerit, niſi ipſemet Epiſcopus hanc illi ſpeciatim dederit facultatem. Nec ſufficit quæcúnque præſumptio.

## *Abulenſium Cauſa propoſita Congregationi ſacra.*

ILluſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini: ſtatutum eſt per Decretum ſacri Concilij Tridentini, *Cap.8. Seſſ. 24. de Reform.* quòd in Cathedralibus Eccleſiis, in quibus commodè fieri poteſt, ſit vnus Pœnitentiarius. Prætendit autem Pœnitentiarius, non teneri ſe niſi ad reſeruatos, cùm tamen videatur etiam tueri ad non reſeruatos, quia Concilium generaliter, & indiſtinctè loquitur; ideo generaliter & indiſtinctè eſt intelligendum: & tanto magis id procedit,quia deputatio talis Pœnitentiarij redderetur fruſtratoria, ſi tantùm ad reſeruatos reſtringenda eſſet Nullus enim ad confitendum ad illum accederet, ne detegeretur eo ipſo, in caſibus reſeruatis deliquiſſe, quòd pœnitens ad pedes talis Pœnitentiarij accederet vnde multi ſe abſtinerent illi confiteri, & ſic inuenta ad vnum finem,operarentur contrarium.

Secundò dubitatur, An Pœntentiarius teneatur ante & poſt meridiem ſtatutis horis in ſede ſibi in Eccleſiâ pro audiendis confeſſio-

nibus ſpecialiter deputata aſſiſtere ? Ipſe enim aſſerit, omnino ſufficere, quod in choro, ſiue alibi in eadem Eccleſia ſit, vbi qui vult confiteri poteſt illum perquirere, cum tamen videatur teneri ad aſſiſtendum in ſede, ſaltem per aliquod tempus, nam ideo à reſidentia chori,& altaris liberatur:tum etiam, quia iam ad hanc matricem & inſignem Eccleſiam, propter deuotionem corporum ſanctorum, Secundi primi Epiſcopi dictæ Eccleſiæ, ac Vincentij, Sabinæ & Chriſtinæ ſororum, Patronorum dictæ Ciuitatis, magna cum frequentia conſtitnt ideóque iuſtum videtur, ſi propter Eccleſiæ decorem & auctoritatem Pœnitentiarius in ſua ſede ad id deputata reſideat, vt nimirum omnes illum videant, nec eum perquirere cogantur, maximè cum verecundia affecti plures perquirere illum recuſare poſſe videantur. Et arguendo etiam à ſimili, videmus quòd miles ſæcularis certis horis, & locis,tenetur vigiliam & aſſiſtentiam perſonalem facere, nec in alia aſſiſtendo ſatisfaciet, propterea quod teneatur in loco ſibi deputato aſſiſtere. Nec obſtat dicere, quod idem ſeruatur in Eccleſiis Cathedralibus vrbis, in quibus non ſemper aſſiſtunt in ſua ſede.

Tertio dubitatur, An debeat tenere in manu virgam ſeu baguetam, tempore quo ſedet in dicta ſede ? quod videtur affirmatiuè dicendum, tum quia idem ſeruatur in aliis Cathedralibus Vrbis, tum quia per illam demonſtratur, & plena authoritas, & poteſtas fori pœnitentialis conceſſa ipſi tantùm. Ideo ſupplicatur pro opportuna ſuper his caſibus tribus declaratione.

## *Reſponſio Congregationis ſacræ ad propoſitam Cauſam.*

Libellus, qui erit cum his literis, declarabit Amplitudini tuæ tres dubitationes, quæ de Pœnitentiarij in iſta Eccleſia inſtituti officio exortæ, & Sacræ Congregationi Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum propoſitæ fuerunt. Congregatio ad primam reſpondendum cenſuit, Pœnitentiarium teneri integras Confeſſiones audire, non autem ſolos caſus reſeruatos, Ad ſecundum, debere eundem Pœnitentiarium pro fructu peccata confiteri volentium aſſiſtere certis horis opportunis, in loco, & Sede, pro Epiſcopi, ad quem hoc ſpectat, arbitratu. Quo viſo ad tertiam reſpondit, nouas conſuetudines non inducendas. Romæ, die 21. Aprilis 1587.

Qui tempore Paſchæ peccata ſua fuerit confeſſus Pœnitentiario deputato, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ contento in cap. *Omnis vtriuſque ſexus, extrà de Pœnitent. & Remiſſ.* ſic enim deciderunt Illuſtriſſimi Domini Cardinal. Anno Domini 1595. Februar. 16.

REMIS-

## REMISSIONES.

α Vide Medin. tract. 1. de Pœnit. qu. 40. verſ. alia eſt pœnitentia Pat. Ægid. de Sacram. tom. 2. diſp. 10. nu. 75.

β *Publicè peccante.* ] Vide Nau in Man. c. 8. nu. 10. P. Ægid. d. diſput. 10. num. 74.

γ *Pœnitentiarius aliquis, &c.* ] Vide Gonzal ad reg. 8. Cancel. gl. 9. § 2. nu 84 vbi adducit ſequentem ſacræ Cardinalium congregationis deciſionem. Si officij Pœnitentiarij & vnitæ præbendæ vacatio contingit in menſe Apoſtol. vel alias præbenda eſſet reſeruata, vel affecta, An electio perſonæ Pœnitentiarij huiuſmodi pertineat ad Epiſcopum, vel ad Sanctiſſimum? Bis re diligenter diſcuſſa, citatis etiam procuratoribus Epiſcoporum, quorum intereſt & eorum bonis allegationibus perpenſis, cenſuit pertinere ad Sanctiſſimum.

δ Canonicum pœnitentiarium non poſſe optare, tenet Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 34. nu. 78 cum ſeqq. vbi dicit ſacram Cardinal. congregationem in hæc verba cenſuiſſe. Non poteſt optari præbenda, nec dimiſſo officio poteſt optare aliam præbendam, cuius officio fuit perpetuò vnitus vnicus canonicatus, & certa præbenda.

ε *Annorum quadraginta.* ] Vide Pat. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 30. tract. 3 nu. 164 in fine.

## CAPVT IX.

*Eccleſiæ ſæculares quæ nullius ſunt diœceſis, ab Epiſcopo proximiori viſitentur, aut alio, qui hic ponitur, modo.*

α QVæ aliàs ſub fel. rec. Paulo III. [a] & nuper ſub Beatiſſimo Domino noſtro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia 1 *in beneficiorum*, β *etiam exemptorum*, 2 *viſitatione* conſtituta ſunt; eadem etiam 3 *in Eccleſiis ſæcularibus obſeruentur*, quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur; vt ab Epiſcopo, 4 γ *cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior*, ſi id conſtet, alioquin ab eo, qui ſemel in Concil. Prouinciali à Prælato loci illus 5 *electus fuerit*, tanquam Sedis Apoſtol. delegato δ *viſitentur*, non obſtantibus priuilegiis, & conſuetudinibus quibuſcumque, etiam immemorabilibus.

a Sup. ſeſſ. 6. de refor. c. 4. & ſeſ. 7 de ref. c. 8. & ſeſ. 21, de ref. c. 8.

## DECLARATIONES.

1 *Beneficiorum etiam exemptorum.* ] Beneficia nullius Diœceſis viſitari debent ab Epiſcopo viciniori & id ab eodem faciendum eſt ſolum in capite; non in membris. Proinde Collegiatæ nullius diœceſis viſitari debent à viciniori Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtol. delegato: Archipresbyteratum etiam qui nullius Diœceſis eſt, à viciniori Epiſcopo viſitari oportet.

2 *Viſitatione.* ] Viſitator vigore huius Capituli, in Concil. Prouinciali eligendus eſt à Prælato illius loci, qui viſitandus eſt, non autem ab alio.

3 *In iis Eccleſiis ſæcularibus.* ] Hoc Decretum habet locum in eccleſiis ſæcularibus, non regularibus, etiamſi iis ſubeſſent beneficia ſæcularia, vt ſolent eſſe in Abbatiis, quia illa beneficia ſæcularia poſſunt viſitari.

Abbates Regulares poſſunt Parochiales ſuas viſitare, & etiam alij inferiores, vna cum viciniori Epiſcopo cumulatiuè. S.D.N Gregor. XIII. quoad parochiales quibus inſeruitur per presbyteros ſęculares non regulares, licèt ſint vnitæ ac dependentes à regularibus, & ideò hoc Decreto comprehenſæ, dedit Sanctitas ſua pro illa vice Breue propter abuſus Epiſcopo Sarſinatenſi, ſaluis iuribus vtriuſque partis, contra Abbatem de balneo Camaldulenſium.

Sola beneficia ſæcularia exempta, non autem regularia, ex vi huius Decreti ab Ordinariis viſitari poſſunt Itémque perſonæ Eccleſiis etiam non inſeruientes.

4 *Cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior.* ] Ab ipſamet Cathedrali Eccleſia diſtantia eſt menſuranda

Ad Epiſcopum ſpectat, vt concedat literas dimiſſorias iis, qui ſunt nullius Diœceſis, quando non conſtat, quòd ſint infrà fines alicuius Diœceſis, item in viſitatione poterit monere & cogere, provt in Seſ. 5. c. 2. vt plebem commiſſam vnuſquiſque Superior ſalutaribus verbis paſcat.

Item Epiſcopus vicinior poterit in viſitatione eius, qui eſt nullius Diœceſis, illum ſi non reſidet, vel indiſcretas licentias non reſidendi ſuis ſubditis concedat, monere & corrigere. Ad ipſum autem Epiſcopum tanquam viciniorem non ſpectat Sacramentorum Confirmationis his qui nullius Diœceſis ſunt, miniſtrare, cum poſſint ipſi accedere ad quem maluerint Catholicum Epiſcopum: ſaluo tamen maiori iure Epiſcopi ſi aliunde id ſibi competit, iuxta quod non modò Eccleſiam viſitabit, ſed etiam Prælatum illius, alioſque miniſtros.

Pro ( *ſi id conſtet* ) caue ne legas ( *ſi id poſſit* ) retinendum eſt enim prius, & reijciendum poſterius.

5 *Electus fuerit* ] Et talis electio ligat ſucceſſores, vt ſæpe declaratum eſt.

REMIS-

## REMISSIONES.

α VIde ſupr ſeſſ. 6. de Reform. c 4. & ſeſſ. 7. de Reform. c 8 & ſeſſ. 21. de Reform. c. 8. P. Azor inſtit. Moral p. 2. lib. 3 c. 40. prope finem, Aloyſ Ricci. in collect. deciſ p. 4. collect 1153.

β *Etiam exemptorum viſitatione.* ] Vide Fr. Emman. qu. Regular. tom. 1. q. 36. art 3

γ *Cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior.* ] Sacra Cardinalium Congregatio ſic cenſuit: Beneficia nullius diœceſis debent viſitari à viciniori Epiſcopo, & id ab eodem faciendum eſt non ſolùm in capite, ſed etiam in membris. Collegiati nullius diœceſis viſitari debent à viciniori Epiſcopo, refert Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo, Viſitatio §. 11.

δ *Viſitentur.* ] An procedat in Prælatis inferioribus habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem? Negat Flor Vari. li. 3. qu 24. nu. 24.

## CAPVT X.

### *Subditi Epiſcoporum nulla appellatione ſuſpendere poſſunt executionem viſitationis.*

α EPiſcopi, vt aptiùs, quem regunt populum, poſſint in officio, atque obedientia continere, in omnibus iis, 1 *quæ ad viſitationem, ac morum correctionem* ſubditorum ſuorum ſpectant, ius & poteſtatem habeant, etiam β *tanquam Apoſtolicæ Sedis* delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, iuxta Canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbuntur. 2 γ [a] *Nec in his, vbi de viſitatione*, aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, 3 δ ε *appellatio*, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam, interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut iudicata fuerint, 4 *quoquo modo impediat*, aut ſuſpendat.

*a ſup. ſeſſ. 22. de ref. c. 1. & ſeſſ. 13. de ref. cap. 1.*

## DECLARATIONES.

1 *Quæ ad viſitationem ac morum correctionem.* ] Ea quæ ad viſitationem, & morum correctionem quoad ſubditos ſpectant, non poſſunt per appellationem impediri vel ſuſpendi vllo modo.

Con-

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum ſolum, viſitando, poſſe non tantùm monere: ſed etiam aliquod crimen corrigere, etiamſi in *c. ſtatuit ſeſſ.* 25. dicatur debere duos Capitulares aſſumere: ſed hoc fit, cùm procedendum eſt ad pœnam ad dictam punitionem reſpicientem: ſed ſi ad eam pœnam, quæ magis emendationem morum reſpiciat, contra non recitantes horas, contra non incedentes in habitu honeſto, & ſimilia; id ſolus efficere poteſt, quia decretum Concilij corrigere & emendare Epiſcopo viſitanti permittit. Aduerte tamen quod non poteſt Epiſcopus prætextu, quòd ſit Sedis Apoſtolicæ Delegatus, declinare iuriſdictionem Metropolitani in caſibus illis, in quibus ante Concilium hic, tanquam Ordinarius, poterat vti eodem iure, eadémque poteſtate.

2 *Nec in iis vbi de viſitatione.*] Congregatio cenſuit hoc habere locum, quando non fuit proceſſum iudicialiter, ſiue compilato ac propoſito proceſſu.

Epiſcopus viſitans non poteſt allegari, quod ſit ſuſpectus, ſi voluerit viſitare ad correctionem, (etiam non compilato proceſſu) & imponere pœnam ordinariam. Fuit etiam dictum quod ſicut in aliquo caſu datur appellatio de iure, ita etiam poterit allegari ſuſpectus in aliquo caſu: nam decretum iſtud non habebit locum in tali caſu, nempe quando non compilato proceſſu & ad pœnam ordinariam Epiſcopus procedet.

3 *Appellatio.*] Interpoſita appellatio ad Metropolitanum ab Epiſcopo vigore huius Decreti tanquam Delegato Apoſtolico, viſitante, licet deuoluat cauſſam, non tamen viſitationem ſeu executionem ſuſpendit. Caſu autem quo locus ſit appellationi, acta ſunt tranſportanda & danda copia, iuxta præſcriptionem *cap. 3. ſeſſ. 13. c. 20. huius ſeſſ.* quia hoc decretum non ſuſtulit appellationem deuolutiuam, ſed ſuſpenſiuam tantùm, licet Epiſcopus id faciat, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus. Quoad dandam autem copiam actorum attinet, Congregatio cenſuit ſeruanda eſſe Decreta Concil. *Seſſ. 13. c. 3. & cap. 20. huius ſeſſ.*

4 *Quoquomodo impediat, aut ſuſpendat*] In cauſſis viſitationis & correctionis appellari poteſt poſt diffinitiuam, ita tamen, vt appellatio non ſuſpendat executionem, provt ſancitum eſt ſuprà. Quod ſi Epiſcopus compilato proceſſu, formato iudicio, ſeruatis ſeruandis, provt iuris fuerit, procedat, veluti in cauſſa blaſphemiæ, adulterij, aut reſtitutionis fructuum beneficiorum, aut ob non recitatum diuinum officium, & ſimilia, non habent locum hæc Decreta.

## REMISSIONES.

α Vide Thom. Valaſc. tom. 1. Allegationum iuris allegat. 70. nu. 5. cum ſequentibus.

β *Tan-*

β *Tanquam Sedis Apoſtol. delegati.* ] An in dubio videantur procedere vt delegati? Vide Menoch. de Præſump. li. 2. qu 17. nu. 4. Nauarr. conſ. 32. de ſentent. excommun. nu 8. Maſcard. de Probat. concl. 945. nu. 15. Cened ad Decret. collect. 157. nu. 1.

γ *Nec in his vbi de viſitatione, &c.* ] Doctores ſtatim citandi dicunt, quòd procedit, quando iudex ſuperior non iuſtificata appellatione, nec viſis actis proceſſus, inferiorem inhibere contendit: ſed ſi poſtquam appellatio iuſtificata fuerit ex proceſſu iam ad tribunal appellationis delato, inhibit conceſſa fuerit, erit obtemperanda; nec poterit inferior iudex ad ſuæ ſententiæ excutionem procedere. Aliter quidem ſuperiorum iudicum auctoritas, & poteſtas non vulgarem iacturam pateretur, daretúrque cauſa inferioribus iudicibus, vt pro libito iudicarent, & auxilium appellationis multis cauſis nihil proficeret, aliaque incommoda multa ſequerentur, quæ à mente ſancti Concilij aliena ſunt. Vide Sayr. in Claui Regia lib. 8. cap. 2. num. 13. Soar. de Paz in praxi tom 2 part. 5. cap. vnic. num. 14. & vide quid Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 6. art. 2 optimè Curi. Philip. part. 1 §. 7. num. 10. ibi: *El Obiſpo en caſos de viſitacion de ſus ſubditos puede proceder, ordenar, caſtigar, y executar ſin embargo de appellacion, inhibicion, ni querela alguna, por remetirſe a ſu prudencia como delegado de la Sede Apoſtolica.*

δ *Appellatio* ] Quòd intelligatur de ſuſpenſiua, & non deuolutiua, tenet Thom. Valaſ tom. 1. Alleg. 70. nu. 5 in fine, dicit aliter explicando Gonzalus Mendez de Cabedo lib. 1. diuerſ. argum. cap. 19. à num. 8. Sed ſacra Cardinalium Congregatio ita cenſuit. Si in viſitatione appellari contigerit ab Epiſcopo ſuffraganeo, etiam tanquam Sedis Apoſtol. delegato, debet appellari ad Metropolitanum quoad deuolutiuam, non quoad ſuſpenſiuam, refert Zerol. in praxi Epiſc. part. 2. verbo Viſitatio, §. 3.

ε An Epiſcopus poſſit in Viſitatione recuſari tanquam ſuſpectus? Vide ſuprà ſeſſ. 7. cap. 8. de Reform. Et libet hic inſerere tenorem cuiuſdam Epiſtolæ, quam S. D. N. Paulus V. tranſmiſit ad Epiſcopum Portucalenſem. Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ nomine nobis nuper expoſitum fuit, quòd Viſitationes, quæ in tua diœceſi in vim Decretorum Concil. Trident. & aliàs legitimè fiunt, ſæpius impediuntur, eo quia viſitati Prælatum, ſeu alium legitimè viſitantem ſuſpectum allegant, in magni diuini cultus præſertim, & fabricæ Eccleſiarum præiudicium. Quamobrem nos huiuſmodi abuſum tollere volentes, ſupplicationibus tuo nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum ſacræ Roman. Eccleſiæ Cardinal. ſacri Concil. Trident. interpretum Apoſt. auctoritate tamen præſentium declaramus, Epiſcopum, vel alium, cui id legitimè competit, viſitantem non poſſe vti ſuſpectum recuſari, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtol. cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S Petrum ſub

annu-

annulo Piſcatoris die 29. Octobr. 1610. Pontificatus noſtri anno 6.
S. Cobellutius. Venerabili Fratri Gondizaluo Epiſc. Portucalenſi.

## Capvt XI.

### *Ob honorarios titulos, & priuilegia particularia nihil eſt derogatum iuri Epiſcoporum quantum ad omnia, niſi, &c.*

*a Supr.ſeſſ.6. cap 3.*

α QVoniam priuilegia,[a] & exemptiones, quæ variis titulis pleriſque cóceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum iuriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur; decernit ſancta Synodus, vt ſi quando iuſtis, grauibus, & fere neceſſariis ſuadentibus cauſis, aliquos honorariis titulis Protonotariatus, Acolytatus, Comitis Palatini, Capellani Regij, aut aliis huiuſmodi in Romana Curia, vel extra, inſignibus decorandos eſſe placuerit; β *necnon alios, cuicumque monaſterio oblatos*, vel quomodocúmque addictos, aut ſub nomine ſeruientium militiis, ſeu monaſteriis, hoſpitalibus, Collegiis, aut quocúmque alio titulo aſſumi, 1 *nihil ex iis Priuilegiis detractum eſſe* Ordinariis intelligatur, quo minùs ij, quibus ea iam conceſſa ſunt, vel in poſterum concedi contigerit, ipſis Ordinariis, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, plenè in omnibus, & quo ad Capellanos Regios, iuxta conſtitutionem Innocentij III. quæ incipit, [b] Cum Capella, ſubiecti exiſtant: γ *exceptis tamen iis*, qui prædictis locis, 2 *aut militiis actu ſeruiunt*, & intra eorum ſepta, ac domos reſident, ſubq́ue eorum obedientia viuunt, ſiue iis, qui legitimè, & ſecundùm regulam earundem militiarum profeſſionem fecerint, de qua Ordinario conſtare debeat: non obſtantibus priuilegiis quibuſcumque, 3 δ *etiã religionis S. Ioannis Hieroſolymitani*, & aliarum militiarum. Quæ verò priuilegia reſidentibus in Curia Romana vigore [c] Eugenianæ Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere ſolent; ea in iis, qui beneficia Eccle-

*b c. cum capella. extr. de priuil. Decret. li. 5. tit. 33. c. 16. Vide poſt finem huius libri.*

*c c. diuina, de priuil. in extrauag. com.*

Eccleſiaſtica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minimè intelligantur, ſed Ordinarij iuriſdictioni ſubiecti permaneant: non obſtantibus quibuſcúmque inhibitionibus.

## DECLARATIONES.

1 *Nihil ex iis priuilegiis detractum eſſe Ordinariis.* ] Hoc capit. non habet locum in ciuilibus cauſis, ſed iis quæ hic exprimuntur in decreto.

2 *Aut militiis actu ſeruiunt.* ] Fratres S. Ioannis Hieroſolymitani non poſſunt dare dimiſſorias Clericis inſeruientibus, in eorum Eccleſiis, ad eum finem vt poſſint ordinari.

3 *Etiam Religionis Sancti Ioannis Hieroſolymitani.* ] Non inſeruiens actu militiæ, nec inſeruiens in eius domo, nec ſub illius obedientia, ſi non probauerit ſe in ea legitimam profeſſionem emiſiſſe, non debet eius priuilegio gaudere: ſuper quo videatur conſtitutio Gregorij Papæ XIII.

Equites Hieroſolymitani habentes indulgentias à Sanctiſſimo Domino noſtro, debent literas Apoſtolicas expedire, & eas Epiſcopo Ordinario præſentare: aliter tenetur dictus Ordinarius contra eos & eorum Clericos procedere, prout habetur *Seſſ. 6. cap. 3. Seſſ. 14. cap. 4. & præſenti cap.*

## REMISSIONES.

α Vide Fr. Emman. qu. Regular. tom. 2. qu. 108. art. 3. Flamin. de Reſign. li. 1. qu. 11. nu. 5. Zerol. in praxi Epiſc p. 2. verbo Referendarij, vbi reſoluit, quòd hi, qui ſunt de numero ſunt exempti, alij verò non; quia hodie ſunt quaſi innumerabiles.

β *Necnon alios cuicumque monaſterio oblatos, &c.* ] Quòd oblati, vel alij quicumque dicentur Eccleſiaſtici, & Eccleſiaſticis gaudebunt priuilegiis, ſi in totum ſe, & ſua religioni tradant, & ad monaſterium ſe transferant, & in eo inſeruiant, reſoluunt Cou. in cap. alma p. 2. §. 2 num. 8. Card. Thuſc lit. O. concl. 16. nu. 15 Fr. Emman. qu Regular. tom. 2. qu. 123. art. 1 D. Marta de Iuriſdict. p 4. caſu 113. num. 37.

γ *Exceptis tamen iis, &c.* ] Vide Fr. Emman. d. tom. 2 q 62. art. 14. & qu. 64. art. 4. & qu. 67. art. 3.

δ *Etiam religionis S. Ioannis Hieroſolymitani.* ] Vide Fr Emman. qu. Regular. tom 1. q. 65. art. 17.

CA-

## CAPVT XII.

*Qualitas habere volentium dignitates cum cura animarum: Archidiaconi, & cæterorum adſpirantium ad dignitates in Cathedralibus: commendantur quidam ad dignitates præ cæteris: ſeruanda reſidentia, & perſonaliter obeunda officia. Quædam ordinanda per ſynodum prouincialem.*

α CVm dignitates, in eccleſiis præſertim Cathedralibus, ad conſeruandam augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ: vt qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, atque Epiſcopos opera & officio iuuarent: meritò, qui ad eas vocantur, tales eſſe debent, qui ſuo muneri reſpondere poſſint.[a] Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcúmque, quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi qui ſaltem 25. ſuæ ætatis annum attigerit; & in Clericali Ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commẽdetur; iuxta Conſtitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit, [b] cum in cunctis. 1 β *Archidiaconi etiam*, qui [c] oculi dicuntur Epiſcopi, ſint in omnibus eccleſiis, vbi fieri poterit, magiſtri in Theologia, ſeu Doctores, 2 *aut Licentiati* in iure Canonico. 3 γ *Ad certas autem dignitates*, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, 4 *Clerici alioquin idonei*, 5 δ ε &c. & XXII. *annis non minores*, aſciſcantur. 6 η &c. *Prouiſi etiam de beneficiis* quibuſcumque, curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ poſſeſſionis, 7 ο &c. *ad minus intra duos menſes*, [d] τ *in manibus ipſius Epiſcopi*, υ *vel, eo impedito*, coram generali eius Vicario, ſeu Officiali, Orthodoxæ 8 *ſuæ fidei publicam* facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac iurent. Prouiſi autem 9 *de canonicatib.* & dignitatibus, 10 φ *in Eccleſiis Cathedralibus*, non ſolum coram Epiſcopo, ſeu eius Officiali, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin præ-

a *Seſſ. 22. c. 2.*

b *c. cum in cunctis, de elect. Clẽ. 1. epi. 1. ad Iacobum, Anaclet. ep. 2 c. Diaconi, 93. diſt. & c. ad hæc,*

c *de off. Archid. li. 1. decret. ti. 6. c. 7. ab Innoc. 3. in 1 decretal. ti. 23. cap. ad hæc nos, & aliis.*

d *4. Tol. c. 25. & 26. etiam ſic prouidebatur, infr. in bulla S. D N. Pij 4. ſuper forma iuramenti profeſſionis fidei.*

prædicti omnes prouiſi, vt ſuprà 11 χ &c. *fructus non faciat ſuos,* 12 γγ *nec illis poſſeſſio ſuffragetur.*[a] 13 δδ *Neminem etiam deinceps* ad dignitatem, 14 *canonicatum*, aut portionem recipiant, niſi qui 15 *eo Ordine ſacro* 16 *aut ſit initiatus*, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; 17 *aut in tali ætate*, vt infra tempus à iure, & ab hac ſancta Synodo ſtatutum, 18 *initiari valeat* In omnibus verò eccleſiis Cathedralibus 19 *omnes canonicatus*, 20 *ac portiones* 21 *habeant annexum Ordinem* Presbyterij, diaconatus, vel ſubdiaconatus. 22 *Epiſcopus autem* cum conſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat, prout viderit expedire, 23 *quibus quiſque* Ordo ex ſacris annexus in poſterum eſſe debeat; ss *ita tamen, vt dimidia ſaltem pars* Presbyteri ſint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi: vbi verò conſuetudo laudabilior habet, vt plures, vel omnes ſint Presbyteri, omnino obſeruetur. Hortatur etiam ſancta Synodus, vt in prouinciis, vbi id cōmodè fieri poteſt, 24 *dignitates omnes*, & ſaltē dimidia pars Canonicatuum, in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis inſignibus 25 *conferantur tantùm* Magiſtris, 26 *vel Doctoribus*, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel iure Canonico. 27 ζζ *Præterea* obtinētibus 28 *in eiſdem Cathedralibus*, 29 *aut Collegiatis* 30 *dignitates*, *Canonicatus*, præbendas ηη *aut portiones*, 31 *non*[b] *liceat* vigore cuiuslibet ſtatuti, θθ &c. *aut conſuetudinis*, 32 κκ λλ &c. *vltra tres menſes*, oo *ab eiſdem eccleſiis* 33 *quolibet anno abeſſe:* 34 *ſaluis nihilominus* earū eccleſiarū conſtitutionibus, quę longius ſeruitij tempus requirunt: 35 *alioquin primo anno* priuetur vnuſquiſq; dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, 36 *ac reſidentiæ fecit ſuos*; quòd ſi iterum eadem fuerit vſus negligentia, ϖϖ &c. *priuetur omnibus fructibus*, quos eodem anno lucratus fuerit: creſcente verò contumacia; contra eos, iuxta [c] ſacrorum Canonum conſtitutiones, procedatur. [d] 37 σσ &c. *Diſtributiones verò*, 38 κκκ *qui ſtatis horis interfuerint*, 39 *recipiāt*: reliqui, quauis colluſione, aut remiſſione excluſa, 40. *his careāt*, iuxta Bonifacij VIII. decretum, quod incipit, Conſuetudinē: quod ſancta Synodus λλλ *in vſum reuocat.* 41 *non obſtātibus quibuſcunq; ſtatutis*,

a *c. licet cano: &c. cum ex eo, de elect. in 6. ſup. ſeſſ. 7. de ref. ca. 21.*

b *Sup. ſeſſ. 23. de ref. c. 1.*

c *ſeſſ. 22. c. 3.*
d *Sexti decr lib. 3. de cler. nō reſs. c. 1 ſexti decret. lib. 1. de conſuet. c. 1. Vide poſt finem huius libri.*

*& conſuetudinibus.*[a] μμμ &c. *Omnes verò diuina per ſe*, & non per ſubſtitutos, 24 *compellantur obire officia* : & 43 *Epiſcopo celebranti*, 44 *aut alia Pontificalia exercenti*, adſiſtere, & inſeruire, πππ *atq; in choro, ad pſallendum* inſtituto, hymnis & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotéque laudare. Veſtitu inſuper decenti tam in eccleſia, quàm extra, aſſiduè vtantur;[b] ab illicitiſq; venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibuſq; abſtineant, atque ea morum integritate polleant, vt meritò Eccleſiæ Senatus dici poſſit. 45 *Cætera quæ ad* debitum in diuinis officijs regimen ſpectant, deque congrua in his canendi, ſeu modulãdi ratione, de certa lege in choro conueniendi, & permanẽdi, ſimúlque de omnibus eccleſiæ miniſtris, quæ neceſſaria erunt, & ſi qua huiuſmodi; Synodus prouincialis, pro cuiuſq; prouinciæ vtilitate & moribus, certam cuiq; formulam præſcribet. 46 *Interea* verò Epiſcopus non minùs, quàm 47 *cum duobus Canonicis*, quorum vnus ab Epiſcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis, quę expedire videbuntur, poterit prouidere.

a *Seſſ. 22. c. licet, & c. extirpãda, c. qui verò de præb. c. quia nõnulli, de cler. nõ reſid.*

b *Conc. Turon. 3. c. 8. Concil. Agathen can. 55. qui incipit, Epiſcopi, c. Epiſcopum 34. diſt. toto ti. de vi. & hon. cler. extra. in 6. & in Clem.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Archidiaconi.*] Archidiaconis, qui non habent curam animarum, vel iuriſdictionem, non præcipitur hoc Decreto, vt ſint Doctores vel Licentiati: ſed hoc debet intelligi de illis Archidiaconis, qui reuera Archidiaconatus officium exercent, non autem de aliis.

2 *Aut Licentiati in iure Canonico.*] Qui verè carent cura animarum, & omni prorſus iuriſdictione, non comprehenduntur hoc Decreto, quoad qualitatem Doctoratus vel Licentiaturæ per hoc caput requiſitam. *ſup. §. Archidiaconi.*

3 *Ad cetera autem dignitates.*] Nullo Concilij Decreto ſtatutum eſt, vt qui Decanatum conſequi volet, is neceſſariò ſit Magiſter, ſiue Doctor, ſiue Licentiatus in Theologia, aut iure Canonico vel ciuili. Imò verò quod dignitates & Canonicatus in Cathedralibus dentur tantum graduatis: non eſt inducendum ex neceſſitate, nec per Concilium prouinciale id ſtatui poteſt, ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate.

4 *Clerici alioquin idonei.*] Qui iam Sacerdos eſt, & prouiſus per Sedem Apoſtolicam *in forma dignum*, de Canonicatu, ſuper literatura ſeu idoneitate ſcientiæ examinandus eſt ab Ordinario, & de quocunque

cunque alio, vt ordine ſacro, illi Canonicatui requiſito, *Infr. hoc. c. §. Conferantur tantum.*

5 *Et 22 annis non minores.*] Ætas 22. annorum ſufficit ad acquirendum Canonicatum, cui vnita eſt Parochialis, ſed eadem ætas non requiritur in Canonicatibus Collegiatarum Eccleſiarum magis nunc, quàm ante Concilium, videlicet 14. annorum.

De conſenſu Ordinarij diſpenſatur ſuper ætate reſignatarij, attenta fide vitæ, & morum probitate, eodem conſenſu, & eadem de cauſa, etiam quod non promoueatur. *Hic locus alium declarat Seſſ. 22. de reform c. 4.*

6 *Prouiſi autem de beneficiis.*] Comprehenduntur etiam Canonici, & aliæ dignitates, & perſonæ exiſtentes in Cathedrali ante Concilium.

7 *Ad minus intra duos menſes.*] Hæc longiſſima eſt dilatio, itaque triennalis poſſeſſio non prodeſt eis, qui non emiſerunt profeſſionem fidei, quoad fructus percipiendos, ſi infrà dictam profeſſionem non emiſerint. Eadem ſacra Congregatio cenſuit illa verba, *nec illis poſſeſſio ſuffragetur*, intelligenda eſſe quoad fructus percipiendos, & faciendos ſuos, ideoque omiſſionem profeſſionis fidei non priuare Canonicum ceteris effectibus Poſſeſſionis & Iuribus, proindéque cum omnino vocem in Capitulo habere, &c.

8 *Suæ fidei profeſſionem publicam facere.*] Per ſeipſum, debet beneficiatus profiteri publicè, & ſi abſens eſt, accedere debet ad Eccleſiam.

Ad emittendam profeſſionem fidei, omnes docentes artes liberales tenentur, qui antequam ad docendum admittantur, poſſunt arbitrio Epiſcopi prohiberi, donec de eorum moribus informationem ſuſceperit. Idem eſt dicendum de iis, quibus per aliquam Vniuerſitatem Teſtimonium conceditur, & hoc non ſolùm eſt conforme Bullæ Pij IV ſed etiam Decreto Pij V.

Capienda eſt informatio & faciendus proceſſus ſummariè ſuper fide Catholica iſtorum, antequam admittantur ad profeſſionem fidei, quantum Epiſcopo ſufficere videbitur.

Congregatio cenſuit, in locis iis in quibus ſunt Gymnaſia publica. Bullam Pij V. videri has pœnas non impoſuiſſe Ordinariis, ſi patiuntur quemquam quoquo modo docere literas, priuſquam fidei profeſſionem faciat.

9 *De Canonicatibus.*] Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ in Romana ciuitate dignior eſt Canonicatu Cathedralis alterius ciuitatis,

10 *In Eccleſiis Cathedralibus non ſolùm coram Epiſcopo, ſed etiam in Capitulo, &c.*] Congregatio cenſuit id non extendi ad Canonicos in Collegiatis.

11 *Fructus non faciant ſuos.*] Per omiſſionem profeſſionis fidei amittuntur tantum fructus præbendarum, non autem diſtributiones quotidianæ, quas inſeruiendo quis acquiſiuit ratione miniſterij &

operæ, & de quibus diſtributionibus poteſt teſtari, & ad libitum diſponere.
12 *Nec illis poſſeſſio ſuffragetur.* ] Comprehenduntur etiam Regulares: & computandi ſunt duo menſes à die electionis, vel quo admittuntur ad participationem maſſæ Capitularis.
13 *Neminem etiam deinceps.* ] Decretum hoc Concil. Trident. §. *neminem*, locum habet etiam in Collegiatis Eccleſiis.
14 *Canonicatum aut portionem* ] Qui iam eſt Canonicus, ſed in minori ætate conſtitutus, non eſt cogẽdus ad ſuſceptionem Ordinum, niſi poſtquam peruenerit ad legitimam ætatem.
15 *Et Ordine Sacro.* ] Monitus ad ſuſcipiendum Ordinem, quem eius dignitas aut portio requirit, ſi non receperit, auctoritate huius Decreti priuatus poterit denuntiari, iuxta alias ſtatuta in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 24. de diſpenſ.
16 *Aut ſit initiatus.* ] Vacante præbenda presbyterali, poterit Epiſcopus illam conferre illi, qui Diaconalem aut Subdiaconalem ordinem & ætatem habet pro his obtinendis.
17 *Aut in tali ætate.* ] Obtinens præbendam in Cathedrali, quatenus eius ætas patitur ſtatim cogendus eſt ſuſcipere, & illum Ordinem exercere, qui eſt illi præbendæ annexus.

Si neq; ante Concilium, neq; poſt Concil. Tridentinum vllus Ordo, ſiue Diaconalis, ſiue Presbyteralis, Canonicatui annexus fuerit, & Parochialis Eccleſia legitimè & perpetuò eidem Canonicatui vnita ſit tanquam principali acceſſorium, attendenda eſt natura Canonicatus, non autem eccleſiæ parochialis, & ita ſufficit, vt is, cui collatio facta eſt, ſit in ætate 22. annorum, quæ in Canonicatus collatione quiritur. *Supr. hoc c. §. Et 22. annis.*

Obtinens Canonicatum per reſignationem, in ętate minus legitima cõſtitutus: nulla facta mentione de impedimento ętatis, nequaquam illum retinere poteſt, ſed infra ſex menſes reſignare permittitur, nulla tamen ſibi reſeruata penſione.
18 *Initiari valeat.* ] Qui non poterit initiari ob defectum ætatis, priuari poterit Canonicatu & fructibus iam perceptis.
19 *Omnes Canonicatus.* ] Præbendis Canonicalibus Sacer Ordo adiungatur.

Qui ante confirmationem Concil. Trident. duos Canonicatus legitimè obtinuerunt, ex hoc Decreto non prohibentur etiam nunc vtrumque Canonicatum retinere.

Inſeruientes parochialibus poſſunt percipere aliquos fructus ex Canonicatibus ſeu beneficiis, quæ poſſident in Cathedralibus, & quidem omnes, ſi modo nullæ prębendæ diſtinctæ fuerint, ac omnes percipiunt de communi, nec detur aliquid eis, qui non interſunt diuinis horis: at quando ſaluo debito ſeruitio parochialium, poterunt etiam inſeruire Cathedrali, tunc non poſſunt percipere, niſi quatenus inſeruierint.

Si Car-

Si Canonici eccleſias parochiales infra fines Diœceſis habentes, quarum collatio ad Abbatem regularem ſpectat, nolint in eis reſidere, cura hęc Abbati collatori quidem incumbit inquirere, an ex legitima Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione vtrúmque poſſideant, cùm alias iure obtinere non potuiſſent, ſed amplius hoc incumbit Epiſcopo.

20 *Ac portiones.* ] Licet portiones habere debeant annexum Ordinem Sacrum, dimidiæ tamen portiones huic Ordini non ſunt ſubiectæ.

21 *Annexum ordinem.* ] Cùm intellexiſſet Congregatio Concilij, Vicarium Patauinum in annexione Sacrorum Ordinum, quam fecerat Canonicatibus illius Eccleſiæ, incluſiſſe dignitates, cenſuit reſcribendum his verbis: *Cum Concilium non meminerit dignitatum, quando de illa annexione diſpoſuit, & idem voluerit, ſaltem dimidiam partem, presbyteralem eſſe, conuocet iterum Capitulum, ac de eius conſilio ſubtrahat dignitates, & earum loco deſignet, & diſtribuat quibus aliis Canonicatibus debeat eſſe Sacer Ordo annexus.*

Congregatio Cardinalium hoc decreto de ætate non comprehendit Canonicatum iuris patronatus laicorum ante Concilium fundatum, in cuius fundationis limine fuerit appoſitum, pactum, quod deſcendentes à fundatore poſſent dictum Canonicatum obtinere, licet non ſint ſacerdotes, nec in ſacris ordinibus, conſtituti, ſed tantum ſimplices clerici donec deuenerint ad ordinem ſacerdotalem.

22 *Epiſcopus.* ] Epiſcopus cogere non poteſt, vt omnes Canonici efficiantur Sacerdotes: ſed ſufficit ſi dimidia eorum pars presbyteri ſint, inter quos præcipuè debet eſſe maior pars: ceteri verò, Diaconi vel Subdiaconi: vt Concilium decreuit. Nõ obſtat huic Decreto ſtatutũ alicuius Eccleſiæ, vt putà quod tertia pars ſint Acolyti: nec cõſuetudo immemorabilis. Ergo ligat hoc Decretum in poſterum, poſtquam Ordines fuerint diſtributi, & tunc qui eos obtinere voluerint, poſſunt cõpelli ad illos Ordines ſuſcipiendos & exercendos, quos eorum Canonicatus habere annexos fuerit iudicatum, iuxta formam præſentis Decreti. Si verò aliquis inhabilis & non idoneus reperiatur ad Ordines Sacros ſuſcipiendos ex iis, qui ante diſtributionem ordinum fuerint recepti, carebit voce in Capitulo, *prout ſeſſ.* 22. *c* 4. quamdiu eorum ætas non patitur &c.

Prouiſus de Canonicatu habente annexum Ordinem Sacrum, ſi eſt completæ, ætatis vt poſſit infra annum Ordinem requiſitum ſuſcipere, non habet vocem in Capitulo, iuxta hoc Decretum & Clementinam, *Vt ij qui. de ætat. & qualitat.* ſed non perdit partem aliquã diſtributionum, nec verò habet vocem in Capitulo, licet ſit aliàs in Sacris, ſi nimirum non habet Ordinem requiſitum, iuxta diſpoſitionem dictæ Clementinæ, quæ neceſſariò videatur.

Epiſcopus in ordinatione facienda qui Canonici, Presbyteri, qui Diaconi, qui Subdiaconi eſſe debeant ex vigore huius c. tenẽtur ſolũ

adhibere conſilium Capituli, non autem conſenſum tenetur ſequi aut habere qui poteſt eis inuitis, quod magis expedire iudicauerit, perficere ac prouidere.

23 *Quibus quiſq; Ordo.* ] Epiſcopus cum conſilio Capituli deſignare debet, quibus Canonicatibus quiſque ſacer Ordo debeat eſſe annexus, non quibuſuis Canonicis, quia Concilium hîc mandat Sacros ordines annecti Canonicatibus ipſis, non autem perſonis eos obtinentibus.

24 *Dignitates omnes.* ] Principalis dignitas in Eccleſia Collegiata exempta, cui ordinaria iuriſdictio, cum omnibus iuribus Epiſcopalibus competit, non neceſſario debet conferri Doctori, vel Licentiato, cùm id nuſquam per Concil. Trident. caueatur, & hoc non præcipiat, ſed ſolùm hortetur, *vt ſupradictum eſt c. 2. ſeſſ. 23. Sup. hoc c. §. Ad cæteras autem.*

25 *Conferantur tantùm Magiſtris.* ] Congregatio cenſuit in iis, qui Subdiaconi aut Diaconi vel presbyteri ſunt, petúntque admitti ad Chathedralis Eccleſiæ Canonicatus, & eum Ordinem Sacrum quem ipſi habent, requirunt, ſibi *in forma dignum* collatos, opus non eſſe examine, quod ad explorandam literaturam pertinet: eos verò qui Sacros Ordines nondum ſuſceperunt, examinandos eſſe, an illa habeant elementa doctrinæ, quæ ex prædicto Concil. Trident neceſſaria ſunt illi Sacro Ordini, qui canonicatui, quem conſequi volunt, erit annexus.

26 *Vel Doctoribus.* ] Congregatio Concilij cenſuit exiſtentibus Doctoribus in Capitulo, neceſsariò vnum ex illis in Vicarium eſse eligendum; alioquin deputationem ad Metropolitanum deuolui.

27 *Præterea obtinentibus.* ] Congregatio cenſuit, quod obtinens beneficium ſimplex, & ſine cura animarum, & extra Collegiatam Eccleſiam nec perſonalem reſidentiam, ob aliam cauſam requirens, non teneatur in eo reſidere: tenetur tamen ad inſeruiendum illi per alium, qui ſit ab Ordinario approbatus.

Non fuit mens Pij V. in Bulla de reſidentia edita 8. Iulij 1569. cogere habentes beneficia ſimplicia in eis reſidere. Bulla incipit, *Cupientes.*

28 *In eiſdem Cathedralibus.* ] Ad hanc reſidentiam in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis tenentur etiam Abbates Regulares, ſi in eis dignitates obtinuerint.

29 *Ac Collegiatis.* ] Intelligitur de omnibus Collegiatis etiam non inſignibus, niſi tamen non inſignes Collegiatæ eſsent rurales prorſus deſtitutæ, & in quibus nunquam antea ſupra hominum memoriam ſolitum eſset reſideri, aut adeò tenues reditus eſsent, vt Canonicos aliunde non habentes vnde viuerent, alere non poſſint: & ſufficit ad excludendum immemorabilem conſuetudinem, quod aliqui Canonici reſederint, aut reſideant. *Infr. hoc cap. §. Eis qui.*

Ad hanc reſidentiam tenentur etiam Abbates, & alij ſuperiores Eccle-

Eccleſiarum collegiatarum, licet habeant iuriſdictionem in Canonicos, & ad hoc poſſunt cogi ab Epiſcopo, ſub cuius Diœceſi ſunt.

30 *Dignitates, Canonicatus, præbenda.* ] Hoc Decreto cauetur, ne obtinentes in Eccleſiis Metropolitanis Cathedralibus & Collegiatis dignitates, Canonicatus, ſiue portiones, poſſint vigore alicuius ſtatuti ſiue conſuetudinis, recreationis cauſſa, ab eiſdem Eccleſiis abeſſe..

## *Abulenſium Cauſa, Congregationi ſacræ propoſita.*

ILluſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini: Decanus & Capitulum Eccleſiæ Abulenſis prætendunt, in vim cuiuſdam ſtatuti non obſtante Decreto ſupradicto, poſſe ex dicta recreationis cauſſa abeſſe à ſeruitio & reſidentia eorum Eccleſiæ per quatuor menſes. interim non ſolùm præbendarum groſſam, verum etiam quotidianas diſtributiones (ac ſi diuinis intereſſent) lucrari Verum Reuerendiſſimus Dominus Epiſcop. videns ex huiuſmodi prætenſione cultus diuini augmentum lædi, eámque eſſe contra diſpoſitionem Concil. Trident. recurrit ad Sacram Congregationem, ſupplicans duo declarari. Vnum eſt: An dictum Decretum *Seſſ.* 24. *de Reform. c.* 12. ſuſtulerit quaſcunque conſuetudines, & ſtatuta, quæ longius tempus trium menſium indulgeant. Secundum: An in dictis tribus menſibus, quibus poſſunt recreationis cauſſa abeſſe à reſidentia, lucrentur quaſcunque diſtributiones quotidianas, quocunque nomine nuncupentur. & ex quacunque cauſſa dentur & diſtribuantur.

Et qualitercunque declaratio ſuper præmiſſis facienda ſit per Sacram Congregationem, ſupplicatur reſcribi D. Epiſcopo, vt illa in dicta Eccleſia obſeruetur, honórque diuini officij retineatur.

## *Reſponſio Congregationis ſacræ,*

REuerendiſſime Domine: Vidit ſacra Congregatio Concil. Tridtini Interpretum, libellum, qui cum his erit literis, cenſuítque, donec & quouſque Rota decreuerit confirmationem ſtatuti Eccleſiæ Abulenſis, validam & legitimam eſſe ſecundum Decret. Concil. præfati Seſſ. 24. de Reform. c. 12. de abſentia trium menſium, non obſtante quacunque contraria conſuetudine, etiam immemorabili. Interea verò abſentes non lucrari diſtributiones quotidianas: quod ad Amplitudinem Tuam perſcripſi, vt cum illi nota fuerit Congregationis ſententia, eam obſeruandam curet. Romæ die 3. Auguſti, 1586.

*Ita eſt. Antonius Cardinalis Caraſſa.*

Epiſcopus reſidens in ſua Capituli Sede, ſolutus eſt à reſidentia Decanatus, Canonicatuum, & cæterorum beneficiorum: illáque reti-

nere & fructus percipere poteſt, exceptis quotidianis diſtributionibus & aliis, ſi quæ fortè ſint, quas abſentes alia de cauſſa non perciperent. Canonici ad continuam reſidentiam tenentur in Canonicatibus, niſi in aliis beneficiis quæ ſunt perpetua & habeant annexum ſeruitium, in choro reſideant.

31 *Non liceat vigore cuiuſlibet ſtatuti.*] Intellige hoc de ſtatuto quod non ſit confirmatum à Sede Apoſtolica: licet autem per ſtatutum Eccleſiæ, concedatur Canonicis per tres menſes abeſſe, ſi tamen illud per conſuetudinem non fuit obſeruatum, attendenda eſt magis conſuetudo contraria, quàm ſtatutum.

Eos qui obtinent in Cathedralibus & Collegiatis inſignibus, dignitates & Canonicatus, immemorabilis conſuetudo non excuſat à reſidentia: ita S. D. N. Gregor. XIII. ex ſententia congregationis Concilij declarauit. In Collegiatis autem non inſignibus immemorabilis conſuetudo excuſare poterit, ſi Eccleſiæ ſunt rurales prorſus deſtitutæ, aut in quibus antea ſupra hominum memoriam ſolitum non eſſet non reſideri, aut in quibus adeo tenues reditus habent, vt Canonicos alere non poſſint, non habentes aliunde, quomodo viuant. *Supr. hoc c. § Ac Collegiatis, &c.* Eccleſia collegiata iamdiu deſtituta ob incurſum Turcarum & aeris imperiem, ad alium viciniorem locum eſt transferenda; ne reſidentia deſeratur.

32 *Vltra tres menſes.*] Etiam continuos. Intereſſentia, de qua in hoc Decreto, debet eſſe in omnibus diebus & horis officij diuini, præterquam tribus menſibus ſingulorum annorum; niſi Eccleſiæ conſtitutiones longius ſeruitij tempus requirant. Licet autem Canonici poſſint abeſſe à ſuis Eccleſiis per tres menſes, non poſſunt tamen omnes eodem tempore recedere, ne Eccleſia deſtituatur ſuo debito ſeruitio, ſed tantùm ea pars Canonicorum, quæ videbitur arbitrio Epiſcopi & Capituli poſſe abeſſe. Nec licet vltra tres menſes abeſſe, etiam prætextu immemorabilis conſuetudinis, niſi ex cauſſa inimicitiarum, ſi poſt obtentum Canonatum inimicitiæ ſuperuenerunt, vel niſi in Parochiali eccleſia reſideret, qui fructus præbendæ facit ſuos. Ille dicitur abeſſe (etiam ſi ſteterit in loco) qui abfuerit à ſeruitio vltra tres menſes. Fuit verò diſpenſatum cùm multis in Polonia, ad longum tempus, ex variis cauſis & rationabilibus.

Non poteſt Epiſcopus facere, vt, quibuſdam propter graues diuturnáſque inimicitias recuſantibus in ſuis Parochialibus reſidere, & volentibus reſignare, de Rectore prouideatur, neque vnita eis quædam ſimplicia beneficia & oratoria diuidere & illis conferre, cum iiſdem detractis reditus Parochialium ſufficiant, ad honeſtè ſuſtentandum Rectorem.

Illis tribus menſibus à iure conceſſis non eſt aſſignanda cauſſa abſentiæ. qua quis vult abeſſe cum licentia ſui Prælati, impetrat à Decano vel Præſidente in choro, & frui quibuſdam nouis diſtributionibus,

tionibus, per Epiſcopum impoſitis, provt fruuntur in dictis tribus menſibus omnibus fructibus ſuarum præbendarum, cum pro præſentibus & intereſſentibus habeantur de iure. Nemo tamen poteſt frui dictis diſtributionibus, quando iſtæ diſtributiones ſunt diſtinctæ à præbendis.

Congregatio Concilij cenſuit eum, qui cum fidei iuſſione eſt detentus, vt non poſſit diſcedere ab Vrbe, non poſſe cogi ad reſidendum.

33 *Quolibet anno abeſſe.* ] Archiepiſcopus Ianuenſis prouideat, ne duo menſes, quos habent vacantes Canonici ſui Capituli, incurrant in Natalem, aut Paſcha Domini, aut alias maximas ſolemnitates.

Decretum hoc ſic intelligendum eſt, vt nulli Canonici poſſint abeſſe ab Eccleſiæ ſuæ ſeruitio vltra tres menſes ſingulis annis, nihilque eis prodeſt, quòd in ciuitate maneant, niſi Eccleſiæ debitis horis inſeruiant, & omnes in contrarium conſuetudines per hoc Decretum ſunt ſublatæ. Attamen Epiſcopus poteſt ob legitimam cauſam dare licentiam Canonicis, vt à ſuis Canonicatibus per quatuor menſes abeſſe poſſint.

Reſidens in Decanatu vnius Eccleſiæ, non amittit fructus aliorum Canonicatuum, quos in aliis Eccleſiis obtinet, ex ſententia Congregationis, exceptis diſtributionibus, & aliis, quæ abſentes non ſolent percipere. *Hoc ſæpius reſolutum.* An dignitas Canonici, vel portionarij Canonicatus, & alij officiales poſſint abeſſe à ſeruitio Eccleſiæ ſine licentia Epiſcopi? Congregatio Concilij cenſuit, non requiri licentiam Epiſcopi, quando obtinentes dignitates, Canonici, portionarij abeſſe volunt, tempore Concil. Trident. ipſis permiſſo.

De aliis, qui non ſunt beneficiati, & inſeruiunt in Eccleſia Concilium nihil diſpoſuit, ſed æqualiter ſeruandum, quod Concilium mandat circa regimen debitum in diuinis officiis hoc cap. in fin.

34 *Saluis nihilominus.* ] An licet Canonicis regularibus & portionariis ſæcularibus ab eadem Eccleſia abeſſe per tres menſes, ſtante, quod per eorum ſtatuta & conſuetudines abſunt per quadraginta dies cum licentia? Congregatio in ſæcularibus cenſuit, negatiuè ex hoc textu: in regularibus verò cenſuit, non comprehendi ſub hoc Decreto, verùm ſi cauſſa ſit rationabilis, & adſit licentia Prioris, poterunt abeſſe.

Indultum Leonis decimi tribuens Præpoſito & Canonicis S. Mariæ della Scala, vacationem duorum menſium contra fundationem Eccleſiæ non intelligitur ſublatum per hoc cap. quia Concilium reuocat tantum inſti..tiones, quæ concedunt abſentiam vltra tres menſes.

Quando tempus faciendi itineris periculoſum eſt propter nimios

calores & ſimilia, concedi poteſt dilatio petenti ad proficiſcendum ad reſidentiam ſui beneficij, & interim dum abeſt ab eo, quo ad fructus beneficij habenda eſt eadem ratio, ac ſi ſemper reſideret, ex iure enim habetur pro reſidente.

Quando non ſtat per aliquem quominus in ſuo beneficicio reſideat, nullum ob non reſidentiam detrimentum ſentire debet. *Hoc ſæpe reſolutum eſt.*

Licentia vt quis poſſit abeſſe cauſſa ſtudiorum à ſeruitio ſuæ Eccleſiæ, vel ſeruitio ſui canonicatus, non ſuffragatur vltra quinquennium à die quo ſtudere cœpit. *Sæpius hoc dicitur.*

An obtinantes Dignitates in Cathedralibus ſeu Collegiatis, ſiue Præbendam, quæ tamen diſtincta eſt certa diſmembratione, interim dum effectum illius non exſpectant, non teneantur reſidere?

Congregatio cenſuit, quod habentes plures canonicatus dignitate pares, reſidere tenentur vbi pluribus inſeruiri poteſt.

Obtinens autem canonicatum & Monaſterium in commendam, ſed ab animarum cura liberum, in canonicatu reſidere tenetur.

Epiſcopo Vlixbonenſi ſcribatur N. reſidentem in Canonicatu Eccleſiæ Vlixbonæ cogendum non eſſe vt reſideat in monaſterio N. Ordinis Ciſtercienſis, quod obtinet in commendam, ab animarum cura liberam.

Habens duos Archidiaconatus dignitate pares, reſidere poterit in eo in quo ſibi placuerit: ſed ſi alter eſt dignior, in eo reſidere tenetur.

Habens in dignitatem in Collegiata, quæ vnita ſit Cathedrali, ſi Collegiata ſit deſtructa, poteſt talis, ſi non recipiatur in Cathedrali, alibi, vbi habet beneficium reſidere, & dignitatis ſuæ fructus percipere, exceptis diſtributionibus, & iis ſi quæ fortè ſunt, quæ abſentes iuſta de cauſſa non percipiunt.

Parochus qui habet parochiam, intra cuius limites adhuc habitant parochiani, tenetur in ea reſidere.

35 *Alioquin primo anno.* ] Abſens per annum à Dignitate canonicatu ſeu præbenda, diſtributionibus eſt priuatus, & priuari debet dimidia parte fructuum: ſi verò perſeuerauerit in abſentia, priuandus eſt non modò fructibus, ſed etiam beneficio.

36 *Ac reſidentia fecit ſuos.* ] Non tamen ſi in alio Canonicutu etiam Eccleſiæ Collegiatæ alterius Diœceſis reſideret.

37 *Diſtributiones verò qui ſtatis horis interfuerint recipiant.* ] Canonici, vel alij officiales chori habentes in Cathedralibus vel collegiatis capellanias in titulum, tempore, quo in dictis capellanis celebrant, diſtributiones recipere non debent, prout S. D. N. ex ſententia Congregationis declarauit: niſi quando ſic iuſſi eſſent à ſuo ſuperio-

re

re, vt eo tempore celebrarent, quem tamen admoneri voluit, vt ab huiuſmodi iuſſu abſtineat in poſterum.

Inſeruientes Eccleſiis ſiue Parochialibus, & habentes legitima beneficia in Eccleſiis Cathedralibus, vel alias ſeruitorias, quæ reſidentiam requirunt quorum omnes fructus conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, poſſunt omnes percipere, ſi modò nullæ præbendæ diſtinctæ fuerint, & omnes de communi percipiant, nec detur aliquid eis, qui diuinis horis non interſint: at quando ſaluo debito ſeruitio Parochialium, poterunt etiam inſeruire Cathedrali, tunc non poſſunt percipere niſi quatenus inſeruiunt.

Abſentes pro vtilitate Eccleſiæ diſtributiones quotidianas non amittunt.

Senio confectis, ſi aliàs reſidere ſoliti ſint, diſtributiones debentur, ac infirmis, etiam ex propriâ culpâ, & peccato cum præcedenti occaſione, nimius enim rigor eſſet. Nec ſuperior huiuſmodi rigidam inquiſitionem facere debet, addendo afflictionem afflictis, quandoquidem multæ eſſent annexæ cauſſæ etiam non turpes Debentur quoque detentis in carceribus, non tamen ob propriam culpam.

Non poſſunt Canonici, videlicet illi duo aſſociantes ſuum Prælatum, quandóque volentem audire Miſſam in Cathedrali Eccleſia, vel in alia Eccleſia ciuitatis, participes fieri diſtributionum quotidianarum, quæ non niſi præſentibus, & inſeruientibus debentur.

Vacationes omnes vnius, aut plurium menſium, quibus abſentes diſtributiones quotidianas percipere ſolent, ſublatæ ſunt: niſi abſentes abeſſent ex cauſſis à iure permiſſis, & niſi dictæ vacationes conceſſæ eſſent in fundatione: quæ etiam intelligantur ſublatæ, ſi canonicatuum fructus omnes ſint diſtributiones quotidianæ.

Non licet Epiſcopo aliquo prætextu diſtributiones quodianas donare, relinquere aut quauis colluſione remittere alicui, qui vel ab Eccleſiæ ſeruitio abfuerit, vel alio quouis modo diſtributiones legitimè debeat amittere: Nec fas ſit cuipiam eas capere, & ſi acceperit, ſuas ne faciat, ſed eas reſtituere omnino cogatur, diſtribuendas fabricæ Eccleſiæ, quatenus indiget, aut alteri pro loco, Epiſcopi arbitratu.

Illi qui licentia legitimè obtenta ſtudiorum cauſsâ abſunt, diſtributiones omnes quotidianas percipere debent, exceptis incertis, & quotidianis illis prouentibus, qui tantum inter eos diuidi ſolent quotidie qui ſacris horis interſunt & inſeruiunt.

Congregatio cenſuit, diſtributiones quotidianas lucrari eum, qui indebitè coniectus in carcerem fuerit, & fructus præbendæ ſiue maſſæ groſſæ tamdiu deberi, quamdiu per ſententiam non fuerit declaratum iuſtè illum in carcere detineri.

38 *Qui ſtatis horis interfuerint.*] Congregatio Concilij intelligit ſtatas horas, id eſt, omnes horas quibus diuina celebrantur, licet gloſſ. *in d. Clementina. Vt ij qui*, ibid Card. Zabar. *num.* 12. dicant, de iure poſſe fieri diſtributionem per certas horas.

Non valet ſtatutum quo diſponitur, vt in vna hora vel duabus intereſſentes, lucrentur maſſam groſſam ſiue præbendam, amiſſis diſtributionibus quotidianis.

Congregatio cenſuit, Canonicatus & dignitates obtinentes teneri intereſſe omnibus horis, niſi irritante aliqua ſpeciali confirmatione, quæ non eſt ſublata per Concilium Tridentinum. Diſtributiones verò quotidianæ cæteris quoque horis ex fructibus beneficiorum ſeu præbendarum proportionabiliter ſunt aſſignandæ ne negligantur.

Cenſuit Congregatio, facultatem Capitularibus ſeſe inuicem ſubſtituendi in ſeruitio Eccleſiæ, ab Epiſcopo debere concedi, ea tamen cautione adhibita, vt non eodem tempore eidem ſeruitio ſint obſtricti. *Infrà, hoc c. §. ſi factum.*

39 *Recipiant.*] Habeantur tanquam præſentes in choro, qui animarum curam exercent, quæ illi Eccleſiæ imminet, dum tamen ſint in actu adminiſtrandi Sacramenta vel alia exercendi, quæ ſpectant ad ipſam curam.

Non poteſt declinari, quin tertia pars præbendæ conuertatur in diſtributiones quotidianas ex Decreto Concilij *Suprà, Seſſ. 22. cap. 3.* ratione curæ animarum, quæ imminet Canonicatui, qui à præbenda non eſt diuiſibilis.

Mota fuit difficultas de ſtatu & conſuetudine Eccleſiæ Collegiatæ Canonicorum regularium, quo tam ipſi Canonici, quam portionarij, qui ſunt ſæculares, ab eadem Eccleſia ſingulis annis cum licentia Prioris & Capituli per quatuor dies abeſſe poſſunt, quibus vna cum fructibus groſſæ, etiam diſtributiones quotidianas accipiunt, perinde ac ſi diuinis intereſſent: Sacra autem Congregatio in portionariis, ſæcularibus abſque difficultate cenſuit, amittendas eſſe diſtributiones quotidianas, vtpote quæ debeantur tantum illis, qui adſtant & interſunt facientes officium. Ideóque dicunt eſſe ſalarium diurnum, quod laborantibus debetur: de regularibus verò cenſuit, illos non comprehendi hoc Decreto, & quia habent ſeruitium continuum, ſi Prior eis concedat licentiam cum rationabili cauſſa, iudicauit poſſe abeſſe & percipere.

40 *His careant.*] Hoc intellige niſi reſidentes in Parochialibus nullos reditus ex præbenda haberent, ſed omnes fructus in diſtributionibus eſſent, tunc habentur pro præſentibus & interuientibus, quo caſu nihil vltra ſeruitium perciperent.

Qui fuerunt olim Canonici reſeruantes in reſignationibus domos Canonicales, eaſque Laicis locantes, cogendi ſunt locare (iuſta tamen mercede) dictas domos Canonicis reſidentibus, ita vt hi præferan-

ferantur quibuſcunque aliis in locatione, ceſſantibus quibuſuis priuilegiis inquilinatus.

41 *Non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus.* ] Non obſtat quod illæ conſuetudines non inſeruiendo eſſent immemorabiles in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus. Attamen hoc Decretum fundationes, & confirmationes Apoſtolicas non ſuſtulit.

Congregatio cenſuit, Canonicos abeuntes ſub matutinum, etſi id ex conſuetudine immemorabili faciant, non excuſari, ſi nullam aliam cauſſam allegant præter hanc. Quod ſi per ſe ipſos id facere debent, non ſunt augendæ illis, vt petunt, diſtributiones.

Si factum eſt aliquod ſtatutum, quo Canonici poſſint inſeruire per ſubſtitutos, vel ſaltem vnus pro alio, non habeatur eius ratio, quia eſt contra Concilium.

Congregatio Concilij cenſuit, poſſe aliquem in vna Eccleſia ex priuilegio vel conſuetudine fungi duplici officio, vt ſi ſit theſaurarius & Canonicus,& propterea duplices lucrari diſtributiones, quas obtinet diuerſo iure, cum inter Dignitates ſuppleat numerum Canonicorum,nec eget ſubſtituto.

42 *Compellantur obire officia.* ] Ad omnes ſeptem horas Canonicas iſti tenentur, & ad faciendum principium, & officium Hebdomadarij, ſi tamen alij non ſunt Canonici

43 *Epiſcopo celebranti.* ] Comitantes Epiſcopum non lucrantur diſtributiones quotidianas, niſi Canonicatus conſiſterent in diſtributionibus quotidianis, & tunc amittunt eam partem, quæ deſeruientibus accreſcit.

An Capellaniæ in Eccleſia Cathedrali exſiſtentes, quarum reditus ex variis defunctorum reditibus cum onere Miſſas aliquot, & diuina officia pro animarum ſalute celebrandi, inter ſe tantum diſtribuunt Capellani præſentes, qui onera prædicta per ſeipſos,& per alios presbyteros quoſcunque perſoluunt, reliquis Capellanis, qui præſentes non ſunt,nihil percipientibus,perſonalem reſidentiam requirant, ita vt, qui eas obtinent, ad reſidentiam præcisè, etiam per priuationem cogi poſſint, non obſtante conſuetudine contraria; Multi quidem ex Illuſtriſſimis tenebant, non poſſe cogi præcisè. Nihilominus fuit deciſum, poſſe cogi præcisè ad reſidendum.

Epiſcopo Miſſam priuatam celebranti etiam in Cathedrali non tenentur Canonici aſſiſtere. At in modo aſſiſtendi, & inſeruiendi Epiſcopo celebranti, ſeruanda eſt conſuetudo Eccleſiæ. Canonicatus ergo & Dignitates obtinentes in Cathedrali, omnes Epiſcopo pontificalia exercenti aſſiſtere debent, niſi aliqui legitimè abſint, etiamſi titulo vacationis: & renuentes Epiſcopus puniat.

In conferendo Ordines ſeruandum eſt *Cap 8. Seſſ. 23.* Epiſcopo exer-

exercenti pontificalia extra Cathedralem Eccleſiam, in ciuitate tamen, & non in Diœceſi, tenentur aſſiſtere & inſeruire, qui ſolent aſſiſtere, & inſeruire exercenti Pontificalia in Cathedrali.

Pro nominatione exſiſtentium in Pontificalibus tam in miſſa, quam in veſperis Congregatio cenſuit, ſeruandam eſſe conſuetudinem illius Eccleſiæ: de qua niſi conſtet, ſeruandum eſſe id, quod ſcribitur in Pontificali, etiam non obſtante quacunque conſuetudine.

44 *Aut alia Pontificalia exercenti.* ] Congregatio cenſuit, Canonicos accedere debere ad cubiculum Epiſcopi, quoties ipſe non priuatim ſed Pontificaliter cum cappa, in diebus feſtiuis, & ſolemnibus voluerit deſcendere, vt aſſiſtat vel horis diuinis, vel Miſſæ Sacrificio, multóque magis ſi ipſemet ſit celebraturus, in reditu verò vſque ad oſtium domus Epiſcopi, Epiſcopo præcedente ipſiſque ſequentibus, comitari debere: in diebus autem feriatis, quando priuatim venit in Eccleſia celebraturus, aut aliquid aliud acturus, debere etiam nonnullos ex Canonicis accedere ad oſtium Eccleſiæ & Epiſcopum comitari, idipſúmque in reditu obſeruandum.

Præcepit congregatio ſeruandam eſſe conſuetudinem illam quæ eſt in Eccleſia Cathedrali Seguntinenſi, in qua Capitulum per Magiſtrum ceremoniarum deputat aliquos qui adſint proprio Epiſcopo Pontificaliter celebranti: ſint tamen principales dignitates, & Magiſter ceremoniarum à Pontificalis obſeruatione non recedat. Ipſi autem Epiſcopo celebranti priuatim in Eccleſia, etiam Cathedrali, non debent aliqui Canonici adſiſtere: ſecus ſi ipſe Pontificaliter concionaretur aut celebraret, tam in Eccleſia Cathedrali quam in ipſa ciuitate aut ſuburbiis Eſt etiam dubitatum à Capitulo eiuſdem Eccleſiæ Seguntinenſis: an omnes adſiſtentes deberent eſſet Dignitates & Canonici, an verò ſufficerent illi, quos Capitulum nominauerat ex Dignitatibus, Canonicis & præbendis, iuxta conſuetudinem ſupradictam immemorabilem? Et præſuppoſita conſuetudine, quod Decanus Seguntinenſis Eccleſię ex ſtatuto fundamentali dictæ Eccleſiæ facto, auctoritate Apoſtolica ſit præſidens chori, cui incumbit regimen chori, & correctio, & punitio colloquentium in eo & perturbantium officia diuina, & quod ille tanquam Præſidens chori ſit inter Dignitates, & Canonicos tantum, Diaconus verò inter dimidios, ex conſuetudine autem non reperiantur, qui debeant eſſe prædicti aſſiſtentes & miniſtri; quæſitum eſt an in hoc caſu videretur ſeruanda eſſe conſuetudo Eccleſiæ, quæ rationabilis eſſe putabatur, & iuri conformis, qua Dignitates ſemper deputantur diſtributis inter omnes oneribus ſuo ordine, habita ratione perſonarum & impedimentorum? Pro hoc dubio Congregatio cenſuit, Epiſcopo ſolemniter Miſſam aut Veſperas celebranti primam Dignitatem obtinentem, pluuiali indutum debere in officio-

preſ-

presbyteri aſſiſtentes inſeruire, & ipſo legitimè impedito ſecundam Dignitatem debere vice alterius fungi.

Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini: Dignitates & portionarij Eccleſiæ Abulenſis noluerunt Reuerendiſſimum D. Epiſcopum aſſociare, eo quod prætenderent ſe non eſſe comprehenſos in Decreto 12. Seſſ. 24. ideóque totum id onus Canonicis impoſuerunt: quare pro parte Canonicorum dictæ Eccleſiæ Abulenſis humiliter ſupplicatum eſt, vt Domini Cardinales dignarentur curare obſeruari quod alias fuit declaratum in vna Burgenſi, vt ſcilicet in dicto Decreto aſſociandi D. Epiſcopum Abulenſem comprehendantur omnes Dignitates & Portionarij dictæ Eccleſiæ, cum etiam ſint de Capitulo, & non deceat membra à capite diſcedere. Ad hanc dubitationem Congregatio Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum reſpondit; Dignitates item & Portionarios Eccleſiæ, æque ac Canonicos debere Epiſcopum aſſociare: idque Congregatio ipſa vult omnino obſeruari, die 25. Maij 1586.

Ad ipſum verò Epiſcopum pertinet vt aſſociationis horam intimet, ne diuina extra ſuas horas fiant, aut ciues ſcandalizentur. Et ſimul ac Epiſcopus fuerit in choro, horæ diuinæ inchoentur.

Itáque Epiſcopo rei diuinæ peragendæ cauſſa ad Eccleſiam venienti cum cappa Pontificali, comitantibus Canonicis, vnus ex dignioribus de Capitulo in porta primaria Eccleſiæ porrigat aſperſorium cum oſculo: cum verò priuatim adit Eccleſiam, tunc ex ſuis familiaribus vnus aquam ad aſpergendum, vt eſt conſuetudo, Epiſcopo porrigat.

Item quando ex conſuetudine Epiſcopus dicit ſubmiſsè reſponſorium in proceſſionibus ſolemnibus vbi Diaconus & Subdiaconus librum tenent, ea conſuetudo eſt omnino ſeruanda. Eſt quoque iudicatum vt attendatur conſuetudo Eccleſiæ Abulenſis, quæ eſt quod Dignitates, & Canonici aſſiſtentes induant ſe, & non relinquant ſolum Epiſcopum accedere ad chorum.

Epiſcopo conſecranti oleum & chriſma, adſint aliqui præſentes, & honorent Epiſcopum Pontificalia exercentem. Quæſitum fuit, an celebranti Canonico Diaconus, & Subdiaconus miniſtrare debeant? Reſponſum fuit à ſacra Congregatione, hoc in Prouinciali Synodo ſtatuendum eſſe, interim verò nihil innouandum, vltra Concilium, quia Concilium nihil determinat.

45 *Cætera quæ ad debitum in diuinis officiis* ] Improbatur illa conſuetudo qua dicebatur non poſſe aliquem in ſua Eccleſia campanas pulſare, antequam campanæ Cathedralis Eccleſiæ pulſentur: ſiquidem perinde omnes poſſunt (horis tamen debitis) ſuas campanas pulſare. Pariter improbatur non poſſe alios miſſas in ſuis Eccleſiis celebrare, donec fuerit decantatum Præfatium miſſæ majoris in Cathedrali.

Simi-

Similiter non poſſe regulares extra ſua clauſtra per Eccleſiæ diſtrictum proceſſiones facere.

De certa lege in choro conueniendi & permanendi, Punctator debet eſſe Clericus in ſacris conſtitutus, ſecundum decretum Concilij Prouincialis Compoſt. &c. reuiſi per S. D. N. ſub Dato Romæ apud S. Petrum, die 17 Octob. 1568. Anno 2. vel alia veriori data.

Quoad reſidentiam verò obſeruetur decretum Concilij de reſidentia nouem menſium, & ſi aliquod ſtatutum in contrarium ſit factum ſit irritum & nullum, ac liti & cauſæ commiſſæ in Rota vel alibi, cedatur quod ad hoc cap.

Quoad remiſſionem quæ ſit in die Cœnæ Domini, ſeu alio de portionibus aliis accreſcentibus, ob non reſidentiam, non fiat, & facta reuocatur.

Præſuppoſita immemorabili conſuetudine, quæ allegatur pro parte Capituli, quod deputatio punctatoris pertinet ad Capitulum, nihil innouetur, aliàs remaneat in diſpoſitione iuris communis.

46 *Interea verò Epiſcopus.*] Canonici & beneficiati debent dare notam, & copiam authenticam omnium beneficiorum ad dictos Canonicatus & beneficia. Pertinet autem ad eos cum capitulo, vt eas reponere, & ſeruare poſſint in Archiuis.

47 *Cum duobus Canonicis.* ] Epiſcopus tenetur conſilium hoc petere, non autem ſequi: conſenſus enim Capituli non eſt neceſſarius. Epiſcopus non poteſt cogere aliquem in beneficio ſimplici reſidere. Item non poteſt cogere obtinentem Capellaniam, vt ipſemet celebret, licet in eius fundatione diſponatur, quòd Rectores celebrent, nam iſtis oneribus Miſſarum rectè per ſubſtitutum ſatisfit.

Epiſcopus obtinentes beneficia ſimplicia cogere non poteſt perſonale aliquod ſeruitium ſuis beneficiis impendere, cum ex antiquiſſima totius Eccleſiæ conſuetudine non niſi ad officium recitandum teneantur. Hæc autem declaratio non ſufficit pro illis, in quorum beneficiorum fundatione poſita eſt clauſula hæc, ſcilicet, *quod per ſeipſos, & non per ſubſtitutum teneantur ſeruire.*

## REMISSIONES.

α VIde P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 30. tract. 3. à num. 164. P. Ledeſm. in ſum. p. 1. tract. 7. cap. 1, concl. 7. prope fin. pag. 163.

β *Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Epiſcopi, ſint in omnibus Eccleſiis, vbi fieri poteſt, Magiſtri in Theologia, &c.*] Vide Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 4. num. 68.

γ Ad

γ *Ad cæteras autem dignitates, vel perſonatus, &c.*] Sacra Cardinalium congregatio ſic cenſuit: Dignitates etiam in Eccleſiis Collegiatis comprehenduntur, refert & hanc opinionem ſequitur Nicol. Garci. de Benefic. p. 7. cap. 4. numer. 59. & 62. cum ſeqq. Contrarium tamen, imò hoc decretum non habere locum in Collegiatis Eccleſiis, tenent Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Beneficia, §. 1. verſ. Ad dignitates, & verbo Canonica, § 9. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. q. 11. art. 2. & in addit. ad Bullam compoſitionis, num. 4. vbi ait Chriſtophorum Velam Archiep. Burgenſem contuliſſe dignitatem ſcholaſtriæ Collegiatæ Eccleſiæ de Aguilar de Campo cuidam ſcholari qui non habebat maiorem ætatem 17. annorum, & cùm litigaretur ſuper hoc, fuiſſe iudicatum, collationem eſſe canonicam & iuridicam.

δ *Et 22 annis non minores.*] Sacra Cardinalium congregatio cenſuit hos 22. annos eſſe completos in hunc modum: Congregatio Concilij cenſuit requiri ætatem viginti duorum annorum completam, refert Garci. d. cap. 4. num. 70. & hanc opinionem ſequuntur Mandoſ. tract. de Ætate minorum, cap. 5. nu. 10. P. Molin. de Iuſtit. tract. 2. diſput. 573. circa princip. Veg. in ſum. p. 1. cap. 96. caſu vni. P. Leſſi. de Iuſtit. lib. 2. cap. 34. num. 108. dicens illam formulam, vt non ſit minor 22 annis, inſinuare annos 22. debere eſſe completos. Contra tamen tenent P. Henriq. lib. 14. cap. 8. §. 10. in fine, Emman. Saa verbo Beneficium, num. 31. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo, Beneficia, § 1. verſ. Ad dignitates, P. Azori. inſtit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 5. quæſt. 5.

ε Ad dignitatem tamen principalem in Collegiata regulariter requiri ætatem 25. annorum incœptorum, cùm regulariter habeat curam animarum in foro interiori, vel exteriori, reſoluit Garci. d. cap. 4. num. 65.

ζ Si aliqua parochialis Eccleſia eſſet vnita alicui Canonicatui Eccleſiæ Cathedralis, acceſſoriè ſufficere prædictos 22. annos cenſet Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 9. num. 4.

η *Prouiſi etiam de beneficiis quibuſcumque, &c.*] De Profeſſione Fidei emittenda vide Fr. Emman. in ſum. tom. 1. cap. 19. num. 7. Fuſc. de Viſitat. lib. 1. cap. 5. numer. 15. & lib. 2. cap. 3. numer. 4. Petr. Ledeſm. in ſum. part. 2. tract. 1. cap. 4. concluſ. 10. Sayr. deciſ. 1. cum ſeqq. ſub. titul. de Conſtitut. Flamin. de Reſignat. lib. 8. q. 9. à num. 121. & lib. 10. quæſt. 9. Nicol. Garci de Beneficiis, p. 3. cap. 3. per totum, Aloyſ. Ricci in Collect. deciſ. par. 3. Collect. 579. nouiſſimè Pat. Sanch. in præcepta Decalogi, libro 2. capit. 5., à principio, Zerol. in praxi Epiſcopali, part. 2. verbo Fidei profeſſio.

θ Nec à prædicta Fidei profeſſione in manibus Epiſcopi facienda excuſari Canonicos exemptos, ratione ſuæ exemptionis, reſoluunt Nauar. Conſ. 9, ſub tit. de Iureiur. in 2. edit. Petrus Ledeſm. d. cap. 4. poſt concluſ. 19. difficul. 5. Sayr. deciſ. 1. ſub tit. de Cōſtit. Aloyſ. Ricci. d. Collect. 579. verſ. Amplia, 1. P. Sanch. d. cap. 5. numer. 2. & cenſuiſſe

ſacram Cardinalium congregationem teſtatur Garci. d. cap. 3. numer. 21.

ι Nec excuſari Prælatos Regulares, imò intra bimeſtre ab adepta poſſeſſione ſuæ præfecturæ hanc profeſſionem facere teneri, docent Emman. Saa verbo Fides, in fine? Frac. Emman in ſum. tom. 1. cap. 100 numer. 7. in 2. edit. & quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 72. articul. 1. P. Sanch. d. capit. 5. numer. 3 Sayr deciſ. ſub titul. de Conſtit.

κ Nec excuſari Canonicos Regulares Eccleſiarum Cathedralium ſacra Cardinalium congregatio in hunc modum cenſuit: Comprehenduntur etiam, ſi fuerint Regulares, & computandi ſunt duo menſes à die electionis, vel quoad mittantur ad participationem maſſæ capitularis, refert Garci. d. cap. 3 num. 16.

λ Nec excuſari Doctores, Magiſtros, Regentes, & alios cuiuſcumque artis ac facultatis, tenet P. Sanch. d. cap. 5. num 4.

μ Nec excuſari etiam denuo emittere eos, qui eam iam emiſerunt in adeptione alterius Parochialis, vel Canonicatus, reſoluit ſacra Cardin. congregationis deciſionem adducens Garci d cap. 3. nu. 17. & 18.

ν *Prouiſi, &c.*] Huiuſmodi Fidei profeſſionem non poſſe fieri per procuratorem, reſoluunt Stephan Gratian. diſcept. forenſium c. 166. num. 21. Nicol. Garci. d. cap. 3. num. 74. vbi affirmat ita à ſacra Cardinalium congregatione deciſiones euaſiſſe. Contrarium tamen, imò hanc Fidei profeſſionem per procuratorem fieri poſſe tenent Nauar Conſ. 4. nu. 1. ſub tit de Summa Trinit. in 1. edit. & Conſ. 11. numer. 2. ſub tit. de Iureiur. in 2. edit. Petr. Ledeſm. d cap. 4. poſt. 16. concl. difficult. 6. P. Azori inſtit. moral. p 2. lib. 7. cap. 1. quæſt 6. Pet. Sanch. d. cap. 5. num. 7. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 2. verbo Fidei profeſſio.

ο *Intra duos menſes.*] Quòd non obligat illum per quem ſtat, quo minus poſſeſſionem accipiat, reſoluit Garci. d. cap. 3. num 32.

π Quòd Clericus parochialem adeptus omittens per ignorantiam Fidei profeſſionem facere, non peccat, nec ſubintrat diſpoſitio Concilij in præſenti, reſoluit Sayr. deciſ. 3. ſub tit. de Conſtitut.

ρ Quòd curatus, qui Fidei profeſſionem intra duos menſes non fecit, poteſt moram purgare, docet Sayr. deciſ. 4. ſub titul. de Conſtit.

σ Illum, qui non fecerit profeſſionem intra duos menſes, teneri eam poſtea emittere, cùm hic terminus non ponatur ad finiendam obligationem, ſed ad differendam executionem, docet Garci. d. cap. 3. num 29.

τ *In manibus ipſius Epiſcopi.*] Quòd ſede Epiſcopali vacante prouiſus de beneficio curato debet facere profeſſionẽ corã Ordinario Capituli ſede vacante, & non coram Capitulo, tenet Garc. d. c. 3. nu. 16.

v *Vel eo impedito.*] Quòd profeſſio Fidei poteſt fieri coram Vicario Epiſcopi, eo etiam non impedito (quia verba huius text. ſolùm ponuntur ad admonitionem, & denotandum conuenientius eſſe, eam facere coram ipſo Epiſcopo, ceſſante impedimento) reſoluit Garci. d. cap. 3 num. 21. & 23.

φ *In Eccleſiis Cathedralibus.*] Quòd non procedit in Canonicis, & dignitatibus Collegiatæ, Eccleſiæ ſacram Cardinalium congregationem cenſuiſſe teſtatur Garci. d. c. 3. n. 13. Contrarium tamen tenet Zerol d verbo Beneficium, § 5. dicto. 4 p. 1.

χ *Fructus non faciant ſuos.*] Ad illorum reſtitutionem in conſcientia teneri etiam, non interueniente aliqua ſententia, reſoluit Garci. d. cap. 3. numer. 35. & peccat mortaliter à numer. 64. tamen contrarium tenet Pat. Sanch. in præcepta Decalogi libr. 2. capit. 5. numer. 10.

ψ Non procedere in diſtributionibus quotidianis, quæ dantur ratione miniſterij, & operæ perſonalis, & laboris, ita vt illas percipiens faciat ſuas, aſſerit Stephan. Gratian diſcept. forenſ. capit. 166. num. 22. & ſacram Cardinalium Congregationem cenſuiſſe referunt Garci. d. cap. 3. num 60. & Gonzal. ad reg 8. Cancel. §. 7 procem. num. 170. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. part. 4. Collect. 1451. verſ. Infertur ſextò.

ω Si ignarus huius decreti omiſerit Fidei profeſſionem in foro externo non excuſari, quia eſt ignorantia iuris clari, in foro tamen interiori, & quoad Deum à mortali, & conſequenter ab amiſſione, & reſtitutione fructuum excuſari, docent Frat. Emmanuel in ſum. tom. 1. cap. 119. num 7. in 2. edit. & quæſt. Regular. tom. 2 quæſt. 72 articul. 3 Nauar. Conſ. 1. num. 2. & 3 ſub titul. de Summa Trinit. in 1. edit. & Conſ. 4 numer. 3. & Conſ. 3 numer. 2. & Conſ. 7. numer. 2. & 3. & Conſ. 11. numer. 3. & Conſ. 12. num. 2. ſub titul. de Iureiur. in 2. edit. P. Azori d. cap. 2. quæſt. 2 Flamin. de Reſignat. lib. 10. quæſt 9. num. 8. cum ſeqq. Læli. Zechi. de Republ. Eccleſiaſt. titul. de Benefic. & penſ capit. 9. numer. 3. verſ. Requiritur etiam, P. Sanch. d. cap 5. num. 13. Garci. d. cap 3. num. 66. cum ſeqq.

αα Cui ſint aſſignandi, & applicandi fructus amiſſi ob non factam profeſſionem Fidei? Vide apud Læli. Zechi. de Republ. Eccleſiaſt. tit. de Benefic. & penſion. cap. 13. numer. 4. verſ Quòd ſi parochialis, Fuſc. de Viſitat. libro 2. capit. 13. numer. 4. Flamin. de Reſignat. libro decimo, quæſt. 9. numer. 123 & 124. qui, loquendo de parochis, dicunt aſſignandos, & applicandos eſſe fabricæ Eccleſiæ, ſeu pauperibus.

In Canonicis verò, & dignitatibus habentibus fructus in menſa Capitulari, fructus amiſſos ob non factam profeſſionem ſpectare ad Capitulum, reſoluit Garci. d cap. 3. à numer. 40. vbi à numer. 44. dicit quòd debens fructus, non poteſt ſe componere cum Capitulo, ſoluta aliqua parte, & à numer. 53. refert. ſacram Cardinalium

congregationem cenſuiſse, Ordinarium non poſse condonare fructus amiſsos ob non factam profeſſionem Fidei.

ββ Quòd hæc Lex non eſt pœnalis, ſed conuentionalis, reſoluunt P. Azori. inſtit. moral. part. 2. libro 7. cap. 2. quæſt. 1. verſ. Quæres an ob profeſſionem, Petrus Ledeſm. in ſum. part. 2. tract. 1. cap. 4. poſt concluſ. 10. diffic. 1. Garci. d. cap. 3. num 35. Sed hoc decretum eſse pœnale, ac proinde etiamſi pœnam ipſo iure irroget, non obligare in foro conſcientiæ, tenent Nauar. Conſ. 3. num. 1. ſub titul. de Summa Trinit. in 1. edit. & Conſ. 12. numer. 1 ſub titul. de Iureiur. in 2. edit. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 72. art. 3. P. Sanch. d. cap. 5. numer. 10.

γγ *Nec illis poſſeſſio ſuffragatur.*] Vide Sayr. deciſ. 6. de verborum ſignificat & ſacra Cardinalium congregatio ita cenſuit. Nec longiſſima poſſeſſio prodeſt ei, qui non emiſit profeſſionem Fidei quoad fructus percipiendos, quandiu dictam profeſſionem non emiſerit, referunt Flamin. de Reſignatio. libr. 10. quæſt. 9. num. 122 & Nicol. Garci. de Benefic. part. 3. cap. 3. numer. 34. reſoluunt Frat. Emman. in ſum. tom. 1. c. 119. num. 7. P. Sanch. in præcepta Decalogi, lib. 2. cap. 5. numer. 11. & 12. P. Azori inſtit. moral. part. 2. libr. 7. capit. 6. col. 826.

δδ *Neminem etiam deinceps, &c.*] Vide Flamin. de Reſignat. lib. 4. q. 9. num. 10 Non habere locum in Collegiatis Eccleſiis tenent Nau. Conſ. 3 ſub tit. de temporib. Ordinat. in. 1. edit. Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Beneficia. §. 5. pag. 46.

εε *Ita tamen, vt dimidia ſaltem pars, &c.*] Vide Zerol, in praxi Epiſc. p. 1. verbo Capitulum, num. 10 pag. 84. & verbò Canonica, num 2. pag. 94.

ζζ *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, &c.*] Vide latiſſimè Nicol. Garci de Benef. p. 3 cap. 2 num. 180 cum multis ſeqq. vbi num. 181 reſoluit, quòd ſub hoc cap. comprehenduntur dignitates principales, & Capitula Eccleſiarum Collegiatarum. Vide Nau. Conſ. 2. de Clericis non reſid. & de Orat. miſcel. 59. num 6. Flam. de Reſign. lib. 10. quæſt. 10. num. 62. P. Azor. inſt. moral. part. 2. lib. 7. ca. 3. col 810.

ηη *Aut portiones.*] Vide P. Azor. inſtit. moral. p. 2. lib. 3. cap. 10. col. 275.

θθ *Aut conſuetudinis.*] Quòd non tollit conſuetudinem immemorialem, ex eo quia immemorialis conſuetudo nunquam cenſetur ſublata, niſi expreſſa mentio de ea in lege, vel conſtitutione habeatur, docent Flores Var. lib. 1. quæſt. 10. num. 44. Frat. Emmanuel. quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 9. art. 5. ad finem, Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 33 num. 2 Sed in propoſito contrarium cenſuiſſe ſacram Congregationem Cardinalium refert Garci. loco infrà citato

ιι Immemorialis conſuetudo non excuſat à Reſidentia in Cathedra-

dralibus & Collegiatis inſignibus: in Collegiatis autem non inſignibus poteſt excuſare, ſi Eccleſiæ ſint rurales prorſus deſtitutæ, aut in quibus nunquam antea ſupra hominum memoriam ſolitum eſſet reſidere, aut in quibus adeò tenues redditus eſſent, vt Canonicos aliunde non habentes vnde viuerent, alere non poſſent, & ſufficit ad excludendam immemorialem, quòd aliqui Canonici reſederint, refert Garci. d. c. 2 num. 197.

κκ *Vltra tres menſes.* ] Sequentes ſacræ Congregat. deciſiones Doctores infrà citati ſuper hoc decretum ſuis in tractatibus fideliter referunt.

λλ Prima eſt, an illis tribus menſibus à iure conceſſis ſit aſsignanda cauſa abſentiæ, & cum licentia ſui Prælati? vel an poſsint potiri beneficio trium menſium nulla cauſa declarata, ſed impetrata licentia à Decano, vel Præſidente in choro, & frui quibuſdam nouis diſtributionibus per Epiſcopum impoſitis, prout fruuntur in dictis tribus menſibus omnibus fructibus ſuarum præbendarum, cùm pro præſentibus & intereſsentibus habeantur de iure? Congregatio cenſuit nullam aſſignandam eſse cauſam. Secundò, nullam licentiam requiri, non tamen omnes Canonicos poſse abeſse eodem tempore, ne Eccleſia deſtituatur ſuo debito ſeruitio, ſed tantùm eam quartam partem Canonicorum, quæ videbitur arbitrio, Epiſcopi, vel Capituli. Tertiò, non poſse frui dictis diſtributionibus, cùm ſint diſtinctæ à præbendis. de hac deciſione teſtantur Nicol. Garci. de Benef. p. 3. cap. 2. nu. 315 Zerol. in praxi Epiſcop. part. 1. verbo, Priuatio, §. 2. dubio quarto.

μμ Secunda. Archiepiſcopus Genuenſis prouideat, ne duos menſes, quos habent vacantes Canonici ſui Capituli, incurrant in Natale, aut Paſcha Domini, aut huiuſmodi maximas ſolemnitates, de qua deciſione teſtantur Garci. d. c. 2. num. 316. Læli. Zechi. de Republ. Eccleſiaſt. tit. de Beneficiatis, num. 6. verſ. Quòd ſi beneficia, Zerol d. verbo Priuatio, § 4 dicto 2. præſentiali dub. 3.

νν Tertia Decretum Concilij, c. 12 ſect. 24 concedit Canonicis abſentium trium menſium, ſi conſtitutiones Eccleſiæ ſeruitium totius anni requirunt, refert Garci. d. c. 2 num. 312.

ξξ Iſtos tres menſes continere 90. dies, & vnum menſem continere triginta, & cùm Concilium abſolutè illos concedat, nec exprimat à quo tempore incipere debeant, poſse accipi non ſolùm continuos, ſed etiam interpolatos, docent Menoch. de Arbitatr. caſu 50. à num. 12. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſ. 11 num. 8. Garci. d c. 2. num. 306.

οο *Ab eiſdem Eccleſiis.* ] Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit: Decretum hoc intelligendum eſt, vt Canonici non poſſint abeſſe ab Eccleſiæ ſuæ ſeruitio vltra tres menſes ſingulis annis, nihilq; eis prodeſſe, quòd in ciuitate maneant, niſi Eccleſiæ debitis horis inſeruiant, intelligendumque eſt, omnes in contrarium conſuetudines

per hoc decretum eſſe ſublatas, refert Garci d. capit. 2. numer. 323.

*aa* *Priuatur omnibus fructibus.* ] Quòd Capitulum non poteſt concedere, vt abſens lucretur diſtributiones quotidianas, poteſt tamen illas, quæ iam accreuerant, intereſſentibus remittere, docet Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 166. num. 31. cum ſequentibus.

*ff* Litem non dici legitimam cauſam abſentiæ, & lucrandi fructus ea durante, niſi in tribus caſibus, docet Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. part. 4. collect. 1231. Primus eſt. Si verteretur ſuper iuribus ipſius beneficiati, adducit Sayr. deciſ. 17. de Clericis non reſident. Secundus, niſi ſit criminalis & talem criminalitatem contineat, propter quam Clericus prohibeatur reſidere, refert Rot. collecta à Farin. deciſ. 168. Tertius, niſi litigetur contra Capitulum, quod deneget dare fructus Canonico, numerat Aloyſ. Ricci. vbi proximè.

*oo* *Diſtributiones verò, &c.* ] Doctores infrà citandi plures caſus cumulant, in quibus abſens à diuinis lucratur diſtributiones, ac ſi cum aliis intereſſet, & præſens eſſet.

*tt* Primus caſus eſt. Abſens à loco beneficij tempore peſtis, licèt fructus præcipuos & principales percipiat, non tamen habebit quotidianas diſtributiones, niſi conſuetudine obtentum ſit, eas abſenti ex iuſta cauſa dari, reſoluunt Cou. Vari. lib. 3. cap. 13. nu. 8. verſ. Nonò, Rip de peſte, cap. 1. num. 145. Alexand. Monet. de Diſtribut. quotid part. 2. quæſt. 5 num. 76.

*vv* Secundus caſus. Qui ex morbi impedimento non poteſt perſonaliter adeſſe diuinis officiis, licitè percipit diſtributiones quotidianas in abſentia, conſtituunt Duenh. reg. 206. verſ. Limita 7. Hojed. de Beneſic. part. 1. capit. 17. numer. 15. Fuſc. de Viſitat. libro 1. capit. 15 numer. 25. verſ. Et infirmo, & cap. 20 numer. 26. Selu. de Beneſic. part. 4. quæſt. 6. num. 9. Guttier. Canon. lib. 1. cap. 1. num. 140. Spin. in Speculo teſtam. Gloſſ. 9. princip. num. 30. Monet. part 2. quæſt. 6. numer. 7. Procedere etiam ſi quis propria culpa in morbum inciderit, referunt Fuſc. d. cap. 20. numer. 26. Guttier. d. cap. 1. numer. 138. Frat. Emmanuel in ſum. p. 1. capit. 33. num 6. verſ. *De aqui ſe infiere*, Monet d. quæſt. 6. à num. 12. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Diſtributiones, §. 3. verſ. Sextò debentur. Procedere quoque dicunt Doctores ſtatim citandi, ſi dum erat ſanus intereſſe ſolebat horis Canonicis: quòd ſi talis clericus ægrotus non erat ſolitus reſidere, & intereſſe diuinis officiis, dum bene valebat tunc infirmitas illius non iudicatur pro præſentia, & intereſſentia, cùm eo caſu ipſa infirmitas non præſtiterit cauſam abſentię, & tunc quidem clericus infirmus non lucrabitur huiuſmodi diſtributiones, reſoluunt Nau. de horis Canon. cap. 11. à nu 9. in finalib. verbis, Cou. d num. 8. verſ. Sextò. Corſet. ſing 152. incip. An quilibet infirmus,

infirmus, Fr. Emman. d. cap 13. numer. 6. Monet d. part 2. quæſt. 6. num. 21 Cald. Pereira de Renouat. qu 5. num. 23 verſ Vnde ſi *Canonicus*, P. Henriq. lib. 13. cap. 13 num. 4. in fine Gloſſ. lit. Y, Spin. d Gloſſ 9. numer. 30. verſ. Sed tenendo. Guttier. d. cap. 1. num. 138. vbi num. 139. aſſerit, tunc demum infirmum conſequi debere diſtributiones, quando præſens eſt in loco, vbi eſt Eccleſia. Quod Clericus cuius intereſt aliò ſe conferre acquirendę ſanitatis cauſa, vt purà ad balnea, vel ad celeberrimum aliquem medicum, vel etiam, vt cæli ſibi officientis inclementiam effugiat, lucratur diſtributiones interim in abſentia, reſoluit Alexand. Monet. de Diſtribut quotid. p. 2. quæſt. 6. num 10. Quòd etiam Clericus, qui tanquam morboſus, ſeu infectus morbo aliquo contagioſo, veluti lepra, peſte, & huiuſmodi à ciuitate abeſſe iubetur, lucratur diſtributiones quotidianas, teſtatur Monet d. q. 6 num 11.

Tertius caſus. Senex Beneficiarius non reſidens Diuinis Officiis habet diſtributiones, quando ſenio ita confectus eſt, vt non poſſit commodè perſonaliter Eccleſiæ deſeruire, referunt Hoied. d. cap. 17. num. 17. Menoch. caſu 60 num. 10 Monet. p. 2 q. 7 num. 5.

Quartus caſus. Non eſt priuandus quotidianis diſtributionibus ille, qui obſes datus eſt ab Eccleſia, & ſic detentus, aut etiam repreſaliarum cauſa captus fuit, ac detinetur, firmat Monet. p. 2 q. 5. num 56 cum ſeqq.

Quintus caſus. Beneficiarius abſens ab Officiis Diuinis propter aliquam neceſſitatem, vel cauſam euidenter vtilem ipſi Eccleſiæ, quòd ex conſuetudine percipiat quotidianas diſtributiones, teſtantur Couar lib. 3 Vari. cap. 3. num 8. verſ. Octàuò. Pariſ Conſil. 32. à num 18 vol. 4 Duenh. Reg. 206. verſ. Limita ſexto, Hoied de Benefic. p. 1 cap. 17. num. 19. & p. 2. cap. 10. nu. 16. Læli Zechi. de Rep. Eccleſ. cap. 24 num 6. verſ Quando, Nauar. Conſ 10. à num. 4. ſub tit de Clericis non reſid. Guttier. Canon. lib. 1. cap. 1. num. 144. Monet p. 2. q. 11. à num. 11. & à num. 36. 46.

Sextus caſus. Inquiſitores hæreticæ prauitatis habentur in omnibus ſuis beneficiis, dignitatibus, & præbendis pro præſentibus, & reſidentibus, & percipiunt integros fructus ſuarum præbendarum, ſimul cum diſtributionibus quotidianis ex priuilegio ſpeciali fauore Fidei eis conceſſo à Paulo III. & Pio V. Pontificibus Maximis, referunt Roi. de priuileg. Inquiſit. num. 420. & ſing. 69 Spin. in Speculo teſtam. Gloſſ. 3. princip. num. 78. vbi dicit quòd hoc priuilegium non ſolùm competit Inquiſitoribus habentibus beneficia ſimplicia, aut dignitates, ſed etiam habentibus beneficia curata, cuius contrarium verius eſſe reſoluit Ceuall. Communium contra Commun. quæſt. 585. num. 12.

Septimus caſus Excommunicatus Clericus pro cauſa Eccleſiæ, & defenſione ſuorum iurium lucratur (etſi Diuinis non interſit) fructus, & diſtributiones beneficij, firmat Guttier Canon. lib. 1. cap 1 n. 42. & 147. inferens nu. 150. eas pari ratione lucrari Prouiſores, &

Officiales generales à Capitulo Sede Epiſcopali vacante deputatos, ſi excommunicentur ob cauſam officij, cuius eſt iuriſdictio, quam exercent. Quod iniquè excommunicatus diſtributiones quotidianas exigere poteſt, cum eo tempore, quo excommunicatio iniuſta in eum lata fuit, præſens erat in loco beneficij ſui, erátque ſolitus Diuinis Officiis ante impedimentum excommunicationis adeſſe docent Couar. lib. 3. Variar. cap. 13. num. 8 verſ. Cæterùm, Pet. Nauar. lib. 2. de Reſtitut. cap. 2. num. 238. Fr. Emman. d. cap. 33. num 6 Perez. lib. 1. verſ. Aduertendum tamen eſt pag 175 tit. 5 lib. 8. Ordin. Surd. de Aliment. tit. 1. quæſt. 82. num. 15. verſ. Aliàs ſecus, Gutier d. cap. 1. num. 137. Monet. p. 2. quæſt, 15. à num. 32 Pat. Henriq. lib. 13 cap. 13. num. 4. in fine, Sayr. de Cenſur. lib 2. cap. 3. num 27. Quòd iniuſtè etiam ſuſpenſus, ſiue ab officio, ſiue à beneficio, recuperat diſtributiones quotidinas, reſoluit Monet. p. 2. qu. 15 num. 42 Quòd etiam iniuſtè, & abſque cauſa legitima in carcerem incluſus, & detentus; etiam ſemota quacunque conſuetudine in contrarium, percipere debeat diſtributiones quotidianas, teſtantur Couar. d. cap. 13 num. 8. verſ. Vndecimò, Nauar. conſ. 9. à princip. ſub. tit. de Clericis non reſid. Læli. Zech. de Repub. Eccleſiaſti cap. 24. num. 6. verſ. Sextò debentur, Ceuall. Commun contra commun. quæſt. 585. num. 15. Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Diſtributiones, §. 8. debentur, Monet. p. 2. q. 5. num. 80. Quòd interdicta Eccleſia, vel poluta, beneficiatus, qui conſueuerat in ea reſidere, & non dedit cauſam interdicto, conſequatur diſtributiones quotidianas, affirmant Scrutin. Sacerd p. 1. tract. 12. de interdicto. pag. 290. in fine, Monet. p. 2. q. 16. num 29. Quòd etiam iniuſtè, vel nulliter interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ recuperare debeat quotidianas diſtributiones conſtito de iniuſtitia, vel nullitate, reſoluit Monet. part. 2 quæſt. 15. à numer. 46. & part. 3. quæſt. 6. numer. 46.

*ααα* Octauus caſus. Auditores Rotæ Romanæ conſequuntur fructus & diſtributiones ſuarum præbendarum in abſentia, ac ſi actualiter reſiderent, ex Bulla Clem. VII. incipi. Conuenit, tradit Læli. Zechi de Repub. Eccleſiaſt. p. 11. num. 2.

*βββ* Nonus caſus Collector generalis Cameræ Apoſt. Subcollectores, Aduocati Procuratores Fiſcales, & Notarij in cauſis ſpoliorum, & iurium præfatæ Cameræ, eorum officio durante, lucrantur diſtributiones quotidianas in abſentia ex Bulla Sixti V. data Romæ in monte Quirinali ſub annulo Piſcatoris die octauo Maij 1590. ſui Pontificatus anno ſexto.

*γγγ* Decimus caſus. Canonicus, vel Archidiaconus viſitans Eccleſiam, iura, vel redditus ſuæ præbendæ, percipit diſtributiones quotidianas, cum viſitando prædicta iura, & loca ſeruiat Eccleſiæ in re vtili, tradit Monet. part. 2. quæſt. 11. num. 63.

*δδδ* Vn-

fff Vndecimus caſus. Beneficiati, qui adſunt Concilio generali, lucrantur diſtributiones quotidianas, reſoluunt Rebuff. in praxi p. 3.tit.de Diſpenſ. de non reſid. nu.34. Salzed ad Bernard.c.52.lit.C. verſ.Quartus caſus.

sss Duodecimus caſus. Qui tanquam Theologus, vel Canoniſta Concilio intereſt nomine ſui Capituli ab eo miſſus, lucratur diſtributiones quotidianas, tenet Monet.p.2.qu.11.num.91.

fff Tertiusdecimus caſus. Examinatores beneficiorum à Synodo Diœceſana electi, ſi cauſa examinis abſunt à choro, lucrantur diſtributiones quotidianas, decidiſſe ſacram Cardin.congreg.refert Læli. Zechi de Repub. Eccleſiaſt. tit.de Beneficiatis, num.13 ad finem, contrarium tamen reſoluit Monet.p.2.qu.11.num.61.

*Quæ ſtatuta, & conſuetudines, circa percipiandas quotidianas diſtributiones in abſentia apud Doctores valere reperiantur.*

vvv VAlere ſtatutum, vel conſuetudinem, qua cautur ſeruitium quadraginta annorum Eccleſiæ præſtitum liberare Beneficiatum à reſidentia, lucraríque diſtributiones quotidianas in abſentia quamuis ipſe non interſit diuinis, reſoluunt Cened. p.3. collect. 15. in fine, Monet.p.2.qu.7. num.21.& qu.12 num.61.& qu.13.nu. 41. vbi teſtatur ſacram Cardin. congregat. in hæc verba decidiſſe: Licèt ſtatuta ſint ſublata, per quæ abſentibus dantur diſtributiones, nihilominus Gregor.XIII. ſenibus, & benemeritis miſertus mandauit ſtatutum Compoſtellanum tolerari, per quod debentur diſtributiones non ſeruientibus, qui per quadraginta annos iam ſeruierunt, dubius pertranſit Stephan. Gratian diſcept.forenſ. c.298 n.19.

ggg Valere etiam conſuetudinem, vt quis in abſentia percipiat diſtributiones quotidianas, quando huiuſmodi conſuetudo inducta eſſet ſciente, & patiente, vel tolerante Papa, affirmant Cou. lib. 3. Vari.c.13.nu.5 in fin. Duenh. Reg. 206.verſ. Limita quintò, Hoied. d.cap 17.num.13.Monet.d.p.2.qu 12.à.nu.45.

uu Validam eſſe conſuetudinem, vt diſtributiones quotidianæ diuidantur inter eos, qui interſunt Officio Diuino certis horis, licet non interſint omnibus, affirmant Duenh. d.reg. 106 verſ. Limita 2. Hoied.p.1.cap.17.num.11. Monet. p.2. quæſt.12.num.41.verſ. Limitatur.

Validam etiam eſſe conſuetudinem, vel conſtitutionem, qua cauetur, quòd Clerici recedentes à choro, dum diuinum Officium canitur, lucrantur diſtributiones, ſi id fieri contingat ob celebrandam Miſſam, vel Sacramentalem confeſſionem, reſoluit Monet. p. 2.qu. 11 à num 48.verſ. Infertur, & à num.52. cum ſeqq.

nnn *Statis horis.* ] Sacra Cardin.congreg.cenſuit, intelligi ſtatas horas, id eſt, omnes horas, quibus Diuina celebrantur, refert Garc. d.

cap. 2. num. 488. Et Canonicos non poſſe iuuari aliqua conſuetudine, quin teneantur omnibus ſeptem horis inſeruire, reſoluit Theodoſ. Rubeus inter diſceptationes forenſes Stephan. Gratian. cap. 298 num 20. vbi num. 2 . . aſſerit celebrantes tempore recitationis horarum, in capellis, in quibus tenentur Miſſas celebrare, vel deuotionis gratia, non debent percipere diſtributiones illius horæ, etſi permiſſu ſuperioris id facerent. Et numer. 2 dicit quòd à præſentia in choro excuſatur ille, qui exercet curam animarum imminentem Cathedrali, dum tamen eſt in actu adminiſtrandi ſacramenta.

λλλ *In vſum reuocat.*] Vide Nauar. conſ. 8. de Clericis non reſid. P. Azor. inſt. Moral. p. 2 lib. 7. cap. 7. col. 831.

μμμ *Omnes verò Diuina per ſe, & non per ſubſtitutos, &c.*] Sacra Cardinalium congreg. ita cenſuit: Si factum eſt aliquod ſtatutum, quòd Canonici poſſint inſeruire per ſubſtitutos, vel alternatim vnus pro alio, non habeatur eius ratio, quia eſt contra Concilium, refert Zerol in praxi Epiſcop. par. 2. verbo Canonicus, §. 5. Garc. d. cap. 2. num. 498.

ννν Sacra Card. congreg. ita cenſuit: Canonici cogendi ſunt ad perſonaliter canendum Miſſam illis diebus, quibus ex inſtitutis, & legitima conſuetudine illius Eccleſiæ debent, &c. Refert Nicol. Garcia de Beneficiis p. 3. cap. 2. num 495.

ξξξ Obtinentes dignitates, Canonicatus, vel portiones in Eccleſiis, præſertim Cathedralibus, cuiuſcúmque qualitatis ſint, Epiſcopo ſolemniter celebranti, aut Pontificalia exercenti aſſiſtere, ac veſtibus ſacris indutos eidem inſeruire, necnon munera eiſdem dignitatibus, Canonicatibus, & portionibus in decantatione Miſſæ, Euangelij, Epiſtolæ, & ſimilium functione, præſtatione, incumbentia, & annexa per ſeipſos ſubire, & exercere iuxta Sacrorum Canonum & Concilij Trident. diſpoſitionem, ac cuiuſque Eccleſiæ particularem ordinationem certum eſſe reſpondit ſacrorum rituum Congregatio: quòd ſi quando aliquis legitimo impedimento detentus, ea per ſeipſum adimplere non poterit, tunc alios, eiuſdem tamen Ordinis & gradus, non autem inferioris, dignitates, nempè alias dignitates Canonici Canonicos, & portionarij reſpectiuè portionarios in ſua quiſque hebdomada, ne graduum, & ordinum prærogatiua confundatur, deputare debebit: idque per Epiſcopum opportunis remediis, etiam huius Decreti vigore prouidendum fore cenſuit eadem congreg. ſupplicante Capitulo, & aliis Eccleſiæ Abulenſis portionariis refert. Garc. d. c. 2 num. 496.

ooo Sacra Cardin. Congreg. ita cenſuit: Item Epiſcopus non poteſt compellere obtinentem capellaniam, vt ipſemet celebret, licèt in eius fundatione diſponatur, quòd capellani celebrent; nam iſtis oneribus Miſſarum rectè per ſubſtitutum ſatisfit, refert Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 5. num. 84.

ππ *At-*

ww *Atque in choro ad pſallendum.* ] Canonicos ex ſua inſtitutione, & iure communi, teneri canere in choro ſub peccato mortali, ſi in hoc eſſent notabiliter negligentes, reſoluunt Nauar de Orat. cap. 10. num. 47 & cap. 11. ad finem, & cap. 13. num. 17. & Miſcel. 79. P. Nauarr. de Reſtit. lib. 2. cap. 2. à nu. 219. Sandou. de Officio Diuino p. 6. cap. 16. Zechi de Republ. Eccleſiaſt. cap. 24. de Canonicis ſub nu. 6. Ludou. Bei. p. 1. Reſponſ. caſuum conſcient. caſu 55. Arag. 2. 2. q 83. art. 12. Iacob de Graſſis aurear. deciſ. lib. 2. cap. 51. num 12. & cap. 52. num. 22 & cap 53 num. 4. & 5. P. Ledeſm in ſum. par. 2. tract. 9. cap. 4. concl. 1. diffic. 1. P. Azor. inſt. Moral. par. 1. lib 10. cap. 11. q. 5. & 7. P Soar. de Relig. tract. 4. lib. 4 cap. 12. cum ſeqq. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 18. à num. 175. vbi num. 176. reſoluit Canonicos, & cæteros Beneficiarios ad recitationem horarum Canonicarum in choro adſtrictos debere ibi eas recitare, nec à peccato excuſari, ſcilicet veniali, ſi eas domi recitent, niſi iuſtam habeant cauſam abſentiæ; mortale tamen committere, ſi per contemptum, aut contra Prælati particulare præceptum, fieret talis abſentia, & Fr. Emman. in ſum. tom. 1. cap. 145. nu 5. aſſerit, Canonicos domi recitantes, & aſſiſtentes in choro non recitando, nec cantando teneri reſtituere diſtributiones quaſi totas, ſiue etiam teneri, qui de ordinario, & frequenter confabulantur in choro, teſtatur Ludou. Lopez in Inſtructorio conſcient. tom. 1. cap. 246. quem ſequitur Veg. in Summa p. 1. cap. 128. caſu 10.

## CAPVT XIII.

*Cathedrales tenues ſummus Pontifex vnit, aut acceſſione ex fructibus auget. Interea certo modo prouideatur Epiſcopo. Parochiales ſed tenues Eccleſiæ ſunt augendæ, &c. Penſionibus beneficia tenuia grauari minimè conuenit. Suas Parochias ſingulas ſinguli Parochiani frequentent.*

QVoniam [a] pleræque Cathedrales Eccleſiæ tam tenuis redditus ſunt, & anguſtæ, vt Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant; examinet Cócilium prouinciale, vocatis iis quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatémque inuicem vnire, vel nouis prouentibus augere expediat; [b] cóſectáque de præmiſſis inſtrumenta ad ſummum Romanum Pontif. mittat; quibus inſtructus ſummus Pontifex ex prudentia ſua, prout expe-

[a] *Sup. ſeſſ. 7. de ref. c. 6. & 7. & ſeſſ. 14. de ref. c. 9. & infr. c. 15.*

[b] *c. vnio. 10. q. 3. cap. & temporis cum ſeq. 10 q. 1.*

expedire iudicauerit, aut tenues inuicem vniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat. Interim verò, donec prædicta effectum ſortiantur, huiuſmodi Epiſcopis, qui fructuum ſubuentione pro Diœceſis ſuæ tenuitate indigent; poterit de beneficiis aliquibus, 1 *dum tamen curata non ſint*, nec dignitates, 2 *ſeu Canonicatus, & præbendæ*, nec Monaſteria, in quibus viget Regularis obſeruantia, vel quæ Capitulis generalibus, & certis Viſitatoribus ſubduntur, à ſummo Romano Pontifice prouideri. α *In Parochialibus etiam Eccleſiis*, quarum fructus æquè adeò exigui ſunt, vt debitis nequeant oneribus ſatisfacere; curabit Epiſcopus, ſi per beneficiorum vnionem, non tamen regularium, id fieri non poſſit, vt primitiarum, vel decimarum aſſignatio, aut per Parochianorum ſymbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat. β *In vnionibus verò quibuſlibet*, ſeu ex ſupradictis, ſeu aliis cauſis faciẽdis, Eccleſiæ Parochiales γ *Monaſteriis* quibuſcúmque, aut Abbatiis, ſeu dignitatibus, ſiue præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſiue aliis beneficiis ſimplicibus, aut hoſpitalibus, militiiſve non vniantur: & quæ vnitæ ſunt, [a] 3 *reuideantur ab Ordinariis*, iuxta aliàs decretum in [b] eadem Synodo ſub fel. rece. Paulo III. quod etiam in vnitis ab eo tempore citra æquè obſeruetur: non obſtantibus in iis quibuſcumque verborum formis, quæ hic pro ſufficienter expreſſis habeantur. δ *Ad hæc in poſterum, omnes hæ Cathedrales* Eccleſiæ, quarum redditus ſummam ducatorum mille, & Parochiales, quæ ſummam ε ζ *ducatorum centum*, ſecundum verum annuum valorem non excedunt, 4 *nullis penſionibus, aut reſeruationibus fructuum grauentur.* In iis quoque ciuitatibus, ac locis, vbi Parochiales Eccleſiæ 5 *certos non habent fines*, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, ſed promiſcuè petentibus Sacramenta adminiſtrant; mandat ſancta Synodus Epiſcopis, pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, vt, diſtincto populo in certas, propriáſque Parochias, vnicuique

ſuum

a *Seſſ. 7. c. 6.*

b *Sup. Seſſ. 7. de ref. c. 6.*

ſuum perpetuum,[a] peculiarémque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant; aut alio vtiliori modo, provt loci qualitas exegerit, prouideant. Idémque in iis ciuitatibus, ac locis, vbi nullæ ſunt Parochiales, quamprimùm fieri curent: non obſtantibus quibuſcúmque priuilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

*a c. 1. 13. q. 1. c. plures, 16. q. 1. c. 1. de Paroch. & infr. ſeſſ. 14. de reform. ca. 9.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Dum tamen curata non ſint.*] Parochialis non debet vniri Cathedrali.

2 *Seu Canonicatus & præbenda.*] Collegiatæ non debent vniri Cathedrali ſine auctoritate Papæ, qui id quandóque efficere poteſt, ſed cum cauſſæ cognitione particulari ſeu ſpeciali.

Si duæ Parochiales per conſuetudinem (quæ per 40. annos viguerit) ſemper tanquam vnitæ, vni ſemper collatæ ſine diſpenſatione fuerint, eorum poſſeſſor non eſt moleſtandus.

Plebania non poteſt vniri Præpoſituræ, Romæ 27. Septembris 1574.

Si Parochialis non eſt vnita Canonicatui ab initio, ſed ex poſt facto, non comprehenditur in Concil. Trid. Decreto de Parochialibus loquente.

3 *Reuideantur ab Ordinariis.*] Epiſcopi ex hoc Decreto poſſunt reuidere vniones factas per biennium ante Concilium in forma gratioſa cum clauſula, *de non immittendo ad partes, vocatis vocandis, &c.* provt fuit declaratum, die 19. Iunij 1586. ex cap. 6. Seſſ. 7.

4 *Nullis penſionibus aut reſeruationibus fructuum grauentur.*] In reſignatione Parochialium in Luſitania ſalua manet penſio reſignantibus.

Petente Epiſcopo Anconitano vt Canonici Cathedrales non maneant in Parochiis, ne deſeratur ibi cultus Cathedralis, ita vt valeant reſignare Parochias retentis 30. vel 40 ſcutis, viſum eſt concedendum, modo addatur clauſula: *Petente Epiſcopo, & ſeruatis ſeruandis.*

Doctori Fulginati obtinenti Prioratum cum cura animarum, & Parochialium, permiſſum eſt reſignare Parochialem, penſione arbitrio Epiſcopi reſeruata.

De Parochia 125. aureorum Epiſcopo Amadenſi, in cuius reſignatione vult relinquere 30. titulari, viſum eſt concedendum.

Poſtulatum Brixiani presbyteri, vt ſibi liceret alteri Parochiam tradere in Vicariatum perpetuum, reiectum eſt.

Pro mercede Capellani ſufficiunt 50. aurei, attentis tamen rerum circumſtantiis merces Vicariis perpetuis aſſignari debet, nec maior

centum,

centum, nec minor quinquaginta aureorum ſumma, niſi Vicariis temporaneis ſolitum fuiſſet plus aſſignari. Pius V. in Bulla incipiente. *Ad exequendum*, publicata Kal. Febr. 1567.

Congregatio Concil. Trid. Interpretum cenſuit, valorem centum ducatorum (de quibus hoc Decreto ſtatuitur vt debeant remanere Rectori Parochialis Eccleſiæ quæ penſione grauatur) eſſe intelligendum iuxta morem cuiuſque regionis.

ς *Certos non habent fines.* ] Quæ Parochiæ certos fines non habent, illæ per certum populum & certas familias ita diſtinguantur, vt Sacramenta non promiſcuè adminiſtrentur.

Epiſcopus poteſt curam animarum toti Capitulo Cathedralis Eccleſiæ incumbentem transferre, per vim vnionis perpetuæ, in perſonam ſeu Dignitatem eiuſdem Eccleſiæ. Ita Congregatio menſe Octobri 1586.

---

## REMISSIONES.

α IN *Parochialibus etiam Eccleſiis, &c.* ] Vide Guttier pract. lib 1. qu. 17. nu. 3. cum ſeqq. Mandoſ. reg. 21 de Vnionib. q. 5. nu 3. ad finem, Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 2. nu. 20. & gl. 5. §. 7. nu. 61. & 62.

β *In vnionibus verò quibuſlibet, &c.* ] Sacra Cardin. Congregat. ita cenſuit: Parochiæ, quæ certos fines non habent, ſed certum tantùm populum, & per certas familias diſtinguuntur, vſque adeò, vt Sacramenta promiſcuè non adminiſtrentur, hoc Concilij Decreto vtique non comprehenduntur, refert Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 6. num. 96.

γ *Monaſteriis.* ] Saluari, & excipi vniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conſeruatione Collegiorum & aliorum piorum locorum ad fidei Catholicæ defenſionem, & propagationem, bonarúmque artium cultum, reſoluit Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 5. §. 7. nu. 46.

δ *Ad hæc impoſterum omnes hæ Cathedrales Eccleſiæ, &c.* ] Vide Flam. de Reſignat. li 6 qu. 2. nu. 21. cum ſeqq. & n. 34. P. Azor Inſtit. Moral. par. 2. lib. 7. cap. 21. col. 886. & vide ad quid Flores Vari. lib. 3. qu. 23. num. 38

ε *Ducatorum centum.* ] Iuxta valorem ducatorum loci, in quo eſt beneficium, affirmant ſacram Card. Congreg. cenſuiſſe Læli Zechi. de Republ. Eccleſiaſt. c 28. n. 4. pag. 323. Marc. deciſ. 41. Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ. p. 4. collect. 745. in fine.

ζ Quod ad probationem valoris attenditur tempus quinque annorum antè, & quinque pòſt, reſoluunt Sarnenſ. deciſ. 23 Seraphin. deciſ. 1340. Et quòd huiuſmodi valor beneficij probandus eſt de tempore prouiſionis, & non ſufficit probare de antiquo tempore, aſſerunt Statil. Pacific. deciſ. 35. Verall. deciſ. 330. part. 3. Et non ſuffi-

ſufficere probationem per famam, aſſerit Farin. deciſ. 39. Et probationem debere eſſe concludentem, quòd ſcilicet remanſerunt centum liberi pro Parocho, reſoluit Rot. diuerſ. deciſ. 280. & deciſ. 268. lib. 1.

## CAPVT XIV.

*In nulla prouiſione ſeu admiſſione ad poſſeſſionem cuiuſcumque beneficij aut diſtributionum, fiant vllæ fructuum deductiones conuertibiles in vſus non pios: conſuetudinibus laudabilibus exceptis, & per Epiſcopum probatis: cuius eſt cognoſcere de ſtatutis, conſtitutionibus, &c. contrariis.*

α IN pluribus Eccleſiis, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, & Parochialibus, ex earum cōſtitutionibus, aut ex praua conſuetudine obſeruari intelligitur, 1 *vt in electione, præſentatione*, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia prouiſione, 2 *ſiue admiſſione* ad poſſeſſionem alicuius Cathedralis Eccleſiæ, vel beneficij, Canonicatuum, aut præbendarum, vel partem prouentuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, 3 *ſeu deductiones ex fructibus*, 4 *ſolutiones*, promiſſiones, compenſationéſve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur: hæc cum ſancta Synodus deteſtetur, β γ *mandat Epiſcopis*, vt, quæcúmque huiuſmodi in vſus pios non conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant; ipſiq́ue diligenter de eorum conſtitutionibus, ſiue conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantùm, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas, vt prauas, ac ſcandaloſas, reiiciant, & aboleant. Eos verò, qui aduerſus hæc, in præſenti decreto comprehenſa, quauis ratione commiſerint; pœnis, a contra ſimoniacos editis, ſacris Canonibus, & variis ſummorum Pontificū conſtitutionibus, quas omnes innouat, teneri decernit:

a *1. q. 1. ferè per totam, Conc. Tolet. 8. can. 3. c. cū ſemper, de cōfeſſ. toto ferè tit. de ſimon. extra.*

nit, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, conſtitutionibus, conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis: de quarum ſurreptione, obreptione, & intentionis defectu Epiſcopus, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, cognoſcere poſſit.

## DECLARATIONES,

1 *Vt in electione, præſentatione.* ] Epiſcopus etiam cum conſenſu Capituli ſtatuere non poteſt, vt aliquid minimum ſoluatur in ingreſſu Canonicorum, hoc enim eſt prohibitum per Bullam Pij V.

2 *Siue admiſſione ad poſſeſſionem.* ] Epiſcopus, vbi alias vigebat conſuetudo, vt quiuis Canonicus pro introitu ad poſſeſſionem amitteret omnes fructus ſuæ præbendæ per triennium, non poteſt cum conſenſu Capituli & Canonicorum ſtatuere, vt quilibet Canonicus prouiſus à Papa in capienda poſſeſſione vice ſupradictorum fructuum ſoluat eidem fabricæ, ſeu ſacriſtiæ ſcuta quinque: prouiſus verò ab Ordinario ſcuta decem.

Valet conſtitutio facta per Epiſcopum & Capitulum poſt Concilium Tridentinum ad ſoluendam certam quantitatem ratione nouæ poſſeſſionis Epiſcopatus, canonicatuum & dignitatum, integrè cedat in fabricam: nihil autem ex pecunia notariis, curſoribus, campanariis, aliiſve Eccleſiæ miniſtris, quibus alias conſtituta ſunt ſalaria, attribuendum.

Pro admiſſione in poſſeſſionem Præpoſituræ non poteſt Capitulum collegiatum quicquam exigere ab eo, cuius nomine adepta fuit poſſeſſio, niſi ex aliqua lege vel conſuetudine id in aliquos pios vſus erogandum eſſet, & ſi quid ab illó exactum eſſet debet eidem ab eodem Capitulo reſtitui.

3 *Deductiones ex fructibus.* ] Per hoc Decretum prohibentur capi illi fructus primi anni, qui aliquibus in locis ſoluebantur de omnibus beneficiis diœceſanis. Itaque Epiſcopus non poteſt primi anni fructus alicuius beneficij ſibi retinere vel attribuere pro datione poſſeſſionis, de qua legitimè ab eo prouiſus eſt.

4 *Solutiones.* ] Dulciora multa ſeu banqueta intelliguntur eſſe de genere prohibitorum à Concil. Tridentino hoc cap. ab aliquo Capitulo exigendorum, pro admiſſione in poſſeſſionem alicuius noui Canonici beneficij. Antiſtes autem in receptione alicuius in Canonicum dulciora aut ſimilia exigens, tamdiu à Pōtificalis officij exercitio maneat ſuſpenſus, donec ſatisfactione præuia per Sedem Apoſtolicam illi ſuſpenſio relaxetur. Capitula verò & Collegiata quæcumque, Eccleſiæ ſubiacent interdicto, & ſingulares perſonæ excommunicationis incurrunt ſententiam Pontifici reſeruatam, ſolo

mortis

mortis articulo excepto. Propterea Iuramenta de dulciaribus præſtanda ſunt irrita, necnon ipſi iurantes in excommunicationem iam dictam incidunt. Pius V. ſic ſtatuit in Bulla, quæ incipit, *Durum nimis publicata die Kalend. Iunij*, 1570 Neque verò cuiuſuis prætextu ſtatuti etiam ex vrgenti cauſſa facti pro bono Eccleſiæ, poteſt cogi nouus Canonicus aliquid ſoluere pro debitis antiquis Eccleſię ſuæ etiam contractis pro reparatione & melioratione bonorum, & hoc, attenta Bulla Pij V. & declaratione huius Decreti.

Conſuetudinem Eccleſiæ Melphitenſis auctoritate Apoſtolica Leonis X. confirmatam, ſcil. vt presbyteri & Canonici ad participationem maſſæ communis ipſius Eccleſiæ non admittantur, niſi prius in Acolytatu, Subdiaconatu, & Diaconatu, videlicet in quolibet ex dictis ordinibus per triennium, & in ſacerdotio per annum dictæ Eccleſiæ inſeruierint; Congregatio reſpōdit ſublatam non eſſe per Concilium hic, aut per Bullam Pij V. ſuper hac eadem re editam. Comprehenduntur autem ſtatuta Eccleſiarum deſeruiendi per annum vel aliud tempus, & nihil percipiendi interim de maſſa groſſa, niſi peracto integro dicto ſeruitio.

Comprehenditur etiam hoc decreto, quicquid ſoluitur pro miſſis nouis decantandis in Eccleſiis receptiuis, vt quis admittatur ad portionem ſacerdotalem, etſi tales ſolutiones cederent in pios vſus. non enim ſunt beneficia ſed potius ſpectant ad auaritiam, vt Seſſ. 22. cap. de obſeruandis & euitandis in celebratione miſſarum, ſatis declaratum eſt.

## REMISSIONES.

α Vide Guttier. Canon. qu. lib. 1. c. 29. num. 27. cum multis ſequentibus.

β *Mandat Epiſcopis, &c.* ] Vide Nauar. in tract. de Oration. cap. 7. nu. 30. & in Miſcel. de Pſalter. & Roſario. Miſcel. 6. n. 3. & conſ. 7. de Simonia in 2. edit. Gregor. ad l. 15. verbo. *Por premio*, tit. 17. par. 1. Fr. Emman. in addit. ad Bullam Cruciatæ fol. 213. Ĉened. ad Decretal. collect. 16. num. 1. vbi etiam reſoluit valere conſuetudinem, vt Canonicus de nouo receptus ſoluat certam pecuniam operi pio, vel pro cappa.

γ Sacra Cardinalium congregatio ita cenſuit: Dulciaria multa intelliguntur eſſe de genere prohibitorum à Concil. Trident. cap. 14. ſeſſ. 24. ab aliquo Capitul. exigendorum pro admiſſione in poſſeſſionem alicuius noui Canonicatus, refert Zerol. in praxi Epiſcop. par. 2. verbo Poſſeſſio beneficij, §. 5. in fine.

## CAPVT XV.

*In Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum inſignium præbendis multis ſed tenuibus & inſufficientibus hæc ſit ratio, vt ipſæ præbendæ vnitione quorundam aliorum beneficiorum creſcant, aut patronorum conſenſu præbendarum quarundam fiat tanta ſuppreſſio, quæ non officiat celebrando cultui diuino, non obſtantibus &c.*

a Supr. c. 13.

α IN Eccleſiis Cathedralibus, & a Collegiatis inſignibus, vbi frequentes, 1 *adeoque tenues ſunt præbendæ ſimul* cum diſtributionibus quotidianis, 2 *vt ſuſtinendo decenti Canonicorum* gradui pro loci, & perſonarum qualitate non ſufficiant; 3 β *liceat Epiſcopis* γ *cum conſenſu Capituli*, vel 4 *aliquot ſimplicia beneficia*, non tamen regularia, δ *ijs vnire*; vel, ſi hac ratione prouideri non poſſit, 5 *aliquibus ex ijs ſuppreſſis*, cum patronorum conſenſu, ſi de iurepatronatus laicorum ſint, quarum fructus & prouentus reliquarum præbendarum diſtributionibus quotidianis applicentur, ε *eos ad pauciorem numerum reducere*; ita tamen, vt tot ſuperſint, quæ diuino cultui celebrando, ac dignitati eccleſiæ commodè valeant reſpondere: non obſtantibus quibuſcumq; conſtitutionibus, priuilegiis, aut quacunque reſeruatione generali, vel ſpeciali, 6 *aut affectione*: 7 *neq; prædictæ vniones*, aut ſuppreſſiones tolli, ſeu impediri poſſint ex quibuſcunque prouiſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſuis aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus.

## DECLARATIONES.

1 *Adeoq; tenues ſunt præbendæ.* ] Per hoc Decretum non licet Epiſcopo vnire beneficia Capellaniis etiam Cathedralibus, eo quod habeant tenues reditus, cùm hoc decretum loquatur ſolùm de præbendis. Item neque ſacriſtiæ aut fabricæ vniones fieri poſſunt.

2 *Suſtinendo decenti Canonicorum gradui.* ] Non licet Abbati exempto Collegiatæ ſecularis habenti Iuriſdictionem ordinariã & quaſi Epiſcopalem in ſua Eccleſia, vbi præbendæ ſimul cum diſtributionibus

ribus quotidianis adeo tenues ſunt, vt pro ſuſtinendo decenti Canonicorum gradu loci & perſonarum qualitate non ſufficiant, cum conſenſu Capituli aliquibus ex iis ſuppreſſis, & eorum fructibus & prouentibus aliquarum præbendarum diſtributionibus applicatis, eas ad pauciorem numerum reducere.

3 *Liceat Epiſcopis.*] Epiſcopus ergo poteſt, ſed non tenetur, vnde Metropolitanus non poteſt id ſupplere.

4 *Aliquot ſimplicia beneficia.*] Congregatio cenſuit non comprehendi Dignitates.

5 *Aliquibus ex ijs ſuppreſſis.*] Ob tenuitatem præbendarum Epiſcopus aliquas earum ſupprimere poteſt cum conſenſu Capituli Atqui Prælatus Collegiatæ Eccleſiæ hanc tenuium præbendarum ſuppreſſionem facere non poteſt, licet ſit exemptus, & Eccleſia ſit inſignis: etenim hoc ſolis Epiſcopis Concilium conceſſis, & quidem cum conſenſu ſuorum Capitulorum, *Supr. hoc cap. §. Suſtinendo.*

6 *Aut affectione.*] Idem ſeruandum hic, quod ſanctæ mem. Pius V. & S.D.N. Gregor XIII. decreuerunt in vnionibus factis ſeu faciendis ſeminariis, vid. quòd vniones de beneficiis reſeruatis validæ ſint, ſi modò factæ fuerint ante ipſorum vacationem: quod ſi poſt vacationem fieri reperiantur, nullæ ſint, & prouiſi à Sede Apoſtol. mitti debent in poſſeſſionem dictorum bonorum.

7 *Neq; prædictæ vniones.*] Vniri poſſunt ſimplicia beneficia viuentium propter tenuitatem præbendarum ſine tamen præiudicio ea obtinentium, ſeruata forma huius Decreti: ſed ſi beneficia viuentium contingat reſignari, & reſignationem per Sedem Apoſtolicam admitti, vnio pro illa vice ſuſpenditur.

---

## REMISSIONES.

α Vide Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Vnio, §. 7. verſ. Secundò Stephan. Grat. diſceptat. forenſ. c. 278. num. 34.

β *Liceat Epiſcopis.*] An etiam Vicarius? Negant, cùm vnire ſit alienare, & habeatur pro re graui, & reſeruata, Rebuff. in praxi benefic. tit. de forma Vic. Archiepiſ. & aliorum collat. p. 1. nu. 101. & in tit. de Vnione benefi. num. 37. Sbrozzi. de Officio Vicar. li. 2. q. 115. Steph. Grat. d. c. 278. num. 35.

γ *Cum conſenſu Capituli.*] Quòd hic conſenſus poteſt poſt vnionem interuenire, tenet Steph. Grat. d. c. 278. n. 30. vbi etiam reſoluit, nullitatem vnionis ob defectum conſenſus Capituli à nullo poſſe opponi, cùm hæc exceptio illi ſoli concedatur.

δ *Iis vnire.*] Vt ſingulis præbendis ſingula beneficia vniantur, non omnibus ſimul indiſtinctè vnum, aut plura, reſoluunt Stephan. Gratian. diſceptat. forenſ. cap. 274. numer. 34. in fine, Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. gloſſ. 37. numer. 25. vbi etiam refert Concilium in

prę́ſenti nōn concedere facultatem vniendi menſæ capitulari,ſed tenuibus præbendis ſingulorum Capitularium, quod etiam affirmat Aloyſ.Ricci.in colle͡ct.deciſ p.4.colle͡ct.1067.in fine.

t *Eos ad pauciorem numerum reducere.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſc. par.1. verbo Beneficia, §.1. verſ.Vndecimò, ibi,ad dignitates, & ibi, quintò.

## CAPVT XVI.

### *De Conſtitutione Vicarij, & Oeconomi ſede vacante ad Capitulum pertinente.*

*a Concil. Chalced.act.16.c.25. in fi.Concil.Vormatien.c.76.*

1 α CApitulum,[a] *Sede vacante*,vbi fru͡ctuum percipiendorum ei munus incumbit,Oeconomum vnum, vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum eccleſiaſticarum, & prouentuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, ſint redditúri. 2 β *Item Officialem*,ſeu Vicarium infra o͡cto dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere,vel exiſtentem confirmare omninò teneatur,qui 3 γδ &c.*ſaltem in iure Canonico ſit* Do͡ctor, vel Licentiatus,vel aliàs, quantum fieri poterit, idoneus: ſi ſecus fa͡ctum fuerit,[b] ad Metropolitanum deputatio huiuſmodi deuoluatur. Et, ſi eccleſia ipſa Metropolitana fuerit,aut exempta, Capitulúmque vt præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Epiſcopus ex Suffraganeis in Metropolitana;& propinquior Epiſcop. in exempta Oeconomum,& Vicarium idoneos poſſit conſtituere. Epiſcopus verò ad eandem eccleſiam vacantem promotus ex iis,quæ ad eum ſpe͡ctant,ab eiſdem Oeconomo,Vicario, & aliis quibuſcumque officialibus, & adminiſtratoribus,4 *qui,Sede vacante*, fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in eius locum conſtítuti,etiam ſi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, iuriſdi͡ctionis, adminiſtrationis, aut cuiuſcumque eorum muneris; poſſitque eos punire,qui in eorum officio, ſeu adminiſtratione deliquerint:etiam ſi prædi͡cti officiales,redditis rationibus,à Capitulo, vel à deputatis ab eodem, abſolutionē, aut liberationem obtinuerint. Eidem quoq; Epiſcopo te-

*b c.non liceat alicui,12 q.2.& c.fin. de ſuppl. negl.pral.in.6.*

po te-

po teneatur Capitulum de ſcripturis, ad eccleſiam pertinentibus, ſi quæ ad Capitulum peruenerunt, rationem reddere.

## DECLARATIONES.

1 *Capitulum Sede vacante.*] Portionarij, quia non ſunt de Capitulo, non comprehenduntur ſub hoc Decreto. Neque clerus poteſt ſe cum Capitulo ad hoc ingerere vt Officialem conſtituat aut confirmet.

2 *Item Officialem.*] Non eſt de neceſſitate, vt is qui aſſumitur in Officialem ſit de gremio: ſi tamen ad eſſet idoneus, cæteris paribus eſſet præferendus.

Capitulum non poteſt eligere Viſitatorem ad viſitandam Diœceſim abſque Vicario.

Ad Vicarium ſpectat obire illa omnia, quæ ex Concilio pertinent ad Epiſcopum, occurrente vacatione Parochialis, *iuxta cap. 18. ſeſſ. 24 de reform.* Quare idem Vicarius, abſque Capitulo, Parochialibus vacantibus deputabit idoneos Vicarios, & proponet edicta ad concurſum.

Dubitatum fuit, an Vicarius in vim iſtius Decreti à Capitulo conſtitutus, teneretur procedere cum adiunctis vel ſine, *iuxta c. 6 Seſſ. 25.* Et fuit reſolutum die vltima Martij, 1588. quod ſi Epiſcopus dum viuebat, habebat auctoritatem procedendi ſine adiunctis, etiam poterit Vicarius: ſin minus poterat procedere Epiſcopus ſine adiunctis, ita nec poſſit Vicarius.

3 *Saltem in iure Canonico ſit Doctor.*] Vicarius vacante Epiſcopali Sede omnino debet eligi Doctor vel Licentiatus, ſi in Capitulo aliqui graduati erant: ſin minus, poſſunt eligi alij idonei, licet non ſint graduati. Quinimò ſi Epiſcopus mortuus reliquit Vicarium, quem elegerat, cùm non eſſet Doctor, Capitulum non debet neceſſario eum confirmare, ſed alium, qui ſit Doctor, eligere poteſt.

Si plures ad officium Vicarij à Capitulo aſſumerentur, is qui in controuerſia repertus fuerit magis idoneus, & habuerit has qualitates Concilij Tridentini, remanere debet, & cæteri remouendi ſunt. Et quia erat dubium, an id extenderetur etiam ad Eccleſiam Collegiatam defuncto eius Prælato, qui ordinariam Iuriſdictionem & omnia iura Epiſcopalia habebat; Congregatio die 21. Septembr. 1585 cenſuit negatiuè, quia ſi non eſt neceſſe vt hic Prælatus mortuus, ſit Doctor, vt dictum eſt ſupr. c. 12. præſentis ſeſſionis, ergo neq; Vicarius eius.

4 *Qui, Sede vacante, fuerunt à Capitulo.*] Capitulum Sede vacante poteſt eligere arbitros ad cognoſcendum de cauſſis ſuſpicionum, quæ contra Vicarium ab ea ſede vacante deputatum proponuntur, eo modo, quo Epiſcopus potuiſſet.

Fuit dubitatum, an ſi iſte Vicarius allegaretur ſuſpectus, poſſent eligi arbitri? Et reſolutum fuit die vlt. Martij 1588. quod non, ſed recurrendum eſſe ad Capitulum, tanquam ad ſuperiorem.

## REMISSIONES.

α Vide Gig. de Penſionib q 65. nu. 12. Couar. in c. Relatum, in 1. n. 3 de Teſtam. P. Azor. inſt. Moral. p. 2. lib. 3. c. 37. col. 349.

β *Item Officialem, ſeu Vicarium infra octo dies, &c.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Capitulum, §. 3. pag 84. Stephan. Quarant in Summa Bullarij, verbo Capitulum Sede vacante, verſ. 12. Quæro, pag. mihi 142 ibi verum. Vbi etiam reſoluit, quòd ſtante præfixione termini octo dierum, infra quem Capitulum cogitur Vicarium eligere, ipſum Capitulum debere adminiſtrare: & in verſ. Secundò dubitatur, dicit, quòd ſi adeſſet diſcordia inter Canonicos in electione Vicarij, & plures ad hoc officium aſſumerentur, magis idoneus, & habens qualitates Concilij remanere debet, cæteris remotis, : & in verſ. Tertiò dubitatur in nu. 3 aſſerit Vicarium conſtitutum à Capitulo Sede vacante poſſe reuocari ab eodem Capitulo durante dicta vacatione. idem tenet Zerol. in praxi Epiſcop. p 1 verbo Vicarius, §. 21. verſ. Secundum dubium, vbi id ampliat, etiamſi Canonici iuraſſent vel promiſiſſent ſub certa pœna eum non reuocare

γ *Qui ſaltem in iure Canonico ſit Doctor.* ] Quarant. d. verbo Capitulum Sede vacante, num. 3 verſ. In caſu verò reſoluit, quòd ſi non fuerit Doctor, poteſt Capitulum in ipſo actu deputationis dare conſultorem Doctorem, alioquin poterit ipſe Vicarius eligere conſultorem ſibi bene viſum partibus non ſuſpectum in caſibus, in quibus eo erit opus.

δ De Vicario Epiſcopi vltra Doctores in tit. de Officio Vicar. lib. 6. agunt latè Angel. Sylueſt. Roſell. Tabien. Armil. & alij Summiſtæ verbo Vicarius, Bertach. de Epiſcopo li. 4. part. 7. tit. de Vicario Epiſcopi, Rebuff. in praxi tit. de Vicarus Epiſcop. Læli. Zechi. de Repub. Eccleſiaſt. c. 23. de Vicario Epiſcopi, Guttier. Canon. l. 2. c. 17. Iacob. Sbrozz. in tract. de Vicario. Epiſcopi. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Vicarius.

ε An Vicarius Epiſcopi debeat eſſe Clericus ſaltem primæ Tonſuræ? Affirmant Hoied de Incompatib. benefic. part. 1. cap. 10. nu. 11. Lancellot. de Inſtit. Canon. lib. 1. tit. de Officio Vicar. §. 2. Rebuff. d. tit. de Vicario Epiſcopi, numer. 35. Zechi. de Republ. Eccleſiaſt. cap. 23. de Vicario Epiſcopi, §. 1. num. 1. Pat. Soar. tom. 5. de Cenſuris diſp. 1. ſect. 3. nu. 8. cum ſequen. Sbrozz. d. lib. 1. quæſt. 31. Fr. Ludou. de Miranda de Ordine iudiciario quæſt. 2. art. 7. Sabag. in cap. 1. de Iudic. n. 110. Et an poſſit eſſe Clericus coniugatus? Negant Rebuff. num. 36. Hoied. nu. 11. P. Soar. num. 10. Sbrozz. num. 5. dictis locis

Zerol.

Zerol. d. verbo Vicarius, dub. 7. P. Sanch. de Matrim. lib. 7. diſp. 46. num. 14.

ſ An Vicarius habeat ordinariam iuriſdictionem? Affirmant gloſ. verbo Officialem, in cap. 2 de officio Vicarij lib. 6. & verbo generaliter, in cap. Romana de Appellat. eod lib. Berthachin. d lib. 4. num. 1. Guttier. Canon. lib. 2. cap. 17. num. 17. & lib. 3 tract. de Matrimonio cap. 69. num 7. Couar. Pract. lib. 4. num. 8. & lib. 3. Vari. cap. 10. num. 4. Marant de Ordine iud par. 4. diſt. 5 num 12. & 13. Azeued. lib. 1. num 7. tit. 9. lib. 3. nouæ Recopil. Molin. de Primogen. lib. 1. cap. 25 num. 13. Corraſ. de Benefi. part 2. cap. 8. num. 13. Pat Molin. de Iuſtit. tom. 6. diſp 10. num. 1. & 2. Sbrozz d. lib. 2. qu 55 Maſcard. de Probat. concl 1412. n 9. & 22. Pauin. de poteſt. Capituli Sede vac. part 1. q 2. num. 2. & 3. & p. 2. q. 10 num. 3. & 4. Hugôlin de cenſuris tab. 1. cap. 1. §. 20. num 6 Zechi. d. cap. 23. §. 2 nu. 1. Salzed. ad Bernard. c. 75. in gl. verbo Diſpenſant Soar. de Paz in praxi tom 1 temp. 1. nu. 6. & 7. & tom. 2. prælud. 3. num. 3. Cardoſo in praxi iudicum, & aduocat. verbo Vicarius. num 7. Fr. Ludou Miranda de Ordine iud. q. 2 art. 6. P. Azor Inſt Moral. part. 2 lib. 3. cap. 43. q. 5. P. Sanch de Matrimonio lib 3 diſp. 29 num 3. Negant Licent Anton Gomez in explicatione Bullæ Cruciatæ, cap 4. num. 21. & 22. Morl. in Empor. iuris, par. 1. titul. 2. quæſt. 27.

n An iuriſdictio Vicarij mortuo Epiſcopo expiret? Affirmant Molin de Primog lib. 1. cap. 25 nu. 13. P. Sanch. lib. 3. diſp. 30. num. 1. D. Guttier tract. de Matrim c. 69 num. 16. & teſtatur deceptum P. Henriq. in ſum. lib. 7. cap. 21. §. 5 in gl. lit. S, vbi dicit non expirare de per ſe mortuo Epiſcopo, ſed per Capitulum Sede vacante deponi. Vnde valere geſta à Vicario ignorante mortem Epiſcopi longè diſtantis, reſoluũt Stephan. Gratian diſceptat forenſ. cap. 18. num. 50. P Sanch. lib. 3. de Matrimonio, diſput. 22. num. 59. & diſp 30 num. 4. Guttier. d. cap. 69. num. 18.

## Caput XVII.

*Singula ſingulis perſonis conferantur beneficia Eccleſiaſtica; obtinenti tamen inſufficiens, conferri poteſt aliud ſimplex; dummodo vtrumq; perſonalem reſidentiam non requirat. Obtinentes plures Parochias dimittant vtram voluerint, & alteram teneant, &c.*

1 α CVm *Eccleſiaſticus* a *ordo peruertatur*, quando vnus plurium officia occupat Clericorum; ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, β γ *neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi*. verum quoniam multi improbæ cu-

*a Conc. 1. Nic. c. 15. & 16. Antioc. c. 3. & Arelat. 1 c. 2 & 22. & Milen c. 15. c. quia in tantũ, c. ad hæc, & c. cum nõ ignoris, de preb cum alleg. ſup. ſeſſ. 7. de ref. c 2. c. referente, & c. de multa, de præb. 21. q. 1. per totã, c quia nonnulli, de cler. nõ reſ. d.*

piditatis affectu ſeipſos, non Deum, decipientes, ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt: ſancta Synodus debitam regendis eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens; præſenti decreto, quod in quibuſcumq; perſonis, quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſeruari; ſtatuit vt in poſterum vnum tantùm beneficium eccleſiaſticum δ 2 *ſingulis conferatur*, quod quidem ſi ad vitam eius, cui confertur, ς *honeſtè ſuſtentandam* non ſufficiat; 3 *liceat nihilominus aliud ſimplex* ζ *ſufficiens*, 4 η &c. *dummodo vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat*, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſæcularia, quàm regularia, quæcumque etiam ξ &c. *commendata*, pertineant, ς *cuiuſcumq; tituli, ac qualitatis exiſtant:* ρ *Illi verò*, 6 *qui in præſenti plures Parochiales eccleſias*, aut vnam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent; [a] σ *cogantur* omninò, quibuſcumque diſpenſationibus, ac vnionibus ad vitam non obſtantibus, 7 *vna tantùm Parochiali*, vel ſola Cathedrali retenta, alias Parochiales 8 τ *infra ſpatium ſex menſium* 9 *dimittere:* alioquin tam Parochiales, quàm beneficia omnia, quæ obtinent, [b] 10 υ &c. *ipſo iure vacare cenſeantur*; ac tanquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur; nec ipſi antea illa obtinentes, tuta conſcientia, fructus poſt dictum tempus retineant. Optat autem ſancta Synodus, vt reſignantium neceſſitatibus commoda aliqua ratione, prout ſummo Pontifici videbitur, prouideatur.

a *Sup. ſeſſ. 7. de ref. cap. 4.*

b *c. execrabilis, §. qui verò, in extrau. comm. tit. de præb.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Cum Eccleſiaſticus ordo peruertatur.* ] Non comprehenduntur dignitates cum Canonicatu quæ nullos vel tenues habent fructus, licet haberent ſedem in choro, quando ex conſuetudine per Canonicos obtineri ſolent, *iuxta c. 1. de conſuetud. in 6*. Item dignitas cum beneficio curato abſque diſpenſatione Apoſtolica ante Concilium potuit obtineri. *Infr. hoc c. §. habens legitimè.*

Capellania, cui adiunctum eſt onus deſeruiendi in choro, obtineri non poteſt cum Canonicatu, per hoc Decretum, etiamſi haberet

tantùm

tantùm onus celebrandi miſſam, cum enim eſt ſub eodem tecto, opus eſt diſpenſatione. Attamen qui regreſſum habet ante Concilij publicationem ad parochialem Eccleſiam, vel ad Canonicatum, & poſt Concilium obtinuit vel Canonicatum, vel Parochialem, vel ante obtinebat ſimul, non eſt moleſtandus, ſi poſt Concilium facto loco regreſſui vult obtinere vtrúmque beneficium, ea tamen lege, vt reſideat in Parochiali amiſſis diſtributionibus quotidianis pro tempore, quo in Canonicatu non deſeruierit. *Hoc ſæpe fuit declaratum.*

2 *Singulis conferantur.* ] Idem intelligitur cum effectu, vt vnum poſſit retinere, quia Ordinarius poteſt inſtituere præſentatum, vel conferre aliud beneficium incompatibile, vel ratione reſidentiæ, vel ratione ſufficientiæ, dummodo habitâ poſſeſſione pacificâ ſecundi beneficij dimittat primum.

Congregatio die 2. Februarij, 1588. idem dixit ſeruandum eſſe in beneficiis, quæ ſint Iuris patronatus, & in quibus non ſit collatio ſed inſtitutio.

3 *Liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens.* ] Epiſcopus habenti vnum ſimplex beneficium quod non ſufficit ad eius ſuſtentationem, poteſt eidem aliud conferre citra diſpenſationem Apoſtolicam: & habenti beneficium ſufficiens poteſt conferre aliud, ſed habita poſſeſſione ſecundi beneficij ſufficientis vacat primum ſufficiens. *Supr hoc c. §. Singulis.*

Epiſcopus poteſt conferre ſecundum beneficium, ſi primum non ſufficit ad ſuſtentationem: ſed ſi duo non ſufficerent, non poteſt conferre tertium abſque diſpenſatione Apoſtolica. In collationibus autem beneficiorum Epiſcopus nihil pro ſigillo accipere poteſt. Notarius verò pro labore, charta, & aliis, aureum vnum non excedat.

Simplex beneficium eſt Archipresbyteratus, licet habeat aliquam Iuriſdictionem, dummodo reſidentia non ſit in eo neceſſaria.

Beneficia etiam curata aliis beneficiis annexa tranſeunt in ſimplicium naturam, dummodò acceſſoriè ſint vnita, & illorum cura per Vicarium ab Ordinario poſitum exerceatur.

Plura beneficia non poſſunt obtineri licet ſimplicia ſint, ſine diſpenſatione Papæ, intellige ſub eodem tecto, ac requirentia reſidentiam.

4 *Dummodo vtrumq; perſonalem reſidentiam non requirat.* ] Illi qui obtinent duo vel plura beneficia cum legitimâ diſpenſatione ante Concilium Tridentinum obtenta, requirentia perſonalem reſidentiam, tenentur reſidere in eo in quo maior eſt neceſſitas: nec poſſunt alterutro priuari, amittunt tamen diſtributiones quotidianas eius beneficij, cui non inſeruiunt. Secus verò ſi eſſet dignitas cum Canonicatu & Parochiali, quia obſtat extrauagans *execrabilis.*

Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe ab Ordinariis fieri vniones parochialium Eccleſiarum, obſtantibus Collegiis ſæcularium ſeu regularium perſonarum, non obſtante Decreto huius Conc. Seſſ. 24.cap.13.de reformatione, & ſi factæ fuerint, nullas eſſe vniones

5 *Cuiuſcunq; tituli ac qualitatis exiſtant.* ] Non eſt moleſtandus is, qui ante Concilium obtinuit vnum Canonicatum ab Ordinario & vnam Parochialem, dummodo reſideat in Parochiali, ex Bulla Pij Quinti.

Diſtributiones quotidianæ cuiuſlibet capellaniæ arguunt reſidentiam in choro, ideo huiuſmodi capellania incompatibilis eſt cum aliis beneficiis reſidentiam requirentibus.

Qui in præſenti plures Canonicatus obtinet legitimè, & cum auctoritate Sedis Apoſtolicæ ante Concilij Tridentini confirmationem, Eccleſiam Parochialem & Monaſterium perpetuò commendatum vel ad vitam non poteſt ex hoc Decreto cogi vt alterutrum dimittat, quaſi duas Parochiales obtineat, ſed poteſt vtrámque retinere; cùm Monaſterium (quamuis curam habeat animarum) appellatione Parochialis hoc cap. non comprehendatur.

Hoc decretum licet ducatur in præſenti ligare, incipit tamen Kalendis Maij anni 1564.

6 *Qui in præſenti plures Parochiales.* ] Sub hoc cap. non comprehenduntur qui cum Parochiali obtinent dignitatem & Canonnicatum habentes curam annexam.

Dignitas Eccleſiæ Collegiatæ, cui à principio cura animarum iniuncta eſt, aut illi principaliter imminet & non acceſſoriè, comprehenditur in hoc Decreto.

Qui vnam habet Parochialem cum fructibus, & alteram cum nudo titulo, vnam ex his tenetur, quam velit dimittere. Itémque habens duas Parochias, quarum altera eſt beneficio ſimplici, vel dignitati in perpetuum vnita, alteram dimittere tenetur.

Cum eo cui non eſt conſtitutum ſalarium, fuit diſpenſatum, vt plures poſſit retinere, quando timetur ne Parochiales perueniant ad manus hæreticorum.

Habens vnam Parochialem, & titulum alterius, cuius fructus omnes alteri ſunt reſeruati, alteram dimittere tenetur.

Ordinarius poteſt Eccleſiam Parochialem habenti alteram Parochialem conferre, ſed poſt adeptionem poſſeſſionis pacificæ ſecundæ vacabit prima.

Regula de triennali non habet locum contra Decretum huius c. quia illa regula requirit titulum coloratum.

Vnam Cathedralem ac aliam Parochialem habens: Item habens Epiſcopatum & Parochialem, quam reſignare non poteſt, quia eſt de Iure patronatus, nihilominus vnum dimittere tenetur ex iſtis duobus beneficiis.

In

In habentibus Parochias, & in quibus alij habent regreſſus vel acceſſus, dum coguntur reſignare, danda eſt optio regreſſario, vt vel cedenti ſibi Parochiam ſoluat eandem penſionem, vel patiatur reſignare alteri cum ſuſpenſione regreſſus.

7 *Vna tantùm Parochialis* ] Epiſcopi Cremonenſis petitio, vt quidam presbyter duas obtinens Parochiales, alteram centum ſcutorum, ex quibus ſoluit penſionem 56 alteram reſeruatis Patruo omnibus fructibus, poſſet vtrámque retinere, penitus eſt à Congregatione reiecta.

Petitio etiam de duabus Parochiis, quarum altera eſt litigioſa, vt poſsit quis vtrâmque retinere, vſque dum alterius lis terminetur, reiecta eſt à ſacra Congregatione. Vnde & petenti vt ex quatuor Parochiis, cum ceſſerit duabus, & ſibi vnam reſeruauerit titulo S. Columbani, liceat titulum retinere, reſponſum eſt, vt titulum relinquat, nec eò accedat.

Habens legitimè duas aut plures dignitates non curatas & Parochialem ſuam curatam, vnam ſolam retinere poteſt.

Non tenetur quis alterum dimittere, ſi habet Parochialem, & Canonicatum obtentum ante Concilium, ſed tenetur reſidere in Parochiali, etiamſi in fundatione Canonicatus caueatur quod illum obtinens ſit ipſo iure priuatus, ſi per 30. dies abſens fuerit.

Papa attentâ perſonarum & locorum qualitate, diſpenſat vt vni ac eidem Parochialis, & Canonicatus ſimul conferantur, ſi vtríque inſeruire bene poteſt.

Licet alias reſolutum fuerit in certo caſu, quod habens ante Concilium duos Canonicatus, quibus ſingulis eſſet vnita Parochialis, per hoc Decretum non teneretur ad alterius dimiſsionem; nihilominus pro abſoluta reſolutione contrarium eſt verius, videlicet quòd alterum dimittere teneatur.

Habenti Parochiam cum datur Canonicatus Cathedralis, ſi duo illi menſes ſint elapſi non ſua culpâ, quibus debebat dimittere Parochialem, conceduntur ad dimittendum alij duo menſes.

Dum hoc Decretum loquitur de beneficiorum pluralitate tollenda, ſcire oportet quòd ante Concilium non erat neceſſaria diſpenſatio pro retentione Parochiæ cum Canonicatu, & quòd ſi iam habenti Parochialem Canonicatus conferatur, adepta poſſeſsione Canonicatus vacat Parochialis.

Habens Canonicatum & duo ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica, quorum omnium annui reditus ſecundum communem æſtimationem non excedunt ſcuta 115. non prohibitur à Concilio, quin ea omnia retinere poſſit. Et Concilium Tridentinum prohibens quod habens Canonicatum poſſit acquirere Parochialem, & è contra, non cogit, vt quis dimittat alterum duorum iam acquiſitorum legitimè.

Reſi-

Reſidens in Prioratu qui curam habet animarum retinere poteſt Canonicatum & beneficium ſimplex, ſed beneficio ſimplici per alium inſeruire debet

Qui impetrauit per nouam prouiſionem, Narbonenſem Archidiaconatum, & obtinebat alterum Archidiaconatum Aconitanum, cum non poſſet poſſidere Narbonenſem ob potentiam intruſi, cum quo litigabat, petiuit ne priuetur Aconitano, ſed huius petitio ad S. D. N. fuit reiecta

Iuxta deciſionem Congregationis aliàs editam, qua dictum fuit poſſe Canonicum ex conſuetudine Eccleſiæ in eadem obtinere dignitatem, obtinens Canonicatum, cui poſt Concilium iniunctum eſt munus Pœnitentiarij, non poteſt vigore dictæ conſuetudinis obtinere etiam dignitatem in eadem Eccleſia: quia conſuetudo ſtrictè eſt interpretanda, & nemo poteſt eſſe triplex in eadem Eccleſia.

Habens Archipresbyteratum ſi regreſſum habet ad Parochialem, quam obtinuit ante Concilij Tridentini publicationem ex diſpenſatione tali, *quod ſi regreſſus ei contigiſſet, ipſam Parochialem cum Archipreſbiteratu poſſet retinere*; ſi caſus prædicti regreſſus poſtea euenerit, etiam poſt Concilium Tridentinum poteſt retinere, ſed tenetur in Parochiali reſidere, & non perdit quicquam Archipresbyteratus, niſi diſtributiones quotidianas.

8 *Infrà ſpatium ſex menſium.*] Licet habens duas Parochiales infra ſex menſes alteram dimittere teneatur, fauore tamen militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani, fuit aliquibus conceſſus annus, ſi habent Parochiales in Italia: & ſi extra, fuit datus ſecundus annus.

9 *Dimittere.*] Etiamſi illæ Parochiales ſint de Iure patronatus Laicorum, quamuis regreſsatæ, & etiamſi qui habet regreſsum, nolit præſtare conſenſum: quia tunc factâ ei oblatione reſignationis cum honeſtâ penſione (ſi noluerint acceptare) reſignatio fiet alteri, & regreſsus ſuſpenditur vſque ad ceſsum vel deceſsum reſignatarij.

Habens autem Parochialem, quam ex hoc Decreto dimittere tenetur, ſi ea eſt obligata alteri ratione regreſſus, conueniendus eſt primò iſte habens regreſſum, an ipſe, cum aliqua penſione reſignanti reſeruandâ, Parochialem velit. Quod ſi eam recipere recuſet, alteri reſignare debet cum ſuſpenſione regreſſus.

10 *Ipſo iure vacare cenſeantur.*] Qui non dimittit vnam ex duabus Eccleſiis curatis intra tempus à ſacro Concilio aſſignatum, debet condignas pœnas ſubire & punire, provt in eo ſtatuitur.

REMIS-

## REMISSIONES.

α VIde Dionyſ. Carthuſ. in tract. de pluralitate Benefic. Hoied. eodem tract. Rebuff. in praxi benefic. part. 1. tit. de Diſpenſat. ad plura beneficia, Cened. ad Decretal. Collect. 150 P. Paul. Comitol. Reſponſ. Moral. lib. 1. quæſt. 73. nouiſſimè P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 30 tract. 3. cap. 19. num. 275. cum ſeqq. latiſſimè Nicol. Garc. de Beneficiis part. 11. cap. 5. num. 260. cum ſequentibus.

β *Neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi.*] Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit hoc non habere locum in penſionibus, cùm Ordinarius poſſit conferre beneficium alicui habenti iam in penſionibus Eccleſiaſticis ſufficientem ſuſtentationem, refert Garſi. d. ca. 5. nu. 310 in fine, verſ. Quartò, & reſoluunt Hoied. p. 2. cap. 7. P. Azori. d. pag. 2. lib. 8. cap. 10. qu. 8. & cap. 12. qu. 6. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 5. §. 5. num. 14. cum ſeqq.

γ Congregatio Concil. cenſuit hoc decreto non comprehendi terrulas beneficiales, ſeu pia legata cum onere Miſſas, aliáve diuina officia celebrandi, quæ neque Eccleſiæ habent aliquam denominationem, conferri tamen conſueuerunt in titulum ſimplicis beneficij vni vel pluribus presbyteris ad præſentationem hæredum ſiue patronorum, & ſingula duorum aut trium aureorum valorem non excedunt. Quod decretum Congregationis Sanctiſs. Dominus noſter probauit, & placuit ſeruari ſtylum Cancellariæ, vt vnica collatione plura vni conferri poſſint in titulum ſimplicis beneficij. refert Garſi. d. cap. 5. num. 318.

δ *Singulis conferatur.*] Vide Garſi. d. cap. 5. num. 283. vbi reſoluit intelligi cum effectu, vt vnum poſſit retinere, quia Ordinarius poteſt inſtituere præſentatum, vel conferre aliud beneficium incompatibile, vel ratione reſidentiæ, vel ratione ſufficientiæ, dummodo habita poſſeſsione pacifica ſecundi beneficij dimittatur primum.

An Coadiutoria cum futura ſucceſsione inducat incompatibilitatem cum alio beneficio? Vide Luſit. Gonzal. Mendez, libr. 4. diuerſ. iuris argument. capit. 1. numer. 8. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 5. § 9. à num. 64. & num. 122. Nicol. Garſi. p. 4. cap. 5. à num. 122.

ε *Honeſtè ſuſtentandum non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex, &c.*] Quòd habens beneficium ſimplex ſufficiens ad commodam ſuſtentationem, & aliud conſequatur, ſit incompatibile cum primo, & peccet mortaliter tenent gloſſ. in cap. dudum 2. de Electione, verbo, Intitulatam, & verbo, Retinere, Sylueſt. in Sum. verbo Beneficium 4. num. 2. Gregor. Lop. l. 3. tit. 16 part. 1 Ludou.

Lopez

Lopez in Inſtruct.Conſc.tom.1 cap 251.Zechi.de Benefic & penſionibus,cap.5 nu.4.verſ.circa tertium, Hoied.p.1 cap 19.nu.1. Salon. 2.2.quæſt.63 art.2.concl.3. P.Azori.Inſtit. Moral.p.1. lib.2.cap.11. poſt princip. & lib. 5. cap. 19. verſ. Conſuetudo qua quis in eadem Eccleſia, & p.2 lib.3. cap.7.qu 4.& cap.8.qu.6.& cap.9. qu.3. & cap. 10.qu.4. & cap 11.qu.23. Fr.Emman.in ſum.tom.1.ca.31. nu.2.& 3. Flamin.de Reſignat.lib.3.qu.1 nu.138.& lib.5.q.6.n.115.cum ſeqq. Veg p.1. ſum. cap.36. caſu 25. duobus ſeqq. Lud. Beia Reſponſ caſuum conſcientiæ,p.4. caſu 26.Petr.Ledeſm.in ſum.p.2.tract.7.ca.1. concl.12. diffic.5. Zerol.in praxi Epiſcop.p.2. verbo Incompatibilia, §.2. P.Valer.Reginald.d. tract.3. à num 283. Cardin.Thuſc.tom.1. lit. B. concl. 61.

ʒ *Sufficiens* ] Quod dicatur beneficium ſufficiens, vide apud Gomez de Expectat.num 107.Nau de Orat.Miſcel.62.Proſp.de Auguſtino in addit, ad Quaran. in ſumma Bullarij, verbo Beneficiorum reſignationes,cauſa 8. Menoch.de Arbitr caſu 216 Hoied.p 1.c.19. à nu.22.Flam.de Reſignat.lib.5.qu.6.nu.131.cum ſeqq.Zerol verbo Beneficium, §.7. concl.8 princ. Gonzal. ad reg.8. Cancel. Gloſ.15. nu 39. Marc-Anton Genuenſ.in praxi Archiep.Curiæ Neap.cap.64. num 3. P.Valer.Regin.d tract 3. num.285

η *Dummodo vtrúmque perſonalem reſidentiam non requirat.* ] Vide Corraſ.de Benef.p.1. cap.5. num.2. Hoied. cap 17. num.30. Zerol. p.1. verbo Beneficium, §.7 P.Azori.Inſtit. Moral p 2. lib 3. cap.8. quæſt.6 P.Valer.Reginald.d.tract.3.num.279. Garc.de Benef. p.11. cap.5.num 260. & num.373. ſequentes adducit ſacræ Cardin.Congreg. deciſiones.

θ Prima eſt. Diſpenſatus legitimè ſine dubio Canonicatum,& parochialem retinere poteſt:ſciendum tamen eſt, Ordinarium ſuper hoc diſpenſandi facultatem non habere.

ι Secunda Epiſcopus ex cauſa poteſt diſpenſare,vt quis poſſit obtinere duo beneficia difformia ſub eodem tecto, dummodo quodlibet per ſe non ſit ſufficiens ad ſuſtentationem prouiſi

κ Tertia. An duo Canonicatus de iure in vim S.Concilij Trident. Decretorum ſint incompatibiles? Congregatio reſpondit eſſe incompatibiles,refert Garc d.cap.5. num.381.

λ Quarta. An is, qui duos Canonicatus ſimul abſque diſpenſatione Apoſtol.per triennium,& vltra detinet, vtróque ipſo iure excidat in vim d. Decretorum Concilij Tridentini? Congregat. iudicauit,ſi duos huiuſmodi Canonicatus ſimul retinere perrexerit,vtróque eſſe ipſo iure priuatum. An vtriúſque Canonicatus poſſeſſionem tueri, & defendere valeat poſſeſſor ex reg.de triennali? Congregat. reſpondit vtique non poſſe: refert Garſia, vbi proximè.

μ Quinta. Epiſcopus habenti vnum ſimplex beneficium, quod non ſufficiat ad eius ſuſtentationem, poteſt aliud, ſimile conferre abſque diſpenſatione Apoſtol. refert Læli. Zechi. de Republ.

Eccleſiaſt. titul. de Beneficiatis, ad fin. Nicol. Garſ. d. cap. 5. numer. 310.

*r* Sexta Epiſcopus poteſt conferre ſecundum beneficium, ſi primum non ſufficit ad ſuſtentationem; ſed ſi duo non ſufficerent, non poſſe conferre tertium abſque diſpenſatione Apoſtolica, refert Nicol. Garſi. vbi proximè, & propter illud verbum, *Aliud*, de quo in Concilio dicit ita obſeruari in Vrbe, Marc. Anton. Genuenſ. d. cap. 64. num. 3. De ſtylo tamen Curiæ, ſi duo non eſſent ſufficientia ad commodam ſuſtentationem, licere obtinere plura beneficia reſidentiam non requirentia, teſtantur Hoied. part. 2. cap. p. 1. à num. 3. Azeued. conſ. 2. num. 1. Cened. ad Decretal. Collect. 150. num. 2. Flamin de Reſign. lib. 5. quæſt. 1. num. 141. Pat. Azori. inſtit. Moral. part. 2. lib. 6. cap. 11. quæſt. 8. Perez de Lara de Anniuerſar. & Capellan. lib. 2. cap. 7. num. 12. & videtur ſentire Zechi. d. cap. de Beneficiat. verſ. Ad dignoſcendum verò, Zerol. part. 1. verbo Beneficium, §. 7. concl. 2. Quintanad. Eccleſiaſtic. lib. 4. num. 119. Quòd Epiſcopus non poteſt diſpenſare, vt quis habeat duo beneficia ſimplicia, quorum alterum ſit ſufficiens, nec, ſi non ſunt ſufficientia, & requirunt reſidentiam perſonalem, veluti duo Canonicatus, reſoluunt Zerol. d. § 7. concl. 7. Quintanad. d. lib. 4. num. 131. Pat. Azori d. part. 2. lib. 3. cap. 7. quæſt. 4. & lib. 6. cap. 2. quæſt. 6. P. Valer. Regin. d. lib. 30. tract. 3. num. 281. prope finem.

*ſ* *Commendata* ] Vide ſuprà, Seſſ. 7. cap. 4. & de incompatibilitate duarum Eccleſiarum commendatarum vide Hoied. p. 1. cap. numer. 13.

*t* Congregatio Concilij ita cenſuit. Non comprehenduntur in hoc decreto, qui cum Parochiali obtinent Monaſterium commendatum cum cura, refert Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. Gloſ. 5. §. 8. numer. 65.

*u* Congregatio Concilij ita etiam cenſuit. Habens Parochialem, & Monaſterium in Commendam ad vitam, cui cura imminet animarum, alteram dimittere non tenetur, referunt Gonzal. vbi proximè, Zerol in praxi Epiſcop. p. 2. verbo Parochia, §. 5. Nicol. Garſi de Benefic. p. 4. cap. 4. num. 35.

*x* *Illi verò &c* ] Vide P. Azor. inſtit. moral. p. 2. lib. 7. cap. 17. Collect. 8. o. Nicol. Garſi. p. 1. cap. 5. num. 219.

*y* *Cogantur.* ] Vide P. Henriq. in ſum. p. 2. lib. 14. cap. 17. §. 5. in Gloſſ. lit. C.

*z* *Infra ſpatium ſex menſium* ] Vide Nicol. Garſi. d. p. 11. cap. 5. numer. 77. vbi reſoluit, huic decreto non aduerſari aliud ſuprà, Seſſ. 7. de Reformat. cap. 4. quia hoc ſolum loqui affirmat de obtinentibus tunc plures Parochiales, aut vnam Cathedralem, & aliam Parochialem ex diſpenſatione ſeu vnione ad vitam, quibus iniunxit Concilium quòd vna retenta, alias infra ſex menſes dimitterent, non tamen loqui de pluribus Parochialibus beneficiis poſt

Con-

Concil obtentis, de quibus loquitur d.cap.4.intrepidè reſoluit.

*v* *Ipſo iure vacare cenſeantur.* ] Quòd accepto ſecundo beneficio vacat primum, & non poteſt tuta conſcientia obtinere fructus primi beneficij, quamuis nulla detur ſententia, nec fiat petitio, reſoluit Pat.Henriq.in ſum.lib.14.cap.56.§.2.in fine, in Gloſſ.lit.O.

*φ* An obtinens plura beneficia ex diſpenſatione Papæ, ſine cauſa tamen rationabili, ſit tutus in foro conſcientiæ? Vide Ludou. Lop. in inſtructor.Conſcient.to.1.cap.251.& ſeq.Nauar.Conſ.1.de Conſtit.à num.37.Cordub.in quæſt.li.1.quæſt.10.Corrad. in Reſponſ. caſuum Conſc.q.35.in addit. Didac. Perez ad Villadieg. de Irregul. cap.1.num.13.Veg.p.1.cap.36.caſu 30.Fr.Emman.in ſum.tom.1.ca. 31.num.7.& 8.Hoied.p.2.cap.fin.num.38.Tolet.lib.5.cap.81.Petr. Ledeſm.in ſum.p.2.tract.7.cap.1.circa 9.concluſ.& 11. P. Azorij Inſtit.Moral.p.2.lib.6.cap.12.quæſt.78.& 11.& lib. 5.cap. 3.quæſt.2. P.Valer.Reginald. in praxi fori pœnitent. lib.30. tract.3.num.289. verſ. Sextum dubium, P.Leſſi. de Iuſtit. lib.2.cap.34.num.151.cum ſequenti.

## CAPVT XVIII.

*Dum contingit Eccleſias parochiales vacare, fiat examen per concurſum præmiſſis edictis; deſcribuntur qualitates eorum qui debebunt examinare. Si Eccleſia fuerit Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici, & inſtitutio pertineat ad Epiſcopum, quædam ſtrictius erunt obſeruanda quam caſu quo Eccleſiæ fuerit Iuriſpatronatus laicorum, &c. Attentè hoc caput legendum & ſeruandum ad amuſſim.*

*a* &c. EXpedit maximè animarum ſaluti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari. Id vt diligentius, ac rectiùs perficiatur, ſtatuit ſancta Synodus, vt, 1 *cùm Parochialis Eccleſiæ vacatio*, 2 *etiamſi cura Eccleſiæ*, vel Epiſcopo incumbere dicatur, & per vnum, vel plures adminiſtretur, etiam in Eccleſiis patrimonialibus, ſeu receptiuis nuncupatis, in quibus conſueuit Epiſcopus 3 *vni, vel pluribus curam animarum dare*, quos omnes ad infraſcriptum examen teneri mandat, per obitum, 4 *r vel reſignationem*, etiam in Curia, ſeu aliter quomodocumque contigerit, *ξ etiamſi ipſa Parochialis* 5 *Eccleſia reſeruata*, vel

vel affecta fuerit generaliter, vel ſpecialiter, etiam vigore indulti, ſeu priuilegij in fauorem S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſeu 6 *Abbatum*, vel 7 *Capitulorum: 8 debeat Epiſcopus ſtatim*, habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, 9 *idoneum in ea Vicarium*, 10 *cum congrua*, eius arbitrio, fructuum portionis aſſignatione, conſtituere; qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur. 11 *o Porrò Epiſcopus*, 12 *& qui ius patronatus habet*, *π p intra decem dies*, vel aliud tempus, ab Epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiam 13 *coram deputandis examinatoribus nominet*. Liberum ſit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorum nomina deferre, vt poſſit poſtea de cuiuſlibet ætate moribus, & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Et, ſi Epiſcopo, aut Synodo prouinciali pro regionis more videbitur magis expedire, 14 *per edictum etiam publicum vocentur*, qui volent examinari. Tranſacto conſtituto tempore, omnes qui deſcripti fuerint, a 15 *examinentur σ ab Epiſcopo*, ſiue, eo impedito, 16 *ab eius Vicario generali*, atque ab aliis examinatoribus: 17 *non paucioribus*: quàm tribus: 18 *quorum votis*, ſi pares, aut ſingulares fuerint, 19 *accedere poſſit Epiſcopus*, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem ſingulis annis 20 *in diœceſana* Synodo ab Epiſcopo, vel eius Vicario ad minus ſex proponantur; 21 *qui Synodo ſatisfaciant*, & ab ea probentur. 22 *Aduenienteq́ vacatione* cuiuſlibet Eccleſiæ, 23 *tres ex illis eligat Epiſcopus*, qui cum eo examen perficiant; indeq́ue ſuccedente alia vacatione, aut eoſdem, aut alios tres quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat. Sint verò hi examinatores. Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia; aut iure Canonico, vel alij Clerici, ſeu Regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam ſæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, iurentq́ue omnes ad ſancta Dei Euangelia, ſe, quacumq́ue humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros. b *τυ Caueántque ne quidquam prorſus* occaſione huius examinis 24 *nec ante, ne c poſt accipiant*:

a *Infrà Seſſ. vlt. de Reform. cap. 9.*

b *c quando. c. 4. diſt.*

*ant*: alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quàm alij dantes incurrant; à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis beneficiis quæ quomodocumque etiam antea obtinebant; & ad alia in poſterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non ſolum coram Deo, ſed etiam in Synodo prouinciali, ſi opus erit, rationem reddere teneantur: à qua, ſi quid contra officium eos feciſſe compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri poſſint. φ &c. *Peracto deinde examine* renuncientur, quotcumque ab his 25 γγ *idonei iudicati fuerint*, 26 *ætate*, 27 *moribus*, *doctrina*, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis. a 28 *ex hiſq;* Epiſcopus eum eligat, quem cæteris 29 *magis idoneum* iudicauerit: 30 *atq; illi*, *& non alteri*, collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre. 31 *Si vero iuris patronatus* Eccleſiaſtici erit; ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat, is, 32 ζζ *nn quem patronus digniorem inter probatos ab* examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, vt ab eo inſtituatur. Cùm verò inſtitutio 33 θθ *ab alio*, quàm ab Epiſcopo, erit facienda; tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat. 34 ιι &c. *Quod ſi ius patronatus laicorum fuerit*; debeat qui à patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, vt ſuprà, examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibuſque ſuprà dictis caſibus 35 *non cuiquam alteri*, quàm vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, iuxta ſupradictam regulam, de Eccleſia prouideatur: nec prædictorum examinatorum relationem, quo minùs executionem habeat, μμ *vlla deuolutio*, 36 *aut appellatio*, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſiue eiuſdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuncios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interpoſita, impediat, aut ſuſpendat; alioquin Vicarius, quem Eccleſiæ vacanti antea Epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus deputauit, vel forſan poſtea deputabit, ab eius Eccleſiæ cuſtodia, & adminiſtratione non amoueatur, donec aut eidmaiaut alteri, qui probatus, & electus fuerit,

a *Seſſ. 25. c. 9.*

rit, vt ſuprà, ſi prouiſum: *vv ξξ aliàs prouiſiones omnes*, ſeu inſtitutiones, præter ſupradictam formam factæ, 37 *ſurreptitiæ eſſe cenſeantur*: non obſtantibus huic decreto exemptionibus, indultis, priuilegiis, præuentionibus, affectionibus, nouis prouiſionibus, indultis conceſſis quibuſcumque [a] Vniuerſitatibus, etiam ad certam ſummam, & aliis impedimentis quibuſcumque. Si tamen adeò exigui reditus dictæ parochiales fuerint; vt totius huius examinationis operam non ferant: aut nemo ſit, qui ſe examini quærat ſubiicere; aut ob apertas factiones, ſeu diſſidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè grauiores rixæ, ac tumultus poſſint excitari: 38 *poterit Ordinarius*, *ſi pro ſua conſcientia* cum deputatorum conſilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omiſſa, priuatum aliud examen, cæteris tamen, vt ſuprà, ſeruatis, adhibere. Licebit etiam Synodo prouinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formam addenda, remittendave eſſe cenſuerit, prouidere.

[a] *Seſſ. 7. cap. 13.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Cum Parochialis Eccleſiæ vacatio.*] Hoc decretum non habet locum quando contingit aliquam dignitatem vacare, cui parochialis eſt vnita acceſſoriè.

Si fuerit Capellania pro coadiutoriâ in Parochiali ſita, in ea conferenda ſeruatur hoc Decretum. Sicut & tunc, cum ex antiquiſſima conſuetudine hæc Parochiales ſolitæ eſſent commēdari ad ſex menſes, & qui ſemel inſtituti fuerint etiam ad præſentationem, non poſſint amoueri ad nutum.

2 *Etiamſi cura Eccleſiæ.*] Etiam hoc ſeruatur in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis, in quibus exercetur cura animarum per Capellanos amouibiles ad nutum Capitulorum, vel per ipſoſmet Canonicos abſque examinatione ab immemorabili tempore, quo non obſtante, omnes tenentur ad ſubiiciendum ſe examini Epiſcoporum.

In vacationibus Eccleſiarum parochialium, licet earum collatio pertineat ad Canonicos, edicta tamen, & examina ac electio perſonarum, quæ ſunt magis idoneæ, propriè ad Epiſcopos

ordinarios ſpectat, collatio autem parochialium ab his facienda eſt poſtea, ad quos antè pertinebat conferre.

Epiſcopo reſignantes proprias parochias *in forma dignum*, reſignent iudicio & prouiſione vicinioris Epiſcopi.

3 *Vni, vel pluribus Curam animarum dare.*] Sed non intelligitur hoc de Canonicis Cathedralis vel Collegiatæ Eccleſiæ, quibus cura animarum incumbit, & per quos ipſa cura animarum exercetur.

4 *Vel reſignationem.*] S.D.N. Gregorius XIII. noluit licere Canonicis regularibus Congregationis Lateranenſis, etiam de licentia ſui Generalis, abſque permiſſu Summi Pontificis aſſumere curam animarum, etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus.

Decretum Concilij Tridentini quod dicit, vacationes omnes de Eccleſiis parochialibus, etiam per reſignationem examine per concurſum præuio ab Ordinario conferendas ei, quem aptiorem iudicauerit, locum non habet in reſignationibus factis in manibus Papæ in fauorem certæ perſonæ, cum non poſſint dici propriè vacare. Itaque Concilium Tridentinum loquens de examine per concurſum faciendo, non habet locum in vacatione parochialis per reſignationem factam in manibus Papæ in fauorem perſonæ, quam idem Pontifex admiſerit, & mandauit examinari & expediri *in forma dignum*.

Ei, qui exhibuit Bullam parochiæ ſibi reſignatæ Epiſcopo Ceſenatenſium, & reiectus eſt ab examine, de quo fidem examinatorum affert, iuſſum eſt eandem appellationem ad ſuffraganeum Rauennatenſium deferre.

In prouiſionibus faciendis de beneficiis ex cauſſa permutationis, non eſt neceſſarium hoc examen per concurſum. poteſtque apponi clauſula: *vt non obſtantibus beneficialibus*, dummodo permutatio ſit vera, & non fraudulenta, nec de ſimplici ad curatum, nec in valore ſit magna inæqualitas, vel aliquid ſimile; aliàs fieri debet examen per concurſum. *Infrà §. In permutationibus.*

Ad literas Epiſcopi non probantis examen eius presbyteri, cui reſignatio facta eſt, quia præſumptio eſt pro presbytero, reſpondetur à Reuerendiſſimo Domino Datario, vt Epiſcopus teſtes examinet, & ſi quid contra eum habet quod indignum ac inidoneum reddat, tranſmittat.

In conceſſione iurium in fauorem eius qui prætendit habere ius, nec examen, nec expreſſio beneficiorum, aut valoris eſt neceſſaria, ſi vera lis fuerit.

5 *Eccleſia reſeruata.*] In beneficiis curatis reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, & quibuſuis aliis, ex antiqua conſuetudine Ordinarij proponunt edicta concurſus, & à Sede Apoſtolica prouiſio fit, & approbatur ab examinatoribus in Synodo Diœceſana deputatis, ſi prouidendus

dus habet fidem approbationis ſuæ ab Ordinario. De hoc eſt Bulla Pij V.

6 *Abbatum.*] Abbatis prouiſione curata beneficia cùm vacauerint, Ordinarij edicta concurſus proponere debent.

Quoties aliqua Eccleſia parochialis vacauerit, ad quam Abbas aliquis habet ius nominandi, quemcunque Abbas nominauerit, eum ad examen Ordinarius admittere debet: ſi autem Eccleſiæ vacabunt ad mortem rectorum, in quibus Abbas habet ius conferendi, eos, qui earum curationem ſuſcipere volunt, Ordinarius probare debet, illo examinis genere, quod vocatur per concurſum: neque Abbas eam ob cauſſam vllum examinis edictum proponere poteſt, neque illius officij partem vllam attingere: ſed id totum pertinet ad Ordinarium, qui & ipſe proponere debet edicta, & examinatores ex Concilio præfato deputatos adhibere, à quibus omnes iſtiuſmodi concurrentes examinentur: quo examine confecto, ex his, quos vitæ integritas & doctrina commendabit, Ordinarius debet eligere magis idoneos, ac poſtea Abbati relinquere, vt ex illis, cui maluerit curam conferat.

Licet aliqui Patriarchæ habeant collationem Parochialium exiſtentium in aliqua Diœceſi, Ordinarius tamen illius Diœceſis, edicta concurſus proponere debet, & collatio poſtea legitima & approbata debet fieri à Patriarcha. Habens itaque ius conferendi aliquas Parochiales, quæ ſunt in Diœceſi Epiſcopi ſuæ prouinciæ non poteſt eas conferre niſi his, qui approbati & examinati fuerint ab examinatoribus deputatis per Epiſcopum eius Diœceſis in qua ſitæ ſunt iſtæ Parochiales, & interim, dum dictæ Parochiales vacant, Epiſcopus illius Diœceſis in qua ſunt, ius habet conſtituendi in eis Vicarium cum congrua (arbitrio ſuo) fructuum portionis aſſignatione, qui dictæ parochiæ inſeruiat, donec de Rectore fuerit prouiſum: nec poteſt Patriarcha in aliena Diœceſi (licet ea ſit Epiſcopi ſuæ prouinciæ,) Capellanos ad animarum curationem conſtituere, niſi ad eiuſdem Epiſcopi conſenſum, & examine eius præeunte, quod per eum, aut eius exequutorem faciendum eſt, & quamdiu prædictus Epiſcopus prouincialis dicti Patriarchæ, Synodum Diœceſanam habebit, Patriarcha nihil poteſt aliter committere. Quamobrem Eccleſiarum Rectores, quorum electio ad ipſum Patriarcham ſpectat, aliique præterea qui curam animarum in eis gerunt, vel Synodo non interſint, vel decretis Epiſcopi obtemperent. Nec poteſt idem Patriarcha alienos Epiſcopos in Diœceſin Epiſcopi ſui prouincialis inducere ad Eccleſias benedicendas vel conſecrandas, vel vt ſacrum extremæ vnctionis oleum conficiant, vel chriſma adminiſtrent, aut aliqua Pontificalia munia obeant atq; exerceant, niſi de Epiſcopi, cuius ipſa Diœceſis eſt, conſenſu.

7 *Capitulorum.*] Etiamſi ad illos collatio, inſtitutio, ſeu præſentatio pertineat.

Quando collatio Parochialis ab immemoriabili tempore pertinet ad Capitulum Cathedralis vel Collegiatæ Eccleſiæ, vel ad alium inferiorem; occurente illius vacatione pertinet edictorum appoſitio ad ſolum Epiſcopum ſi in eius diœceſi Parochialis ſita eſt. Immò verò vacante parochiali, ſi eius collatio ſpectat ad Archidiaconum, ius examinandi eligendíque virum idoneum ac edictorum proponendorum ad Ordinarium ſpectat; non ad ipſum Archidiaconum.

Archidiaconus, cuius territorium eſt in vna diœceſi, parochiales Eccleſias conferre poteſt tantùm illis, quos Epiſcopus eiuſdem diœceſis (in qua territorium eſt) elegerit, magiſque idoneos iudicauerit ex his, qui ab examinatoribus in Diœceſana Synodo deputatis idonei renunciati ſunt.

Quoties autem vacauerit aliqua Eccleſia parochialis, cuius collatio ſpectat ad Præpoſitum alicuius Collegiatæ, debet idem Præpoſitus curare, vt fiat edictum publicum, in quo ſit adſcriptus certus dies, & huius tenoris, videlicet: quod *proteſtatur ſe in ipſa Eccleſia conferenda Ordinarium Epiſcopum praeuenire, ipſámque conferri illi, quem Epiſcopus idoneum elegerit ex ijs quos examinatores approbauerint, atque ideò ſe ei denuntiare, vt edicta proponantur, & curet vt examen fiat ſuo tempore.* Infrà hoc cap. §. *Porro Epiſcopus.*

8 *Debeat Epiſcopus ſtatim.*] Hoc examen agere, edicta proponere & alias prouiſiones facere, provt in hoc Decreto ſpectat tantùm ad Epiſcopum, & non ad alium inferiorem, vel Capitulum: non obſtante etiam quod ipſe inferior ex immemorabili conſuetudine haberet huiuſmodi ius cumulatiuè in loco ſuæ iuriſdictionis (dummodo in ipſius Epiſcopi diœceſi Parochialis poſita ſit) etiam Vicarium conſtituere, & omnia alia facere, niſi inferior Ordinario haberet ius congregandi Synodum.

9 *Idoneum in ea Vicarium.*] Hic Vicarius debet habere cuſtodiam & adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſiæ, etiam illius, cuius inſtitutio non ad Epiſcopum, ſed ad inferiorem ſpectaret, non obſtantibus his, quæ traduntur per Doct. *in cap. cum vos, de Off. Ordin.*

Mercenarij quidam, ex antiquiſſima conſuetudine ab Ordinario commendari ſolent ad ſex menſes ſacerdotibus per vicinos præſentatis: quibus elapſis nunquam vel raro ſacerdos ipſe prorogationem, vel nouam prouiſionem requirit, ſed vigore dictæ primæ expeditionis, ad Rectoris vel hominum libitum, in ipſo munere iure perſiſtit. At ſi vicini illi probarent legitimè Ius patronatus validum provt Concilium requirit *Seſſ. 25. c. 9.* permittendum eſſet illis præſentare inſtituendos, præuio tamen examine, ex hoc cap. ad denegandam expreſsè illis facultatem ſemel inſtitutos amouendi ad eorum nutum.

Congregatio cenſuit, pro collatione & inſtitutione harum Eccleſia-

cleſiarum curatarum, ſeu deputatione Vicarij, *vt Seſſ.6.cap.2. & Seſſ. 7.cap.7.& cap 8.&c.* Cancellarium poſſe in ſingulas accipere mercedem ſuo labori conuenientem, quæ tamen pro ſcriptura, ſigillo, & cæteris omnibus computatis vnum aureum non excedat, & dummodo ipſi Cancellario ſalarium nullum pro officio ſuo exercendo præſtitum ſit, & ex pecunia, quam accipit, nihil prorſus emolumenti collatores, aut inſtitutores vllo modo directè vel indirectè, percipiant.

10 *Cum congrua.*] Duorum aureorum (attentis certis circumſtantiis) pro ſingulis menſibus viſa fuit congrua portio fructuum portionis in aſſignatione vt conſtitueretur. Et hoc ipſum poteſt, Sede vacante, Capitulum. Quòd ſi in penſionis aſſignatione grauamen intulerit, poterit vnius Epiſcopi corrigere.

11 *Porrò Epiſcopus.*] Hoc examen omnino ad Epiſcopum Ordinarium ſpectat, in cuius Diœceſi Parochialis eſt. Collatio autem fit ab eo, ad quem de iure ſpectabat, & ſi inferior haberet prouiſionis ius cum Ordinario, debet, habitâ notitia vacationis Parochialis, coram Notario declarare ſe velle dictam Parochialem conferre, & ideò rogare Epiſcopum, vt proponat edicta, & hac ratione tuebitur prouiſionis ſuæ ius. *Suprà, hoc cap. §. Archidiaconus, & §. Quoties autem.*

Congregatio Concilij cenſuit, Vicarios perpetuos in parochialibus Capitulo vnitis non eſſe præuio concurſu inſtituendos. Cenſuit quoque, Epiſcopum poſſe occurrente vacatione beneficij curati admittere ad concurſum aliquem habentem beneficiuum curatum: ſed ſi is obtinuerit illud per concurſum, & ſic vacauerit primum beneficium per adeptam poſſeſſionem pacificam alterius curati, poterit Epiſcopus iterum ponere edicta noui concurſus, pro beneficio illo vacante.

12 *Et qui Ius patronatus habet.*] Congregatio iamdudum cenſuit, hoc cap. non requirere examen per concurſum ad Parochialem, quæ ſit Iuris patronatus laicorum validè; ideò admittendum ad eam illum, qui intra tempus Iuris patronatus laicis præfixum, fuerit ab ipſis præſentatus, ſi à deputatis examinatoribus idoneus repertus fuerit.

13 *Coram deputandis examinatoribus nominet.*] Cùm nominatio patrono Eccleſiæ facta fuerit, poteſt Epiſcopus etiam alios idoneos ad concurſum admittere.

14 *Per edictum etiam publicum vocentur, qui volunt examinari.*] Congregatio cenſuit, ſi vnus tantum ad concurſum comparuerit intra triennium, poſſe ſolùm examinari & approbari.

Item, vnico comparente non debet prorogari terminus, & proponi aliud edictum, ſed ille qui comparuerit, examini ſubiiciendus eſt, &, ſi idoneus repertus fuerit, eidem beneficium eſt conferendum, niſi qui deſcripti ſunt, excuſent ſe legitimo impedimento

detineri, quo minus valeant ad concurſum accedere: tunc enim poterit Epiſcopus legitimè terminum prorogare.

Item, ſi Epiſcopus ſemel edictum propoſuit per concurſum, & ex multis examinatis nullus repertus ſit idoneus, licet Concilium non videatur neceſſariò requirere edictum per concurſum, fuit tamen tutiùs iudicatum, aliud edictum proponi; & ſi nemo comparuerit idoneus, tunc alicui, præuio examine, ſine concurſu beneficium conferetur.

A reprobatione examinatorum datur appellatio ad effectum deuolutiuum, ſed non ad ſuſpenſiuum: & qui tranſacto tempore comparuit, minimè eſt audiendus aut admittendus ad concurſum.

Hoc Decretum de concurſu, non habet locum in beneficiis quæ Regularibus conferri conſueuerunt.

Examen concurſus in parochialibus eſt neceſſarium, etiam in illis locis, vbi ſunt factiones & partialitates, ob quas timentur ſcandala in concurſibus peragendis.

Doctor ſiue Licentiatus in Theologia, ſiue in iure Canonico, & in publica Vniuerſitate graduatus, non excuſatur ab examine quando petit prouideri de aliqua Eccleſia Parochiali.

Omnis cura, & diligentia adhibenda eſt, ne Epiſcopi iuriſdictionis Venetæ, in parochialium vacationibus, non adhibeant examen per concurſum, ſed curandum eſt, vt Decretum Concilij Tridentini & motus proprij S. D. N. in huiuſmodi omnino ſeruentur.

Examen concurſus non eſt neceſſarium in dignitate, quæ Parochialem perpetuò, ſed acceſſoriè vnitam habet. *Infrà, hoc cap.* §. S. D. N.

In parochialibus vacantibus per reſignationem quam vocant in fauorem, concurſus fieri non debet, cùm propriè non dicantur vacare; prouiſiones tamen iſtarum Ordinariis committantur, qui examinatis, non autem per concurſum, prouiſis, ſiue reſignatariis, & idoneis repertis parochiales huiuſmodi conferant.

In prouiſionibus à Sede Apoſtolica ſpecialiter factis *in forma dignum*, non eſt neceſſaria, nec de iure debet fieri examinatio, quæ fit per concurſum. Adeò vt familiaris Papæ, qui de eiuſdem commiſſione examinatus & approbatus fuit Romæ, ab Ordinario debeat haberi tanquam ſi fuiſſet approbatus & examinatus ab ipſomet Ordinario

Archiepiſcopo Cæſar-auguſtano, qui noluit ad examem recipere habentem titulum parochialis à Papa per obitum in curia, aliàs ab ipſo Archiepiſcopo approbatum in eadem Eccleſia: ſcriptum fuit, vt vel ipſe cum examinatoribus examinet *in forma dignum*, vel committat Ordinario viciniori.

Reſignans parochialem cuidam, qui per multos annos in curia

per-

permanſit, petiit vt examineretur in curia, coram deputatis examinatoribus, & hoc iſtis partibus conceſſum fuit.

Habens Parochiam, ſi per triennium ſeruiuit ab Ordinario approbatus, modo non fuerint examinatores in Synodo conſtituti, remittatur examinandus ad Ordinarium viciniorem, & ſimul ad eiuſdem examinatores.

S.D.N. ex ſententia Congregationis Concilij declarauit examen, quod ex Decreto hoc faciendum eſt per concurſum in collatione Parochialium, non oportere fieri in prouiſione dignitatis nuncupatæ, licet ei ſit vnita Parochialis Eccleſia, dummodo hæc vnita auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ac perpetua & acceſſoria ſit. *Supr. hoc cap.* §. *Examen.*

Petentibus Ieſuitis, an Parochia Toletana in Monaſterium erecta, & vnita eorum Collegio regi poſſit à deputato ab ipſis, modò ſit approbatus ab Ordinario, cenſuerunt Illuſtriſſimi Cardinales poſſe.

15 *Examinentur ab Epiſcopis.* ] Licet Epiſcopis capellanos ſeu coadiutores ad exercendam curam animarum deputatos à Capitulo, ſeu à quocúnq; id auctoritatis habente, examinare, nec permittitur illis abſque eius approbatione curam exercere, vel Sacramenta adminiſtrare.

Hoc Decreto comprehenduntur Parochiales ſæculares, quarum collatio ſpectat ad Abbates & alios collatores inferiores.

16 *Ab eius Vicario generali.* ] Vicarius Sede Epiſcopali vacante, in locum examinatorum abſentium, vel defunctorum, alios auctoritate propria ſufficere poteſt, ſed curare debet, vt elapſo anno alij in locum demortuorum ſufficiantur ſeu eligantur in Synodo, alioquin pro legitimis non habebuntur, qui ſupererunt.

In permutationibus Eccleſiarum Parochialium, non requiritur examen: ſi tamen adſit aliqua inæqualitas numeri Parochianorum, vel permutantes non fuiſſent examinati eo tempore quo Parochiales adepti ſunt, tunc eos examinandos eſſe declaratum fuit, ſed abſque concurſu. Itémque ſi fiat permutatio cum beneficio ſimplici, erit neceſſarium examen, ſed non per concurſum. *Supr. hoc cap.* §. *In prouiſionibus.*

17 *Non paucioribus, quam tribus* ] Tres examinatores adhiberi omnino debent in Parochialibus etiam modici valoris. *Infr. hoc. cap.* §. *Tres ex illis.*

Satisfit huic Decreto, ſi tertius examinator examinauerit, & ſit præſens in approbatione, licet votum ſuum non applicauerit.

In examine per concurſum, examinatores ex prædictis deputatis in Synodo adſint, & idem numerus à Concilio præſcriptus in omnibus examinibus, tam ad minores, quam ad maiores Parochiales ſeruandus eſt.

18 *Quorum votis.* ] Licet Concilium non expreſſerit, an vota exami-

natorum palam, aut ſecretè fieri debeant: magis tamen expedit vt examinatores palam inter ſe ſua vota conferant, deinde Notario iubeant, vt in actis ſuis ſimpliciter ſcribat, Titium approbatum idoneum, vt Romæ fit, ſecus verò, reprobatum.

19 *Accedere poſſit Epiſcopus.*] In hoc caſu Epiſcopus tantùm, vel eius Vicarius habet votum deciſiuum.

Epiſcopus non poteſt admittere in Parochialibus in ſuis manibus reſignatis conſanguineos, familiares, tam ſuos quam reſignantium, ex Bulla Pij V. anni eius 3. Kalend. April.

20 *In Diœceſana Synodo*] Eligendi ſunt in illa Synodo examinatores, qui examinent promoueri volentes ad Parochiales: eligendi ſunt & iudices Eccleſiaſtici, quibus Eccleſiæ cauſſæ ex Concil. Trident. Decreto committendæ ſunt.

21 *Qui Synodo ſatisfaciant.*] Horum officium non exſpirat per mortem Epiſcopi.

22 *Adueniente que vacatione, &c.*] Datarius teſtatur Papam prouidere de Beneficiis vacantibus in menſibus etiam non reſeruatis, Sede Epiſcopali vacante, licet de his nulla habeatur reſeruatio, vel in corpore iuris, vel in extrauagantibus, vel in regulis.

23 *Tres ex illis eligat Epiſcopus.*] Hoc ſeruandum eſt tam in Eccleſiis tenuioris reditus quàm in Parochialibus modici valoris.

Concil. Trident. non ſtatuit preciſsè, vt examinatores ſint tres, ſed quod non poſſint eſſe pauciores tribus. Itaque ſi tres ſunt tantùm examinatores, vota non poſſunt eſſe paria, ſed ſingularia, quando ſinguli ſingula approbant.

24 *Nec ante, nec poſt accipiant.*] Quacúnque etiam immemoriabili conſuetudine non obſtante.

25 *Idonei iudicati fuerint.*] An obtinentem beneficium curatum oporteat eſſe Diaconum, vel ſaltem Subdiaconum, cùm intra annum debeat promoueri ad Sacerdotium? Congregatio cenſuit non oportere.

26 *Ætate.*] Epiſcopo Cremonenſi poſtulanti an iis, qui à ſe ſcriptum Teſtimonium auferre volunt, quod ſint idonea ætate adminiſtrandi Parochiales, dare debeat in genere, an in ſpecie, illi Parochiæ? reſponſum eſt examinandos eſſe in genere.

27 *Moribus, doctrina.*] Præferendus minus doctus (modò idoneus, & quando eius mores ſunt noti & approbati) doctiori, cuius vita ignoratur.

28 *Ex hiſq; Epiſcopus eum eligat.*] Non prohibetur, quòd ſi vnus tantùm comparuerit in concurſu, atque repertus fuerit idoneus, ei debeat Eccleſia conferri. *Supr. hoc c. §. Item vnico.*

29 *Magis idoneum.*] Etiam caſu quo collatio pertineat ad Abbates & alios inferiores collatores.

30 *Illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat ad quem ſpectabit.*] Conſtitutiones Sanctæ memoriæ Pij V. ſuper collatione Parochialium Eccle-

Eccleſiarum 15. Kal. April. 1566. S. D. N. Gregor. XIII. audita relatione Congregat. Concilij reſpondit, non habere locum, niſi in ijs Diœceſibus in quibus fuit coacta Synodus Diœceſana, & in ea iuxta formam huius cap. fuerunt deputati examinatores.

31 *Si verò Iuris patronatus.*] Idem dicendum eſt & obſeruandum in collatione & inſtitutione Iuris patronatus mixti, ſcilicet partim Laici, partim Eccleſiaſtici.

Non habet locum hoc Decretum contra inſtitutionem & fundationem, nam ſeruanda eſt lex in inſtitutione & fundatione poſita: attamen præſentatus eſt examinandus, & approbandus ab Ordinario, citra concurſum, ſiue id repugnaret inſtitutioni, ſiue fundationi.

Epiſcopus inſtituere debet in beneficio præſentatum ab Eccleſiæ Patrono, ſi digniorem elegerit ex approbatis ab examinatoribus.

32 *Quem patronus digniorem inter approbatos.*] Ad eundem Patronum Eccleſiæ ſpectabit (quando duo æquè idonei ab examinatoribus fuerint iudicati) eligere vtrum voluerit ex approbatis.

Si beneficium curatum Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici in menſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis vacauerit; Epiſcopus ipſe Ordinarius nulla habita ratione Patronorum, debet edicta concurſus proponere, & idoneum eligere, ac Romam mittere inſtituendum cum fide Ordinarij; ſicut fit in alijs curatis, quæ non ſunt de Iure patronatus.

33 *Ab alio, quàm Epiſcopo hoc ſeruetur.*] Etiamſi inſtitutio eſſet facienda à Papa, quia tunc ſolus Epiſcopus eligit. Ita Congregatio cenſuit, & Sanctiſſimus voluit, quia Epiſcopus melius cognoſcit perſonas.

Si inſtitutio iſtarum Parochialium de Iure patronatus Eccleſiæ ad inferiores pertineant, licet ad exemptos, etiam abbates, nihilominus Epiſcopus Ordinarius debet edicta concurſus proponere, & tunc inferior inſtituat magis idoneum approbatum ab Epiſcopo: quod ſi ſecus factum fuerit, collatio eſt nulla.

34 *Quod ſi Iuſpatronatus Laicorum.*] Speciale eſt in Iure patronatus Laicorum, vt non requiratur concurſus in collatione Eccleſiæ Parochialis: ſed ſi ea ſit Iuris patronatus partim Eccleſiaſtici, partim Laici, ſeruanda eſt forma examinis per concurſum hic poſita, ſicut Concilium præſcribit in conferenda Parochiali, quæ ſit iuris patronatus merè Eccleſiaſtici. Idem dicendum eſt, quando iuſpatronatus ex duabus partibus pertinet ad Laicum, & pro vna tantum ad Eccleſiaſticum.

Eueniente vacatione Parochialium de Iurepatronatus Laicorum quando plures ſunt præſentati, requiritur examen per concurſum inter ipſos præſentatos tantum, vt ex his qui peracto examine idonei ab examinatoribus renuntiati ſunt, Epiſcopus eum eligat quem

ceteris

ceteris magis idoneum iudicauerit, atque illum & non alterum inſtituat, iuxta hoc Decretum.

Poterit & debebit Epiſcopus cogere prouiſos poſt Concilium de beneficio Iuriſpatronatus ad oſtendendum titulum prouiſionis, & eos, quos inuenerit habere parochiales huiuſmodi ſine approbatione, Ordinarius admittet ad nouum examen, & eis idoneis repertis dabit confirmationem.

Rector ſemel deputatus non poterit ad nutum amoueri à Patronis, etiamſi allegarent ſe eſſe in poſſeſſione ita faciendi, & Ius patronatus eſſet alicuius Communitatis, ſed perpetuò illius Eccleſiæ remanebit. Hoc idem fuit declaratum in præſentatione Communitatis Campi Toſti, quæ allegabat antiquam conſuetudinem amouendi Rectorem ad libitum.

35 *Non cuiquam alteri, quàm vni ex prædictis examinatis* ] Iuriſdictio & quaſi poſſeſſio immemorabili tempore præſcripta à Capitulo exercendi curam in ciuitate, per deputandos ad id Capellanos adiutores ad nutum amouibiles, non poſſunt efficere quo minus deputatos poſt Concilium, liceat Epiſcopo huiuſmodi examinare, & approbare.

36 *Aut appellatio.*] Datur nunc appellatio ex Bulla Pij V. quæ incipit, *In conferendis*, caſu videlicet eo quo Epiſcopus minus habilem poſthabitis magis idoneis poſt examen per concurſum debitum elegerit. Etenim ij qui reiecti fuerint, à mala electione huiuſmodi ad Metropolitanum, vel, ſi ipſe eligens fuerit Metropolitanus aut exemptus, ad viciniorem Ordinarium &c.

37 *Subreptitia eſſe cenſeantur* ] Examen omiſſum in Parochialibus per concurſum vitiat collationes, & prouiſiones Parochialium Eccleſiarum, factas poſt publicationem Concil. Tridentini, & prædictæ parochiales ita collatæ vacant, eorumque collatio ad Sedem Apoſtolicam ſpectat.

38 *Poterit Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia, &c.*] Ex hoc verbo, *Ordinarius*, intelligitur hoc Decretum locum habere etiam in aliquibus inferioribus Prælatis: ſiquidem inferior Epiſcopo, ſed qui omnimodam habet iuriſdictionem Epiſcopalem, nec alicui ſubditur, ſed eſt immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiectus, nullius Diœceſis proprium territorium habens, ſi habet ius congregandi Synodum, & legitimè conſtet illum congregaſſe & elegiſſe examinatores, poterit concurſum inſtituere, examinare, ac Oeconomos Vicarios deputare, denique omnia illa, quæ per hoc Decretum Epiſcopo præcipiuntur, præſtare.

Epiſcopus vacante parochiali, propoſuit edicta ex hoc cap. & infra decem dies, quatuor comparuerunt, qui adſcripti fuerunt iuxta formam Concilij, ſed in die pro concurſu & examine deputato, duo tantum ex ipſis quatuor comparuerunt, qui examini ſe ſubiecerunt, & idonei reperti ſunt: dubitatum itaque fuit, an examen prædictum

ctum ſubſiſteret, ex quo duo alij adſcripti non fuerunt examinati, cum Concilium præcipiat, quod omnes adſcripti, examinentur? Congregatio cenſuit examen, iſtud validè ſubſiſtere, quia verba Concilij intelliguntur, quatenus veniant ad examen, alias in poteſtate vnius eſſet nolle venire, impediréque ne vlterius procederetur, quod dici non debet.

Qui, cum non ſit examinatus, obtinet Parochialem (in qua virtute huius Concilij nullum ius habet) ſi examini ſe ſubiicere vult, audiendus eſt, & idoneus repertus, admittendus ſeu confirmandus.

## *Ex bulla Pij V. Quæ incipit,* In conferendis, *deſumuntur ſequentia.*

COllationes, prouiſiones & quaſuis deputationes Parochialium Eccleſiarum ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, & à quibuſuis aliis collatoribus tam Ordinariis, quam delegatis, & S. R. E. Cardinalibus, & Sedis Apoſtol. delegatis, vel Nuntiis præter & contra formam à Concil. Trident traditam, præſertim in examine per concurſum faciendo præſcriptam factas, aut in futurum faciendas; nullas irritas & nullius valoris, vel momenti fore & eſſe, nullumq; ipſis ius aut titulum etiam coloratum poſſidendi præbere volumus. Et Parochiales Eccleſias huiuſmodi, vt prius ante collationes iſtas vacabant, etiam nunc vacare, eaſque omnes pro tempore ſic vacantes noſtræ & Sedis Apoſtolicæ, & non aliorum, quibus ius conferendi (præterquam ſi ſit Epiſcopus vel Archiepiſcopus, cui curam dicti examinis iuxta Decret. Concil. Trident habere non debent) competit, diſpoſitioni reſeruamus.

Si Epiſcopus minus habilem poſthabitis, magis idoneis poſt examen per concurſum habitum elegerit, poſſunt ij, qui fuerunt reiecti à mala electione huiuſmodi, ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens fuerit Metropolitanus, aut exemptus, ad viciniorem Ordinarium, vt Sedis Apoſtolicæ delegatum, aut alias ad dictam Sedem Apoſtolicam appellare, & præelectum ad nouum examen coram ipſo appellationis iudice, & eius examinatoribus prouocare. Conſtito verò de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque reuocato; Parochialis magis idoneo per eundem iudicem appellationis auctoritate Apoſtolica (quatenus collatio ad Epiſcopum, à quo fuit appellatum, ſpectaret) conferatur: aliàs eidem magis idoneo per iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, prouiſio, vel inſtitutio ſpectabit. Hæc tamen appellatio interpoſita interim non impediat aut ſuſpendat, quo minus electio per Ordinarium primo loco facta debitæ executioni demandetur, & prouiſus, ab eadem Eccleſia, cauſſa appellationis huiuſmodi pendente, non, amoueatur. Et ſiquis à ſententia per iudicem appellationis lata duxerit appellandum eſſe, tunc ad Sedem Apoſtolicam appellabit: ſi quid

ſecus in præmiſſis omnibus,& ſingulis,actum aut intentatum fuerit, irritum eſt & inane. *Hæc Bulla publicata dicitur Kal. Aprilis* 1567.

## REMISSIONES.

a Vide Flamin.de Reſignat.l.1.qu.7.nu.7.& li.8.qu.9.n.77.cum ſeqq.Gonzal.ad reg.8.Cancel gl.6.nu.121.cum ſequentib.Latè Nicol.Garſi.de Benefi.p.9.c.2.à n.103.Fr.Petr.de Ledeſm.in ſum. par.2.tract.7.cap.1.concluſ.7.à principio,& præcipuè diffic.13. cum ſeqq.

## *Deciſiones Illuſtriſs. Cardinalium ſacræ Congregat. adductæ à Doctoribus infrà citatis.*

β Prima eſt. Doctor ſiue Licentiatus in Theologia, ſiue in iure Canonico,& in publica Vniuerſitate graduatus, non excuſatur ab examine,quando petit prouideri de aliqua Eccleſia Parochiali,referunt Gonzal.ad reg.8.Cancel.gloſſ.4.nu. 90. Nicol. Garſi.de Benefic.p.9.cap.2.nu.103.& reſoluunt Lambertin. de Iurepatron.p.1. li.2.qu.11.art.3.nu.5.Fuſc.de Viſitat.libr.2.cap.6.num. 10. Rebuff. de priuileg.ſcholar.priuil.86.num.4.Flamin.de Reſignat.lib.8.qu.9. nu.83.& ſeq.Zerol.in praxi Epiſc. p.2. verbo Doctor §. 1. Marc Anton.Genuenſ.in praxi Archiepiſ.Curię Neapol.ca.65.numer.1.ad finem,P.Leſſi.de Iuſtit.li.2.c.34.n.82.Proſper. de Auguſtino in addit. ad Quarant.in ſumma Bullarij, verbo Parochialium beneficiorum collat.q.1. plures ex antiquioribus refert Cened. ad Decret. collect. 15.num.5.

γ Secunda. Hoc decretum non habet locum in reſignationibus factis in manibus Papæ in fauorem,referunt Flamin.de Reſignat.l.1. quæſt.7.num.7.Gonzal ad reg.8.Cancel.gloſſ.6.nu.121.cum ſeqq. vbi etiam reſoluit, quòd reſignatarius prouiſus à Papa, vel mandatum de prouidendo in forma dignum obtinens, dumtaxat examinari debet abſque concurſu, & approbari, ſi idoneus repertus fuerit ad curam animarum,ſiue reſignatarius ſit præſens in Curia,ſiue abſens in partibus,de quo etiam vide Gut.Canon.l.2.c. 11.n.11.Zerol.p.1. verbo Parochia, §.2.dub.5.& 6.Marc.Anton.Genuenſ.d.c.65.nu.1. & 2.Proſper.de Auguſtino vbi ſuprà q. 3.P.Leſſi. d.lib.2.c.34.n.84.

δ Tertia. In permutationibus, quæ fiunt de beneficio ſimplici, & curato,licèt non ſit neceſſarius concurſus, examen tamen neceſſarium eſt. In permutationibus tamen Eccleſiarum Parochialium non requiritur examen: ſi verò adſit magna inæqualitas numeri Parochianorum,vel permutantes nõ fuiſſent examinati eo tempore,quo Parochiales adepti ſunt,tunc eos examinandos eſſe, ſed abſque concurſu,refert Garſ.d.p.9.c.2.n.165.& vide Flamin. d.qu.9.n.95.Læli.

Zechi.

Zechi. de Republ. Eccleſiaſt. c.28.de Parocho nu. 6. Genuenſ.d.cap. 65.num.1. Proſper. de Auguſt. vbi ſupr. qu. 3.

ε Quarta. Examen concurſus non eſt neceſſarium in dignitate, quæ Parochialem perpetuò & acceſſoriè vnitam habet, refert Garſi. d. part. 9. cap. 2. numer. 193. Anaſtaſ. Germon. de indultis Cardin.§. quibuſuis numer.7. Stephan. Gratian. diſceptat. forenſ. cap. 273.num.48.

ζ Quinta. Examen concurſus non debet fieri in prouiſione dignitatis Abbatiæ, tametſi vnita ſit ei Parochialis Eccleſia dummodo hęc vnio auctoritate Sedis Apoſt. ac perpetuò, & acceſſoriè facta ſit, referunt Garſi. d.cap.2.nu.193. Gonzal. ad reg.8. Cancel. gl.5.§.7.nu. 13.& gloſſ.6. num. 162. Proſper. de Auguſtino d.quæſt.3. P. Leſſi. d.cap. 34. num. 82.

η Sexta. In dignitatibus habentibus curam animarum in Eccleſiis Collegiatis, non eſt neceſſarium examen per concurſum, quale requiritur in Parochialibus Eccleſiis, refert Garſi. d.cap.2. nu.195.

θ Septima. Hoc decretum de concurſu non habet locum in beneficiis Regularibus, quæ Regularibus conferri conſueuerunt, referunt Gonzal. ad reg.8. Cancel. gloſ.6. num.162. Garſi. d.c.2.num. 197.& 198.

ι Octaua. In prioratibus Regularibus habentibus curam animarum ſolitis commendari ſæcularibus, non requiritur concurſus, refert Garſi.d.c.2.nu.199.

κ Nona. In Vicariis perpetuis Parochiarum vnitarum non debet fieri concurſus, ſed ſolùm ad nominationem, ſeu præſentationem illorum, quorum dignitati, vel Eccleſiæ Parochialis eſt vnita, & annexa deputandi, & inſtituendi ſunt, refert Garſi. d. cap. 2. numer. 189.

λ Decima. Hoc Decretum habet locum etiam quod Parochiales litigioſæ ſint, quando in illis Summus Pontifex noluerit collitigantem ſubrogare, vel ius demortui in alium transferre, niſi conſtet Sanctitatem ſuam voluiſſe dicto Decreto Concilij derogare, refert Nicol. Garſi. d.cap.2. num.170. vide tamen Gonzal. ad reg.8. Cancellar. gl.6.nu.142.

μ Vndecima. In Parochialibus, quas quis acquirit per regreſſum, non eſt neceſſarium examen, quod intelligendum, ſi eam poſſederit, ſecus ſi eam nunquam poſſederit, refert Nicol. Garſi. d.cap.2.numer. 168.

ν *Vel per reſignationem etiam in curia* ] Intelligi de reſignatione ſimplici non verò de illa, quæ fit in fauorem, reſoluit Gonzal. d. gl.6. nu.122.& ſeqq.

ξ *Etiamſi ipſa Parochialis Eccleſia reſeruata, vel affecta fuerit.* ] Sacra Cardinalium Congregatio ita cenſuit. In beneficiis curatis reſeruatis Sedi Apoſtol. & quibuſuis aliis, etiam ex antiqua conſuetudine, Ordinarij proponunt edicta concurſus, & à Sede Apoſtolica prouiſio fiat approbato ab examinatoribus in Synodo Diœceſana deputa-

puta-

putatis, ſi habet fidem approbationis ab Ordinario, referunt Anaſt. Germ. de Indultis Cardin. §. Quibuſuis, num. 17. Flam. de Reſignat. lib. 10. quæſt. 7. num. 12. Gonzal. d. gloſſ. 6. num. 112. Nicol. Garci. d. cap. 2. num. 154.

o *Porrò Epiſcopus.* ] Quòd hîc etiam intelligatur Abbas, qui habet Ordinariam iuriſdictionem, refert decidiſſe ſacram Cardinalium Congregat. Flores Vari. lib. 3. q. 24. num. 21.

π *Intra decem dies.* ] Quòd etiam vltra alios decem dies poterit prorogari, ſed non vltra, ex Bulla Pij V. & Concil. Cuſent. & Mediolan. Prouinc. refert Zerol. in praxi Epiſcop. par. 1. verbo Parochia, §. 2. dub. 3.

ρ Sacra Cardinalium Congregatio ita cenſuit: Si termino elapſo alter ſuperueniat, vt res integra ſit, admittendus eſt, referunt Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 9. §. 1. num. 115. Nicol. Garſi. d. cap. 2. num. 206.

σ *Ab Epiſcopo, ſiue eo impedito, ab eius Vicario generali.* ] Quòd per hæc verba non tollatur, quin coram Vicario poſſit fieri examen, etiam Epiſcopo non impedito, ſed poſita eſſe ad denotandum conuenire, quòd ab ipſo Epiſcopo ceſſante impedimento fiat examen, reſoluit Garſi. d. c. 2. nu. 117.

τ *Caueantq; ne quidquam prorſus occaſione huius examinis nec antè, nec poſt accipiant.* ] Vide Zerol. d. verbo Parochia §. 2. dub. 11. P. Soar. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 49. nu. 2. Nicol. Garſi. d. p. 9. cap. 2. nu. 368. cum ſequentib. Vide quæ tradunt Menoch. de Præſumpt. lib. 5. q. 8. num. 7. Anton. Gabr. lib. 1. de Præſumpt. concluſ. 13. num. 6. cum ſeqq. optimè Farin. conſ. 75. numer. 3. & 48. bene Petr. Ledeſm. d. cap. 1. concl. 7. propè finem.

υ Sacra Cardin. Congreg. ita cenſuit: Non poteſt Ordinarius ſtatuere aliquod ſtipendium, etiam minimum, examinatoribus deputatis in Synodo pro concurſu Parochialium, & ſi Synodus diœceſana ſecus ſtatuerit, decretum eſſe irritum, & nullum, refert Garſi, d. p. 9. cap. 2. num. 374. contrarium tamen in Eccleſiis Hiſpaniæ communi vſu receptum eſſe teſtatur Petr. de Ledeſm. d. concl. 7. prope finem verſ. *La difficuldad*, pag. 159.

φ *Peracto deinde examine, &c.* ] Sequuntur deciſiones Illuſtriſſ. Cardinal. Sacræ Congreg. adductæ à Nicol. Garſi in locis infrà citatis.

χ Prima. Examinatores peracto examine debent eos ex communi ſententia renunciare Epiſcopo, quos idoneos reperient, refert Nicol. Garſi. de Beneficiis p. 9. cap. 2. num. 104.

ψ Secunda. Non ſpectat ad examinatores, ſed ad Epiſcop. eligere ex approbatis magis idoneum, refert Garſi. d. cap. 2. num. 108.

ω Tertia. Examinatores debent ſolùm renunciare duos, vel tres, verbi gratia, examinatos idoneos, deinde Epiſcopus abſq; votorum calculo, ſed ſuo iudicio eligere debet digniorem, refert Garſi. d. cap. 2. num. 109.

αα Quarta. An ſi pluribus examinatis aliqui vltra dimidiam vocum

fuerint

fuerint conſequuti,& ſic approbati,& vnus omnia ſuffragia proſpe-ra reportauit, Epiſcopus facta per examinatores relatione poſſit, poſtpoſito illo,in quem omnia ſuffragia confluxerunt, alium ex eis eligere,qui vltra dimidiam partem vocum habuerunt, cùm omnes approbati dicantur?Reſpondit Congregat.poſſe, refert Garſi. d.ca.2. num.109.

ββ Quinta. Licèt Concilium non expreſſerit, an vota examinato-rum palam,aut ſecretè fieri debeant, magis tamen expedit, vt exa-minatores palam inter ſe ſua vota conferant,deindeNotario iubeat, vt in actis ſuis ſimpliciter ſcribat Titium approbatum idoneum, Se-ium verò reprobatum,refert Garſi.d.c.num.107.

γγ *Quotcunque ab his idonei iudicati fuerint ætate moribus, &c.* ] In dubio ſpectare ad examinatores renunciare, quis ſit magis idoneus, dicit Zerol.in praxi Epiſcop.p.1. verbo Parochia §. 2. in princip. Et examinatores ab Epiſcopo, vel Vicario, quibus beneficia proui-deri incumbit, accerſitos, teneri ſignificare, & ſubſcribere quis ſit dignus,& quis dignior,ſub peccato mortali, tenent Barthol. Me-din.in ſum.lib.1. cap. 14. §. 42. Fr. Ludou. Lopez in inſtruct. con-ſcient.tom.1.cap.127.Petr.Ledeſm.in ſumm.tract.7.cap.1. concl.7. diffic.13.

δδ Primò præferri graduatum in aliqua ſcientia dicit Caputaq.de-ciſ.177.part.1.& Puteu.deciſ. 200.lib. 3. Secundò originarium ciui-tatis,Bellarmin.deciſ.591.& poſſe eligi dignum de gremio Eccleſiæ, poſthabito digniore, iuxta l.in Eccleſiis, Cod. de Epiſcopis & cleri-cis,reſoluit Pat. Valeri. Reginal. in praxi fori pœnitentiæ, lib. 30. tractatu 3. numer. 100. 3. Præferri magis literatum aſſerit Farina-cius Rom.deciſione 677.4.Maiori habilitate præditum, veluti pru-dentia,integritate,& maturioritate, refert Farin. deciſ. 638. & præ-ferri minùs dignum, quando in eo concurrunt pietatis, miſericor-diæ, vel vtilitatis publicæ argumenta. teſtatur Pat. Valeri. Reginal. d.numer.100. 5. Præferri minùs doctum, modo idoneum, quando eius mores ſunt noti,& approbati,doctiori,cuius vita ignoratur,re-ferunt Gonzal.ad reg.8.Cancel.gloſſ.4. num.112. & Garſi d. par. 9. cap.2.num.111. Et quòd peccatum mortale committatur, quando alter dignus eligitur,prętermiſſo digniore,tenent Sot. lib.3.de Iuſti. qu.6.art.2.Cou.in reg.Peccatum,p.2.§.7. num.4. Petr.Nauar.lib.2. de Reſtit.c.2.n.120.Valent.2.2.diſp.5.qu.7.puncto 2.§.2.quæritur. P.Azor.inſt.moral.p.2.l.6.c.15.qu.1.Pat.Valeri.Reginald.d.tract.3. nu.195.Sayr.deciſ.22.dePœnitent.Alexan.Raudenſ.deciſ.35.Aloyſ. Ricci.in collect.deciſ.p.4.collect.931.Stephan.Gratian.deciſ.97. vbi reſoluit,non teneri ad reſtitutionem, niſi quando beneficium debe-tur digniori,ex aliquo ſtatuto,vel lege.

εε An prouiſio parochialis ſit nulla,ſi examinatores relationem fe-cerint ſolùm de literatura,examen verò circa mores, ætatem, & re-liqua Epiſcopo relinquatur?Reſoluit Cōgreg. cenſuiſſe teneri facere

relationem circa mores ætatem,& reliqua, Nicol. Garſi.de Beneſic. p.5.c.7.n.11.verſ.Ad tertium,& p.6.c.2.num.238.

ζζ *Is quem patronus digniorem inter approbatos ab examinatoribus iudicabit, &c.* ] Vide Nauar. conſ.5. de Iurepatron. Marc. Anton. in praxi Archiep.Curiæ Neapol.c.65.nu.5.Zerol.in praxi Epiſcop. p.2. verbo Iuſpatronatus §.10.Pat.Azor.inſtit.moral.p.2.lib.6.ca.21.q.15.Alexand.Raudenſ.Piſana deciſ.33.Aloyſ.Ricci. in Collect. deciſ. p.2.collect.278.

ηη Sacra Card. Cōgreg.ita cenſuit:Si Eccleſia Parochialis ſit iuriſ. patronatus partim Eccleſiaſtici,partim laici, ſeruāda eſt forma examinis per concurſum hic poſita,quam Concilium præſtitit in conferenda Parochiali, quæ ſit iuriſpatronatus merè Eccleſiaſtici: & idem dicendum eſt, quando iuſpatronatus pro duabus partibus pertinet ad laicum,& pro vna tantum ad Eccleſiaſticum, referunt Gonzal.ad reg.8.Cancel.gl.6. numer. 135. Garſi. d.p.9.cap.2. nu. 278.

θθ *Ab alio.*]Sacra Card.Congreg.cenſuit verba illa, *Ab alio*,intelligenda eſſe de inferiori Collatore,refert Garſi.d.c.2.num.275.

ιι *Quòd ſi iuſpatronatus laicorum fuerit, &c.* ] Vide Flamin. de Reſignat.lib.8.qu.9.num.111.Zerol.in praxi Epiſcop.p.1.verbo Parochia,§.7.pag.271.Læli.Zechi.de Republ.Eccleſiaſt.cap.28.numer.6. pag.325.

κκ Sacra Card.Congreg.ita cenſuit: Examen per concurſum fieri non debet in vacatione Parochialium, quæ ſunt iuriſpatronatus laicorum,ſed ſufficit,quòd deputatus à patronis examinetur ab examinatoribus in diœceſana Synodo deputatis, & idoneus iudicetur, prout ſtatuit hic Concil.Trident.non poſſunt tamen patroni, quacunque conſuetudine contraria non obſtante, ad nutum amouere ſemel inſtitutos,& Rectorem deputatum,referunt Flamin.de Reſig. lib.8.qu.9.num.111.Zechi.d.cap.28.de Parocho num. 6.Marc.Anton.Genuenſ.d.cap.65.nu.2.P.Leſſi.de Iuſtit.lib.2.cap. 34. nu. 58.& 81.Gonzal.ad reg.8.Cancel.gl.6.nu.134.Garſi.d.part.9.c.2.nu.255.

λλ Sacra Card.Congr.etiam ita cenſuit: Veniente vacatione Parochialium de iurepatronatus laicorum, quando plures ſunt præſentati,requiritur examen per concurſum inter ipſos præſentatos tantùm,vt ex his,qui facto examine idonei ab examinatorib.renunciati fuerint,Epiſcopus eum eligat,quem cæteris magis idoneum iudicauerit,atq; illum,& non alium inſtituat,iuxta hoc decretum,referunt Gonzal.d.gl.6.n.138.Garſi.d.c.2.nu.256.

μμ *Vlla deuolutio, aut appellatio, &c.*] Vide Azeued.ad l.1.num. 4.tit. 16.l.3.nouæ Recopil.pag.376.Gonzal.ad reg.8.Cancel.gl.9.§.1.in annot.contra nullit.n.186.& 209.& d.gl.6.n.163.cum ſeqq.vbi quid in ſecunda inſtantia.

νν *Alias, prouiſiones omnes, &c.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſcop. p.1. verbo Parochia §.2.pag.270.Comprehendere etiam prouiſiones Papæ dicit Garſi.d.c.2.num.366.

ξξ Sacra

g Sacra Card. Congreg. cenſuit, collationem Parochialis factam ſine examine per concurſum, eſſe nullam, & irritam, & præfatas Parochiales eo modo collatas vacare, earúmque collationem ad Sedem Apoſtol. ſpectare, refert Zerol. d. verbo Parochia, §. 2. dub. 2.

## CAPVT XIX.

*Expectatiuis hactenus conceſſis vti, nulli fas eſto. Reſeruationes mentales, &c. nulli concedantur.*

a DEcernit ſancta Synodus, 1 *Mandata* de prouidendo, & gratias, *quæ Expectatiuæ dicuntur*, nemini, ampliùs *&* *etiam* 2 *Collegiis*; a Vniuerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quouis colore concedi, nec hactenus conceſſis cuiquam vti licere. b *Sed nec reſeruationes mentales*, nec aliæ quęcumq; gratię ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel monaſteria alicui, etiam ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, concedantur, & hactenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur.

a *Vide Seſſ. 25 cap 9.*

b *c. 2. de conceſ. præb. & c deteſtanda, eo tit. in 6.*

## DECLARATIONES.

1 *Mandata quæ expectatiuæ dicuntur.* ] Expectatiuæ ſunt omnino ſublatæ, etiam ſi illæ factæ ſint de conſenſu Ordinariorum.

Decretum hoc Expectatiuarum abrogatarum intelligi debet, vt ſonat ad litteram, & non debet extendi etiam ex identitate rationis.

Sua Sanctitas, ex ſententia Congregationis cenſuit, primarias preces Cęſareæ Maieſtatis non comprehendi hoc Decreto anno Dom. 1575. die Ianuar. 25. ſic dictum eſt in vna Cameracenſi.

Ex hoc Decreto Expectatiuarum abrogatarum colligitur, non poſſe erigi ab Epiſcopo Canonicum ſupranumerarium ad futuram præbendam.

2 *Collegiis.* ] Neque ipſa Capitula Eccleſiarum poſſunt Canonicos ſupranumerarios creare ſuper futura præbenda.

## REMISSIONES.

a VIde Rebuff. in praxi benefic. titul. de Reſcriptis ad beneficia vacantia, optimè Gonzal. ad reg. 8. Cancel. §. 1. procem. n. 57.

cum multis ſequentib. Coraſ. in Paraphraſi beneſi. part. 4. cap. 5. P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœniten. lib. 30. tract. 3. à numer. 266.

β *Etiam Collegiis, Vniuerſitatibus, &c.* ] Quod ſi non expreſſiſſet, non comprehenderentur, reſoluit Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 37. num. 22.

γ Sacra Cardinal. Congreg. ita cenſuit: Expectatiuæ ſunt omnino ſublatæ etſi illæ factæ ſint de conſenſu Ordinariorum, refert Gonzal. d. §. 1. procem. nu. 63. vbi num. 64. reſoluit ex hoc Decreto expectatiuarum abrogatarum colligi non poſſe erigi Canonicatum ſupranumerarium ad futuram præbendam.

δ *Sed nec reſeruationes mentales, &c.* ] Quòd mentalis reſeruatio erat, quando Papa reſeruabat beneficium, vel in ſpecie, vel in genere, per Bullam, vel per Breue, vt perſonæ gratæ prouideret, quam non exprimebat, ſed in mente retinebat, & ſic in nullius perſonæ expreſſæ fauorem facta fuerat reſeruatio, tunc enim dicebatur mentalis, quaſi in mente retenta quoad prouiſionem perſonæ, reſoluit Gonzal. dict. §. 1. procem. num. 67.

## CAPVT XX.

*Cauſæ omnes ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, in prima inſtantia coram Ordinariis locorum cognoſcantur, & infra biennium terminentur, ex quo licebit ad alium iudicem appellare, imò & antè in aliquo caſu. Cauſas matrimoniales & criminales ſolus Epiſcopus cognoſcat, etiam caſu quo controuertitur de huiuſmodi cauſæ cognitione, &c. Legati de latere non procedant contra clericos, aliaſve perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito & negligente. Agitur de expenſis Actorum, & mercede Notarij copiam Actorum dantis appellanti, &c.*

1 C*Auſæ omnes*, ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſi beneficiales ſint, 2 *in prima inſtantia* α *coram Ordinariis* locorum dumtaxat cognoſcantur: atque omnino, *ſaltem* 3 β *infrà biennium* à die γ *motæ litis*, a terminentur: δ *alioquin poſt id ſpatium* liberum ſit partibus, vel alteri illarum iudices ſuperiores, aliàs tamen competentes, adire, qui cauſam in eo ſtatu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimùm terminari curent; nec antea aliis committantur, nec auocentur: 4 *neq; appellatio-*

a *infr. ſeſſ. vlt. de ref. c. 10. in fi.*

*lationes* ab eiſdem interpoſitæ, 4 *per Superiores* quoſcumque recipiantur; eorumve commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi à definitiua, *vel* 5 ζn *à definitiuæ vim habente*, 8 &c. *& cuius grauamen* per appellationem 6 *à definitiua reparari nequeat.* ξ *Ab his excipiantur cauſæ*, quæ [a] iuxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ; vel quas ex vrgenti, rationabiliq; cauſa iudicauerit ſummus Romanus Pontifex per ſpeciale reſcriptum Signaturæ Sanctitatis ſuæ, manu propria ſubſcribendum, committere, aut auocare. 7 ϖ *Ad hæc*, 8 *cauſæ matrimoniales*, 9 *& criminales*, 10 *non Decani*, 11 *Archidiaconi*, 12 *aut aliorum inferiorum iudicio*, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini, & iuriſdictioni relinquantur; etiam ſi in preſenti inter Epiſcopum, & Decanum, 13 *ſeu Archidiaconum*, aut alios inferiores ſuper cauſarum iſtarum cognitione lis aliqua in quacunq; inſtantia pendeat: coram quo, ſi pars verè paupertatem probauerit, non cogatur extra prouinciam nec in ſecunda, nec in tertia inſtantia in eadem cauſa matrimoniali litigare; niſi pars altera & ρ *alimenta*, *& expenſas litis* velit ſubminiſtrare. Legati quoque, etiam de latere, nuncij, Gubernatores Eccleſiaſtici, aut alij quarumcumque facultatum vigore, non ſolùm Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum iuriſdictionem iis præripere, aut turbare non præſumant; ſed nec etiam contra Clericos, aliaſve perſonas eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito, σ *eóque negligente*, procedant: aliàs eorum proceſſus ordinationeſve nullius momenti ſint, atque ad damni ſatisfactionem, partibus illati, teneantur. τ *Prætereà, ſi quis in caſibus à iure permiſſis* appellauerit, aut de aliquo grauamine conqueſtus fuerit; ſeu aliàs ob lapſum biennij, de quo ſuprà, ad alium iudicem recurrerit; teneatur acta omnia, coram Epiſcopo geſta, ad iudicem appellationis 14 *expenſis ſuis transferre*; eodem Epiſcopo priùs admonito, vt, ſi quid ei pro cauſæ inſtructione videbitur, poſſit iudici appellationis ſignificare. Quòd ſi appellatus compareat; cogatur tunc is quoque actorum, quæ tranſlata ſunt, ex-

*a c. nec licuit, 17. diſt. c. maiores, de bapt. Vigil. Papa in ep. ad Eutherũ inf. & Pelagius 2. in 1. epiſt. circa fin. cum ſim.*

penſas, pro portione ſua, ſi illis vti voluerit, ſubire; niſi aliter ex loci conſuetudine ſeruetur, vt ſcilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porrò ipſam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citiùs, & ad minus intra menſem exhibere. Qui notarius ſi in differenda exhibitione fraudem fecerit; ab officij administratione arbitrio Ordinarij ſuſpendatur, & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem, & pauperes loci, diſtribuendam, compellatur. Iudex verò: ſi & ipſi impedimenti huius conſcius, particepſve fuerit, aliterve obſtiterit, ne appellanti integrè acta intra tempus traderentur; ad eandem dupli pœnam, provt ſuprà, teneatur: non obſtantibus, quoad omnia ſupra ſcripta, 15 *priuilegiis*, indultis, concordiis, quæ ſuos tantùm teneant auctores, *v & alijs quibuſcumq; conſuetudinibus.*

## DECLARATIONES.

1 *Cauſæ omnes.* ] Cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, & beneficiales in prima inſtantia, nunquam per ſignaturam iuſtitiæ aliis committuntur. Et ſi matrimoniales cauſæ fuerint, Epiſcopis vicinioribus: ſed ſi vel de affectis, aut reſeruatis beneficiis agatur, tunc in Curia committuntur.

Prouiſi per Sedem Apoſtolicam de beneficiis reſeruatis, poſſunt virtute Breuium in fauorem literarum, ſeu nomine Cameræ Apoſtolicæ ad accipiendam poſſeſſionem, coram Auditore eiuſdem Cameræ directarum citare, & ad iudicium coram eodem Auditore Cameræ vocare poſſeſſores talium beneficiorum, occupantes & detinentes, ac ſi coram Ordinario ſuper poſſeſſorio tantùm cauſæ ventilarentur, & ſi ſententia ſuper eodem poſſeſſorio prolata fuerit, poteſt pars aduerſa cauſam in Curia committere.

2 *In prima inſtantia,* ] Congregatio cenſuit, hoc non procedere in Conſeruatoriis Vniuerſitatum, & aliarum de quibus c. 6. Seſſ. 25.

3 *Infrà biennium.* ] Hoc cap. quo cauetur cauſas omnes à locorum Ordinariis eſſe intra biennium terminandas, alioquin poſt id ſpatium liberum eſſe partibus, vel alteri illarum iudices ſuperiores adire, non habet locum, ſi non ſteterit per iudicem, quo minus infrà dictum tempus cauſam diffiniat, ſed vel ob qualitatem cauſæ, vel partium cauillationes. Congregatio enim cenſuit, ſi per iudicem non ſtetit, partes alios Superiores adire non poſſe.

4 *Pr*

4 *Per ſuperiores.* ] Quando legitimè appellatur à ſententia Epiſcopi,qui eam tulit etiam tanquam Sedis Apoſtol.delegatus,ex facultate Decretorum huius Concilij, nihil eſt derogatum iuriſdictioni Metropolitanorum, *c. Licet, de off. ord.*

5 *A diffinitiua vim habente.* ] Fuit reſolutum ſub die 4. Auguſti 1588.quod quando fuit appellatum à diffinitiuè vim habente,cuius grauamen per appellationem à diffinitiua reparari nequeat, & grauamen fuerit iuſtificatum,quod tunc Conc.non diſponat, an cauſa principalis remittenda ſit Ordinario,[ſed id remanet in diſpoſitione iuris communis.

6 *A diffinitiua reparari nequeat* ] Intelligitur etiam hoc de grauamine indebitæ carcerationis.Ideóq; Ordinarius tenetur huic appellationi deferre, & ſinere proceſſum; interim tamen eo remanente in carceribus, donec iudex appellationis cauſa cognita aliud iuſſerit.

Metropolitanus,quando ad eum appellatur, in cauſis concernentibus explicationem Decretorum Concil. Trident. à Cognitione earum abſtinere debet.

7 *Adhæc, cauſæ matrimoniales.* ] Hoc decretum non repugnat,quin Abbatibus habentibus iuriſdictionem pleno iure ſpiritualem & temporalem, cauſæ matrimoniales & criminales committi poſſint & debeant.

An hoc Decretum ſuſtulerit etiam res iudicatas, quæ innitebantur priuilegiis ante Concilium ipſum obtentis? Congregatio die 9. April. 1587. in vna Salernitana cenſuit affirmatiuè, vid. ſuſtuliſſe, quia ſententia,quæ innititur priuilegio, non dat plus roboris priuilegijs,quàm de ſe habeant,ſed ſolùm imponit finem liti.

Conſtitutiones editæ in Synodo Diœceſana Hiſpalenſi non potuerunt executioni demandari, pendente iudicio in Rota ſuper earum nullitate,& prætenſis attentatis.Hoc enim inhibuit Interpretum Congregatio; & quidem iuſtis admodum ex cauſis, videlicet, quia regulariter nullitatis exceptio retardat executionem.Et præſertim, quando nullitas prætenditur prouenire ex defectu iuriſdictionis: quia donec pendet iudicium attentatorum, non poteſt procedi in cauſa principali, ſuſpendit enim cauſam tam petitorij,quam poſſeſſorij. Tertiò, quia pendente appellatione nihil eſt innouandum, *toto titulo ff. lit. pen. nil inno c. non ſolum, de appel. in 6. cap. appellatione interpoſita, in princ. 2. q. 6. Doct. l. 1. C. de bon. poſſeſſ.* Ita fuit reſolutum in Congregatione die 26. Aprilis 1589.

8 *Cauſæ matrimoniales.* ] Congregatio cenſuit,non ſuſtuliſſe Concilium immemorabilem conſuetudinem, & ideo, ſi Archipresbyter legitimè probauerit ſe admittendum, hanc iuriſdictionem exerceat. Sed quaſi poſſeſſio immemorabilis erit probanda coram eodem Epiſcopo,& interim Epiſcopus ipſe & quidem ſolus iuriſdictionem exerceat.

9 *Et criminales.* ] Niſi eſſent in quaſi poſſeſſione immemorabili, cui, in hoc, Concilium non derogauit, ſi huiuſmodi quaſi poſſeſſio probata fuerit tribus ſententiis conformibus & continuis.

10 *Non Decani.* ] Hoc de ſecularibus voluit Congregatio intelligendum, non de Regularibus. Sed per hoc non prohibetur quo minus Decani poſſint viſitare ſubditos ſuos, aliaque obire munia.

Hoc Decretum non ſe extendit ad illos, qui nullius Diœceſeos ſunt, ſicut nec ad Decanum, & Capitulum ab Ordinarij iuriſdictione exemptos, nec ad eos quibus ex priuilegio Apoſtolico, & conſuetudine etiam immemorabili cauſarum & controuerſiarum, contra & in ipſos, perſonáſque ipſis ſubiectas ratione contractus, cognitio competit. Itaque Abbates, Præpoſiti ſeu Archipresbyteri nullius Diœceſeos, qui Ordinarij iuriſdictione ab immemorabili tempore citra funguntur, non comprehenduntur hoc Decreto.

Quando inferiores Ordinarij volunt procedere in criminalibus, ſi legitimè conſtet de immemorabili quaſi poſſeſſione Archipresbyteri in cognoſcendis decidendíſque cauſis criminalibus ſuorum Clericorum, Decretum hoc non derogauit huic immemorabili quaſi poſſeſſioni, vnde in ea Archipresbyter conſeruandus eſt. Supr. hoc ca. §. *Cauſæ matrimo.*

11 *Archidiaconi.* ] Hoc Decretum non impedit vt Archidiaconus, cui competerent omnes oblationes, quæ ex benedictionibus nubentium percipiuntur, huiuſmodi iuriſdictiones exerceat, dummodo actus benedictionis relinquatur his, quibus ex Decret Conſ. ſeſſ. 24. c. 1. de refor. matrim. competit. *Infr. hoc. c.* §. Si autem.

12 *Aut aliorum inferiorum iudicio.* ] Non comprehenduntur inferiores Prælati, qui ſunt nullius Diœceſeos. *Hoc ſæpe reſolutum eſt.*

Facta viſitatione, & ſeruatis de iure ſeruandis non poteſt cogi vnus ſuam innocentiam, & ex eadem cauſa coram Epiſcopo denuo purgare, nec debitè punitus, ab eodem denuo poteſt puniri.

13 *Seu Archidiaconum.* ] Hoc procedit in Archidiaconis & Decanis, qui ſunt in Diœceſi Epiſcoporum; non autem in illis, qui nullius Diœceſeos, & ſic voluit Congregatio.

Quod Decani & ceteri hic nominati, non poſſint cognoſcere cauſas matrimoniales, hoc etiam procedit, ſi eſſent exempti.

Si autem iſti Decani, Archidiaconi, & ceteri hic expreſſi haberent aliquod emolumentum in benedictione annulorum pro Matrimoniis, vel aliis ſimilibus, Concilium nihil eis præiudicauit: oportet tamen remanere ſaluam diſpoſitionem cap. 1. ſupr. eadem ſeſſ. de refor. matrim. *paulo ſupr. hoc c.* §. *Archidiaconi.*

14 *Expenſis ſuis transferre.* ] Non contrariatur *c.* 3. *ſup. ſeſſ.* 13. nam ibi non loquitur de Notario, hic verò de Notario.

15 *Priuilegiis.* ] Nota Concilium dumtaxat priuilegiis & conſuetudinibus Eccleſiarum derogare voluiſſe, ne illatum prætextu excludatur Epiſcopus, volens viſitare, corrigere, & emendare.

RE-

# REMISSIONES.

α *Coram Ordinariis.* ] De inferioribus etiam habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem intelligi reſoluunt Nau. Conſ. 2. num 4. ſub. tit. de foro comp. Fr. Emman. quæſt. Regular. to. 1. q. 36. art. 4. Farinac. p. 4. deciſ. 100. Flamin. de Reſignat. lib. 3. q. 11. num. 19. vbi num. 21. reſoluit, quòd ſub verbo Ordinariis comprehenditur etiam Vicarius Epiſcopi, de quo etiam P. Sanch. de Matrim. li. 3. diſp. 29. num. 5. & 17. Guttier. de Matrim. cap. 66. num. 14.

β *Infra biennium.* ] Vide Monald. Conſ. deciſ. 94. Aloyſ. Ricci. in collectaneis deciſ. p. 4. collect. 1353. in fine, Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Inſtantia, verſ. Quartò, & verſ. Sextò, tenet hoc tantùm fallere in Curia Romana, vbi lis, ſiue inſtantia nunquam extinguitur; niſi per ſententiam.

γ *Motæ lites.* ] Quando dicatur lis mota? Vide Rebuff. in l. litis nomen 36. pag. 206. ff. de verbor. ſignificat. Cabed. p. 2. deciſ. 15. numer. 11.

δ *Alioquin poſt id ſpatium, &c.* ] Quòd conſenſus prorogandi iuriſdictionem tollitur litigantibus in prima inſtantia, reſoluit Soar. de Paz in praxi tom. 1. prælud. vlt. num. 18. cum ſeqq.

ε *Neque appellationes, &c.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Appellatio, §. 1. pag. 29. Soar. de Paz in praxi, tom. 1. p. 6. in procœm. num. 25. vbi num. 26. dicit hoc decretum procedere tam in interlocutoriis latis, tam à iudice Ordinario, quàm à delegato, tam in prima inſtantia, quam in ſecunda, quia non eſt correctorium iuris communis, ſed potius declaratorium.

ζ *Vel à diffinitiuæ vim habente.* ] Quòd ſententia, per quam denegatur appellatio, ſit interlocutoria, habens vim diffinitiuæ, aſſerit Valaſc. Conſ. 47. Idem de præcepto de ſoluendo teſtatur Rot. Lucenſ. deciſ. 80. Et de ſententia, qua iudex pronunciauit aliquem non eſſe minorem, vel non habere reſtitutionem, & quòd ab ea poſſit appellari, affirmant Gamma, deciſ. 159. numer. 2. Viui. deciſ. 302. Et quòd poſſit appellari à ſententia reiectionis probationum, admittunt Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 77. numer. 11. cum ſeqq. Surd. deciſ. 36. Et à ſententia delationis iuramenti alteri parti per iudicem factæ, non diffitentur Mynſing. cent. 1. obſeru. 39. Lancelot. de Attent. p. 2. cap. 12. limit. 50. num. 190. Gonzal. ad Regulam 8. Cancel. Gloſſ. 9. §. 1. in annot. nu. 195. Et quòd poſſit appellari à ſententia miſſionis in poſſeſſionem, tenet Stephan. Gratian. deciſ. 60. Et ab omiſſa condẽnatione expenſarum, affirmant Gam. deciſ. 65. Guid. Papæ, deciſ. 42. Et quòd poſſit etiam appellari à ſententia ſequeſtrationis mulieris, reſoluit Ann. Alleg. 82. Et ſententia pronunciantis, executionem eſſe reuocandam, probat Amatis, deciſ. 19. Et à ſententia abſolutionis inſtantiæ dicunt Creſcent. deciſ. 6. Cabe. p. 2. Areſto

32.in fine. Et à ſententia legitimationis perſonarum, Capell. Tholoſ. deciſ. 38. Et à ſententia admiſſionis articulorum amplectuntur Gonzal.d.§.1.in annot.num.191. Stephan. Gratian.d.cap.74.num. 15. Et ab incidentibus in cauſa ſuſpicionis officialium probat Vincent. de Franch.deciſ.408.

η An ab interlocutoria, in qua iudex declarat ſe competentem, detur appellatio? Negant Gam.deciſ.159.&362. Marc. Anton.de Amatis deciſ.86. Cabe.p.1.deciſ.156. procedit Ordin. Regia Luſitanorum lib.3.tit.20.§.9.ibi, *Porem no caſo*, quæ loquitur de exceptionibus incompetentiæ de iudicio ſæculari ad ſæculare. Affirmant Guid. Papæ, deciſ.10. Mynſing.cent.3.obſer.35. Aloyſ. Ricci.in Collectaneis deciſionum p.4. Collect.1306. in principio, Thom. Valaſc.tom.1. Allegat.iuris Alleg. 51. num. 5. vbi reſoluit, quòd in cauſa Remiſſionis prouocantis ad Ordines non expedietur prouocatio à iudice, qui ſuper ea iudicauit per grauamen, ſed per appellationem, procedit Ordin.Reg. Luſitanorum, li.2.tit.1.§.18.ibi, *Poſto que no caſo per que ſaon remeditos.*

θ *Et cuius grauamen per appellationem à definitiua reparari nequeat.*] Caſus damni irreparabilis vide apud Ioſeph. Ludou. Peruſina, deciſ.83. per totam Ann. Alleg.82. Sur deciſ.36. Zerol.in praxi Epiſcop. p.1. verbo Appellatio, §.6. Quarãt.in Summa Bullarij, verbo Archiepiſcopi auctoritas, verſ.18. auctoritas numer.20. Ignat. del Villar.in Sylua reſponſ.lib.1.reſp.15.num.6. latiſſimè Gonzal.ad reg. 8. Cancel.Gloſſ.9.§.1.in annot.num.189. cum multis ſeqq. Steph.Grat.diſcept.forenſ.cap.77.

ι Quòd idem reſoluendum ſit, & procedat hic text. quamuis tale grauamen poſſit reparari, ſed magna cum difficultate, aut præiudicio partis, aſſerunt Gonzal.ad reg.8. Cancel. Gloſſ.9.§.1.n.177. Bernard. Greuæ.ad pract. Cameræ Imp.lib.1.concl.129.n.6. Aloyſ.Ricc. Curiæ Archiep. Neap.dec.93.

κ Quòd captura afferat damnum irreparabile, & à ſententia interlocutoria, vt quis in carcerem coniiciatur, poteſt appellari, affirmant Soar. & Donat. à Fin.tom.2. Commun.opin.lib.9.tit.3.num.2. Maynard.deciſ.25.lib.2. Aloyſ. Ricci.in Collect.deciſ. p.3. Collect. 641. verſ. Primò, Cald. Pereira in lib. Si curatorem verbo, Per quod, numer.31. D.Barboſ.in lib. 2. ff. Soluto Matrimon. in princip.p.2. num. 33. Proſper. de Auguſtino in addit. ad Quarant. in Summa Bullarij, verbo Archiepiſcopi auctoritas, verſ. 18. Auctoritas, num. 20.lit.H.pag.64.&71. vbi refert ſacram Cardinalium Congreg. in in hæc verba cenſuiſſe: Sanctiſſimus D. N. audita relatione congregationis Concilij, declarauit ita eſſe intelligendum, & ideo ab huiuſmodi grauamine appellari poſſe, & Ordinarium teneri proceſſum transferre ad iudicem appellationis, interim tamen reo manente in carceribus, donec iudex appellationis, cauſa cognita aliud iuſſerit.

λ Quòd

λ Quòd tortura afferat damnum irreparabile, tenent Ordin. Reg. Luſitan.lib.3.tit.69.§.1. Hippol.in lib.1.ff.de quæſtion.n.34. Clar. lib.5.§. finali, quæſt.64. num.27. Azeued. lib.3. nu.6.tit. 18.lib.4. nouæ Recopil. Carau. Ritu 149. Aloyſ. Ricci. d. Collect. 641. verſ. Secundò, & Curiæ Archiepiſcop. Neapol. deciſ. 13. Zerol. d. verbo Appellatio, §. 9. vbi reſoluit, quòd quando omnia ritè, & rectè proceſſerunt, vt quia datæ fuerunt, & repulſa conceſſa, cùm eſſent petita, & publicatus proceſſus, & auditus reus in omnibus ſuis iuribus cum eius procuratore, & aduocato, & iudicia non ſunt euacuata per defenſiones, & alia requiſita acta ſunt, & videtur potiùs appellari ad dilatandum, & ad differendum ſceleris punitiones, tunc non debet admitti appellatio à comminata tortura.

μ Quòd à ſententia Excommunicationis per Decretum interlocutorium prolata detur appellatio, quia continet damnum irreparabile, reſoluunt Duenh. Reg. 52. fallent 2. Rebuff. ad leges Galliæ tit. de Friuolis appell. in Rub. ſub Gloſſ. 1.in fine verſ.Fallit quando grauamen, Gonzal.d.§.2. in Annot. num.197.

ν Quòd ſententia de compromiſſo faciendo, vel non, contineat grauamen irreparabile, docet Montald. Conſ. deciſ. 39. part. 2. Et de Decreto condemnationis ad triremes, idem reſoluit Vincent. de Franch.deciſ. 139.

ξ *Ab his excipiuntur cauſæ, &c.*] Quid in beneficiis reſeruatis ratione manus appoſitionis, an poſſit cognoſci in Curia in prima inſtantia? Sacra Cardin. Congreg. decreuit, quòd ſic, teſte Gonzal. ad reg. 8.Cancel.Gloſſ.52.num.36.& ſequenti.

ο Auditores Cameræ cauſas obligatione Camerali firmatas in partibus exiſtentes auocare poſſe, etiamſi extra Curiam contraxerint, & licèt pendeant coram Ordinariis, reſoluunt Lanc.de Attentatis, lite pendente, limit.15. num.8. & cap.10.limit.16.Flores Vari.q.lib. 1.quæſt. 12. num.48. Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap.118.in fine.

π *Ad hæc cauſæ matrimoniales, &c.*] Vide Guttier.pract.lib.3.quæſt. 26.num. [illegible]. Soar.de Paz tom.2.prælud.num.8.vbi etiam reſoluit, hoc Decretum non procedere in iudicibus Ordinum Militarium, ad quos etiam pertinet cognitio cauſarum grauiſſimarum.

ρ *Et alimenta, & expenſas litis velit ſubminiſtrare.*] Vide Creſcent. deciſ. 233. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. p.4. Collect. 853.in med.

σ *Eoq; negligente.*] An propter negligentiam Epiſcopi deuoluatur iuriſdictio ad Archiepiſcopum? Affirmant Afflict. in capite Imperialem, §. prætereà, numer. 33. de prohibita feudi alienat. per Feder.Proſper. de Auguſtino in addit. ad Quarant. in Summa Bullarij, verbo Archiepiſcopi auctoritas, verſ. 19. auctoritas, in fine lit.M.

τ *Præterea ſi quis in caſibus à iure permiſſis, &c.*] Vide Stephan. Gratian.

tian.diſcept.forenſ.cap.121. num.15. vbi num.18.cum multis ſeqq. dicit, quòd hæc Concilij diſpoſitio habet locum etiam in actis factis in partibus coram iudice delegato. Et procedere in quocunque iudice cenſuiſſe Rot. in vna Maiorig. Officij Pœnitentiariæ 1591. coram Illuſtriſſ. Blanchetto refert Aloyſ. Ricci.in Collect.deciſ.p.4. Collect. 1356.

v *Et alijs quibuſcunq; conſuetudinibus* ] Sacram Cardinal.Congreg. cenſuiſſe immemoriabiles ſub hoc Decreto non comprehendi, reſoluit Gonzal.ad reg.9. Cancel. Gloſſ. 33.num.5.

## CAPVT XXI.

*Hoc capitulum continet aliquid particulare.*

CVpiens ſancta Synodus, vt ex decretis ab ea editis nulla vmquam futuris temporibus dubitandi occaſio oriatur, verba illa,poſita in decreto, publicato Seſſione prima ſub Beatiſſimo Domino noſtro Pio Quarto, a videlicet: Quæ proponentibus Legatis,ac Præſidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, ſedandas de religione controuerſias, coërcendas linguas doloſas,deprauatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram & Chriſtianam pacem conciliandam apta, & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur; explicando declarat, mentis ſuæ non fuiſſe,vt in prædictis verbis ſolita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis vlla ex parte immutaretur; neque noui quidquam, præter id, quod à ſacris Canonibus, vel generalium Synodorum forma hactenus ſtatutum eſt, cuiquam adderetur, vel detraheretur.

a Sup. Seſſ.11.

*Indictio futuræ Seſſionis.*

INſuper, eadem ſacroſancta Synodus proximam futuram Seſſionem feria quinta poſt Conceptionem Beatæ MARIÆ Virginis,quæ erit dies nona menſis Decembris, proximè venturi, habendam eſſe ſtatuit, & decernit, cum poteſtate etiam abbreuiandi. in qua Seſſione tractabitur de ſexto nunc in eam dilato capite, & de reliquis reformationis capitibus iam exhibitis, deque aliis ad

ad eam pertinentibus. Si verò opportunum videbitur, & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, provt ſuo tempore in Congregationibus proponentur.

*Abbreuiata eſt dies Seſſionis.*

# SESSIO XXV.

## QVÆ EST NONA, ET VLTIMA SVB PIO IV. PONTIF. MAXIM. COEPTA DIE III. ABSOLVTA DIE IV. DECEMB. M. D. LXIII.

### *Decretum de Purgatorio.*

CVM Catholica Eccleſia, S. Sancto edocta, ex ſacris litteris, & antiqua Patrũ traditione, ſacris Concil. & nouiſſimè in hac OEcumenica Synodo docuerit, [a] Purgatorium eſſe; animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili altaris ſacrificio iuuari; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, vt ſanam de Purgatorio doctrinam, à ſanctis Patribus, & ſacris Cõciliis traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari, diligenter ſtudeant. Apud rudem verò plebem difficiliores, ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerúmque nulla fit pietatis acceſſio, à popularibus concionibus ſecludantur. Incerta item, vel quæ ſpecie falſi laborant, euulgari, ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curioſitatem quandam, aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt; tamquam ſcandala, & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Epiſcopi, vt fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleëmoſynæ, aliáque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fideli-

a 1. Cor. 3.

deli-

delibus defunctis fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta piè, & deuotè fiant, & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, ſed à ſacerdotibus, & Eccleſiæ miniſtris, & aliis, qui hoc præſtare tenentur, diligenter, & accuratè perſoluantur.

## REMISSIONES.

α VIde Valuerd. Bellarm. & Lenſen. in ſuis tract. de Purgatorio, Caſt. aduerſùs hæreſes, verbo Purgatorium, P. Sot. de Inſtruct. Sacerd. lect. 1. de Purgatorio, Theodor. Peltan. de Purgat. Cordub. lib. 1. q. 9. de Indulgent. Greg. de Valentia. tom. 4. diſp. 11. de locis ſeu receptaculis animarum poſt mortem, q. 1. puncto. 1. Nicol. Diaz *en el trattado del Iuyzio final*, cap. 6. §. 2. P. Soar. tom. 4. diſp. 45. ſect. 1. optimè el Doctor Martin Carrillo *en la explicacion de la Bulla de los defunctos*, in princip. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 3. q. 44. art. 1. P. Ægid. de Sacramentis, & cenſur. tom. 2. diſp. 11.

β De loco Purgatorij, vide Valent. d. q. 1. punct. 2. P. Soar. d. diſp. 45. ſect. 2. D. Martin Carillo vbi ſuprà, p. 1. cap. 2. P. Ægid. d. diſp. 11. dub. 2. num. 17. cum ſeqq.

γ Quas pœnas animæ in Purgatorio patiantur, explicant Petr. Sot. lect. 2. de Purgat. Angles p. 1. Florum Theolog. q. 4. de Purgat. diffic. 3. Ioann. Lenſen. de fidelium animarum purgat. lib. 1. cap. 2. Viuald. in Candelabro aureo, p. 1. de Purgat. num. 8. Cardin. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 10. cum quatuor ſeqq. P. Valent. d. diſp. 11. q. 1. puncto 2. P. Soar. tom. 4. diſp. 46. ſect. 1. & 2. P. Ægid. d. diſput. 11. dub. 3. nu. 19. cum ſeqq. D. Martin. Carillo vbi ſuprà, p. 1. cap. 3.

### *De inuocatione, & veneratione, & reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus.*

α MAndat ſancta Sinodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus, curámque ſuſtinentibus, vt iuxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum, à primæuis Chriſtianæ religionis temporibus receptum, ſanctorúmque Patrum conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum interceſſione, inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum vſu, fideles diligenter inſtruant, β *docentes eos Sanctos;*

*ctos, vnà cum Chriſto regnantes*, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque vtile eſſe ſuppliciter eos inuocare; & ob beneficia impetranda à Deo per filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Saluator eſt, ad eorum orationes opem, auxiliumque confugere: illos verò, qui negant Sanctos, æterna fœlicitate in cælo fruentes, inuocandos eſſe; aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, vt pro nobis etiam ſingulis orent, inuocationem eſſe idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, aduerſarique honori vnius mediatoris Dei, & hominum Ieſu Chriſti; vel ſtultum eſſe, in cælo regnantibus voce, vel mente ſupplicare; impiè ſentire. Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, [a] & templum Spiritus Sancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur: ita vt affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem, atque honorem non deberi; vel eas, aliaque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum γ *memorias fruſtra frequentari*; omnino damnandos eſſe, [b] prout iampridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe aliqua in iis diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis [c] ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exibetur, refertur ad [d] prototypa, quæ illæ repræſentant: ita vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. id quod Conciliorum,

a 1. Cor. 3.

b Conc. Nic. 2.

c Pſal. 134. d.

d Con. Nicænum 2 actio. 3.

præ-

præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Illud vero diligenter doceant Epiſcopi, per hiſtorias myſterium noſtræ redemptionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & aſſiduè recolendis; tum vero ex omnibus ſacris imaginibus magnum fructum percipi; non ſolùm quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt, ſed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exẽpla oculis fidelium ſubiiciuntur: vt pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moréſque ſuos componant, excitentúrque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut ſenſerit; anathema ſit. In has autem ſanctas & ſalutares obſeruationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit, ita vt nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur. Quod ſi aliquando hiſtorias, & narrationes ſacræ ſcripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit. Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro vſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſciuia vitetur, ita vt procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur, & ſanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad commeſſationes, atq; ebrietates non abutentur; quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum, ac laſciuiam agantur. Poſtremo, tanta circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præpoſterè, & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihílq; inhoneſtum appareat, [a] cùm domum Dei deceat ſanctitudo. Hæc vt fideliùs obſeruentur, ſtatuit ſancta Synodus, nemini licere

a *Pſal. 92. 2. c. Decret. de Imagin. Eccl. in 6.*

cere

cere vllo in loco, vel Eccleſia etiam quomodolibet exépta, δ *vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem*, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, ε *nec nouas Reliquias recipiendas*, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo, qui ſimulatque de iis aliquid compertum habuerit, ζ *adhibitis in conſilium Theologis*, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea iudicauerit. Quod ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus grauior quæſtio incidat: Epiſcopus, antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani, & cõprouincialium Epiſcoporum in Concilio prouinciali ſententiam expectet; ita tamen vt nihil, inconſulto Sanctiſſimo Romano Pontifice, nouum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

---

## REMISSIONES.

α VEtuſtiſſimum eſſe in Eccleſia Dei, & à ſanctis Patribus comprobatum vſum ſanctarum imaginum pictarum, earundémque adoratio pluribus teſtimoniis confirmatur, & reſoluunt Sim. Maiol. in tract. de ſacris imaginibus, Alphonſ. à Caſtro, li. 8. aduerſus hæreſes, verbo Imago, Sebaſt. Medices in Summa omnium hæreſum p. 1. verbo Imago. Guilhelm. Duran. in Rationali diuin. offic. lib. 1. c. 3. Simanch. de Cathol. inſtit. c. 33. à princip. Barthol. à Medi. p. 1. inſtr. *de Confeſſores*, ca. 14. §. 1. poſt. med. Card. Bellarm. in diſp. Fidei Catholicæ controu. 7. li. 2. Azeued. l. 3. à princip. tit. 1. l. 1. nouæ Recop. Fuſc. de Viſitat. li. 1. ca. 9. Fr. Hieron. Roman. lib. 4. de Republ. Chriſtiana, cap. 7. fol. 199. Nau. in Man. cap. 11. num. 21. verſ. 7. & ca. 17. nu. 169. Sarm. lib. 2. Selectar. cap. 14. nu. 1. Valent. 22. diſp. 6. q. 11. puncto 6. P. Soar. in 3. p. D. Thomæ, q. 25. art. 3. diſp. 54. per ſeptem ſectiones, Vaſq. de Adorat. imag. lib. 3. diſp. 3. à n. 78. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. li. 9. cap. 6. col. 855. cum ſeqq. & cap. 8. col. 864. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 3. q. 55. art. 1.

β *Docentes eos Sanctos vna cum Chriſto regnantes.*] Vide Nau. in tract. de Orat. notab. 1. numer. 21. D. Cyprian. Epiſt. 57. & ibi latam additionem Iacobi Pamelij, num. 14.

γ *Memorias fruſtra frequentari.*] De peregrinatione ad Sanctorum memorias vide Fr. Ioſeph. de Siguenza in vita D. Hieronymi, lib. 4. cap. 9. pag. mihi. 451.

δ *Vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem.*] Vide latè Thom. Sanch. in præc. Decal. lib. 1. cap. 43. num. 6. vbi num. 7. cum Philiarch. de officio Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 9. in fine ſoluit, nec in altari domus priuatæ licere eam imaginem Sancti non Canonizati tenere, ſi ſola in eo ſit, & cum lampade, & num. 10. aſſerit ſolas reliquias Sancti Canonizati poſſe Epiſcopum approbare, vt publicè venerentur.

ε *Nec nouas reliquias recipiendas.*] Sacra Cardinal. Congregat. ſic cenſuit: Sanctorum reliquiæ antiquæ habendæ ſunt in illa veneratione qua hactenus fuerunt: ſi verò ſint nouæ, Epiſcopus ſeruet hoc Decretum.

ζ *Adhibitis in conſilium Theologis.*] Vide P. Azor. inſtit. Moral. p. 1. lib. 9. cap. 8. col. 866.

## *De Regularibus, & Monialibus.*

EAdem ſacroſancta Synodus, reformationem proſequens, ea, quæ ſequuntur, ſtatuenda eſſe cenſuit.

### CAPVT I.

*Secundùm tenorem & rigorem ſuæ regulæ indiſpenſabiliter viuant Regulares, idque obſeruari curent Superiores valdè ſtrictè.*

QVoniam non ignorat ſancta Synodus, quantum ex monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris, atque vtilitatis oriatur, neceſſarium eſſe cenſuit, quo faciliùs, ac maturiùs, vbi collapſa eſt, vetus, & Regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantiùs, vbi conſeruata eſt, perſeueret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit: *a Vt omnes Regulares*, tam viri, quàm mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant; atque in primis; 1 *quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem*, [a] vt obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpectiuè eſſentiam, nec non ad com-

a Clem. exiui. §. cùm igitur, in primis, de ver. ſig.

munem vitam, victum, & veſtitum conſeruanda pertinentia, fideliter obſeruent. β *Omniſque cura, & diligentia à Superioribus* adhibeatur tam in Capitulis generalibus, & prouincialibus, quàm in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur: [a] cùm compertum ſit, γ *ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent*, relaxari. ſi enim illa, quæ baſes ſunt, & [b] fundamenta totius Regularis diſciplinæ, exacte non fuerint conſeruata; totum corruat ædificium neceſſe eſt.

a *c. cum ad monaſterium in fi. de ſta. mona.*
b *c. cum Paulus, 1 q. 1.*

## DECLARATIONES.

1 *Quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem* ] Cenſuit tamen Congregatio quod Ordinarius permittere debet Tertiarias moniales Sancti Franciſci ſub obedientia fratrum Minorum, quemadmodum antè fuerunt, & prouidere vt profeſſionem trium ſolemnium votorũm quamprimum emittant, ex inſtituto religionis Sancti Franciſci, cui ſunt addictæ: ſi tamen non emiſerunt, eas cogere non debet, vt habitum mutent, vel vt velo nigro vtantur, ſi illarum Ordo id non requirat. Poſtremò infrà ſepta monaſterij illas claudere debet. *Infrà, Seſſ. 25. de Reform. Regul. cap. 5. §. Clauſuram.*

## REMISSIONES.

α VT *omnes Regulares, &c.* ] Vide optimè Nauar. in cap. Nullum, 14. quæſt. 2. num. 24. & 32. & in cap. Statuimus, 19. quæſt. 3. num. 66. Fr. Emman. quæſt. Regular. tom. 2. quæſt. 73. art. 3. & tom. 3. qu. 29. art. 14. Pat. Ribaden. in libro, quem in lucem edidit, pro defenſione Societatis IESV, capitul. 18.

β *Omniſq; cura, & diligentia à ſuperioribus, &c.* ] Vide Fr. Emman. tom. 1. quæſt. 4. art. 2. Et quomodo Prælati in reformatione debeant ſe habere, vide q. 73. art. 4.

γ *Ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent relaxari.* ] Vide Fr. Emman. tom. 1. quæſt. 26. art. 1. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 18. num. 390. & 396. verſ. Octauum.

## CAPVT II.

*Proprietatis vitium à monaſteriis extruditor : cuncta collata legata conuenienter diſtribuuntor. Proprietarius biennio eſto elinguis in Capitulo, & de eo taceatur.*

1 α NEmini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat β &c. *bona immobilia, vel mobilia,* cuiuſcúmque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, a tamquam propria, aut etiam nomine conuentus, 2 *poſſidere*, vel tenere; ſed ſtatim ea 3 *Superiori tradantur*, 4 *conuentuiq; incorporentur.* 5 *Nec deinceps liceat Superioribus bona* ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad vſumfructuum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. 6 *Adminiſtratio autem bonorum* monaſteriorum, ſeu conuentuum ad ſolos officiales eorundem, 7 *ad nutum Superiorum amouibiles*, pertineat. Mobilium verò vſum ita Superiores permittant, vt eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat; 8 *nihilq; ſuperflui* in ea ſit; 9 *nihil etiam, quod neceſſarium,* eis denegetur. ζ *Quòd ſi quis aliter* quidquam tenere deprehenſus, aut conuictus fuerit; 10 *is biennio actiua & paſſiua voce priuatus ſit*, atque etiam iuxta ſuæ Regulæ & Ordinis conſtitutiones puniatur.

a c. 2. & c. cum ad monaſteriũ, de ſta. regul.

## DECLARATIONES.

1 *Nemini igitur Regularium.* ] Regulares, tam fœminæ, quàm maſculi, non poſſunt tenere propria, ſed omnia dare debent ſuis Superioribus, per quos prouideatur primò ſubueniatur neceſſitatibus earum, vel eorum, quibus munera deſtinata fuerunt.

2 *Poſſidere vel tenere.* ] Moniales tanquam proprium poſſidere nihil poſſunt etiam de eo quod ſuis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur, etiam hoc poſito quod Monaſterium eſſet pauperrimum.

3 *Superiori tradantur.* ] Moniales & Regulares cæteri res etiam parui

ui momenti ſibi donatas, aut alias acquiſitas, vti proprias retinere non poſſunt, ſed Superiori reſignandæ ſunt.

4 *Conuentui incorporentur.* ] Quicquid ſingulæ moniales, quocunque titulo acquiſierint, totum ad Abbatiſſæ manus deferri oportet: quæ in primis ex huiuſmodi acquiſitionibus ſubueniat arbitrio ſuo neceſſitatibus illius monialis, cuius opera vel contemplatione fuerunt datæ: quod verò reliquum erit, conuertat in communem vſum totius Monaſterij, curabit vt victus monialium quotidianus, communis ſit, & in coctura, & in vſu.

In cauſa D. Aldonzæ de Toledo, quæ viro mortuo, facta eſt monialis S. Franciſci, ſibique permittente filio reſeruauit circiter 200. aureos ad vſum ſuum, quia contra Concilium eſt moniales habere aliquid proprium, viſum eſt dandam eam pecuniam Prioriſſæ, quæ prouidebit neceſſitati ipſius Aldonzæ.

Si quis affert munera vel Eleemoſynam, vel aliquid quod Sacrarum virginum manibus elaborandum ſit, det Abbatiſſæ, vel illis quæ ab ea propoſitæ ſunt, modò præſente earum procuratore, neque alij det, neque cum ea quiſquam prætereà alloquatur.

5 *Nec deinceps liceat ſuperioribus.* ] Niſi ſoli Papæ, qui ſolet monachis concedere vim teſtandi, dummodo conſenſus ſuperioris ad illud accedat, & de modica quantitate diſponatur.

Ex diſpoſitione inferiorum Summi Pontificis non licet regularibus poſſidere vel tenere agros, annuos reditus, aliáque bona immobilia ſuperflua obſtante hoc Decreto.

6 *Adminiſtratio autem bonorum.* ] Electio Officialium, qui adminiſtraturi ſunt Monaſteriorum bona, ad Monaſterij ſpectat Superiores: & ideò licet Epiſcopus ſit eis Superior, ipſi tamen poſſunt eligere officiales, non autem id faciat Epiſcopus.

Officiales electi pro adminiſtratione bonorum Monaſterij à Superioribus eiuſdem, poſſunt (pro vt magis expedire videbitur) reditus ipſorum Monaſteriorum in loco conuenienti, etiam extra Monaſterium conſeruare, & de eiſdem miniſtrare, pro tempore neceſſitatis ipſis monialibus.

Moniales deputatæ in officiales redituum Monaſterij à ſuis ſuperioribus, illos adminiſtrare poſſunt ſine vllo peccato.

7 *Ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.* ] Ij autem ſolùm ſunt, qui diſtributionem bonorum habent, nam alios amouere non poſſunt ad nutum.

Moniales ergo illæ quæ à Capitulo ſui Monaſterij in officiales huiuſmodi eligi ſolebant, propter adminiſtrationem bonorum immobilium dicti Monaſterij, ſi dicto Monaſterio viſum fuerit, amoueri poſſunt.

Licet adminiſtrantes bona temporalia Monaſteriorum, & Officiales poſſint amoueri ad nutum Superiorum ex hoc Decreto, in eo tamen non comprehenduntur officiales qui bona temporalia non

adminiſtrant, ſed hoc relinquitur diſpoſitioni iuris communis, & ſtatutorum ſacræ religionis.

Ciuitates ſunt nonnullæ, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa fuit adminiſtratio bonorum temporalium ex cuſtodia clauſuræ, & facultate, hac adhibita moderatione (*vti debent*, videlicet, *& quoad temporalia*, *& clauſuram tantùm*) electi ergo à ciuitate, gubernent Monaſteria monialium, cum interuentu tamen & conſenſu Superiorum dictorum Monaſteriorum, & quidem ſic vt ipſi laici ſint ætatis ſaltem 40. annorum, & prætextu talis gubernationis non poſſint loqui cum monialibus, aut eorum Monaſteria ingredi, niſi cum neceſſitas ſui officij id poſtulauerit, & tunc quoque non niſi in præſentia Superiorum ipſarum monialium.

8 *Nihilque ſuperflui in ea ſit.* ] Superiorum arbitrio, & præfinitioni ſtare debent regulares, quoad mobilium ſuperfluitatem, vel conuenientiam: niſi de exceſſu arbitrij conſtiterit, habita videlicet ratione perſonæ, officij, & regularis ſtatus paupertatíſque quam profeſſi ſunt, & cæterarum itidem qualitatum.

9 *Nihil etiam, quod ſit neceſſarium.* ] Superiore quantumuis requiſito, neceſſaria ſuis regularibus negante, vel ſubtrahente, licet ipſis clam, vel eo inuito, illa ſibi comparare ſeu retinere, etiamſi ideo neceſſaria negentur, quia Monaſterij facultates non ſuppetunt, ſi præfata neceſſitas ſit ad indiuidui ſuſtentationem.

Superiores hoc caput declarâre & interpretari non poſſunt.

Si moniales victui, & vitæ ſuæ aliter conſulere non poſſint niſi ſuſtentarentur artificio operum quæ manibus elaborantur ac efficiuntur, non prohibentur earum rerum emptiones & venditiones facere, modò ſtricta earum & honeſta clauſura ſeruetur, prout illarum inſtituta, & Concilij Tridentini Decreta poſtulant. *Infrà, c. 3. §. In prædictis.*

Præſuppoſito quòd Superiores regularium non poſſint eis concedere licentiam poſſidendi immobilia ſuperflua, iuxta nouiſſimam deciſionem Congregationis, per talem licentiam regulares ipſa immobilia vel mobilia ſuperflua poſſidentes, à culpa, vel à pœna non excuſantur. Nec credendum eſt Superioribus aſſerentibus ſe poſſe concedere licentiam poſſidendi mobilia aut immobilia ſuperflua.

10 *Biennio actiua & paſſiua voce priuatus ſit.* ] In omnibus actibus Capitularibus, non tamen in electionibus hoc intelligitur.

REMIS-

# REMISSIONES.

α VIde Fr.Emman.quæſt.Regul.tom.2. quæſt.57.art.2.& q.47.
art.5. & qu.125. art.4.& tom.3.qu.19.art.8.10.& 12.Aloyſ.
Ricci.in Collect.deciſ.part.3. Collect.519. Latè Fr.Ioan.de la Cruz
de Statu Religionis lib.1.c.3. P.Valer.Regin.in praxi fori pœnitent.
lib.18.num.397. cum ſequentib.
β *Bona immobilia, vel mobilia.* ] Sacra Cardin. Congreg. ita cen-
ſuit: Regulares tam fœminæ, quàm maſculi, non poſſunt tenere
propria, ſed omnia dare debent ſuis ſuperioribus, à quibus primò
ſubueniendum eſt neceſſitatibus earum, vel eorum, quibus munera
deſtinata fuerunt. Itáque Monialibus non licet poſſidere propria,
& ſi quid legatum, relictum, datum, donatúmve fuerit, vel earum
labore, vel induſtria partum, tradi debet Abbatiſſæ, quæ ex eo pri-
mùm monialis ipſius, cuius cauſa id quæſitum eſt, neceſſitati pro-
uidebit, reliquum conferri debet in vſum Monaſterij, referunt Na-
uar. in Comment. 2. de Regularib. num.18. & in tract. de Reditib.
Eccleſ. qu.1.num.84. P.Azori.inſtit.Moral.p.1.lib.12.cap.19.qu.2.
prope finem.
γ An liceat Monialibus fœminis nutu, & conſenſu ſuperiorum
retinere, & poſſidere reditus, ſiue cenſus certos ad vitam ſibi à pa-
rentibus, propinquis, vel amicis, aſſignatos ad ſuæ vitæ vſus neceſ-
ſarios? Vide Syluestr. in Sum. verbo Religio 6. num. 7. verſ. Ter-
tium, Cordub. tract. Caſuum Conſcientiæ, qu.54. Petr. Nauarr. de
Reſtitut.tom.2.lib.3.cap.1.à nu.166. Barthol.Humad.l.14. Gloſſ.
2.tit.7.part.1.Nauar.Comment.de Regular.num.14.P.Azori.d.p.1.
lib.12.cap.9.quæſt.2. Latiſſimè Fr.Ioann.de la Cruz de ſtatu Relig.
lib.1.cap.3. dubit.2. vbi reſoluit, religioſos habentes cenſus, & redi-
tus annuos, non peccare, & aſſerit Concilij prohibitionem habere
tantùm locum in reditibus, vt propriis, & irreuocabilibus per
Prælatos, & ſine eorum licentia diſtrahendis: dicit etiam Clement.
VIII. in Motu, qui incipit, Religioſæ congregationis, editos 3.Kal.
Iulij anni 1594. multa vetare religioſis vtriúſque ſexus, exceptis
Militaribus, circa largitionem munerum.
δ An Monachus factus Epiſcopus habeat bonorum, ſeu fructuum
dominium, & proprietatem? Negant D.Thom.2. 2.q.88. art.11.ad
4.& q.185.art.8.Nauar.de Reditib.Eccleſiaſt.p.1.defenſ.monitu 11.
& 13.Pat.Molin.de Iuſtit.tractat.2.diſp.140.ad finem, Petr.Ledeſm.
in Sum. p. 2. tract.10. cap. 8. ad 4. & tract.32. cap.3. *del eſtado de los Obiſpos*, concl.25. verſ. *digo lo tercero.* P.Leſſi. de Iuſtit. lib.2. cap.41.
num.29. & cap.40. num.113. Ribaden.d.cap. 8. vbi ſolus aſſerit Pa-
pam in effectu diſpenſare cum Religioſo Epiſcopo, vt ſit Dominus,
& habeat proprietatem redituum. Et quòd poſſit diſpenſari cum
monacho in ſenſu diuiſo, id eſt, faciendo de monacho non mona-

chum,& extrahendo eum à Religione,reſoluunt Valent. d. tom. 3. diſp.10.q.4.puncto 2.P.Vaſquez,diſp.165.nu.104 P. Azori. inſtitut. mor.p.1.lib.12.cap.7.P.Leſſi.d.cap.41.à num.4.P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnitent.lib.18.num.397.verſ.neque verò,Motta l.2.ca. 2.§.7.nu.10.aſſerentes textum in cap. Cùm ad monaſterium, in fine,de ſtatu Monach.intelligi in ſenſu compoſito id eſt, cum monacho manente monacho.

2 Quòd profeſſio facta cum conditione, pacto, ſeu modo de retinendo,ſeu habendo proprio,non valeat, ſed vitietur ex tali adiectione,vtpote contra ſubſtantiam illius,reſoluunt Abb.in cap. fin.nu.7. de Condition.appoſit.& in cap.fin.num.6.Qui clerici vel vouentes, Bern.Reg.521.Garci.Reg.320.nu.2.Mench.lib.3.de ſucceſſ.creat. §. 21.num.177.Spin.in Speculo teſtam.Gloſſ.11.n.12.Ceual. Comm. contra commun.quæſt.85.Fr. Ludou. Lop. in Inſtruct. Conſcient. tom.2.p.2.cap.42.circa finem,P.Leſſi.de Iuſtit.lib.2.cap.41.num.63. Ioan.Ramirez de Confirmat.D.Iacobi,cap.11.à num.18.P.Azori.d. p.1.lib.12.cap.5.quæſt.2. aſſerentes etiam, text.in d. cap. final. Qui Clerici,vel Monachi,intelligi de retentione, ſeu reſeruatione bonorum ad vſum profitentis in domo propria, pro ſuis neceſſitatibus, tanquam obedientiarij,& ex voluntate Prælati.

ſ *Quòd ſi quis aliter, &c.*] Vide Nau. in cap. Non dicatis 12. qu. 2. notab.1.num.33.41.48.cum ſeqq.& in cap.Nullum 18. quæſt. 2.n. 3.cum ſeqq.Lud.Beia Reſponſ.caſuum conſ.p.3.caſu 36. fol. 380. & p.4.caſu 17.fol.418.& caſu.32,fol.458.

## CAPVT III.

*Omnia monaſteria,præter monaſteria Minorum de Obſeruantia & Capucinorum, poſſunt poſſidere bona immobilia. Plures non recipiantur in monaſteriis, quàm honeſtè ſuſtentari poſſint ex reditibus aut Eleëmoſynis.*

a CONcedit ſancta Synodus omnibus monaſteriis,& domibus tam virorum, quàm mulierum, & mendicantium, a exceptis domibus fratrum ſancti Francisci, Capucinorum,& eorum, 1 β *qui Minorum de Obſeruantia vocantur*, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apoſtolico non erat conceſſum, vt deinceps 2 *bona immobilia eis poſſidere liceat.* Quod ſi aliqua loca ex præ-

a *c.exiit qui ſeminat, § porro, de ver.ſig. in 6.*

prædictis, quibus auctoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit. a 3 *In prædictis autem monaſteriis*, & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, 4 *is tantùm numerus* conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex reditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleëmoſynis commodè poſſit ſuſtentari: 5 *nec de cætero ſimilia loca erigantur* ſine Epiſcopi, in cuius diœceſi erigenda ſunt, licentia priùs obtenta.

*a Conc. Arelat. 4. c. 8. Conc. Maguntiacum c. 19. c. 1. & c. auctoritate, de inſt. c. quoniam vt ait. de vi & hon. cleric. c. vni §. ſanè vt hoc, de ſta. reg. in 6.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Qui Minorum de obſeruanta vocantur.*] Hi poſſunt perquirere & colligere quaſcunq; eleëmoſynas, exceptis pecuniis. In hac autem exceptione fratrum Minorum de obſeruantia, non comprehenduntur moniales S. Claræ.

2 *Bona immobilia.*] Exequutio huius Decreti competit Epiſcopis, & regularibus reſpectiuè, *Pius V. in Bulla publicata* 4. *Kal. Iun.* 1566.

3 *In prædictis autem.*] Monialibus quæ non habent aliunde, vnde commodè ſe ſuſtẽtare valeant, licet artificio & manibus propriis victum ſibi quærere, dummodo honeſta, & ſtricta earum clauſura ſeruetur, prout à Concil. Trident. decretum eſt, & viſum eſt Congregationi. *Supr. huius ſeſſ. c.* 2. *§. ſi moniales.*

4 *Is tantum numerus.*] Ordinarij monialiúmq; Superiores nullatenus permittere debent, vt plures in illarum Monaſterium recipiantur, quam ex propriis monaſterij reditibus vel conſuetis eleëmoſynis poſſint ſuſtentari.

In conſtituendo ergo numero monialium obſeruari debet huius Capituli Decretum. De dotibus autem nihil certi cum eis ſtatutum eſt, ſed prout qualitas perſonarum & temporum poſtulabit, eſt faciendum: nec quod datur à moniali Monaſterium ingrediente, dotis nomine propriè vocari debet, ſed dicendum eſt, quod id tribuatur pro alimentis ac neceſſaria ſuſtentatione perſonæ quæ monaſterium ingreſſa eſt.

5 *Nec de cætero ſimilia loca erigantur.*] Monachi non poſſunt Monaſteria ædificare in Parochia, in qua ea non habent, ſine cognitione & licentia Papæ, ex Decreto Congregationis.

## REMISSIONES.

α VIde Nauar. in Tract. de Orat. cap. 22. num. 82. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 29. art. 14. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. lib. 12. cap. 23. quæſt. 8. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 4.

β *Qui Minores de Obſeruantia vocantur.* ] Sacra Card. Congr. ita cenſuit: In hac autem exceptione fratrum Minorum de Obſeruantia non comprehenduntur moniales S. Claræ.

γ *Is tantùm numerus conſtituatur, ac impoſterum conſeruetur, qui vel ex reditibus, &c.* ] Vide c. 1. §. ſanè, de ſtatu Regul. lib. 6. Nauar. in tract. de Reditib. Eccleſ. q 1. monitu 62. Fr. Emman. q. Reg. tom. 2. q. 48. art. 1. Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Moniales, §. 6. pag. 155. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. lib. 13. c. 9. q. 1. Quarant. in Summa Bullarij verbo Monaſteria monialium, pag. 359.

δ Verùm cùm expletus eſt numerus perſonarũ religioſarum, quæ ali poſſunt ex annuis reditibus Monaſterij, poſſit aliqua ſufficienter dotata cum ſua dote ſupra illum numerum admitti? Affirmant Nauarr. d. monitu 62. P. Soar. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 9. num. 17. Pat. Valeri. Reginal. in praxi fori pœnitentiar. lib. 23. num. 194. reſoluentes textum in præſenti cum ſimilibus intelligendum eſſe prohibere, ne quando plures fœminas Monaſterium alere non poteſt, quam in eo iam ſint, non admittantur aliæ ſine dote, expenſis Monaſterij alendæ.

ε *Nec de cætero ſimilia loca tam mulierum, quàm virorum, ſine Epiſcopi, in cuius diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.* ] Vide Frat. Emman. to. 1. q. 23. art. 7. & tom. 2. q. 49. art. 3. Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig. li. 2. c. 8. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Monachi, §. 1. & §. 2. vbi dicit ſacram Card. Congr. cenſuiſſe in hæc verba: Monachi non poſſunt ædificare Monaſteria in Parochia, in qua id non habent ſine cognitione, & licentia Papæ.

## CAPVT IV.

*Regularis ſubiiciens ſe obſequio alicuius alterius loci aut perſonæ, prætextu pij operis, ſine Superioris licentia, puniendus eſt; ſicut & à conuentu recedens ad ſuperiores, niſi ab eis fuerit appellatus. Regulares ſtudiosè viuant in communitate.*

α PRohibet ſancta Synodus, ne quis Regularis, ſine ſui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiuſ-

cuiuſuis pij operis prætextu, [a] ſubiiciat ſe obſequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuſcumque perſonæ, ſeu loci; neque ei aliquod priuilegium, aut facultas ab aliis ſuper iis obtenta, ſuffragetur. Quod ſi contra fecerit, tanquam inobediens, arbitrio Superioris puniatur. β γ *Nec liceat regularibus* à ſuis conuentibus recedere, etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuerit; ab Ordinariis locorum, 1 *tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur.* Illi autem, qui ſtudiorum cauſa ad Vniuerſitates mittuntur, in conuentibus tantùm habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

*a c. quanto, de off. or. Clem. ne in agro. §. quia verò, de ſta. mon.*

## DECLARATIONES.

1 *Tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur.* ] Sunt igitur tales puniendi, ſed non ſunt ideo excommunicati per Concilium Tridentinum.

## REMISSIONES.

α VIde P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 18. cap. 28. nu. 403. cum ſequentib. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 6. de voto Obedientiæ

β *Nec liceat Regularibus à ſuis conuentibus recedere, &c.* ] Vide Nau. Comment. 2. de Regularib. nu. 61. & Comment. 3. n. 50. Fr. Emman. tom. 1. qu. 30. art. 3. & 4. & tom. 2. quæſt. 53. art. 10. Sayr. in Claui Regia lib. 2. cap. 17. nu. 37. cum ſeqq. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. lib. 12. cap. 11. q. 7. verſ. Cæterùm, & q. 8. reſoluit, tutò religioſum è Monaſterio fugere poſſe, cùm in eum plus æquo ſuperior ſæuierit, ſi certò, & euidenter conſtiterit de ſuperioris ſæuitia.

γ Apud Religioſos adire ſuperiorem ob iuſtum grauamen ad conquerendum de illo, habere vim appellationis, neque id vetare Concilium in præſenti, docet Nauar. in cap. Non dicatis, 12. q. 1. nu. 61. quamuis prædictus acceſſus ob hanc cauſam ad ſuperiorem fieret ſine licentia, & conſenſu ſui ſuperioris, reſoluit Fr. Emman. tom. 1. qu 30. art. 3. aſſerens opinionem D. Bannes in 2. 2. qu. 12. art. 1. procedere poſſe caſu, quo non conſtaret de iniuſtitia grauaminis: qui etiam Fr. Emman. d. tom. 1. q. 29. art. 1. refert per ſacram Cong. Illuſt.

Card.

Card. eſſe interpoſitum decretum annno Dom. 1587. vt appellatio hoc ordine proſequatur à Guardiano ad prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, à Protectore ad ſacram Congregat. refert etiam Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 4.

## Capvt V.

*Admitantur Epiſcopi vt procurent obſeruari clauſuram monaſteriorum, adhibito etiam brachio ſæculari, ſi neceſſe fuerit. Qui ingredi valeant licitè monaſterio aut egredi. Monaſteria monialium expoſita malorum hominum prædæ ſunt intra vrbes transferenda.*

a c. periculoſo, de ſta. mo. in 6. Decr l. 6 de ſtatu regularium c. 1.

α BOnifacij a Octaui conſtitutionem, quæ incipit, Periculoſo, renouans ſancta Synodus, 1 *vniuerſis Epiſcopis* ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, vt in omnibus monaſteriis ſibi ſubiectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate 2 *clauſuram Sanctimonialium*, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, inuocato etiam adhoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Quod auxilium vt præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur ſancta Synodus, & ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, omnibus magiſtratibus ſæcularibus iniungit. b β *Nemini autem Sanctimonialium liceat* 3 *poſt profeſſionem exire à monaſterio etiam* ad breue tempus, quocumque prætextu, γ &c. *niſi ex aliqua legitima cauſa*, 4 ζ *ab Epiſcopo approbanda*: indultis quibuſcumq; & priuilegiis non obſtantibus. c 5 θ *Ingredi autem intra ſepta monaſterij* nemini liceat, ι *cuiuſcumq; generis, aut conditionis*, 2 &c. *ſexus*, ξ *vel ætatis fuerint*, 6 *ſine Epiſcopi, vel Superioris* ο *licentia*, in ſcriptis obtenta, π *ſub excommunicationis pœna*, ipſo facto incurrenda. d 7 ρ *Dare autem tantùm Epiſcopus*, σ τ *vel Superior* licentiam debet in caſibus neceſſariis, neq; alius

b Concil. Cabilon. 2. cap. 37. 62. & 63.

c Conc. Matiſcon. 2. ca. 2. Conc. Arelat. c. 7.

d c. definimus, 18. q. 2.

vllo

vllo modo poſſit, etiam vigore cuiuſcúmque 8 *facultatis*, *vel indulti*, hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi. *v Et quia monaſteria Sanctimonialium* 9 *extra mœnia vrbis*, vel oppidi conſtituta, 10 *malorum hominum prædæ*, & aliis facinoribus 11 *ſine vlla ſæpe cuſtodia ſunt expoſita*; curent Epiſcopi, & alij Superiores, ſi ita videbitur expedire, vt Sanctimoniales ex iis 12 *ad noua*, vel antiqua monaſteria intra vrbes, vel oppida frequentia reducantur, inuocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis. Impedientes verò, vel non obedientes per cenſuras eccleſiaſticas parere compellant.

---

## DECLARATIONES.

1 *Vniuerſis.*] Epiſcopi, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi & Epiſcopi in virtute Sanctæ obedientiæ debent publicare in ſuis ciuitatibus & Diœceſibus Bullam Pij Quinti, de clauſura monialium, & efficere vt in omnibus Monaſteriis clauſura ſeruetur, iuxta formam Bullæ eiuſdem.

Epiſcopus debet prouidere de iis, quæ faciunt ad clauſuram monialium, & aliis earum neceſſitatibus. Vnde & Monaſteria Regularibus ſubiecta poteſt viſitare in his omnibus, quæ ad clauſuram pertinent.

Cenſuit Congregatio, Epiſcopum Diœceſeos in Monaſteriis alteri Epiſcopo ſubiectis, ex Concilio Tridentino ius viſitandi habere, quoad clauſuram, & eandem poteſtatem quod alia, quam habet in Monaſteriis regularibus ſibi ſubiectis.

2 *Clauſuram Sanctimonialium.*] Moniales Tertiariæ, quæ tria vota ſubſtantialia ſolemniter emiſerunt, cogendę omnino ſunt ad obſeruandum clauſuram. In aliis autem Tertiariis, que dicta vota non emiſerunt, ſeruanda eſt preciſè Bulla Pij Quinti edita Anno 1566. 4. *Kalend. Iunij.* Sicque declarandum eſt Breue aliàs à Pio IV. ſcriptum Nuncio Hiſpaniarũ pro Tertiariis Hiſpanis, quæ ea vota non emiſerunt, quatenus in eo conceſſit vt permanerent, prout antea vixerunt. Intelligitur tamen hæc permiſſio iuxta præſcriptum dictæ Bullæ, quæ & generaliter in omnibus Tertiariis huiuſmodi, vbicunque degentibus, deinceps obſeruetur, nulla habita amplius ratione iuſſionis factæ ab eodem Pio V. vt ipſis Tertiariis ſolemniter non profeſſis certus terminus præfigatur ad profitendum, quo elapſo ſi non fuiſſent profeſſæ, ad domos parentum propinquorúmque reuerterentur. Cùm enim nulla ſuper hac iuſſione fuerit promulgata Bulla, ſed aliquæ tantùm literæ, partim à Congregatione Concilij,

par-

partim à nonnullis protectoribus regularium, pro quibuſdam particularibus harum Tertiariarum Monaſteriis ſcriptæ fuerint, ob id rectius eſt ad præſcriptum dictæ Bullæ iamdiu editæ & paſſim obſeruatæ redire.

Moniales licet prætendant ſe ſubeſſe ſuæ propriæ Prouincialiſſæ, Ordinarius tamen eas coercere debet, toties quoties iudicauerit expedire, in ijs præſertim, quæ ſpectant ad clauſuram. Conceſſio etiam alloquendi moniales exemptas, potius ab Epiſcopo, quàm ab alio concedatur.

Bulla Sanctiſſimi Domini noſtri, de Tertiariis, prohibet puellis, quod non poſſint ſuſcipere habitum in Monaſterio non clauſo: ſi verò ſit clauſum poſſint.

Monachæ Tertiariæ, ſeu de pœnitentia dictæ, quę tria ſubſtantialia vota ſolemniter emiſerunt, ad præciſam clauſuram perpetuò ſeruandam per cenſuras & aliarum pœnarum impoſitionem, & ſæcularis brachij inuocationem, omnibúſque aliis iuris & factis remediis omnino cogendæ ſunt & compellendæ. In aliis verò, à quibus hæc tria vota non ſunt emiſſa, ſeruandum eſt præſcriptum Bullæ Pij V. editæ 4. *Kalendarum Iunij, Pontificatus ſui anno* 1. quæ ſic incipit: *Cum Paſtoralis officij*: vbi vult Tertiarias non profeſſas ab Ordinario & earum ſuperioribus admonendas & inducendas vt profiteantur, & poſt profeſſionem clauſuræ ſe ſubiiciant: quod ſi recuſauerint; & inuentæ fuerint ſcandalosè viuere, eſſe ſeueriſſimè puniendas. In eadem Bulla Pontifex imperat volentibus viuere ſine profeſſione & clauſura, vt in futurum nullam perſonam aliam in ſuum Ordinem, religionem aut Congregationem recipiant.

Congregatio cenſuit, comprehendi ſub conſtitutione ſanctæ memoriæ Pij V. *de clauſura monialium, ſub dato Romæ 1566. 4. Kalend. Iunij anno primo*, quandam religioſam domum *de paupere victu* nuncupatam, quæ caſtitatis ſimplex votum emittunt, non autem votum clauſuræ & obedientiæ. Propterea Monialibus nolentibus emittere profeſſionen, vel optantibus extra clauſuram viuere, omnino interdictum fuit, & prohibitum perpetuò vt in futurum nullam aliam prorſus in ſuum Ordinem congregationemve recipiant. *Suprà hoc c. §. Monachæ,*

Cenſuit Congregatio ob cauſam concedere, vt monialis poſſit exire à Monaſterio in Eccleſiam exteriorem ipſius Monaſterij, vt exercitari poſſit, vbi ſunt reliquiæ. Hac eadem de cauſa à Sede Apoſtolica fuit ſemel conceſſum, vt in domum parentum accedere poſſit ſaltem ſemel per menſem.

3 *Poſt profeſſionem exire.*] Monialibus à Monaſterio exire non licet etiam cum cauſa probabili, niſi adſit communis conſenſus Superioris regularis, & Epiſcopi illius.

4 *Ab Epiſcopo approbanda.*] Moniales ſubiectæ poteſtate regulariũ, ſi ſine Bulla & licentia Ordinarij egreſſæ fuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia, debent ipſæ & ipſarum Superiores (de

quorum

quorum licentia è Monaſterio fuerunt egreſſæ ) ab eodem Ordinario puniri: non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis.

Exeundi à Monaſteriis iuſtam cauſam hanc moniales non habent, vt curam nepotum ſuorum gerant, etiamſi nullum alium propinquum haberent nepotes.

Ex cauſa Sedes Apoſtol. conceſſit quibuſdam monialibus, vt tranſirent ad aliud Monaſterium alterius ordinis, de conſenſu tamen Superiorum.

5 *Ingredi autem intra ſepta.* ] S. D. N. Gregor. XIII. audita relatione Congregationis approbauit declarationem aliàs factam à ſanctæ memoriæ Pio V. vt liceat mulieribus ingredi prima clauſtra Monaſteriorum, quando contingit viros & mulieres in publicis proceſſionibus ire per ea ad Eccleſiam, vel in eis diuina celebrare; & non aliter.

Cadauera eorum, qui cupiunt in Monaſteriis monialium ſepulturæ tradi, reſpondit S. D. N. Gregorius poni debere in exteriori Eccleſia, non autem intra clauſuram.

Præſuppoſita declaratione Congregationis aliàs edita, quòd ſi aliquorum eſt conſuetudo, accedendi ad Monaſteria monialium regularibus ſubiecta, ſine licentia Epiſcopi, ea debeat obſeruari: Dubitatur, an eodem modo attendenda ſit conſuetudo poſt Concilium introducta, vt Ordinarij concedant licentiam ingreſſus ad Monaſteria regularibus ſubiecta priuatiuè ad ipſos ſuperiores regulares? Congregatio cenſuit, ſi conſuetudo ſit introducta poſt Concilium, quòd ea debeat obſeruari. Et dato quod à ſuperioribus regularibus huiuſmodi licentiæ ingreſſus concedi debeant priuatiuè ad Ordinarios, an poſſint tamen Ordinarij aliquam ſuper ipſarum licentiarum conceſſione ſuperintendentiam habere, & qualem? Congregatio cenſuit, quod etiam ſit ſeruanda conſuetudo. Si autem ex aliqua cauſa expedire iudicaret ipſas licentias improbare, ex toto non poterit, verùm poſſet aliquem particularem accedentem impedire, ſi probabiliter ſic expedire videretur.

Ingredi intra ſepta Monaſterij, nec religioſis ipſis licet, etiam vt ſatisfaciant teſtantium voluntati, qui in Monaſteriis monialium voluerunt quolibet anno anniuerſarium celebrari. nam hoc caſu ſatisfaciendum eſt, celebrando anniuerſarium in exteriori Eccleſia.

Puella introduci poteſt intra clauſtra Monaſterij monialium, ad hoc vt educetur ibi etiam abſque licentia Ordinarij, quoad Monaſteria regularibus ſubiecta, obtentis tamen licentiis ab ipſa Congregatione cauſa præſuppoſita, non autem ex ſola licentia Superiorum regularium, nec etiam de licentia Ordinarij & Superiorum. Illa autem quæ habitum regularem ſuſcipere vult & ibi permanere, poteſt ibidem commorari per aliquot dies, vt magis perſpicere poſſit quid agere debeat.

Nobili

Nobili fœminæ, cuius progenitores Monaſterium monialium fundarunt, conceſſum fuit ex magna cauſa, vt etiam cum duabus aliis, Matronis, bis in anno in illud ingredi poſſit, dummodo in eo non pernoctet.

Viduis & mulieribus nobilibus, quæ volunt ingredi Monaſteria, vt in eis perpetuo viuant, retento ſeculari habitu, à Sede Apoſtolica permittitur, dummodo ingrediantur de conſenſu abbatiſſæ, & maioris partis monalium, & licentia in ſcriptis à Superiore habita, modeſtóque habitu incedant, legémque communem clauſuræ obſeruent: quod ſi ſemel egrediantur, in ea monaſteria iterum ingredi non permittantur. Permiſſum etiam quandóque fuit, mulieribus habentibus virum abſentem, ad tempus in Monaſteriis monialium permanere.

Licet Epiſcopo vel ſuperiori in Monaſteriis ſibi ſubiectis dare licentiam recipiendi puellas in Monaſteriis & ibi commorandi, vt rectè in moribus inſtruantur, licet nolint religionis habitum ſuſcipere, cum certis tamen conditionibus, non obſtante Concil. Tridentino hoc cap. Nec verò Concilium Tridentinum prohibet, quin puellæ in Monaſteriis monialium, educationis gratia, recipi poſſint. Quod ſi fortè ratio aliqua, vel ſtatutum religionis alicuius monaſterij aliter prohiberet, recipiendæ non eſſent vllo pacto.

Poſſunt Ordinarij iure proprio puellas, de quibus controuertitur in Monaſteriis collocare ad tempus, donec lites finiantur. Attamen puellæ quæ educationis gratia degunt in Monaſteriis, debent ibi manere ſine ancillis, nec inde exire, (niſi velint penitus amplius non admitti) & obligatæ ſunt ad clauſuram, & ad cætera, ſicut ipſæ moniales. Idem ſtatutum eſt de puellis, quæ propter tenues facultates, vel inopiam domi ſuæ tuto ali nequeunt, ſi quidem illæ, etiam victu à propinquis ſuppeditato, ſunt in Monaſteriis collocandæ. Cæterum puellæ quæ ſunt in Monaſteriis monialium educationis gratia, debent reſtitui patri, quandocunque eas petierit.

Puellis, quæ in Monaſteriis educationis gratia ſunt, licentiæ dari debent inde recta ad balnea curandæ valetudinis ſuæ gratia exeundi, iiſdémq; permitti debet, vt in idem Monaſterium redire poſſint, ſi tamen recta à balneis ſe recipere voluerunt.

Puellæ, quæ de licentia Superioris monaſterij, de eo exierunt curandæ valetudinis cauſa, rurſus in eo admitti debent, modo ab earundem Superiore licentiam in ſcriptis impetrent, & Abbatiſſæ ac reliquarum monialium accedet conſenſus. Et in eo veſtitu in monaſterio manebunt, qui virginali modeſtiæ ac pudori conueniat, nullámq; ſecum famulam ducant, & dum ibi erunt, ſeruare debent clauſuræ eandem legem, quam moniales ſeruant, neque ibi permanere permitti debent vltra ætatis ſuæ annum 25. quo ex loco ſi ſemel exierunt, nullam poſtea reintrandi habeant facultatem.

Epiſcopus poteſtatem facit puellæ redeundi & commorandi in Mona-

monaſterio, in quo aliàs commorabatur cauſa educationis, ſi ex eo exiuit morbi ſui curandi cauſa, modo id fecerit de eius licentia, ſed ſeruentur omnes conditiones, quæ aliàs in literis huiuſmodi præſcriptæ fuerunt.

In monaſteriis monialium tolerari debent puellæ, quæ delectæ ſunt ex hoſpitalibus & aliis piis locis donec offeratur facultas eas nubendi, quæ licet inſeruiant monaſteriis monialium, non poſſunt tamen priuatim cuiquam moniali inſeruire. Et hæ puellæ, cùm produneuntur in publicum, omnes proceſſionaliter incedere debent, nec comites illis moniales adiungantur, & confecta proceſſione ad monaſterium reuertantur, & quamdiu ibi ſunt, clauſuram ſeruare teneantur, & reliquam viuendi rationem, provt ipſæ moniales, & nullas ſecum habere ancillas, nec ſingulæ inde poſſunt exire, niſi poſtea nunquam in idem monaſterium redituræ.

Rectè curauit D. Epiſcopus Abulenſis ne Abbatiſſa & moniales quædam Bernardinæ ancillas ſæculares in habitu ſæculari agentes, & exire quandocúnque vellent ex monaſterio prætextu ſeruitij præſumentes haberent.

Puellæ, quæ propinquis & facultatibus deſtitutæ ſunt, & ideò ſine dote in monaſterium adduci non poſſunt, ſi miſericordiæ cauſa admiſſæ fuerunt, tolerari debent in monaſteriis, modo ſupradictis legibus obediant, in futurum autem nullæ talis conditionis admittantur.

Neophitæ poſſunt in monaſteriis monialium manere, ſi Ordinarij & Abbatiſſæ monialium earúmque Superioris conſenſus acceſſerit, ipſæque ſolæ maneant in monaſteriis, neque inde exeant, niſi in monaſterium amplius poſtea non redituræ, reliquíſque in rebus omnibus, præſertim in iis, quæ ad clauſuram pertinent, leges ſeruent monialibus præſcriptas. Viduæ autem, quæ viris mortuis honeſtatis cauſa ſe contulerunt in monaſterium, modò ſint bonæ exiſtimationis & famæ, legibúſque ſupradictis monialium pareant, tolerati debent: de cætero tamen nullæ huiuſmodi recipi debent, niſi moniales fieri velint. At verò mulier ſæcularis, quæ iam eſt intra ſepta monaſterij, expellenda eſt, ſi iſthuc ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ingreſſa eſt, & contra maioris partis monialium intentionem.

Viduæ nobiles, quibus permittitur ingredi monaſterium monialium, his conditionibus vti debent, vt nullas ſecum ducant ancillas, & eo animo ingrediantur, vt nolint inde amplius exire, & dum apud moniales ſunt, his clauſuræ finibus & legibus teneantur, quibus ipſæ moniales.

Non poteſt Epiſcopus licentiam dare viduæ monaſterium ingredi volenti, in habitu laicali permanere, etiamſi ibi vſque ad finem vitæ ſuæ permanere, nec amplius exire vellet, quia in iſtis nulla adeſt cauſa neceſſaria.

Mulier coniugata ſi ſit in monaſterio monialium, & conſtitit quod ſi inde exierit, verſabitur in periculo mortis, in monaſterio relinqui debet, ſed ſine ancillis & vllo famulatu extraneo, tenetúrque clauſuram & alia, provt ipſæ moniales, ſeruare.

Mulier, quæ venit in ſuſpicionem adulterij apud maritum, & ob id timet ne ab eo vis aliqua inferatur, permitti debet vt ingrediatur monaſterium monialium, ſi modo conſtitutiones monaſterij non repugnent, & accedat conſenſus Abbatiſſæ & monialium & miniſtri Prouincialis, aut alterius earum ſuperioris, ſed ingrediatur ſine ancillis & ſeruet clauſuram, & reliqua, provt ipſæ moniales. Et cauſa ingreſſus ceſſante debet inde exire, & ſi ſemel exierit, nunquam poſtea in idem monaſterium ingredi poſſit. Inſuper mulieres, quæ ſunt in diſcordia cum maritis, & eorum ſæuitiam timent, ſi ſunt extra culpam, quamdiu iuſtam timendi cauſam habuerint, debent, ſi ſunt in monaſteriis, tolerari.

Cauſa infirmitatis monialium, aliquando Sedes Apoſtolica conceſſit, vt ſecum retinere poſſint famulam ſæcularem, cum eiſdem legibus clauſuræ & habitus, quibus ſuprà. Ordinarius tamen hanc facultatem concedere non poteſt, & de facto conceſſa reuocatur.

Illuſtribus puellis, quæ in monaſteriis cum ſupradictis conditionibus educari permittuntur à Sede Apoſtolica, ab eadem etiam fuit aliquando diſpenſatum, vt famulam ſæcularem haberet cum eiſdem legibus.

De virgine vxore N. Ciuis Panormitani, quæ ſeparata eſt à viro in monaſterio, ſcribatur Archiepiſcopo Panormitano, vt ſi exiens ibi ſubit vitæ diſcrimen, patiatur eſſe in monaſterio, modo quantum ad clauſuram attinet ſeruet clauſuram monialium.

Petitio Comitiſſæ Pignoroſæ, vt propter fluxum ſanguinis poſſit à marito ſeparari, & cum tribus filiabus puellis in monaſterio monialium habitare, reiecta eſt.

Nobiles & gradu ſuperiores matronæ, quæ ſunt in monaſterio admiſſæ, omnes ancillas emittere debent, nec poſſunt è monaſterio exire, niſi in id non redituræ, & dum in eo manent, ſeruare debent clauſuram & reliqua ſicut ipſæ moniales. Itémque de lite Comitiſſæ Sancti Seuerini, quæ interea dum filius adoleſcat, voluit ingredi monaſterium Neapoli: Reſponſum eſt, vt ingrediatur, nec inde exeat niſi non ampliùs ingredi voluerit, & quamdiu ibi erit, quoad clauſuram attinet, obſeruet regulam monialium.

Non licet Epiſcopo licentiam dare matri, ſororibus, & conſanguineis, monaſterium ingredi, cauſa viſitandi filiam vel ſorores, quæ aliqua graui infirmitate tenentur, etiam non ſine mortis periculo, multò minus quando filiæ aut aliæ profeſsionem emittunt, vel habitum ſuſcipiunt religionis.

Sæcu-

Sæcułares omnes ab ingreſſu monaſteriorum monialium prorſus prohibendi ſunt, & monialibus expreſsè præcipi debet, ne in monaſterium vllos ſæculares admittant, deinde excommunicationis pœna ſæcularibus ipſo facto incurrenda, ſi auſi fuerint ea monaſteria introire, denuntianda eſt. Nihilominus cauſa euidentis vtilitatis monialium licentia concedenda eſt ab Ordinario, procuratoribus earum in monaſteria ingredi, modo ætas & morum grauitas ea ſit, quæ eos commendet.

Ordinarius non debet permittere mulieres, quæ inhoneſtè vixerint, in ſacrarum virginum monaſteriis permanere, & preſertim ſi non conſueuit monaſterium illud tales fœminas admittere, & prædictæ mulieres nullam à Superiore monaſterij in ſcriptis licentiam impetrauerunt, neque Abbatiſſæ, neque reliquæ moniales conſenſerunt, neque poſt ingreſſum monaſterij clauſuram ſeruauerunt, neque aliquam viuendi rationem, quam moniales, ſeruant.

Quandóque fuit ex gratia à Sede Apoſtolica conceſſum, vt aliquæ mulieres ſemel ingrediantur ſepta monaſterij Carthuſienſis, cum licentia tamen ſuperiorum, cauſa viſitandi quandam Capellam. Quoad acceſſum autem ad colloquium cum monialibus ad crates ſeruanda eſt conſuetudo etiam in monaſteriis ſubiectis regularibus, aliàs nemo ex conſuetudine poſſit accedere ſine licentia Epiſcopi.

Licentia ingrediendi obtinenda eſt à regularibus, quando monaſteria ipſis regularibus, non autem Epiſcopis, ſunt ſubiecta. Item poteſtas accipiendi, & dimittendi facultates, ad eos pariter ſpectare dicitur qui monaſteria habent.

6 *Sine Epiſcopi vel ſuperioris licentia.*] Cum aliquibus valde coniunctis vel aliis præcipuis perſonis, quæ neceſſitatibus monialium ſubueniunt, non poteſt Superior diſpenſare, vt viſitent moniales in loco per Superiorem deputato intra ſepta monaſterij, prout Congregatio cenſuit: quinimò debet cogere dictas moniales ad præcisè ſeruandum Decretum Concil. Tridentin. & Bullam Pij V. de clauſura monialium.

7 *Dare autem tantùm Epiſcopus.*] Nulla eſt licentia danda introeundi ad tempus ſepta monaſterij monialium, niſi in caſibus neceſſitatis, quorum aliqui explicati fuerunt edicto Vicarij vrbis Romæ.

Epiſcopus concedere debet licentiam in caſibus neceſſariis mulieribus honeſtis, petentibus tamen, quæ curam habent de monaſteriis Conuertitarum.

Tollantur Eccleſiæ, quæ ſunt intra clauſtra monaſterij ex Decreto Concil. Trident. & alibi collocentur.

Regulares adeuntes monaſteria monialium ſine licentia Epiſcopi, incidunt in pœnam excommunicationis, quam Epiſcop. ſuo edicto propoſuit. Sic Congreg. cenſuit 9. April. 1587. Si tamen Regulares illi haberent ex priuilegio, quod non poſſent excommunicari,

non erunt excommunicati, ſed debebunt puniri à ſuis ſuperioribus alia pœna. Et regulares ſic excommunicati non poſſunt abſolui à ſuis ſuperioribus, ſed ab Epiſcopo, qui ſibi hanc facultatem reſeruauit.

8 *Facultatis vel indulti* ] Mulieres cuiuſcúnq; ſint ſtatus aut conditionis, prætextu confeſſionalium, aut aliarum literarum Apoſtolicarum, ingredientes domos & monaſteria Carthuſienſium & aliorum regularium ordinum, etiam mendicantium, excommunicationem ipſo facto incurrunt, cuius abſolutio Romano Pontifici reſeruatur, excepto mortis articulo. Pius V. in conſtitutione regularium perſonarum publicata die 23. Octobr. 1566.

9 *Extra mœnia vrbis vel oppidi conſtituta.* ] Monaſteria monialium extra mœnia vrbis, & oppidi (etiam poſito quòd ea ſint exempta & immediatè Sedi Apoſtol. ſubiecta) poſſunt Ordinarij tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, intra vrbis mœnia transferre, iuxta hoc Decretum.

Quando verò ex permiſſu Sedis Apoſtol. transferuntur moniales de loco ad locum, tranſlatio debet fieri in aurora, vt non niſi à paucis conſpiciantur. Deducantur autem à perſonis grauibus & honeſtis ac proximioribus ſeu coniunctis.

10 *Malorum hominum præda.* ] Moniales quæ habent monaſteria expoſita excurſioni Piratarum, & aliorum malorum hominum, in monaſterio vrbano eiuſdem ordinis collocari debent: non ſunt tamen in plura vrbana monaſteria diſtribuendæ dum proprium ædificatur, quia hoc non conuenit ſtatutis eiuſdem monaſterij.

11 *Sine vlla ſæpe cuſtodia ſunt expoſita.* ] Non habet locum hoc Decretum in illis monaſteriis, quæ longè diſtant ab vrbibus, vel oppidis, & à frequentiſſimo pago circumcirca cuſtodiuntur.

12 *Ad noua vel antiqua monaſteria.* ] Tranſlatio monaſterij monialium, cui imminet ſcandalum, eſt facienda ad aliud eiuſdem ordinis monaſterium, nec reditus monaſterij tranſlati ſunt iſti monaſterio applicandi, ſed vniendi ſunt monaſterio in quod fuit tranſlatum, licet non poſſit de Seminario prouidere. Tranſlatio monialium de vno loco ad alium eiuſdem ordinis eſt facienda propter ſuperuenientiam aëris peſtilentis. Monachæ Collegij Nolani propter peſtilentem quemdam aquæ defluxum ex vicino monte, petierunt tranſitum ad aliud monaſterium ſub eadem regula, & fuit ſcriptum Epiſcopo Nolano, vt ſi ita eſt, benignè concederet.

Quando reſtaurantur monaſteria, ſi hoc expedire probatur, permiſſum eſt, vt nouitiæ moniales ad alium locum transferantur, donec perficiatur opus.

13 *Reducantur.* ] Vnio monaſteriorum monialium facienda eſt, cùm legitima cauſa ſubeſt, accedente ad id Papæ auctoritate.

RE-

# REMISSIONES.

α VIde Nauar.in Man. cap.27. num.108.& in cap.Non dicatis, 12.q.1.num.51.& nu.71. & in comment.4.de Regularib. n. 39.P. Azor. inſtitut. Moral. part.1. lib. 12. cap.8.à princip. Zerol.in praxi Epiſcop. part. 1. verbo Moniales, §. 2. pag. 234. & §. 16.Frat. Emman.quæſt.Regul.tom.2.q.2. articul.7. Aloyſ. Ricci.in collect. deciſ.p.4.collect.820.

β *Nemini autem Sanctimonialium liceat, &c.* ] Vide Nauar. in cap. Statuimus 19.q.3.numer.47.Guttier.Canon,lib.1.qu.14. à.num.1. Paul.Fuſc.de Viſitat. lib.2.cap.18.à num.17.Cened. ad Sextum collect.31.Pat. Azor.inſt. Moral.p.1.lib.12. cap.8.q.3. Latè Fr.Ioan.de la Cruz.de ſtatu Relig. lib.1.cap.5.dub.2. cum ſeqq.

γ *Niſi ex aliqua legitima cauſa.* ] Summus Pontif. Pius V. per ſuam Extrauag. incip. Circa Paſtoralis, ſtatuit, vt nulla alia ex cauſa, vel occaſione, niſi magni incendij, vel infirmitatis, lepræ,aut epidimiæ, Moniales è monaſterio exire poſſint, latè refert Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib.1. cap. 5. dub. 4.

δ An verò liceat Monialibus exire à monaſterio ob alias cauſas præter iam dictas? Vide Nauarr.comment.4.de Regularib. num.48. & in cap.Statuimus 19.qu.3. num.49. Guttier.Canon. lib.1.cap.14. à num.7. Cened. ad Sextum collect. 31. nu.2. P. Azor.d. cap.8.q 2, verſ.Tertiò, Zerol.in praxi Epiſcop. p.1.verbo Moniales,§.16.verſ. Secundò dubitatur, Fr. Ioann. de la Cruz d. dub.4. verſ.An verò liceat, vbi reſoluit, illud eſſe in cauſis ſimilibus, v. g. in caſu hoſtium inuadentium monaſterium, in caſu aquæ ductus, aut ruinæ domus, & aliorum ſimilium, incendio, & in aliis infirmitatibus contagioſis, & nociuis communitati monialium : & in verſ. Secunda concluſio, ait, quòd ſatis pia, & probabilis eſt ſententia Nauar. in d. cap. Statuimus, num. 4.extendens dictum Decretum Pij V. ad infirmitatem ſoli moniali nociuam : cui exeundo à monaſterio remedium adhibetur, ſi aliàs periculum vitæ, aut grauis & diuturnæ infirmitatis probabiliter timetur.

ε An ſit cauſa legitima ingrediendi, vt quia mater, aut ſoror, aut conſanguinei ingredi vellent viſere filiam aut ſororem graui morbo laborantem ? Negatiuè ſacram Cardinal. Congreg.cenſuiſſe teſtantur Zerol.d.verbo Moniales, §.8. verſ.Secundò, Frat.Emman.tom. 1.quæſt.64.à numer.11.Frat. Ioan.de la Cruz d.cap.5. dub.2.concl. 3.not.3.

ζ *Ab Epiſcopo approbanda.* ] An approbatio cauſæ ad exeundum pro monialibus Religioſis ſubiectis debeat fieri per ſuum Generalem, vel Prouincialem ? Sacram Card.Congreg.cenſuiſſe,non tantum licentiam ſuorum ſuperiorum, ſed Etiam Epiſcopi requiri, affirmat Fr.Emman. quæſt Regul. tom.1. qu.49. art.6.Sed in Hiſpania cùm

exeunt moniales, ſolam ſuperiorum licentiam eſſe neceſſariam teſtatur Fr. Ioann. de la Cruz d. cap. 5. dub. 3.

η An moniales poſſint tranſire de vno monaſterio ad aliud, vel cauſa nouæ fundationis, vel correctionis, vel reformationis, vel præfectionis? Affirmat auctoritate Epiſcopi Nauar. conſ. 37. numer. 6. de Regularib. & conſ. 5. numer. 3. & 6. de ſtatu monach. Sacram tamen Congregationem cenſuiſſe, in his recurrendum eſſe ad Sedem Apoſtol. refert Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Moniales, §. 16.

θ *Ingredi autem intra ſepta monaſterij nemini liceat.* ] Quæ perſonæ ingredi poſſint, vide apud Motum prop. Gregor. XIII. pag. mihi 709. & Concil. Brachar. 4. act. 5. de Monialib. Auiles ad cap. 1. Prætor. fol. 50. num. 29. Læli. Zechi. de Caſibus reſeruatis caſu 10. in princip. Paul. Fuſc. de Viſitat. lib. 2. cap. 18. à num. 24. Fr. Emman. tom. 1. q. 46. art. 1. cum ſeqq. & qu. 47. art. 4. cum ſeqq. Pat. Azor. inſtit. Moral. p. 1. lib. 13. cap. 8. quæſt. 6. Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 5. dub. 2.

ι *Cuiuſcunque generis & conditionis.* ] Summus Pontif. Gregor. XIII. Bul. 40. & 41. reuocat licentias perſonarum, cuiuſuis ſtatus, etiam Ducíſſarum, Comitiſſarum, & Marchioniſſarum, quarum prætextu monaſteria intrare conabantur: & ſub excommunicatione ſibi reſeruata præcipit illis, ne iſtarum licentiarum prætextu, monaſteria monialium, vel earum loca intrare audeant: niſi in caſibus neceſſariis, & cum licentia ſuperioris in ſcriptis iuxta hunc textum: & Abbatiſſis, Præſidentibus, Conuentibus, atque aliis ſuperioribus præcipit ſub excommunicatione Papæ reſeruata, nec non priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ne prætextu illarum licentiarum, quemquam dicta monaſteria, vel loca ingredi faciant, aut permittant, refert Fr. Ioann. de la Cruz d. dub. 2. verſ. Prima Concluſio.

κ *Sexus.* ] Sacra Cardinalium Congreg. ita cenſuit: Mulieres, quæ ſunt in diſcordia cum maritis, & eorum ſæuitiam timent, ſi extra culpam ſunt, quandiu iuſtam cauſam timendi habuerint, debent, ſi ſunt in monaſteriis, tolerari, in poſterum verò huiuſmodi mulieres non debent recipi, refert Zerol. in praxi Epiſcop. part. 1. verbo Moniales, §. 12.

λ Item Sacra Cardin. Congreg. ſic cenſuit: Si mulier aliqua venerit in ſuſpicionem marito, quòd timet ne ab eo aliqua vis ei inferatur, debet permitti, vt poſſit ingredi monaſteriũ Monialium, ſi modo conſtitutiones monaſterij non repugnent, & accedat conſenſus ſuperiorum Abbatiſſæ, & Monialium, & cauſa ceſſante ingreſſus debet inde exire, & ſi ſemel exierit, nunquam poſtea in idem monaſterium ingredi poterit, & tenetur ad clauſuram ſicut aliæ moniales, & ſtare ſine ancillis, &c. referunt Zerol. d. verbo Moniales, §. 11. & Fr. Ioann. de la Cruz d. cap. 5. dub. 1. concl. 3. in fine.

μ Quæ

ᵽ Quæ conditiones requirantur, vt puellæ educationis cauſa poſſint recipi in monaſteriis monialium, vide apud Stephan. Quarant. in Summa Bullarij verbo Monaſteria monialium, pag. 346. Fr. Ioann. de la Cruz d. dub. 2. prope finem: decem & ſeptem deciſiones ſacræ Congregationis circa receptionem puellarum, & aliarum mulierum, quoad educationem, & manſionem in monaſteriis, recenſet Fr. Emman. tom. 1. qu. 46. art. 10. optimè Zerol. d. p. 1 verbo Moniales, §. 10. vbi aſſerit Sacram Cardinalium Congreg. cenſuiſſe, quòd puellæ educationis gratia, licèt ſacro veſtitu indutæ non ſint, non prohibentur in monaſteriis monialium retineri cum ſequentibus conditionibus. 1. Eſt, ſine ancillis. 2. Vt ſi ſemel egrederentur, non ampliùs poſſint illuc reuerti. 3. Tenentur ad clauſuram obſeruandam, quemadmodum ipſæ moniales. 4. Quòd recipiantur cum licentia in ſcriptis ſuperiorum. 5. Et de conſenſu Abbatiſſæ. 6. Quòd ſi ob ægritudinem curandam, de licentia tamen ſuperioris; vt ſuprà de conſenſu Abbatiſſæ, & monialium exierint à monaſterio, rurſus in eo admitti debent cum licentia ſuperioris, & de conſenſu Abbatiſſæ & monialium. 7. Quòd vtantur eo veſtimento quod virginali modeſtiæ, & pudori conueniat. 8. Quòd non ſint ſuper numerum præfixum. 9. Quod quolibet ſemeſtri eis anticipata ſoluatur portio pro alimentis. 10. Quòd ſit locus ſeparatus à loco vbi degunt aliæ moniales profeſſæ, & nouitiæ pro dormitione, & laborerio. Puellas cauſa educationis recipi non poſſe minores ſeptennio, & maiores vigeſimoquinto, dicit per ſacram Cardinalium Congregationem deciſum Zerol. d. p. 1. verbo Moniales, §. 11.

ɐ An liceat mulieribus intrare monaſteria Religioſorum? Negat Fr. Ioann. de la Cruz d. cap. 5. dub. 1. conc. 1. vbi refert Summum Pontif. Pium V. excommunicare cum reſeruatione mulieres monaſteria Religioſorum intrantes, prætextu aliquarum licentiarum, quas ibi reuocat, & aſſerit confirmare Gregor. XIII. imponendo excommunicationem latæ ſententiæ, dictum ingreſſum ſub prætextu dictarum licentiarum permittentibus, probátque ſub dictis Decretis non comprehendi Imperatrices, Reginas, Infantes, & ancillas quas ſecum deferunt, & concl. 3. refert, omnibus mulieribus libere concedi cum aliis Catholicis perſonis licentiam accedendi ad monaſteria, & loca Regularium, atque eorum clauſtra, quando in eis Miſſa, & alia diuina officia celebrantur, ac quando proceſſiones fiunt, & quando fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, atque etiam pro eis ſuffragia fiunt.

ξ *Vel ætatis fuerint.*] Quòd infans diſcretione carens admittatur ad clauſtrum monialium, reſoluunt P. Henriq. in ſum. p. 2. lib. 13. cap. 42. §. 3. in gl. lit. S. Nauar. in Comment. 4. de Regularib. n. 59. P. Paulus Comitol. Reſponſ. Moral. lib. 6. q. 19. ad finem, & q. 22. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. lib. 13. cap. 8. q. 5. Fr. Ioann. de la Cruz d. cap. 5. dub. 2. concl. 3. vbi reſoluit, quod Concilium excludens omnes cuiuſuis

ætatis, loquitur de habentibus vſum rationis, & de illis, qui ad peccatum moueri poſſunt: vt ſunt fatui, qui licèt intrando non peccent, peccant tamen moniales eos admittentes, & citat Nau. in cap. Statuimus 19.q.3.num.59.

ο *Licentia in ſcriptis obtenta.* ] An neceſſaria ſit licentia in ſcriptis pro caſibus communiter occurentibus, vt pro ingreſſu Medici, Confeſſoris, Viſitatoris Artificis, & aliorum, quorum repentina opera paſſim ſunt neceſſaria? Negat Frater Ioann. de la Cruz à concl.3. notab.3.

π *Et ſub excommunicationis pœna.* ] Quòd poſſint iudices Eccleſiaſtici omnibus magiſtratibus ſæcularibus iniungere pœnam excommunicationis, vt præbeant auxilium brachij ſæcularis, reſoluunt plures Doctores, quos citaui ſuprà ſeſſ.24. de Reformat. Matrimonij cap.8.num.6.

ρ *Dare autem tantùm Epiſcopus, &c.* ] An hoc Decretum includat Epiſcopus ingredientes monaſteria ſibi non ſubdita ſine licentia ſuperiorum in ſcriptis? Affirmant Nauar. Commen.4. de Regularibus, q.14.nu.39.ad med.verſ.4. Stephan. Gratian. diſcept. forenſ.c.393. nu.5.& 20.

σ *Vel ſuperior.* ] An prouiſor à Capitulo nominatus ſit ſuperior ad licentiam concedendam reſpectu monialium Epiſcopo ſubditarum? Affirmat Fr. Ioan. de la Cruz dict.cap.5.dub.1.concl.3.notab.1.

τ Quòd validum ſit ſtatutum Epiſcopi excommunicans accedentes ad Monaſteria exempta monialium ſubdita Regularibus, qui non ſubſunt iuriſdictioni Epiſcoporum, exiſtentia intra ſuam Diœceſim, reſoluit poſt Gemin. in cap.1.§. & quoniam, num.8. de ſtatu Regul. lib.6. optimè Stephan. Grat. diſcep. forenſ.cap.393.num.13. cum ſequentibus, & aſſerit comprehendere tam ſubditum, quàm non ſubditum, ex eo quod Epiſcopus imponens pœnam eunti ad monaſterium, iſtud ire eſt delinquere, & ſic delictum eſt factum in loco non exempto, licèt ſit conſummatum in loco exempto, quod Ordinarius poterit punire, vide Iaſon. conſ.83. incip. in caſu præſenti col.2. ad med. verſ. circa 1. dubium, num.3. lib.3. Roland. conſ.33. num.16. lib.3.

υ *Et quia monaſteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, &c.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſcop. part.1. verbo Moniales, §.17. vbi dicit Sacram Card. Congreg. cenſuiſſe, iſtam tranſlationem faciendam eſſe ad aliud monaſterium eiuſdem Ordinis, & hoc quando immineret ſcandalum, vel propter ſupereminentem aëris peſtilentis cauſam, quæ monaſterij tranſlatio debet fieri ſimul cum introitibus, & reditibus, quos illos habebat.

CAPVT

## CAPVT IV.

*Omnes ſuperiores eligibiles eligantur collatione ſuffragiorum ſecretorum: Abſentium vota non ſuppleantur: aliter eligi ſe permittens exiſtat inhabilis ad omnia officia in religione obtinenda, & electio irrita, &c.*

1 a IN *electione Superiorum quorumcumq;*, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia rectè, & ſine vlla frande fiant, in primis ſancta Synodus diſtrictè præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta; ita vt ſingulorum eligentium 2 *nomina numquam publicentur.* Nec in poſterum liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, 3 *aut alios* quoſcumque Titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si verò contra huius decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit; electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit; deinceps ad omnia officia, in religione obtinenda, inhabilis exiſtat; facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur; &, ſi in poſterum aliæ concedantur, tanquam ſurreptitiæ habeantur.

---

## DECLARATIONES.

1 *In electione Superiorum quorumcumq;.* ] Congregatio cenſuit electionem eſſe nullam, quando aliqui ex electoribus vnam ſchedulam recipiunt, vnico nomine ſcriptam, & nomen electi notum ſcribæ vel alteri, reponunt in capſula: Similiter quando accipiunt de manu ſcribæ duas ſchedulas, & vnam, quam voluerint, reponunt, alteram ſcindunt. Et ſcriba poterit reuelare talem, qui habuit tantùm vnam ſchedulam, vel talem, qui habuit duas. Monendus eſt autem ſic electus, non legitimè ſe electum fuiſſe. Et ſi fuiſſet conſcius fraudis, eſſet puniendus & admonendus, vt petat à Sanctiſſimo confirmationem.

In electione Abbatiſſarum vota ore tenus accipi poſſunt, à Superioribus, cum duobus teſtibus.

Vbi ſunt tres vocales, quorum vnus poteſt eligi in diſcretum, &

per conſequens neceſſe eſt, vt alter aliorum duorum qui remanent, det alteri vocem ſuam, & ita electio non poteſt eſſe ſecreta; dubitatum fuit, an poſſit fieri electio diſcreti, quæ non ſit contra huius decreti formam; Congregatio cenſuit, poſſe ſi ita ſtatus religionis permittit &c.

Si electi fuerint in Superioribus aliqui, vt puta quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur Canonica & ſecreta, *c. Quapropter, de electione.*

Electio Abbatiſſæ, facta per vota non ſecreta, per ignorantiam huius Decreti, non valet regulariter ac de more, nec Epiſcopus poteſt diſpenſare vt valeat. S. D. N. tamen diſpenſat, conſideratis circumſtantiis.

2 *Nomina nunquam publicentur.* ] Ita ſtrictè hoc Decretum eſt intelligendum, vt ſi poſt electionem factam in Bullis confirmationis ſeu patentibus, exprimerentur nomina eligentium, electio eſſet nulla.

3 *Aut alios quoſcunq; titulares.* ] Omnes titulares, quamuis principaliter ad effectum electionis faciendæ conſtituti ſint, ſunt tamen prohibiti ſua ferre ſuffragia in electione ſuperiorum: non tamen ij, qui titulares perpetuò ſunt, habentes veros titulos ſuarum Eccleſiarum, à quarum poſſeſſione vi excluduntur, vt ſunt Priores Angliæ, Vngariæ, Hieroſolymæ. Procuratores verò legitimè conſtituti cum generali mandato ad eligendum, non excluduntur, dummodo non habeant mandatum de certa perſona eligenda, tunc enim votum non eſſet ſecretum.

## REMISSIONES.

*a* Vide Nauar. Conſ. 4. ſub tit. de Electione, & Conſ. 83. de Regularib. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom 2. q. 51. art. 6. & 8. Zerol. in praxi Epiſcopal. p. 1. verbo Abbatiſſa, §. 6. pag. 28. P. Axori. inſtit. Moral. p. 1. lib. 13. cap. 10. quæſt. 2. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. part. 4. Collect. 751. Quarant. in Summa Bullarij verbo Abbatiſſa, vbi refert conſtitutionem Gregor. XIII. Romæ publicatam die 4. Ianuar. 1583. incip. Expoſcit debitum, quæ in fine ſic ait: Diſtinctiùs inhibentes omnibus, & ſingulis dictorum monaſteriorum conuentibus ſuperioribus, & perſonis, aliquam Abbatiſſam, aut aliam Præfectam perpetuam, ſeu ad vitam, ſed triennalem tantùm eligere, & præficere vllo modo audeant, vel præſumant, & adminiſtratione monaſterij per triennium à die finitæ adminiſtrationis inchoandum abſtineant, quo elapſo iterum eligi poſſunt.

CAPVT

## CAPVT VII.

*Quadragenaria aut ſaltem trigenaria eligatur in Abbatiſſam, aut Prioriſſam, quæ vni tantum præſit monaſterio, cuius clauſtra Epiſcopus non ingrediatur ad votorum receptionem.*

1 a ABbatiſſa,[a] & Prioriſſa, & quocúmque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. 2 *Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio*, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur; ex iis,[b] quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur. [c] Duobus vero monaſteriis nulla præficiatur. Et, ſi qua 3 *duo, vel plura ꝗ quocunque modo obtinet*, cogatur, vno excepto, intra ſex menſes cætera reſignare. Poſt id vero tempus, niſi reſignauerit, omnia ipſo iure vacent. 7 *Is vero, qui electioni* præeſt; 4 *Epiſcopus, ſiue alius Superior* clauſtra monaſterij 5 *non ingrediatur*; ſed ante cancellorum feneſtellam 6 *vota ſingularum audiat*, vel accipiat. In reliquis ſeruentur ſingulorum Ordinum, vel monaſteriorum conſtitutiones.

a *Con Carthag. 3. Conc. Agath. c. 19. c. ſanctimoniales, 20. q. 1.*

b *c. indemnitatibus, de Elect. in 6.*

c *Conc. Agathi c. 57. c. vnum, 21 q 1. Conc. Cabil c. 12.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Abbatiſſa.* ] Licet per quinquennium Abbatiſſa non permanſerit in religione, dum tamen excedat 30. annos, ſi id facit ad requiſitionem ſuarum monialium, de licentia ſecundæ Dignitatis Eccleſiæ Cathedralis & earum Superioris regularis (dummodo laudabiliter anno ſuperiori ſe geſſerit) debet confirmari per biennium in officio. Quod ſi confirmationi dictæ Abbatiſſæ deeſſet conſenſus Superioris regularium, propter abſentiam, ſeruatis iis quæ hoc cap. præſcribuntur, ad dictam confirmationem procedendum eſt.

2 *Quod*

2 *Quod ſi his qualitatibus non reperiantur.*] Quomodo in monaſterio non ſunt moniales, quæ habeant qualitates requiſitas à Concilio, vt in Abbatiſſam eligi poſſint, non eſt neceſſaria facultas Apoſtolica, vt egredi poſſit illa quæ ex alio monaſterio eſt electa, caute tamen deducenda eſt ad monaſterium cui eſt præficienda.

3 *Duo vel plura.*] Congregatio cenſuit, id procedere in monaſteriis Canonicorum regularium, etiam vbi conſuetudo immemorabilis eſt in contrarium, quæ reformanda eſt.

Epiſcopus benedicere debet Abbatiſſam, ſi intra annum à die, quo ad illud monaſterium fuit electa, petiit ab Epiſcopo benedici, & ſi ſit ſolitū illis Abbatiſſis benedici, Epiſcop. benedicit Abbatiſſam, & cōſecrat moniales exēptas, & ad ea obſeruāda cōpellit, ſi procraſtinent.

4 *Epiſcopus ſiue alius Superior.*] Hic actus accipiendi vota in electione Abbatiſſæ delegari poteſt.

5 *Non ingrediatur.*] Conſecratio & benedictio monialium fieri poteſt in Eccleſia exteriori, adhibitis iis monialibus tantum, quæ erunt neceſſariæ.

6 *Vota ſingularum audiat.*] Superior qui electioni Abbatiſſarum præeſt, poteſt vna cum Vicario, vel Secretario, vel alio ab Epiſcopo aſſumpto, vota ſingularum monialium, ore tenus expreſſa, audire.

## REMISSIONES.

α Vide Fr. Emman. qu. Regul. tom. 1. qu. 15. art. 3. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Abbatiſſa, §. 1. pag. 16. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. l. 13. c. 10. à princ. P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. l. 30. tract. 5. n. 166. in principio, Nicol. Garſi. de Benefic. part. 7. cap. 4. n. 41. & 71.

β *Quocunq; modo obtinet.*] Vide Flam. de Reſignation. l. 3. q. 18. n. 40.

γ *Is verò, qui electioni præeſt Epiſcopus, &c.*] Vide Nauar. in cap. Statuimus, 19. q. 3. n. 59. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. li. 1. c. 5. dub. 1. concl. 3. notab. 3. prope finem, vbi reſoluit, hoc limitandum eſſe, niſi Prælati prudenter iudicent non poſſe fieri canonicè dictā electionē ipſis non intrantibus, ob inquietudinem monialium, & ſuſpicionem ſubornationis votorum inter ipſas ſubortæ, aut ob alia, iuſtas cauſas à ſuperioribus prudenter arbitrādas, & ibi poſſunt vota recipere.

## CAPVT VIII.

*Monaſteria non habentia Ordinarios regulares viſitatores & nō ſubdita Epiſcopis, ſingulis trienniis, ſeſe in Congreg. vnius vel diuerſæ prouinciæ redigant, & deputati ibidē reforment reformanda ac viſitent: negligentia omittentium id facere, digna eſt, cui annectatur ſubiectio reſpectu Epiſcopi illius diœceſis.*

α MOnaſteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent Ordina-

rios

rios regulares viſitatores, ſed ſub immediata ſedis Apoſtolicæ protectione, ac directione regi conſueuerunt, teneantur infra annum à fine præſentis Concilij, & deinde quolibet triennio 1 *ſeſe in Congregationes redigere*, iuxta formam Conſtitutionis Innocentij III. in a Concilio generali, quæ incipit, *In ſingulis*; ibíque certas regulares perſonas deputare, quæ de modo, & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis exequendis deliberent, & ſtatuant. Quòd ſi in his negligentes fuerint; 2 *liceat Metropolitano*, in cuius prouincia prædicta monaſteria ſunt, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato, eos pro prædictis cauſis conuocare. Quòd ſi infra limites vnius prouinciæ non ſit ſufficiens talium monaſteriorum numerus ad erigendam Congrogationem, poſſint duarum, vel trium prouinciarum monaſteria vnam facere Congregationem. Ipſis autem Congregationibus conſtitutis, illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præſides, vel Viſitatores eandem habeant auctoritatem in ſuæ Congregationis monaſteria, ac regulares in eis commorantes, quam alij Præſides, ac Viſitatores in cæteris habent Ordinibus: tenantúrque ſuæ Congregationis monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere; & ea obſeruare, quæ in ſacris Canonibus, & in hoc ſacro Concilio ſunt decreta. Quod ſi etiam, Metropolitano inſtante, prædicta exequi non curauerint; Epiſcopis, in quorum diœceſibus loca prædicta ſita ſunt, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis, ſubdantur.

*a c. in ſingulis, de ſta. mo. Decretal. lib. 3.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Seſe in Congregationes redigere*. ] Dubitatum fuit à quibuſdam, quis numerus requireretur ad legitimè conuocandum? Congregatio cenſuit, quod maior pars requiratur ad congregandum, quia vniuerſitas conſiſtit ſaltem in duabus partibus.

Rurſus ex ſententia Congregationis poſſunt legitimè congregati requirere & monere, non autem compellere quæcunque monaſteria Prouinciæ. De monaſteriis verò extra prouinciam, ſi in ea non ſit ſufficiens numerus monaſteriorum, idem cenſuit Congregatio.

Vlti-

Vltimò ſi monaſteria ſint intra limites, cenſuit poſſe deliberare & definire quæcunque negotia videbuntur, quia poteſtas eſt penes congregationem iſtam.

2 *Liceat Metropolitano.* ] An conuocare monaſteria ad congregationem faciendam, de qua hoc c. pertineat ad Prælatos tantum, an verò ipſis renuentibus ad ipſos Capitulares, ita vt diſpoſitio Concilij non intret, niſi data vtrorúmque negligentia? Congregatio cenſuit, die 5. Februarij negatiuè, quia Epiſcopus procedit in ſæcularibus. In regularibus verò poteſtas congregandi ſpectat ad caput, quia ſunt mortui mundo, & Concilium hoc vult quod Metropolitanus ſiue Epiſcopus, in cuius Diœceſi ſunt ea monaſteria, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, &c.

## REMISSIONES.

a Vide Nauar. Comment. 3. de Regularib. num. 3. verſ. 6. & in cap. Statuimus, 19. q. 3. num. 12. verſ. 4.

## CAPVT IX.

*Monaſteria monialium immediatè ſubiecta Sedi Apoſtolicæ gubernentur ab Epiſcopis, alia autem à deputatis in Capitulis generalibus vel aliis regularibus.*

Monaſteria Sanctimonialium, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, etiam ſub nomine Capitulorum ſancti Petri, vel ſancti Ioannis, vel aliàs quomodocúmque nuncupentur; 1 *ab Epiſcopis, tanquam dicta* Sedis delegatis, [a] 2 *gubernentur*, non obſtantibus quibuſcúmque. Quæ vero à deputatis in Capitulis generalibus, 3 *vel ab aliis* Regularibus, reguntur; ſub eorum cura, & cuſtodia relinquantur.

a c. cognouimus, 18. q. 2.

## DECLARATIONES.

1 *Ab Epiſcopis.* ] Moniales ſancti Spiritus in Saxonia gubernandæ ſunt ab Epiſcopis.

2 *Gubernentur.* ] Spirituali gubernio, non autem temporali.

Per hoc Decretum nulla iuriſdictio conceſſa eſt Epiſcopis in monaſte-

naſteria Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, niſi in concernentibus ſpiritualia, in temporalibus verò nihil agere poſſunt. Magiſtratus ſæculares non debent regere monaſteria monialium, quæ ſunt immunia priuilegio, vel indulto Apoſtolico, ſed ſunt ſub iuriſdictione Ordinarij, in iis dumtaxat rebus, quæ ad veram rationem ſpiritualem pertinent, in reliquis verò non poſſunt ſe intromittere.

Epiſcopus qui eſt in quaſi poſſeſſione viſitandi moniales aliquot, poteſt in dicta poſſeſſione perſeuerare, ſaluum tamen manet ius dictis monialibus in petitorio.

Epiſcopus viſitans monaſterium tanquam Abbas, non tanquam Epiſcopus, non acquirit poſſeſſionem viſitandi Epiſcopo.

3 *Vel aliis regularibus reguntur.* ] Ex ſententia congregationis Concilij nullam auctoritatem vel iuriſdictionem poſſunt ſibi Ordinarij vendicare ex Decretis Concilij Tridentini in Confeſſarios monialium, quæ ſubiectæ ſint Regularibus. *Infrà, cap. 10. §. Præter.*

## Caput x.

*Menſibus ſingulis confiteantur, & communicent Sanctimoniales, quibus dare poteſt Epiſcopus Confeſſarium extraordinarium vt ei peccata detegant, ſi confiteri ſacramentaliter voluerint bis aut ter in anno, &c.*

ATtendant diligenter Epiſcopi, & cæteri Superiores monaſteriorum Sanctimonialium, vt in conſtitutionibus earum α *admoneantur* Sanctimoniales, [a] *vt* β *ſaltem ſemel ſingulis menſibus* Confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant; vt eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter ſuperandas. 1 γ *Præter ordinarium autem Confeſſorem* alius extraordinarius 2 *ab Epiſcopo,* & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur; 3 *qui omnium Confeſſiones* audire debeat. δ *Quod vero ſanctiſſimum Chriſti* corpus intra chorum, vel ſepta monaſterij, & non in publica Eccleſia conſeruetur, prohibet ſancta Synodus: non obſtante quocúmque indulto, aut priuilegio.

[a] *Clem. ne in agro, §. ſanè, de ſta. mon.*

DECLA-

## DECLARATIONES.

1 *Præter ordinarium Confeſſorem.* ] Confeſſores huiuſmodi in monaſteriis monialium quæ ſunt ſub cura Regularium, non ſunt examinandi ab Epiſcopo.

Ex facultate tamen huius Decreti Epiſcopus poteſt dare confeſſorem monialibus ſubiectis Regularibus, quæ nulla ratione induci poſſunt, vt ſuis Regularibus confeſſoribus peccata confiteantur.

2 *Ab Epiſcopo.* ] Hunc confeſſarium poterit Epiſcopus dare monaſteriis etiam non ſubiectis, & quem maluerit, vel Regularem ſe alicuius Ordinis, vel etiam Sacerdotem ſæcularem.

3 *Qui omnium Confeſſiones audire debeat.* ] Eſt in arbitrio tamen cuiuſcúnque monialis, vt extraordinario confiteatur, ſi voluerit confiteri, quoniam eſt materia fauorabilis.

## REMISSIONES.

α *Admoneantur.* ] Non eſſe obligatorium præceptum reſoluit P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 29. nu. 73. in fine.

β *Vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus, &c.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Moniales, §. 7. pag. 235. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 62. art. 1.

γ *Præter Ordinarium, &c.* ] Vide Nauar. Conſ. 19. num. 5. de Pœn. & Remiſſ. Fr. Emman. in addit. ad Bullam Cruciatæ, fol. 185. & ſufficere, ſi examinatus ſit à ſuo ſuperiori ad audiendas Confeſſiones Monialium, reſoluit P. Azori. inſtit. Moral. p. 1. lib. 13. cap. 9. qu. 2. verſ. Quæres an Confeſſarij.

δ *Quod verò ſanctiſſimum Chriſti, &c.* ] Vide Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. q. 47. art. 4. p. mihi 415.

## CAPVT XI.

*Vbicumque imminet cura perſonarum ſæcularium, præter eas quæ ſunt de monaſteriorum familia, viſitet Epiſcopus, & Sacramentorum miniſtros, etiam ad nutum amouibiles, deputet, exceptis monaſteriis Abbatum generalium aut Capitum Ordinum, &c.*

1 α IN *Monaſteriis*, ſeu domibus virorũ, ſeu mulierum, 2 *quibus imminet animarum cura perſonarũ ſæcularium,* præ-

præter eas, quæ ſunt de illorum monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ, tam regulares, quàm ſæculares, huiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quę ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent; 3 *iuriſdictioni, viſitationi*, & correctioni, Epiſcopi, in cuius diœceſi ſunt ſita. [a] Nec ibi aliqui, etiam 4 *ad nutum amouibiles*, 5 *deputentur*, niſi de eiuſdem conſenſu, 6 *ac præuio examine* per eum, aut eius Vicarium faciendo, excepto monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam iis monaſteriis, ſeu locis in quibus 7 *Abbates, Generales, aut Capita ordinum* ſedem ordinariam principalem habent, 8 *atque aliis monaſteriis*, ſeu domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium ſuperiores iuriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in parochos, & parochianos exercent: ſaluo tamen eorum Epiſcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca, vel perſonas iuriſdictionem exercent.

a *Qui religioſis*, 18 q. 2.

---

## DECLARATIONES.

1 *In monaſteriis.* ] S. D. N. Pius V. dixit (quidquid Concilium videatur diſpoſuiſſe in hoc Decreto) excipiendas eas Eccleſias, in quibus regentes habent ſpiritualem & temporalem iuriſdictionem. Voluit tamen vt in omnibus Eccleſiis Parochialibus, in quibus cura animarum etiam laicorum exercetur, habeant Ordinarij facultatem, eas Eccleſias; & perſonas in iiſdem curam exercentes viſitandi & corrigendi in his dumtaxat quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, ita vt ab hoc Decreto nullus cenſeatur exemptus

2 *Quibus imminet animarum cura.* ] Non intendit hoc Decretum priuilegiis derogare, niſi in his tantum, quæ ad curam animarum, & actualem Sacramentorum adminiſtrationem pertinent atque concernunt.

3 *Iuriſdictioni, viſitationi.* ] Epiſcopus habet ius viſitandi Parochiam ſitam in ſua Diœceſi, in iis quæ ſpectant ad curam animarum, licet dicta Parochia ſit ſub cura Canonicorum Regularium, Vicariúmque ex ipſis Canonicis Regularibus, ab eorum Superioribus nominatum, & præuio examine per Epiſcopum ipſum, vel eius Vicarium faciendo idoneum, & approbatum, ad nutum tamen huius Superioris amouibilem, deputare debet, non ob-

ſtantibus quibuſcunque. Equites Hieroſolimitani, quatenus beneficia curata non obtinent, ab ordinariis viſitari non poſſunt.

4 *Ad nutum amouibiles deputent.* ] Non in omnibus monaſteriis, tam illis ſcilicet quibus à primæua eorum inſtitutione cura animarum imminet, quàm iis, quibus poſtea annexa fuit poſſunt ab Ordinariis perpetui Vicarij deputari, ſed tantùm à Superioribus eorum, præuio tamen examine ipſorum Ordinariorum, iuxta præſcriptum huius Decreti.

5 *Deputentur.* ] Petentibus Ieſuitis, an Parochia Toletana in monaſterium erecta, & vnita eorum Collegio, gubernari poſſit à deputato ab ipſis, modò ſit approbatus ab Ordinario, cenſuerunt poſſe, ſicut etiam monachi poſſunt, ſi ad id approbarentur.

6 *Ac præuio examine.* ] Hoc Decretum habet etiam locum in Capitulis Eccleſiarum, in quibus exercetur cura animarum, licet ſint in poſſeſſione prædicta deputandi Capellanos amouibiles, aut per ſeipſos curam animarum vellent exercere, abſque examine per Ordinarium, aut eius Vicarium faciendo, ſed electio ſpectat ad Rectorem, ſiue Abbatem, approbatio ad Epiſcopum, de cuius conſenſu Vicarius amouibilis eſt deputandus.

7 *Abbates, Generales, aut Capita Ordinum.* ] In monaſterio in quo Generalis alicuius religionis regularium ſedem ordinariam principalem habet, licet perſonæ ſæculares ſint in eodem monaſterio, curam animarum exercentes, quantum ad curam ipſam, & adminiſtrationem Sacramentorum ſpectat, nullam viſitationis ſuæ iuriſdictionem habent Epiſcopi Ordinarij Diœceſis illius in qua monaſterium eſt fundatum.

8 *Atque aliis monaſteriis ſeu domibus.* ] Habet locum hoc Decretum etiam in Eccleſiis ſæcularibus illius oppidi ſeu loci, in quo Abbates, & alij Regulares Superiores eandem iuriſdictionem habent.

Parochiales vnitas monaſteriis quæ habent iuriſdictionem, Ordinarij viſitare poſſunt & perſonas, tantùm quoad ea quæ ad curam animarum pertinent. In his quoque Parochialibus poſſunt viſitari à ſuperioribus Regularibus Capellani ad nutum amouibiles, dummodo approbati ſint ab Ordinariis.

## REMISSIONES.

* Vide Fratr. Emmanuel. quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 36. art. 4.

CAPVT

## CAPVT XII.

### *Confirmentur Regulares ſæcularibus in obſeruatione cenſurarum Epiſcopalium & dierum feſtorum qui ſeruantur per diœceſim.*

1 a CEnſuræ, & interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata; a c. de lit. 13. diſt.
2 *mandante Epiſcopo*, ß *à Regularibus* in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſeruentur. 3 *Dies etiam feſti*, quos in diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, 4 *ſeruentur.*

## DECLARATIONES.

1 *Cenſuræ, & interdicta.*] Interdicta non ſolùm generalia, ſed etiam Capitularia & vnius hominis, regulares publicare & ſeruare debent.

2 *Mandante Epiſcopo.*] Sub hoc Decreto non comprehenduntur, qui nullius Diœceſis ſunt.

3 *Dies etiam feſti.*] Dies feſti, quos clerus, & populus, ex more & inſtituto alicuius Eccleſiæ obſeruant: Regulares etiam eorundem ritu tales dies feſtos obſeruent, licet ex obſeruatione dictorum dierum feſtorum ritus prædictorum in ſuis officiis obſeruandis intactus remanere poſſit.

4 *Seruentur.*] Eorum Regularium ritu permanente illis diebus, quoad lectiones, Epiſtolas, Euangelia, & ſimilia. In ſacris verò lectionibus & concionibus, ſeruari debent ab ipſis illa Euangelia & Epiſtolæ quibus Clerus ſæcularis vtitur ex more & inſtituto illius Eccleſiæ.

## REMISSIONES.

a VIde Pat. Henriq. in ſum. p. 2. l. 13. c. 42. §. 3. in fine, Fr. Emman. in addit. ad Bullam Cruciatę fol. mihi 29. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. l. 2. c. 7. dub. 2. optimè agit colendiſs. Præceptor meus D. Anton. Homem, ad c. Cùm & plantare, §. Quòd ſi Templarij p. 2. de Priuil. vbi in hæc verba: Maior dubitandi ratio eſt, an per Conc. Seſ. 25. de Regul. c. 12. & c. 22. reuocata ſint priuilegia Regularibus conceſſa ad celebrandum tempore interdicti, & admittendos laicos ad Diuina eodem tempore? Partem affirmatiuam conſtanter tuentur Nau. in Man. c. 27. n. 190. & latiùs ex profeſſo Conſ. 7. de Priu. in nouis, cuius ſententiam veriſſimam eſſe contendit Nic. Garſi. de Ben. p. 3. c. 1. à n. 178. & conſultos ab Epiſc. Abulenſi reſpondiſſe Illuſtriſ.

Cardinales, teſtatur idem Garſi. p. 5. cap. 8. num.87. verſ. ad 8. vbi propoſita quæſtione prædicta in hæc verba reſponderunt : Priuilegia ſi ante Concilium conceſſa fuerunt, vtique reuocata exiſtunt. Contrariam ſententiam negatiuam, quòd Trident. Decreto ſpecialia Regularium priuilegia, vt pro ſuis feſtis, vel aliis certis diebus non ſeruent interdicta, non ſint reuocata, tuentur P.Henriq.lib.13. cap.48.§.1.Sayr. de Cenſur. lib.5. cap.13. nu.24.& 25. Fr.Emman. in Bullam Cruciatæ, §. 5. num. 15. & in addit. num. 13.& 35.& quæſt Regul. tom.2. qu. 112. art.1. Fr. Ioann. de la Cruz, d.cap.7. dub.2.concl.2.Hæc ſapientiſſimus D.Præceptor.

β *A Regularibus.* ] Vide Fr. Emman.quæſt. Reg.tom.2.q.108.art. 2.in fine.

## CAPVT XIII.

*Controuerſias de præcedentia è veſtigio componat. Exempti omnes ad ſupplicationes publicas accedere compellantur, exceptis quibuſdam.*

1 α *COntrouerſias omnes* de præcedentia, quæ perſæpe cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas, 2 *tam ſæculares, quàm regulares*, cùm 3 *in proceſſionibus* publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & aliis ſimilibus, β *Epiſcopus*, 4 *amota omni appellatione*, & non obſtantibus quibuſcumque, 5 γ *componat.* δ *Exempti autem omnes*, 6 ε *tam clerici* ſæculares, quàm regulares, quicumque, etiam monachi, 7 *ad publicas proceſſiones vocati*, 8 *accedere* ζ *compellantur*; iis tantùm exceptis, η *qui in ſtrictiori clauſura* perpetuo viuunt.

## DECLARATIONES.

1 *Controuerſias omnes.* ] Controuerſias omnes pendentes dirimere Epiſcopus hodie poteſt, finitas autem innouare non poteſt, ex Bulla Pij V. in fauorem Regularium edita.

2 *Tam regulares, quàm ſæculares.* ] Nullæ immunitates Religioni Hieroſolymitanæ conceſſæ obſtant, quo minùs eius ſacerdotes inſeruientes Eccleſiis, vocari debeant ad proceſſiones, ac niſi accedant etiam compelli.

Vbi

Vbi ex conſuetudine contra cap. *Statuimus, de maiori, & obed.* Canonici Diaconi antiquiores præferuntur Præsbiteris iunioribus, nihil poteſt Ordinarius auctoritate huius Decreti immutare. Et Decretum hoc, in quo decernitur omnes tam clericos ſæculares, quàm regulares, & monachos ad publicas proceſſiones vocatos venire debere, locum non habere in iis qui perpetuò in ſtrictiori clauſura viuunt, ex quibus ſunt Canonici Regulares ſanctæ Crucis Conimbricenſium, Carthuſienſium, & Camaldulenſium.

3 *In proceſſionibus publicis.* ] Ad Epiſcopum pertinet cum conſenſu Capituli conſtituere atque edicere, quò & quà proceſſiones dirigi, quaſve ad Eccleſias nominatim perduci debeant. Et Regulares qui non accedunt ad proceſſiones ab ipſo Epiſcopo indictas, ab ipſo puniri poſſunt per cenſuras & pœnas arbitrarias, & alia iuris remedia.

Ordinarius poteſt præcipere Regularibus in ſua diœceſi commorantibus, vt eant ad proceſſiones publicas, vt putà in feſto Corporis Chriſti, in litaniis & iubilæis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipſi habent monaſteria, dummodo proceſſiones ſint eius generis, quòd Bulla S.D.N. mendicantibus conceſſa comprehendantur, & dummodo Regulares non ſint ex illis conuentibus *Collegia* nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur; Hæc Bulla incipit, *Etſi mendicantium*, Pij V. publicata 27. Kal. Iunij 1567. Excipit autem dicta Bulla illos conuentus, in quibus fratres ſub arctiori clauſura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant, ſed tantùm ſtudiis & lectionibus vacent.

4 *Amota omni appellatione.* ] Intellige ad effectum ſuſpenſiuum, ſed cum conuenit, à ſententia Epiſcopi bene appellari poterit ad effectum deuolutiuum.

5 *Componat* ] id eſt, Breui manu, ſummariè, ac de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij expediat vniuerſa.

6 *Tam Clerici.* ] Non comprehenduntur, qui ſunt nullius Diœceſis, neque laicorum confraternitates, quos tamen Epiſcopus poteſt vocare, non autem compellere.

Non comprehenduntur etiam Sacerdotes nullum officium aut beneficium Eccleſiaſticum in ciuitate aut Diœceſi obtinentes. Et ſi monachi fere vltra medium milliare à ciuitate abſint, non erunt compellendi ad proceſſiones quaſcúnque publicas pro bono publico vel honore.

7 *Ad publicas proceſſiones vocati.* ] Vocentur ad quaſcúnque proceſſiones publicas, & conſuetas vel indictas pro bono publico, vel honore, non tamen compellendi ſunt ipſi Regulares exempti (de quibus loquimur) accedere ad Eccleſias extra propria monaſteria pro celebratione orationis quadraginta horarum, ſed Congregatio probauit illos, cum toti populo dicta oratio indicitur, in propriis Eccleſiis huiuſmodi orationi inſiſtere poſſe.

8 *Accedere compellantur.* ] Etiamſi ſint ſacerdotes Hieroſolymitani.

Sacerdotes inſeruientes Eccleſiis Religionis equitum Hieroſolymitanorum compelli poſſunt ab Ordinario, vt ad proceſſiones publicas accedant. *Supr.hoc.c. §.Tam Regulares.*

## REMISSIONES.

α VIde Menoch. Conſ. 126. à num.2. cum ſeqq.& per Gregor. XIII.edita fuit declaratio circa præcedentiam fratrum Mendicantium,& confraternitatum laicorum in proceſſionibus, vt patet ex eius Conſtit. Romæ publicata die decimoſeptimo Iunij anno 1585.incip. Expoſcit paſtoralis officij, quam refert Steph. Quarant. in Summa Bullarij, verbo Præcedentia, pag.396.

β *Epiſcopus amota omni appellatione.*] Vide Fr.Emman.quæſt.Regul. tom.3.q.37.art.3.

γ *Componat.*] Quòd in præcedentiis, & proceſſionibus debeat attendi conſuetudo loci,aſſerunt Medicés Marchiæ deciſ.21.Seraphin. deciſ. 335. & deciſ. 663. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ.p.4.Collect. 1069.

δ *Exempti autem omnes,&c.*] Vide Zerol.in praxi Epiſcop.p.1.verbo Proceſſiones, §.2.Fr. Emm. tom.3. quæſt. 36.art.1.Aloyſ.Ricci. Curiæ Archiep.Neap.deciſ.90.latè Stephan.Gratian.deciſ.232.Balb. deciſ.339.p.2.

ε *Tam Clerici ſæculares, quàm Regulares.*] Sacra Cardin. Congreg. cenſuit, Clericos omnes diœceſanos, quamtumuis exemptos, ſi beneficia etiam ſimplicia in diœceſi obtineant, teneri,& compelli poſſe ab Epiſcopo, vt accedant ad proceſſiones, refert Aloyſ.Ricci.in Collect. deciſ. p. 4. Collect. 882. in principio. An procedat in Clericis nondum beneficiatis,ſed tantùm obtinentibus officium in Eccleſiis? Affirmat Balb. deciſ. 339. p. 2.

ζ *Compellantur.*] An poſſint compelli Monachi ab Epiſcopo, & cenſuris diſtringi, vt vadant ad publicas proceſsiones? Pluries per ſacram Cardin.Congregat.fuiſſe deciſum non poſſe compelli, refert Quarant. d. verbo Præcedentia, in fine, & reſoluunt Pat. Sanch. de Matrimon.lib.7.diſput.33.num.23. Fr.Emman. in Sum.tom.1.cap. 74.num. 4. Sed in Curia Epiſcopali Papiæ deciſum fuiſſe poſſe cenſuris compelli, teſtatur Macerat.deciſ.35.dub.2.ſaltem pœnis pecuniariis,aſſerit Stephan. Gratian. deciſ.232.num.15.Et quod pariter compelli poſsint confraternitates laicorum, dicit deciſum Papiæ Macerat. eiuſdem Curiæ deciſ. 66. & vide Sayr. deciſion. 5. de Officio Ordin. vbi reſoluit, quòd huiuſmodi confraternitates, quoad temporalia non ſubſunt Epiſcopo, ſecus verò quoad ſpiritualia.

η *Qui*

y *Qui in ſtrictiori clauſura.*] Vide Stephan. Gratian. deciſ. 235. Et quòd non procedat etiam in Regularibus, qui abſunt à ciuitate vltra dimidium milliare, affirmat Aloyſ. Ricci. Curiæ Archiep. Neap. deciſ. 131.

## CAPVT XIV.

### *De ſupplicio Religioſi publicè delinquentis.*

1α REgularis, non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra monaſterij degit, & 2 extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit; Epiſcopo inſtante, à ſuo ſuperiore intra tempus, ab Epiſcopo prӕfigendum, 3 *ſeuerè puniatur*, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat:[a] ſin minùs, à ſuo Superiore officio priuetur,[β] *& delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.*

*a cap. fin §. 5. vero, de ſtam.*

## DECLARATIONES.

1 *Regularis, non ſubditus Epiſcopo.*] Declaratio huius Decreti extenditur ad Cruciatam, & Inquiſitores, vt non poſsint extrahere regulares abſque Superiorum conſenſu.

2 *Et extra ea ita notoriè deliquerit.*] quando extra clauſtra regularis delinquit notoriè, dubitatum fuit, an detinendus ſit in carceribus Epiſcopi, donec proceſſus in curia Epiſcopali conficiatur, eoque compilato inſtante Superiore remittendus ſit vnà cum proceſſu puniendus; an potius non expectata compilatione proceſſus, ſtatim remittendus ſit ad Superiorem vnà cum his probationibus, quæ habentur? Congregatio reſpondit, ſtatim remittendum eſſe, etiam poſito quòd ſuperior nullam inſtantiam faceret.

Regulares degentes de licentia ſuorum Superiorum in domo ad erectionem Monaſterij deſtinata, comprehenduntur ſub diſpoſitione Concil. Trident. hic & cap. 3. Seſſ. 6. adeo vt ab Epiſcopo, ſi delinquerunt, puniri & corrigi poſsint, ſi in ea domo vigeat regularis obſeruantia.

3 *Seuerè puniatur.*] In poſterum nemo Regularium eiiciatur è Monaſterio, etiamſi ſit incorrigibilis, ſed peccantes à Superioribus ignominiâ carceris caſtigentur, & acriùs etiam (ſi opus fuerit) pro modo delictorum puniantur.

Intimetur per curſorem, vt nullus officialis Cameræ, Pœnitentiariæ, Contradictarum, Cancellariæ, aut cuiuſuis tribunalis (ſub

pœna priuationis officiorum) audeat ponere manus in ſupplicatione regularium virorum, & mulierum, etiam cum literis iuſtificationis, niſi ſit à protectore ſubſcripta.

An regulares poſſint ciuiliter coram Epiſcopo, à creditoribus ſuis conueniri? Et fuit reſponſum, quod poſſint conueniri; ſi non ſint ſub regulari obſeruantia, *c. cognouimus*. At ſi ſint ſub regulari obſeruantia, non poſſunt conueniri coram Epiſcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum iis commune Epiſcopi, propter exemptionem, itáque corám Conſeruatoribus in caſibus præmiſſis ſuprà Seſſ. 14. cap. 5. poſſunt conueniri, & ita cenſuit Congregatio, *die 19. Iulij 1573.*

## REMISSIONES.

α Vide Nauar. Comment. 2. de Regul. num. 63. Fr. Emman. qu. Regul. tom. 2. q. 2. art. 6. & q. 63. art. 4.

β *Et delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* ] Quòd non per cenſuras, docet P. Sanch. de Matrim. lib. 7. diſp. 33. num. 23.

## CAPVT XV.

### *Profeſſio tamen validè emittitur anno decimo ſexto ætatis expleto.*

1 α &c. IN quacunq; Religione, [a] tam virorum, quàm mulierum 2 *profeſſio non fiat* δ *ante* 3 *decimum ſextum annum* expletum; nec qui minore tempore, quàm ε ζ &c. 4 *per annum*, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. [b] 5 ι *Profeſſio autem, anteà facta*, ſit nulla; nullamq́ue inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſeruationem; 6 *aut ad alios quoſcumq; effectus.*

a *c. Gonſaldus, 87. q. 2. c. ad Apoſtolicam, de Regul. & c. non ſolùm, eo, tit. in 6.*

b *c. ad noſtram, c. cum virum, & c. poſtulaſti. eod. tit. & c. 2. eod. tit. in 6.*

## DECLARATIONES.

1 *In quacunque religione.* ] Hoc Decreto, *& 19. infrà. §. Quicunque regularis*, non comprehenduntur omnes regulares militares: ſic etiam Rota decidit in vna Triaſorenſis penſionis, coram Reuerendo Seraphino 11. Decembris 1570. etenim non veniunt in odioſis.

2 *Profeſſio non fiat ante 16. annum.* ] An profeſſus tacitè iam dudum, ſit

ſit verè profeſſus ſicut qui expreſsè poſt annum profeſſus, & tacita profeſſio ſit per hoc cap. ſublata? Congregatio cenſuit eſſe verè profeſſum, ſi modo cætera adſint, quæ ius requirit ad inducendam tacitam profeſſionem, & reſpondit hanc non eſſe excluſam per dictum Decretum, ſeruato tamen ibi tempore præfixo.

Moniales quæ eius Ordinis ſunt, qui requirit profeſſionem, ſi tacitam profeſſionem emiſerint, etſi palam & expreſsè id faciendum non fuit, cogendæ non ſunt vt expreſſe profiteantur. Etenim ſingula Monaſteria liberum habent tacitè, vel expreſsè profitendi.

3 *Decimum ſextum annum completum.* ] Non releuat, quod moniales ſeu regulares fuiſſent deceptæ circa ætatem admiſſæ ad profeſſionem.

Corrigitur hic caput primum de Regularib. in 6. vt in minore 14. ann. &c.

4 *Per annum.* ] Continuum ſc. in probatione intra clauſtra, non autem interpolatum: nec priuilegium aliquod ſuffragatur, cùm cenſeatur ſublatum, *infr. c. 22.*

An verò qui vouit ingredi religionem, & in ea perſeuerare, ſi ingreſſus intra annum probationis recedens reuerteretur ad ſeculum, ſit liber à voto ex mente huius Decreti Concilij, cùm non poſſit renunciari anno probationis, ſicut de iure communi? Congregatio declarauit, hoc Decret. Concil. nihil diſpoſuiſſe de voto, cùm profeſſio non ſit valida ante expletum probationis annum.

Quia autem Canones permittunt, vt quis poſt ratum matrimonium religionem ingredi poſſit, dubitabatur quid fieret, ſi vnam religionem ingreſſus, de illa tranſeat ad aliam, aut plures, & ita tempus profeſſionis differatur? an ſc. talis compelli poſſit ad tempus hoc breuiandum, maximè cùm iſte tranſitus ex vna ad aliam religionem, fieri videatur in fraudem eius qui in ſæculo remanſit? Congregatio ann. 1588. reſpondit, non poſſe compelli.

Hoc anno probationis durante ſi nouitia (curandæ valetudinis cauſa) de licentia ſuperiorum à Monaſterio exierit, & poſtea reuertatur, eodem tempore profeſſionem emittet, perinde ac ſi nunquam egreſſa fuiſſet.

5 *Profeſſio ante facta ſit nulla.* ] Profeſſio facta à Moniali ante 16. annum expletum debet ab Ordinario nulla declarari.

Sed quid ſi ex inſtituto alicuius regulæ profeſſio non fiat ante 18. annum completum, (vt ſunt de S. Franciſco de Paula) an ſit eorum profeſſio nulla, ſi iam emiſerint poſt tempus Concilij, ſed ante tempus in eorum Regula ſtatutum? Siquidem ex verbis Regulæ non annullatur talis actus profeſſionis, ſed tantum imponitur pœna eum reiiciendi, & eget confirmatione ſuperioris? Cenſuit Congregatio profeſſionem tenere, *argumento cap. Ad Apoſtolicam, de Regul.*

6 *Aut ad alios quoſcunque effectus.* ] Si mulier 12. annis maior. ingrediatur Monaſterium, & intra duos menſes habitum ſuſceperit, ex-

pleto 16. anno & lapſo anno probationis, profeſſionem emittat iuxta hoc Decretum, interea verò expectet donec annus probationis labatur, & profeſſio ſic emittatur.

Qui emiſit profeſſionem intra annum probationis, non eſt obligatus, neque ad Religionem in genere, neque in ſpecie, nec etiam in foro conſcientiæ illi indicta eſt obligatio.

Congregatio alias reſpondit, tacitam profeſſionem induci per annum, & diem computandum à die poſt decimum ſextum annum expletum eius qui Monaſterium ingreſſus eſt.

Item Congregatio cenſuit, tacitam profeſſionem in his Decret. 15. & 16. non eſſe excluſam, ſeruato tamen tempore ibi præfixo, & concurrentibus aliis ad tacitam profeſſionem requiſitis. *Supra hoc ca. in princ.*

In religione Sancti Baſilij approbata in ſui initio fiebat expreſſa profeſſio trium votorum, ſed tempore, quo (de cuius initio non eſt memoria) regulari obſeruantia collabente, eius Monaſteria commẽdata fuerunt, deſiit emitti conſueta profeſſio, quia nec erat caput aliquod religionis. Dubitatur itaque an illi, qui huiuſmodi religionis habitum de manibus Commendatarij, vel Prioris, vel expreſsè profeſſione ſuſcepta per aliquot annos geſtarunt, tacitè profeſſi intelligantur quoad regulam Sancti Baſilij? Congregatio cenſuit tacitè profeſſos.

Congregatio coram Cardinali Alciato diffiniuit, caput hoc de Militaribus religionibus non loqui, quia in odioſis non veniunt Hieroſolymitani. *Sylu. verſ. relig. n. 4. Suprà hoc c. §. In quacunque.*

Licet Hieroſolymitani milites dicantur regulares, idq; iuxta *Abb. rub. de regul.* tamen non comprehenduntur ſub hoc cap. vnde & in his non requiritur ætas præſcripta per Concilium.

Poſt profeſſionem quilibet regularis etiam extra clauſtra degens, ſi moriatur cum habitu, iure omnia bona ſua mobilia & immobilia acquirit Ordini in quo profeſſus eſt. & viſa quadam Bulla Pij V. Paulo poſt Rota decreuerat in fauorem militiarum, quod ipſi per Concilij verba non comprehenderentur. At nouiſſimè menſe Iulio 1592. cenſuit Congregatio, milites Hieroſolymitanos è nouo ipſorum ſtatuto inhærente hoc Decreto comprehendi.

## REMISSIONES.

α Vide Frat. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. qu. 2. art. 7. & tom. 3. q. 13. artic. 4. & qu. 15. art. 1. 2. 7. & 8. P. Azor. inſtit. moral. p. 1. l. 12. cap. 4. Pat. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 18. n. 385. cum ſequentib. Petr. Ledeſm. in Summ. p. 2. tract. *Del eſtado de los Relig.* cap. 7.

β An per Concil. in præſenti ſublatæ ſint tacitæ profeſſiones? Affirmant

mant aliquas tantùm, non omnes eſſe abrogatas, Fr. Emman. tom. 3. qu. 17. art. 1. P. Azor. d. c. 4. qu. 6.

γ An Milites in emittenda profeſſione comprehendantur ſub hoc Decreto? Affirmant Nauarr. conſ. 5. ſub tit. de his quæ vi. Fr. Emman. in Sum. tom. 2. c. 8. nu. 2. concl. 1. Stephan. Grat. diſcep. forenſ. ca. 363. nu. 27. Negant Rot. nouiſſ. p. 1. deciſ. 191. Fr. Ludou. Beja Reſponſ. caſuum conſc. p. 4. caſu 28. per totum, latè Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 8. à n. 61. P. Sanch. de Matrim. lib. 7. diſp. 44. n. 8. Flam. de Reſign. lib. 6. q. 2. n. 117. cum ſeqq. vbi nu. 120. dicit Milites Hieroſolymitanos comprehendi ſub hoc Decreto, ex nouo ipſorum ſtatuto, huic Decreto adhærenti.

δ *Ante decimumſextum annum expletum.*] Vide Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Moniales, §. 2. pag. 233. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. li. 12. cap. 2. col. 1167. & lib. 13. cap. 9. col. 1316. P. Sanch. de Matrim. lib. 2. diſp. 24. n. 22. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. c. 8. dub. 2. & 4. Pet. Ledeſm. in Sum. p. 2. tract. *del ſtado de los Religioſos en comun.* ca. 7. Neque hoc caſu malitiam ſupplere ætatem aſſerit Aloyſ. Ricci. Curiæ Archiepiſc. Neapol. deciſ. 122.

ε *Quam per annum.*] An continuum debeat eſſe? Affirmant Nauar. conſ. 52. ſub tit. de Regularibus, num. 2. Pat. Henriq. in Summa lib. 13. cap. 40. §. 2. in medio, Flamin. de Reſignat. lib. 3. quæſtion. 13. num. 11.

ζ Quòd poteſt compleri extra monaſterium cum licentia, reſoluunt Nauar. d. conſ. 52. nu. 4. & conſ. 41. nu. 3. de Regularib. & conſ. 10. de Clericis non reſid. nu. 3. Flamin. d. qu. 13. nu. 12. Fr. Emman. tom. 3. qu. 15. art. 8. Fr. Beja Reſponſ. caſuum conſc. p. 4. caſu fin. in vltimis verbis.

η Quòd annus probationis poſſit impleri ab eo, qui nondum expleuerit annum decimumſextum, & vi talis probationis poſſit probatus admitti ad profeſſionem expleto 16. anno, tenent Nauar. conſ. 30. de Regul. num. 1. P. Azor. inſt. Moral. p. 1. lib. 12. cap. 4. q. 9. P. Valer. Reginal. d. lib. 18. num. 385. prope finem.

θ An nouitius, etiam de conſenſu Prælati, & conuentus, poſſit renuntiare anno integro probationis? Negant Nauar. conſc. 33. ſub titul. de Regularib. Beja d. caſu fin. verſ. Tertiò, vbi à princip. probat profeſsionem nouitij ante annum probationis factam in mortis articulo eſſe validam: teneri tamen nouitium, ſi conualuerit, & ex ea infirmitate non deceſſerit, complere poſtea integrum probationis annum, & profeſsionem de nouo emittere. Vide Fr. Emman. tom. 3. quæſt. 15. artic. 6. Pet. de Ledeſm. d. cap. 7. concl. 2. diffic. 1.

ι *Profeſſio autem antea facta ſit nulla.*] Vide Bejam d. p. 4. caſu 7. Fr. Emman. tom. 3. qu. 17. art. 5. & vide ad quid P. Sanch. de Matrimon. lib. 2. diſp. 24. num. 6. & lib. 7. diſput. 37. num. 45. cum ſeqq. Et quòd allegans ſe non eſſe profeſſum, probare debeat, decidit Rot. diuerſ. deciſ. 216. part. 2. Nec in dubio profeſsionem præſumi affirmat Pute.

dec.

dec. 108. lib. 1. Profeſſio verò an poſſit per teſtes probari? Vide apud Vincent. de Franch. deciſ. 483.

## Capvt XVI.

*Renunciatio aut obligatio quæcumque, fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, alioquin eſt nulla. Nouitij inuenti habiles ſine mora admittantur ad profitendum, aut è monaſteriis eiiciantur. Nihil innouatur in pio inſtituto clericorum Societatis Ieſu. Ne illaqueentur nouitij aut nouitiæ, &c.*

1 α β γ NVlla quoque δ *renunciatio*, 2 *aut obligatio* ε *antea facta*, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſæ piæ, valeat, 3 *niſi* ζ *cum licentia* η *Epiſcopi*, ſiue eius Vicarij fiat 4 *intra duos menſes proximos* ante profeſſionem; ac 5 *non alias* intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter verò facta, etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renuntiatione, etiam iurata, θ *ſit irrita*, 6 *& nullius effectus.* [a] ι *Finito tempore* nouitiatus, 7 *Superiores*, *nouitios*, 8 *quos habiles inuenerint*, 9 *ad profitendum admittant*; aut è monaſterio eos eiiciant. Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, κ *quin Religio Clericorum Societatis Ieſu*, iuxta pium eorum inſtitutum, à ſancta Sede Apoſtolica approbatum, Domino, & eius Eccleſiæ inſeruire poſſint. λ *Sed neque ante profeſſionem*, excepto victu, & veſtitu, nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monaſterio 10 *aliquid ex bonis eiuſdem* tribuatur; 11 *ne hac occaſione diſcedere nequeat*, quod totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat; nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit: quin potius præcipit ſancta Synodus 12 *ſub anathematis pœna dantibus*, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & 13 *vt abeuntibus* ante profeſſionem μ *omnia reſtituantur*, quæ ſua erant. Quod vt rectè fiat, Epiſcopus, etiam per ν *cenſuras Eccleſiaſticas*, ſi opus fuerit, compellat.

a c. cum cauſam in ſi. de elect.

DE-

# DECLARATIONES.

1 *Nulla quóque renunciatio.*] Hoc cap. non habet locum in puellis, quæ educationis gratia manent in monaſteriis, neque procedit hoc cap. in teſtamento aut vltima voluntate, vel eleëmoſynis.

2 *Aut obligatio, antea facta.*] Vox *antea* reſpicit tempus quod ſecutum eſt ipſum ingreſſum. Ideóque valida eſt donatio facta ante ſuſceptionem habitus, non autem illa quæ à tempore ſuſceptionis præceſſit duos menſes qui ſunt ante profeſſionem.

Quoad Decretum Concilij reſpondit Congregatio, ſe non comprehendiſſe quoddam depoſitum illarum pecuniarum, quæ dotis ſeu eleëmoſynæ nomine Monaſterio dantur ſiue deponuntur in publico Banco, ſiue penes alium, qui eas Monaſterio dare debeat poſt profeſſionem emiſſam.

Improbatur pariter cautio Bancaria in euentum reſtitutionis, ac etiam in inuentionem mutui colorati, quod parentes nouitiarum in dotem deſtinatam, ſub nomine mutui ſinguli Monaſterio numerarent: etenim omnibus iſtis modis lex Concilij circumuenitur.

Quod ſi renuntiatio ante ſuſceptum habitum facta fuerit, vel ante ingreſſum Religionis (quamuis renuntians foret acceptatus) Concilium non habet locum, loquitur enim de ſumentibus habitum, vel intrantibus Religionem. Sed ſi donatio vel renuntiatio facta fuerit intuitu Religionis ingrediendæ: tunc tanquam facta in fraudem huius canonis, videtur ſubeſſe huic diſpoſitioni ex ſententia Congregationis.

3 *Niſi cum licentia Epiſcopi.*] Hac licentia omiſſa, & profeſſione ſequuta, nulla eſt renuntiatio.

4 *Intra duos menſes proximos.*] Renuntiatio à Nouitiis facienda intra duos menſes vltimos, antequam profeſſio emittatur, fieri debet. Hæc verba verificantur, etiamſi vltra plures menſes anni probationis profeſſio fuerit prorogata. Neque enim renuntiatio facta cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij, intra duos menſes proximos, tempore quo profeſſio emitti legitimè potuiſſet, cenſebitur inualida, ex eo quod actualis profeſſio per aliquot menſes dilata fuit.

5 *Non alias intelligatur.*] Si renuntians tempore renuntiationis compleret 16. annum, renuntiatio eſſet valida, dummodo facta ſit cum licentia Epiſcopi, ſeu Vicarij, iuxta hoc Decretum intra duos menſes proximos ante profeſsionem.

6 *Et nullius effectus.*] Idem dicendum eſt, ſi renuntians eſſet tacitè profeſſus, licet renuntiaſſet duobus menſibus, vt hic, ante profeſsionem expreſſam.

7 *Superiores, Nouitios, &c.*] Hæc verba reſpiciunt tantum ad habiles, non autem ad inhabiles. Et ita ex licentia S.D.N. explicâte hunc textum Illuſtriſsimo Cardinali Carauellanenſi, cenſuit Cógregatio

ſub

ſub die 19. Iulij 1570. quod dictum tempus nouitiatus eſt arbitrarium.

8 *Quos habiles inuenerint.* ] Si inhabilitas ex infirmitate proueniat, poterit prorogari tempus, donec duret probabilis ſpes recuperandæ ſanitatis.

9 *Ad profitendum admittant.*] Fuit dubitatum, an Monialis, quæ emiſerat profeſsionem, & deinde probabiliter dubitans ſe non fuiſſe baptizatam de nouo ad cautelam baptizata fuit, debeat de nouo emittere profeſsionem?& dato quod ſic,an debeat expectare per annum?Fuit reſolutum ſub die 10. Decemb.1588. profeſsionem ligare, verùm debere eam ad maiorem cautelam iterum emittere profeſsionem, expectato alio anno, & fuit allegatus Abbas in cap.1. & 2. de presbyt. non baptizato.

10 *Neque aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur.* ] Ne quidem eo caſu quo aliquid tribueretur non ex puellæ bonis propriis, ſed ex illorum bonis, qui ſunt parentes, vel conſanguinei.

11 *Ne hac occaſione diſcedere nequeat.* ] Quod ſi diſceſſerit intra tempus probationis, & dos ſoluta eſſet; erit reſtituenda hæredibus vnà cum fructibus, ſi quos Monaſterium percepiſſet, deducto tamen victu, & veſtitu, non tamen pacto, quo talia diceret antequam habitum in Monaſterio ſuſciperet: *etiam ſi pactum eſſet irritum, & ſi eſſet immemorabilis conſuetudo reſtituendi.* Debetur dos promiſſa Monaſterio pro Moniali defuncta profeſſa, non obſtantibus alimentis perſolutis eidem Moniali, dum ipſa viueret, & pacto,quod ſemper eſſent eis perſoluenda dicta alimenta,donec ſolueretur dos.

12 *Sub anathematis pœna dantibus.* ] Non incurritur ipſo facto, & abſolutio non eſt reſeruata Papæ.

Puellæ quæ ſunt in Monaſteriis, finito tempore Nouitiatus,ſunt ad profeſsionem admittendæ, ſi habiles inueniantur; ſi verò non, eiiciantur è Monaſterio.

Profeſſus in vna Religione ad aliam tranſlatus, etiam ad laxiorem,auctoritate tamen Apoſtolica,non poteſt renuntiare anno probationis, vt in hoc Decreto:nec illa renuntiatione per ſuperiorem facta, ad ipſam profeſsionem intra annum poteſt recipi, ſed iterum debet profiteri, iuxta formam hic traditam.

13 *Et vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur.*] Etiam cum fructibus,ſi qui ſint, deductis tamen alimentis à Monaſterio præſtitis, *Sup.hoc c. §. ne hac occaſione.*

Si Nouitius ſit ſui iuris, & non habeat parentes, non poteſt in ingreſſu Religionis præter victum aliquid donare Religioni, amore Dei, vt Congregatio reſpondit, ex verbis expreſsis huius Decreti. Ad dubium autem, an idem poſsit in ipſomet ingreſſu donare ſeipſum,& omnia bona ſua Religioni, vt fiebat olim, dummodo in iſtis caſibus non ſit poſita pœna excommunicationis, reſpondit ſimiliter Congregatio, omnes huiuſmodi donationes, quæ fiunt ab iis, qui

vt

vt nouitij fiant, ingrediuntur, animo profitendi legitimo tempore, comprehendi hoc Decreto.

---

## REMISSIONES.

α VIde Fr.Emman. q.Regul.tom.1.q.47.art.8.P.Azor.inſt.Moral.p.1.li.12.c.2.col.1169.P.Molin.de Iuſt.tract.2.diſp.139.verſ. Antequam,P.Leſſ.eod. tract.li.2.2.41.dub.4.n.40.P.Valer.Reginald. in praxi fori pœnitent. lib.18.n.397. Aloyſ.Ricci.in collect.deciſ.p.2.collect.454. Ceuall.Communium contra Communes qu.806.nu.13.cum ſeqq. latiſsimè Aluar.Valaſc. de Partitione,cap.16.nu.12.cum ſeq. Luſit.Benedict.Ægid.in Reper.l.vni.Cod. de Sacroſanct.Eccleſ.p.4. §.2.per totum.

β Hoc Decretum non procedere in Teſtamentis, donatione cauſa mortis,& codicillis,reſoluunt Nauar. Comment.2.de Regular.n.30.Gaſp.Theſaur.deciſ.56.Henriq.deciſ.21. P.Azor.d.p.1.lib.2.c.2.q.14. Fr.Emman.tom.3.q.16.art.1. Aloyſ.Ricci.in collect.deciſ.collect.584.P.Leſsi.de Iuſtit.li.2.c.41.n.40.Valaſc.d.c.16.à n.13.Luſit. Ægid. d.§.2. n.21. cum ſeqq.& num.fin.

γ *Renuntiatio.* ] Procedere in renuntiatione beneficij, etiam ante ingreſſum, intuitu religionis facta, niſi paulò ante profeſsionem, quando ſcilicet,ad illam eſt receptus à fratribus,& omnia ſunt parata, ita vt moraliter loquendo profeſsio indubitanter ſequi debeat, reſoluunt Fr.Emman. tom.1. qu.32. art.2. Flamin. de Reſign.lib.3.qu.13.nu.3.cum ſeqq. P.Azor.inſt. Moral.p.2.lib.7.cap.20.qu.6.

δ *Antea facta.* ] Vtrùm renuntiatio,ſeu donatio bonorum facta ab exiſtente adhuc in ſæculo,prætextu,& intuitu ingreſſus Religionis, ſtante diſpoſitione huius cap. valida ſit? Negat P.Leſsi.d.lib.2.ca.41.num.40.verſ.Secundò. Affirmant hoc Decretum non habere locum in renuntiatione facta ante ſuſceptionem habitus,Quarant.in Summa Bullarij,verbo Monaſteria,& conuentus,pag.330.verſ.Dubium illud. Stephan. Gratian. deciſ. 37. num. 2. Aluar.Valaſc. d. cap. 16. num.21.cum ſeqq.Benedict.Ægid.in Repet.d. lib.1. p.4.§.2.nu.22. ad finem.

ε Vtrùm Teſtamentum ante ingreſſum Religionis factum ſequuta profeſsione rumpatur? Et an ante profeſsionem poſsit expreſsè reuocari? Vide Graſſ.§. Teſtamentum q.34.n.2.Fachin.lib.6.Controuerſ.c.14.& 15.Carol.Tapi.ad Auth. Ingreſsi,verbo Ideóque nec de his,à n.64.Cod.de Sacroſ.Eccl.Mench.de Succeſ.creat.li.2.§.20.nu.29.& de Succeſ.progreſ.l.1.§.1.n.52.Guttier.in c.Quamuis pactum, verbo, Dum nuptui tradebatur, nu.4.& Canon.lib.2. cap.1. Molin. li.2.de Primogen.c.9.à n.38. Marienſ. l.1.gloſ.3.n.4.tit.4.l.5.nouæ Recopil.Cornel.ad Gom.li.3.Tauri nu.13. Spin.de Teſtam.in gloſ. Rub.p.6.n.3. P.Molin. de Iuſtit.tract.2. diſp.139.& diſp.604. nu.3. Ceuall. Commun. contra Communes q.61.& q.221.P.Azor.inſtit.

Moral.

Moral.p.1.li.12.c.8. Caſtill. Quotid.lib.1.de Vſufructu cap.65. n.6. & lib.3.c.12.nu.30. plures ex antiquioribus refert Cened.ad Decretum collect.50. nu.3. & ex noſtris Luſitanis Gam.deciſ.310.nu. .& 6.& deciſ.375. nu.5. Coſt.in cap. Si pater, verbo teſtatorem, nu.8.& 10. Cald. Pereira in l. Si curatorem, verbo Sine curatore, nu.39.& de Nomin.qu.6. nu.5. cum ſeqq.& de poteſtate elig.cap.3. nu.17. Valaſc.de Partitionib. cap.16. num.14. Fr.Emman.qu.Regul. tom.3. quæſt.9. artic.3.

ζ *Cum licentia* ] Quòd debeat interuenire ante actum, vel in ipſo actu, affirmant iuxta Bart. doctrinam in l. ſi quis mihi bona, §. iuſſum, ff.de acqu. hære. Tiraq.de iure mar. gloſſ.6. num.3.cum ſeqq. Chaſſan. in conſuetud.Burgund.Rub.4.§.2.gl. *Sans licence*, fol.130. & §.7. gloſſ. *Sicen*, fol.160. Cened.pract.& Canon.qu.lib.1.qu.30. num.78.

η *Epiſcopi.* ] Non ſufficere ſuperioris, tenet Fr.Emman. tom.2.qu.47. art.14.

θ *Sit irrita, & nullius effectus.* ] Vide Nau.conſ.7. & 8.de donation. P.Azor.Inſt.Moral.p.1.lib.12. cap.18. verſ.52.

ι *Finito tempore.* ] An profeſsio poſsit differri? Vide Nau.conſ.29.de Regularib. & vide quid conſ.30. Fr.Emman. tom.3.q.15. art.10.in fin. & qu.17. art.6.

κ *Quin religio Clericorum Societatatis Ieſu.* ] Vide Ioſeph.Ludou.Peruſ.deciſ.77. Et quod ſint veri Religioſi, tuentur P.Azor.Inſt.Moral. p.1. lib.13.ca.7. col.1301. Fr.Emman.tom.1.qu.56. artic.1. & vide quid tom.1. qu.47. art.16. Fr.Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib.1. cap.2.concl.5.verſ. Ex dictis.

λ *Sed neque ante profeſſionem.* ] Vide Fr.Emman.tom.2. qu.47.art.5. & qu.48.art.5. Valaſc.de Partit.cap.16.nu.32. Stephan.Grat.diſcept. forenſ.cap.363. num.18. & 19.

μ *Omnia reſtituantur.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſc. p.1. verbo Moniales, §.3. & p.2. eodem verbo, verſ.11.pag.73.

ν *Cenſuras Eccleſiaſticas, &c.* ] Quid ſi hoc non fuiſſet expreſſum? Vide P.Sanch.de Matrim. lib.7.diſp.33.num.23.

## CAPVT XVII.

*Virgines volentes habitum Religionis aſſumere, ſint maiores duodecim annis, & examinentur ab Ordinario, ſicut & ante emiſſionem profeſſionis. Proinde Præfecta monaſterio certiorem faciat Epiſcopum ante menſem finiti nouitiatus.*

1 a LIbertati profeſſionis virginum Deo dicandarum proſpiciens ſancta Synodus, ſtatuit atque decernit, vt, ſi

ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, 2 *maior duodecim annis ſit,* 3 *non ante eum ſuſcipiat;* 8 *nec poſtea ipſa* vel alia 4 *profeſſionem emittat,* 5 *quàm explorauerit Epiſcopus,* vel eo abſente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, 6 *virginis voluntatem diligenter,* 7 *an coacta, an ſeducta ſit,* an ſciat quid agat: & ſi voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit; habueritque conditiones requiſitas iuxta monaſterij illius, & Ordinis regulam; nec non monaſterium fuerit idoneum; 8 *libere ei profiteri liceat.* 9 *cuius profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret;* 10 *teneatur* Præfecta monaſterio eum, ante menſem certiorem facere. quòd ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit; quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.

---

## DECLARATIONES.

1 *Libertati profeſſionis* ] Virgines antequam ingrediantur Monaſterium, adducantur ad matronas honeſtas, nec ſanguine illis coniunctas, nec aliquo modo ſuſpectas, vbi remotis omnibus earum propinquis, examinentur ab Epiſcopo earum voluntates. Etenim omnimoda libertas requiritur in Monaſticæ vitæ delectu pro qua libertate obtenta eſt cauſa cuiuſdam Dominæ, ad annullandam eius profeſsionem metu reuerentiali factam, anno 1586. menſe Februario.

Ex puella, cuius deliberatio in dubium reuocatur, Ordinarius diligentiſsimè quærere debet, an Deo religiosè inſeruire, atque inter moniales apud quas eſt, profeſsionem emittere, an verò nubere velit: & hoc fieri debet neceſſariis interrogationibus, & quicquid reſpondet, deſcribi debet à publico Notario, præſentibus teſtibus idoneis: quæ quidem puella, ſi ob aliquam cauſam probabilem videtur Ordinario non eſſe examinanda ad monaſterij crates, examinari debet in Eccleſia eiuſdem Monaſterij, vel alio religioſo loco, qui aptior & commodior videbitur. *Infr. hoc c.* §. Epiſcopo N.

2 *Maior 12 annis ſit.* ] Congregatio cenſuit, non eſſe diſpenſandum vt puellæ quæ duodecimum annum non compleuerunt, poſsint habitum in Monaſterio ſuſcipere.

3 *Non ante eum ſuſcipiat.* ] Vtrúmq; ſpectat ad Epiſcopum, tam ante ſuſceptionem habitus, quàm ante profeſsionis emiſsionem, explorare voluntatem puellæ, non obſtante quod Monaſterium ſit Regularibus ſubiectum, vel aliàs exemptum à Iuriſdictione Epiſcopi.

4 *Profeſſionem emittat.* ] Non admittitur puella ad profeſſionem ante annum decimum ſextum expletum. Quod ſi puella in 12. ætatis anno matrimonio coniuncta, & Religionem ingreſſa ſit, cogendus eſt ſponſus per quatuor annos expectare, vſque dum illa profiteatur, nec permitti poteſt tranſire ad vota, vbi illa per annum in dicta Religione permanſerit, provt reſponſum fuit à ſacra Congregatione anno 1580.

Virgines à quibus facienda eſt profeſſio, ſi clauſura monialium facta ſit, examinandæ ſunt ab Ordinario intra Monaſterium ad cancellos ſeu crates ipſarum monialium, & clauſura facta Ordinarius obtinere debet à monaſterio ingreſſum.

Epiſcopo N. ſcriptum eſt ne extra cancellos monialium examinaret puellas facere volentes profeſſionem, vel ſi haberet cauſam iuſtam, vel certam ſuſpicionem, examen faceret in Eccleſia Monaſterij, vel in Eccleſia alia.

5 *Quam explorauerit Epiſcopus.* ] Congregatio cenſuit, Virginum, quæ ab Ordinario examinatæ habitum Religionis ſuſceperunt antequam profiteantur, voluntatem iterum penitus explorandam. Quo igitur tempore profeſſionem facere volunt, etſi nullo ab Ordinario adhibito examine habitum ſuſceperunt, tamen ab ipſis examinentur.

6 *Explorauerit Virginis voluntatem.* ] Per hæc verba Congregatio reſcripſit, aliquam puellam non debere admitti ante 12. annum ad habitum ſuſcipiendum, cuius cauſa requiritur voluntatis puellæ exploratio: non eſt autem voluntas Congregationis neque Concilij, vt ante illam ætatem puella admittatur.

Congregatio cenſuit, Ordinarium non debere explorare voluntatem puellæ quæ habitum recipit in Monaſterio, ad petitionem illius qui vult illam in vxorem ducere, ſed expectandum eſſe tempus faciendæ profeſsionis, & tunc, ſi ſit ſuſpicio quod inſtigetur à Monialibus, pro ſuo officio curabit inde educi in exteriorem Eccleſiam Monaſterij, vel in aliam propinquiorem & commodiorem (provt magis conuenire iudicabit) vbi voluntatem eius explorare poſſit. Quod ſi nulla ſit ſuſpicio, & nullam aliam iuſtam cauſam ſubeſſe appareat, tunc non alio in loco, quam ad crates ferreas Monaſterij voluntatem puellæ explorabit.

7 *An coacta, an ſeducta ſit* ] Congregatio cenſuit, quod incluſa per vim in Monaſterium, debet inde educi, & ſi quid damni ob eam cauſam paſſa eſt, curari debet, vt indemnitati eius prouideatur, eorum impenſis qui talem vim intulerunt, qui debent etiam ſeuerè caſtigari. Sed ſi puella monialis effici velit, deſiderij eius compos eſt facienda, licet pater eius contradicat.

8 *Libere ei profiteri liceat.* ] Puellis, quæ ſumpſerunt ſacrum habitum in aliquo Monialium Monaſterio, debet ab Ordinario certus dierum numerus 11. vel 20. præfigi, intra quem deliberent, vtrum velint

velint profeſsionem emittere vel non. ſi noluerint, remitti poterunt ad domos conſanguineorum vel affinium.

Omnis puella, præſertim tamen ea quæ inconſulto Epiſcopo habitum ſuſcepit Religionis, antequam profiteatur, ab Epiſcopo examinanda eſt diligenter.

9 *Cuius profeſsionis tempus, ne Epiſcopus ignoret.* ] Poſtquam Epiſcopus hac de re & ingreſſuræ voluntate certior factus fuerit, intra 15. dies examen hoc perficere tenetur, quibus exactis amplius in eo ſe non intromittat. Sic ſacra Congregatio.

Si Monialis, aut nouitia neget ſe eſſe profeſſam, Ordinarius audire poteſt eam etiam extra monaſterium.

10 *Teneatur Præfecta Monaſterio.* ] Si Superior monialium alicui puellæ habitum dederit, priuſquam ab Ordinario examinata fuerit, contra Decreta Concilij facit. Item ſi moniales profeſsionem fecerint antequam iterum ab Ordinario examinentur, contra Concil. Trid. faciunt. Prior caſus ſi euenerit, tenetur Ordinarius explorare voluntatem earum, quæ habitum tantum ſuſceperunt, antequam in Religione profiteantur. Ab illis autem Sacris Virginibus, à quibus non ſolum habitus eſt ſuſceptus, ſed iam profeſsio facta eſt, etiamſi examinatæ non fuerint, nihil Ordinarius præſentatus debet ſuſcipere, ſed permittat eas in ſuo ſtatu permanere, provt Concil. Trid. ſtatuit. In Abbatiſſas tamen animaduertere poteſt, debentque per eundem Ordinarium moniales, earumq; ſuperiores admoneri, ne illis virginibus dent ſacrum habitum, & nihilominus patiantur in Religione profiteri, niſi priùs voluntas earum perſpecta ſit, & explorata ab eodem Ordinario. Contra facientes ergo poterit idem Ordinarius coercere, non ſolùm pœnis à Conc. Trid. ſtatutis & præſcriptis, ſed etiam Eccleſiaſticis cenſuris, & aliis iuris remediis, non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis.

Sumptus à Monialibus in profeſsione, & velo ſumendo faciendi taxentur ab Ordinario, & definiantur rebus neceſſariis: Pecunia verò reſeruata ad earum veſtitum in ingreſſu, detur Abbatiſſæ.

## REMISSIONES.

α Vide Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 8. in fine.

β *Nec poſtea ipſa vel alia profeſsionem emittat.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſcop. par. 1. verbo Moniales, pag. 232. & pag. 258. verſ. Ad 14. P. Azor. Inſt. Moral. p. 1. li. 12. c. 1. col. 1160. Fr. Emman. qu. Regular. to. 3. q. 12. art. 2. nouiſsimè P. Sanch. in præcepta Decalogi li. 4. c. 18. numer. 32. cum ſeqq.

## CAPVT XVIII.

*Anathematizantur quicunque cogentes puellam, viduam aut quamcunque mulierem ad ingrediendum monaſterium, emittendam profeſſionem, & ad id fauorem dantes, & quoquo modo eidem actui conſentientes. Excipiuntur caſus iuris.*

α ANathemati ſancta Synodus ſubiicit omnes, & ſingulas perſonas, cuiuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm laicos, ſæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocúmque 1 β &c. *coëgerint* aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcúmque mulierem inuitam, [a] præterquam in caſibus in iure expreſſis, ad ingrediendū monaſterium, ε *vel ad ſuſcipiendum* habitum cuiuſcunque religionis, vel ad emittendam profeſſionem; quiq; conſilium, auxilium, vel fauorem dederint; quique ſcientes eam non ſpontè ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere; quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. [b] ζ *Simili quoque* anathemati ſubiicit eos, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo ſine iuſta cauſa impedierint. Eaque omnia, & ſingula, quæ ante profeſſionem, vel in ipſa profeſſione fieri oportet, ſeruentur non ſolùm in monaſteriis ſubiectis Epiſcopo, ſed & in aliis quibuſcumque. [c] Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Conuertitiæ appellantur: in quibus conſtitutiones earum ſeruentur.

a *c. de Lapſis, c. Epiſcop 15. q. 6. c. Impudicas, c. Si homo 27. q. 1.*

b *Conc. Tolet. 3. c. 10. c. puella, 27. q. 2. c. vlt. 32. q. 1.*

c *Conc. Tolet. 4. c. 54 in fi.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Coëgerint aliquam virginem.* ] Si Pater naturalem filiam ea lege inſtitueret hæredem, vt in monaſterium ingrediatur, & niſi ingrediatur, inſtituit ac fundat monaſterium, filiæ verò naturali relinquit

pro

pro alimentis aureos 25. videretur quidem quod filia eſſet ad ingreſſum religionis coacta, & quod locum haberet iſte præſens textus: Contrarium tamen verus eſt, quia textus hic loquitur per verbum *coegerit*, & ſic intelligitur de vi incuſſiua, quæ non eſt in caſu prædicto, in quo non poteſt conſiderari alia cauſa, quam inductiua. Iſta quoq; filia etſi erat naturalis, nihil tamen de hæreditate paterna monaſterio ſtruendo deputata poterit ideo prætendere; quia mens teſtatoris videtur fuiſſe vt haberet monaſterium hæredem. Et ita cenſuit Congregatio ſub die 18. Iunij 1573.

## REMISSIONES.

α VIde Pat. Henriq. in Summ. lib. 11. cap. 19. §. 4. verſ. Secundò P. Soar. tom. 5. de Cenſur. diſp. 23. ſect. 5. n. 8. P. Azor. Inſtitut. Moral. p. 1. lib. 12. c. 5. col. 1160. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 18. num. 375. latiſſimè Pat. Sanch. in Præcepta decalogi lib. 4. cap. 4. per totum. Fr. Emman. tom. 3. qu. 14. art. 5. & q. 17. art. 18. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 8. dub. 4. verſ. Nota, Zerol. in praxi Epiſcopal. p. 1. verbo. Moniales, verſ. Ad 22. pag. mihi 261. Petr. de Ledeſm. in Summa p. 2. tract. *del ſtado de los Religioſos*, ca. 5. concl. 8.

β *Coegerint.*] Vide P. Azor. Inſt. Moral. par. 1. li. 13. cap. 9. qu. 2. verſ. Præterea.

γ An cogens mulierem monaſterium ingredi, excommunicetur ingreſſu non ſequuto? Negat Sayr. deciſ. 51. ſub tit. de Senten. excommunicat.

δ An parentes, qui cogunt filios Religioſorum vitam ſuſcipere, vel qui eos ab eo vitæ genere prohibent, incidant in excommunicationem latam in hoc cap. Negat P. Azor. Inſtit. Moral. p. 2. li. 2. c. 11. quæſt. 15.

ε *Vel ad ſuſcipiendum.*] An cogentes fœminam ad monaſterij ingreſſum, non vt profiteatur nec vt habitum ſumat, ſed vt ibi ſæculari habitu retento educetur, donec ætatis aptæ matrimonio ſit, pœnas contentas hic incurrant? Affirmant Nauarr. conſ. 56. ſub tit. de Sentent. excommunication. in 1. edit. & conſ. 6. tit. de Regularib. in 2. edit. Pat. Soar. tom. 5. diſp. 23. ſect. 5. num. 9. Pat. Sanch. d. c. 4. numer. 12. Zerol. in praxi Epiſcop. par. 2. verbo Moniales, verſ. 13. pag. 73.

ζ *Simili quoque.*] Vide Cened. ad Decret. collect. 49. numer. 2. & ad Decretal. collect. 165. nu. 5. Sayr. in Claui Regia lib. 5. c. 1. numer. 27. cum ſequentibus.

## CAPVT XIX.

*Modus procedendi in cauſa qua quis prætendit ſe per vim, aut ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe. Quod ſi habitum antea ſuſceptum dimiſerit, puniatur tanquam Apoſtata, & nullo religionis iuuetur priuilegio. Laxior religio non quæratur, nec occultè habitus religionis feratur.*

a c. puellæ, 20. q. 1. c. cum virum, de reg.

1 α β QVicunq; γ *Regularis prætendat*, a ſe per vim, & δ *metum* ingreſſum eſſe religionem; aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe; aut quid ſimile, 2 *velitq́; habitum dimittere* quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum; non audiatur, 3 ε *niſi intra quinquennium* tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit ζ *coram Superiore ſuo*, & Ordinario. b Quòd ſi anteà habitum ſpontè dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcunq; cauſam admittatur; ſed ad monaſteriũ redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur: interim verò nullo priuilegio ſuæ Religionis iuuetur. Nemo etiam Regularis cuiuſcúmq; facultatis vigore 4 η θ *transferatur ad laxiorem Religionem*; nec detur licentia cuiquam Regulari ι *occultè ferendi habitum ſuæ Religionis*.

b Conc. Arel. 1. c. vlt. Côc. Arel. 2. c. 25.

---

## DECLARATIONES.

1 *Quicunq; Regularis.* ] Milites S. Ioannis Hieroſolymitani in hoc Decreto comprehenduntur.

2 *Velitq́; habitum dimittere.* ] De iis, qui exire volunt, committatur Ordinario loci, ſimul cum Superiore monaſterij, vbi emiſerunt profeſſionem.

3 *Niſi intra quinquennium.* ] Non dentur prorogationes Regularibus, qui manſerunt in Religione per quinquennium, vt omninò non audiantur ante Concilij confirmationem, niſi iuxta formam Concil. Trident. & fiat formularium expeditionis.

Fœlicis recordationis Greg. XIII. ex ſententia Congregationis Concilij declarauit eos, qui per vim & metum ſe Religionem profeſſos prætenderent, niſi intra quinquennium reclamauerint, eo elapſo

pſo non eſſe audiendos, tametſi allegarent vim & metum ſemper duraſſe.

Quidam vir Hiſpanus propter publicum vxoris ſuæ adulterium illam dimiſit, & ipſe in partibus longinquis ſub Ordinarij obedientia ex Breui Pauli IV. vitam Eremiticam per multos annos duxit, qua relicta ingreſſus eſt Religionem S. Baſilij, vbi per quinquennium demoratus eſt, ibiq; profeſſus: ſed ante dictæ religionis ingreſſum, ſemel adulterium commiſit, & demum examinata fuit eius vita à Prælato Religionis prædictæ, cui clarè omnia ſua peccata confeſſus eſt. Quibus auditis Prælatus eum habitu priuare voluit, imperans vt aut ad vxorem rediret, aut aliud remedium peteret: Congregatio autem cenſuit, ſcribendum eſſe Ordinario loci dictæ vxoris. qui (prout iuris eſt) in iſto caſu procedat. Tangitur hæc quæſtio per Abb. *in cap. Conſtitutus, & cap. Veniens, de conuerſ. coniug.*

4 *Transferatur ad laxiorem Religionem.*] Si quis ſit tranſlatus ad laxiorem familiam, etiam eiuſdem Religionis, debet ſe conformare bonæ regulæ & modo viuendi illius monaſterij ad quod tranſlatus eſt.

Tranſitus ad parem vel arctiorem Religionem non fiat niſi cognita cauſa tranſeuntis, & vitæ ac morum ratione perſpecta, idque ex approbatione Capituli.

## REMISSIONES.

α Vide Zerol. in praxi Epiſcop. p.2. verbo Profeſſio. §.2. verſ. Verùm, Nauar. Comment. 4. de Regularib. n.73. & 77. Fr. Emman. qu. Regul. tom. 3. q.17. art.17. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib.1. cap.8. dub.4. verſ. Secunda concluſio, P. Leſſi. de Iuſt. lib.2. cap.41. dub.7. nu.63. latiſſimè P. Sanch. de Matrim. lib.7. diſp.37.

β *Quicunq.*] Quòd quæcunq; etiam reſoluit Zerol. in praxi Epiſ. p.1. verbo Moniales. verſ. Ad ſecundum reſpondetur, pag mihi 233.

γ *Regularis.*] Quòd etiam Ordinum Militarium, tenet Gonzal. ad reg.8. Cancel. gl. 8. num.61.

δ *Et metum.*] An profeſſio ob metum reuerentialem parentum facta valeat? Negat Sayr. deciſ.91. de Regularib. quem refert Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ p.4. collect. 932. prope finem.

ε *Niſi intra quinquennium.*] Vide Flam. de Reſignat. lib.13. qu. 5. nu. 45. cum ſeqq. Zerol. d. p.1. verbo Profeſſio, §.1. pag.189. Fr. Emman. tom.3. q.17. art.16. P. Azor. Inſtit. Moral. p.1. lib.12. cap.4. col.1177. Spin. in Speculo Teſtam. gl.12. princip. nu.62. cum ſeqq. Fr. Ludou. Beja Reſponſ. caſuum conſcien. p.4. caſu 18. Flores Vari. lib.3. q.23. n.68. vbi reſoluit, hoc Decretum non procedere, quando illud quinquennium ſemper cucurriſſet tempore inhabili, vtpotè vel durante pupilari ætate, aut durante metu, & eius cauſa, aut verò durante aliqua cauſa nullitatis irremiſſibilis alicuius inhabilitatis perſonalis.

ſ *Coram ſuperiore ſuo, & Ordinario* ] Vide F. Emman. tom. 1. q. 36. art. 3. pag. mihi 348. Ludou. Beiam. Reſponſ. caſuum conſcien. p. 4. caſu 18. fol. 414. verſo.

υ *Transferatur ad laxiorem religionem.* ] Vide Nau. conſ. 56. ſub tit. de Regularib. nu. 3. P. Azor. Inſtit. Moral. p. 1. lib. 12. cap. 14. quæſt. 12. verſ. In Concil. Trident. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 18. cap. 19. n. 412. cum ſeqq. Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ. p. 3. collect. 521. late. Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 7. dub. 3. Sayr. deciſ. 55. de Regular. vbi reſoluit, quòd non obſtante hoc Decreto Concilij Trident. & iure communi, Generalis, & ſuperior Religionis ad laxiorem etiam religionem de iuſta cauſa tranſitum concedere poteſt, cùm mens, & intentio Concilij non fuerit, iuridicas tollere facultates, hæc Sayr. dicto loco.

θ An Regularis profeſſus in vna Religione, & ſtrictiorem ingrediens, ſi ante emiſſam profeſſionem redeat ad primam, intelligatur redire ex tunc, an verò ex nunc? Vide Triu. Rot. Venet. deciſ. 33. p. 1. vbi reſoluit, quòd intelligitur redire ex tunc, non verò ex nunc.

ι *Occultè ferendi habitum ſuæ Religionis.* ] Vide Fr. Emman. tom. 2. q. 76. art. 3. P. Soar. tom. 5. diſp. 23. ſect. 4. nu. 34. P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 18. num. 406. Fr. Ioann. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 7. dub. 4. & cap. 1. dub. 4. reſoluit, Epiſcopum monachum teneri portare habitum ſuæ Religionis, & peccare mortaliter, ſi deſerat habitum ſuæ Religionis, non tamen manere excommunicatum tanquam apoſtatam, docet Petr. de Ledeſm. in Summa part. 2. tract. 32. cap. 3. prope finem.

## CAPVT XX.

*Abbates qui ſunt Ordinum capita, & alij prædictorum Ordinum Superiores in prædicta monaſteria iuriſdictionem exercere conſueti eam omnino exerceant, viſitent loca prædicta quorum Superiores à Capitulis generalibus, vel Viſitatoribus inſtituantur.*

α ABbates, qui ſunt Ordinum Capita, ac cęteri prędictorum Ordinum Superiores, β *Epiſcopis nõ ſubiecti* quibus eſt in alia inferiora monaſteria, Prioratuſve legitima iuriſdictio, eadem illa ſibi ſubdita monaſteria, & Prioratus, ſuo quiſque loco, atque ordine, ex officio viſitent, etiam ſi commendata exiſtant. 1 *Quæ cùm Ordinum ſuorum Capitibus ſubſint*, declarat ſancta Synodus, in iis, a quæ aliàs de viſitatione monaſteriorum cõmendatorum

a *Supr. ſeſſ. 21. de reſor. c. 8.*

defi-

definita ſunt, non eſſe comprehenſa: teneanturque quicumque prædictorum Ordinum monaſteriis præſunt, prædictos Viſitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipſa quoque monaſteria, quæ ſunt Ordinum Capita, iuxta ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & cuiuſque Ordinis conſtitutiones viſitentur. Et quamdiu durabunt huiuſmodi commendæ, Priores clauſtrales, aut in Prioratibus conuentum habentibus, Subpriores, qui correctiones, & ſpirituale regimen exercent, à Capitulis generalibus, vel ipſorum Ordinum Viſitatoribus inſtituantur. γ *In cæteris omnibus* præfatorum Ordinum 2 *priuilegia, & facultates*, quæ ipſorum perſonas, loca, & iura concernunt, firma ſint, & illæſa.

---

## DECLARATIONES.

1 *Quæ cùm Ordinum ſuorum Capitibus ſubſint.* ] Prioratus, qui ſuis capitibus ſubſunt, etiam qui ſunt ordinis Hieroſolymitani, ab Epiſcopis viſitari non poſsunt.

2 *Priuilegia & facultates.*] Hodie ex Bulla Pij V. in fauorem Mendicantium edita, moniales omnes pleno iure Epiſcopo non ſubſunt, etenim Regulares ſunt exempti & liberati à Superioritate, dominio, & iuriſdictione Epiſcoporum, iuxta ipſorum Regularium priuilegia Apoſtolica. Hæc verò Bulla fuit tandem reducta ad viam iuris communis, & terminos Concilij Tridentini per Gregorium XIII.

---

## REMISSIONES.

α VIde Pat. Azor. Inſtitut. Moral. p. 1. lib. 12. cap. 18. verſ. Sextò.

β *Epiſcopis non ſubiecti.* ] An Epiſcopi poſsint viſitare Eccleſias Ordinum Militarium, exigendo rationem a Rectoribus, & ab OEconomis, viſitando Confratrias, & Eremitas? Negat Fr. Emman. tom. 1. q. 36. art. 3.

γ *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia, &c.* ] Vide Fr. Emman. tom. 1. q. 17. art. 9.

## CAPVT XXI.

*Monaſteria collapſa reſtituantur, perſonæ non niſi Regulares iis præficiantur, quidam Commendatarij tenentur ſolemniter profiteri infra ſex menſes, aut Commendis cedere, &c.*

a *Conc. Lat. ſub Leone X. Seſ. 9. in Bulla de Ref. Curia.*

CVm pleraque monaſteria, [a] etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ ex mala eorum, quibus com-

miſſa fuerunt, adminiſtratione, non leuia paſſa fuerint tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta; cupit ſancta Synodus ea ad congruam monaſticæ vitæ diſciplinam omninò reuocare. Verum adeò dura, difficiliſque eſt præſentium temporum conditio, vt nec ſtatim omnibus, nec commune vbiq;, quod optaret, remedium poſſit adhiberi: vt tamen nihil prætermittat, vnde prædictis ſalubriter aliquando prouideri poſſit; primùm quidem confidit, Sanctiſs. Romanum Pontificem pro ſua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, vt iis, quæ nunc commendata reperiuntur; & quæ ſuos conuentus habent, 1 α *Regulares perſonæ, eiuſdem Ordinis expreſſè profeſſæ*, & quæ gregi præire, & præeſſe poſſint, præficiantur. [a] β *Quæ verò in poſterum* vacabunt, γ *non niſi Regularibus*, ſpectatæ virtutis, & ſanctitatis conferantur. Quo ad ea verò monaſteria, quę Capita ſunt, ac Primates Ordinum, ſiue Abbatiæ, ſiue Prioratus, filiæ illorum Capitum nuncupantur; teneantur illi, qui in præſenti ea in commendam obtinent, niſi ſit eis de regulari ſucceſſore prouiſum, δ *infrà ſex menſes religionem* illorum Ordinum propriam ſolemniter profiteri, aut iis cedere: aliàs commendæ prædictæ ipſo iure vacare cenſeantur. Ne autem in prædictis omnibus, & ſingulis fraus aliqua adhiberi poſſit; mandat ſancta Synodus, vt in prouiſionibus dictorum monaſteriorum qualitas ſingulorum nominatim exprimatur: alitérque facta prouiſio ſurreptitia eſſe cenſeatur: nulláque ſubſequenti poſſeſſione, etiam triennali, adiuuetur.

a Supr. Seſſ. 14. cap. 10.

## DECLARATIONES,

1 *Regulares perſonæ, eiuſdem Ordinis expreſſè profeſſæ* ] Quærebatur, an vbi Monaſteria commendata habent certum numerum profeſſorum & nouitiorum, quibus decedentibus, in loca præmorientium ad portiones perpetuas vacantes alij ſubrogantur, ius admittendi nouitios ad loca præfata, & ad alias portiones perpetuò inſtituendi pertineat ad Priores, & Monachos ex hoc Decreto vel ad Commendatarios, quibus talium monaſteriorum regimen & adminiſtratio in ſpi-

ſpiritualibus & temporalibus plenariè committi ſolet? Congregatio Concilij, die 14. Auguſti 1586. cenſuit, tale ius ita demum pertinere ad Commendatarios, ſi monaſteria non exiſtant ſub aliqua Congregatione, habente Regulares ſuperiores, & conſuetudo Commendatariorum excluditur.

Hoc Decretum reſtringitur ad ea monaſteria, quæ membra ſub ſe habent non autem ad ea, quæ (licet Capita Ordinum dicantur) ſine membris tamen ſunt.

## REMISSIONES.

α *Euſdem Ordinis expreſsè.*] Quòd extranei, id eſt, alterius religionis alumni non poſſunt aſſumi ad Prælationes Religionis, vbi non ſunt profeſſi, niſi id auctoritate Apoſt. concedatur, vel conſuetudine introductum ſit, vt ex certo alio gremio eligendo aſſumatur, vt reſoluit Frat. Emman. qu. Regul. tom. 2. qu. 52. art. 8.

β *Quæ verò in poſterum, &c.*] Vide Flamin. de Reſign. lib. 4. quæſt. 5. num. 2.

γ *Non niſi Regularibus.*] Hæc verba eſſe conſultiua, docet Stephan. Grat. diſcept. forenſ. c. 123. num. 11.

δ *Infra ſex menſes Religionem, &c.*] Vide Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 8. num. 88. Et quòd Reges Hiſpaniæ ſint adminiſtratores Ordinum Militarium, & non Magiſtri, & non faciant profeſsionem, aſſerit Fr. Emman. tom. 2. q. 122. art. 3.

## CAPVT XXII.

### *Superiora decreta omnino obſeruentur, & quidem ſtatim vt potuerint obſeruari.*

α HÆc omnia & ſingula in ſuperioribus decretis cótenta, obſeruari ſancta Synodus præcipit in omnibus cœnobiis, ac Monaſteriis, Collegiis, ac domibus quorumcúmque Monachorum, ac Regularium, nec non quarumcúmque Sanctimonialium virginum, ac viduarum, etiam ſi illæ ſub gubernio militiarum, etiam Hieroſolymitanæ, viuant, & quocúmque nomine appellentur, ſub quacúmque regula, vel conſtitutionibus, & ſub cuſtodia, vel gubernatione, vel quauis ſubiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuſcúmque Ordinis, mendicantium, vel non mendican-

tium,

tium, vel aliorum Regularium monachorum, aut Canonicorum quorumcúmque; ß *non obſtantibus* eorum omniũ, & ſingulorum priuilegiis ſub quibuſcúmque formulis verborum conceptis, 1 *ac Mare magnum appellatis*, etiã in fundatione obtentis, necnon conſtitutionibus, & regulis etiam iuratis, atque etiam conſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui verò Regulares tam viri, quàm mulieres ſunt, qui ſub arctiori regula, vel ſtatutis viuunt, excepta facultate habendi bona ſtabilia in communi, eos ab eorum inſtituto, & obſeruantia ſancta Synodus amouere non intendit. Et quia ſancta Synodus deſiderat, vt omnia, & ſingula ſupradicta quamprimùm executioni demandentur; præcipit omnibus Epiſcopis, in monaſteriis ſibi ſubiectis, & in omnibus aliis, ipſis in ſuperioribus decretis ſpecialiter commiſſis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & aliis ſuperioribus Ordinum ſupradictorum, vt ſtatim prædicta exequantur. Et ſi quid executioni mandatum non ſit, Epiſcoporum negligentiam Concilia prouincialia ſuppleant, & coërceant. Regularium verò Capitula Prouincialia, & Generalia, & in defectum Capitulorum generalium Concilia prouincialia, per deputationem aliquorum eiuſdem Ordinis prouideant. Hortatur etiam ſancta Synodus omnes Reges, Principes, Reſp. & Magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, vt velint prædictis Epiſcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris Præfectis in ſuperiùs cõtentæ reformationis executione ſuum auxilium, & auctoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti; vt ſine vllo impedimento præmiſſa rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

## DECLARATIONES.

1 *Ac Mare magnum appellatis.*] Omnia priuilegia Sedis Apoſtolicæ, etiam Maris magni, quatenus ſunt contraria Concilio Tridentino, ſunt ſublata, & ad terminos Concilij redacta. Pius IV. in conſtitutione edita anno 6. Pontificatus ſui.

RE-

## REMISSIONES.

* Vide Fr. Emman. qu. Regul. tom. 1. q. 8. art. 6. & tom. 2. q. 108. art. 2. in fine, & q. 111. art. 1. & tom. 3. q. 23. art. 5. & in expl. Bull. Cruciatæ, §. 5. dub. 3. fol. 33.

β *Non obſtantibus* ] Vide Fr. Emman. d. tom. 2. qu. 73. art. 3.

## *DECRETVM DE REFORMATIONE.*

### CAPVT I.

*Epiſcopi exemplo bono ſint omnibus hominibus; abſtineant ab immodica elargitione bonorum temporalium, ſimiliter & Cardinales.*

α OPtandum eſt, vt ij, qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes, agnoſcant; ac ſe non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, ſed ad labores & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. [a] nec enim dubitandum eſt, & fideles reliquos ad religionem, innocentiámque faciliùs inflammandos, ſi præpoſitos ſuos viderint non ea quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, ac cœleſtem patriam cogitantes. Hæc cùm ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe ſancta Synodus animaduertat; admonet Epiſcopos omnes, vt ſecum ea ſæpè meditantes, factis etiam ipſis, ac vitæ actionibus, quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, ſe muneri ſuo conformes oſtendant: in primis verò ita mores ſuos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, [b] ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. β *Quapropter, exemplo Patrum noſtrorum* in Concilio [c] Carthaginenſi, non ſolùm iubet, vt Epiſcopi modeſta ſuppellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum; quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contem-

a *c. magnæ, de voto, c. qualiter, & quando, de accuſ. Supr. Seſſ. 22. de Reform. cap. 1. in prin.*

b *Pſal. 101. Eccleſ. 3. 35 & 66. Matt. 10. & 18.*

c *Conc. Carthag. 4. c. 15. Conc. Tolet. 3. c. 7. c. Epiſcopus, 41. diſt. c. pro reuerētia, 44. diſt. Suprà, Seſſ. 3.*

*a Concil. Antio. c. 25. c. quiſquis, c. ſunt manifeſta, c. Epiſcopus, & c. res Eccleſiæ, cum ſeq. 12. q. 2.*
*b Canon. Apoſt. 30. & 75. diſt. 86. c. eſt probanda.*

temptum præ ſe ferat. [a] Omnino verò eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum [b] Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, γ *quæ Dei ſunt*, δ ε *conſanguineis donent*; ſed, ſi pauperes ſint, iis vt pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: immo, quàm maximè poteſt, eos ſancta Synodus monet, ζ *vt omnem humanum* hunc erga fratres, nepotes, propinquóſque carnis affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt; eadem non ſolùm in quibuſcúmque beneficia Eccleſiaſtica, tam ſæcularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſeruari, [c] ſed & ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit: quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem cùm vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtutum inſignibus, ac viuendi diſciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in ſe oculos conuertant.

*c Conc. Lat. ſub Leone X. Seſſ. 9. de Refor. Curiæ.*

---

## REMISSIONES.

α VIde P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 20. num. 69. verſ. Secundùm, P. Ledeſm. in Sum. p. 2. tract. 32. cap. 3. *del eſtado de los Obiſpos*, concl. 24. dub. 1.

β *Quapropter exemplo Patrum noſtrorum, &c.* ] Vide P. Azor. Inſt. Mor. p. 2. lib. 7. c. 8. q. 1. verſ. At enim contra hos, pag. 837.

γ *Quæ Dei ſunt.* ] Vide Innocent. in cap. Cum ſuper, num. 3. de Cauſa poſſeſſ. & propr. Tiraquel. de Conſtit. limit. 16. num. 3. Nauar. Comment. 2. de Regul. num. 3.

δ *Conſanguineis donent.* ] Vide Ceuall. Com. contra Comm. q. 388. num. 33. Fr. Ludou. Bejam Reſponſ. caſuum conſcient. p. 2. caſu 25. fol. 240. P. Paul. Comitol. Reſponſ. Moral. lib. 1. qu. 70. nu. 20. Cald. Pereira de Poteſtate elig. cap. 13. num. 13.

ε An Prælati poſſint bona Eccleſiæ ſuis cognatis in Emphyteuſim concedere? Vide Concil. Brachar. 4. act. 5. cap. 28. Menoch. Conſ. 79. n. 1. & 4. cum ſeq. Surd. de Alim. tit. 8. priuil. 91. n. 2. Flam. de Reſign. lib. 9. q. 17. n. 124. P. Azor. Inſt. Moral. p. 2. lib. 9. cap. 2. Cardoſo in praxi iudicum. verbo Emphyteuſis, n. 21. Cald. d. cap. 13. n. 2. 8. & 11.

ζ *Vt omnem humanum, &c.* ] Vide Nau. de Spoliis Cleric. §. 19. n. 2.

CAPVT

## CAPVT II.

*Profeſsio fidei emittenda eſt ab omnibus gradum aliquem hîc nominatum adepturis, aut beneficium Eccleſiaſticum obtenturis, ipſis Vniuerſitatib. Verbi diuini interpretibus, ac Doctoribus.*

*a* COgit temporum calamitas, & inualeſcentium hæreſum malitia, vt nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præſidium videatur poſſe pertinere. Præcipit igitur ſancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & omnibus aliis, qui de iure, vel conſuetudine in Cõcilio prouinciali intereſſe debent, vt in ipſa prima Synodo prouinciali, poſt finem præſentis Concilij habenda, ea omnia, & ſingula, quæ ab hac ſancta Synodo definita, & ſtatuta ſunt, palàm recipiant; necnon veram obedientiã ſummo Romano Pontifici ſpondeant, & profiteantur, ſimúlque hæreſes omnes à ſacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præſertímque ab hac eadẽ Synodo damnatas, [a] publicè deteſtentur, & anathematizent. Idémque in poſterũ quicúmque in Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopóſque promouẽdi, in prima Synodo prouinciali, in qua ipſi interfuerint, omninò obſeruẽt. Quòd ſi quis ex ſupradictis omnibus, quod abſit, renuerit; Epiſcopi comprouinciales ſtatim ſummum Romanũ Pontificem admonere ſub pœna diuinæ indignationis teneantur; interimque ab eiuſdem cómunione abſtineant. Cæteri verò omnes, ſiue in præſenti, ſiue in futurũ beneficia Eccleſiaſtica habituri, & qui in Synodo diœceſana conuenire debent, idem, vt ſuprà, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant, & obſeruent: aliàs ſecundùm formã ſacrorum Canonũ puniantur. Ad hæc, omnes ij, ad quos Vniuerſitatum, & i *ſtudiorum generalium cura*, viſitatio, & reformatio pertinet, diligenter curent, vt ab eiſdem Vniuerſitatibus Canones, & decreta huius ſanctæ Synodi integrè recipiantur, ad eorúmque normã Magiſtri, Doctores, & alij in eiſdẽ Vniuerſitatibus ea, quę

*a c. ſicut & c. excommunicamus, in 2. de hæret. c. 2. in fin. de ſum. Trinit. cum ſim.*

b Ca-

*a vide ſeſſ.5. ca. 1. de reform.*

a Catholicæ fidei ſunt, β *doceant, & interpretentur*; ſeque ad hoc inſtitutum initio cuiuſlibet anni ſolemni iuramento obſtringant: ſed & ſi aliqua alia in prædictis Vniuerſitatibus correctione, & reformatione digna fuerint, ab eiſdem, ad quos ſpectat, pro religionis, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ augmento emendentur, & ſtatuantur. Quæ verò Vniuerſitates immediatè ſummi Romani Pontificis protectioni, & viſitationi ſunt ſubiectæ; has ſua Beatitudo per eius delegatos eadem, qua ſuprà, ratione, &, prout ei vtilius viſum fuerit, ſalubriter viſitari, & reformari curabit.

## DECLARATIONES.

1 *Studiorum generalium cura* ] Decretum eſt, vt fiat Bulla, per quam in omnibus Gymnaſiis lectores omnes iubeantur profiteri Catholicam fidem, iuxta tempus à Bulla præfinitum, & eos qui doctoratus inſignibus ornandi ſunt, non priùs debere ornari, quàm obſeruata ſit eorum fides & vita Catholica de quibus omnibus fiat proceſſus *in forma gratis* per promotores in Collegio, antequam approbentur ad aſſumptionem gradus.

Epiſcopus debet auctoritate propria curare, vt profeſſio fidei iuxta formam Bullæ Pij Quarti, fiat ab iis, qui in Gymnaſiis Diœceſeos ſuæ gradum Doctoratus depoſcunt, in reliquis aliis prædicta Bulla ſeruetur.

Irriti ſunt Doctoratus, in quibus adhibita non fuit profeſſio fidei iuxta Bullam Pij IV. iam dictam.

Idem Pius IV. per aliam Bullam ad hanc fidei profeſſionem teneri voluit omnes Doctores, Magiſtros, Regentes, & alios quoſcunq; ac cuiuſcunque artis & facultatis profeſſores; ſiue clerici, ſiue laici ſint, vel cuiuſcúnque Ordinis Regulares, qui docere vel promoueri voluerint. Vnde Ordinarij eorum locorum, vbi ſtudia vigent, negligentes à Doctoribus hanc fidei profeſsionem exigere puniendi ſunt. Siquidem ad emittendam hanc fidei profeſsionem tenentur omnes docentes artes liberales, qui antequam ad docendum admittantur poſſunt arbitrio Epiſcopi prohiberi, donec de eorum moribus informationem ſuſceperit. Idem dicendum eſt de his, quibus per aliquam Vniuerſitatem teſtimonium conceditur, & hoc non ſolùm Bullæ Pij Quarti, ſed etiam Concilij Tridentini Decreto conforme eſt.

Congregatio cenſuit Bullam Pij IV. de emittenda fidei profeſsione editam, locum etiam habere in docẽtibus prima principia Grammati-

maticæ, Arithmeticæ, Muſicæ, & aliarum artium, licet publicam ſcholam non facerent. Informationem quoque & proceſſum ſummarium, quantum Epiſcopo ſufficere videbitur, fieri neceſſum eſt.

Quo ad pœnas verò in eadem Bulla contentas, Congregatio cenſuit, in locis in quibus non ſunt Gymnaſia publica, dictam Bullam non videri eas Ordinariis impoſuiſſe, ſi patiantur aliquem quoquo modo docere literas, priùs quàm fidei profeſſionem faciat.

---

## REMISSIONES.

a Vide P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 13. nu. 163. & 164. verſ. Vnde. Per ſchedulam Regalem Regis Philippi II. latam apud Madritum menſe Iulij, Anno Domini 1564. commendari Epiſcopis, & Prælatis huius Concilij publicationem, vt ipſum obſeruent, & exequantur, & Correctoribus præcipi, vt ad id ſuum fauorem, & auxilium impartiantur, referunt Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 63. articul. 19. Bouadil. in ſua Politic. lib. 2. cap. 18. numer. 194.

β *Doceant & interpretentur.*] Vide Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 11. art. 3. P. Henriq. lib. 7. de Indulgent. cap. 29. §. 4. P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 20. n. 53. in fine, vbi reſoluit, in Bulla edicta in confirmationem Concilij Trid. à Pio IV. non eſſe ſermonem de interpretationibus, quæ in ſcholis fiunt docendo.

## CAPVT III.

### *Excommunicationis gladius non eſt temere ſtringendus, ſed maturè, ac vbi executio realis ac perſonalis fieri nequit. Legatur bene ac ſeruetur huius capituli tenor.*

1 a QVamuis a *excommunicationis gladius* neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris; 2 *ſobriè tamen*, magnaque circumſpectione exercendus eſt: cùm experientia doceat, ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis cótemni, quàm formidari; & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem. 3 β *Quapropter excommunicationes illæ*, quæ monitionibus præmiſſis, 4 *ad finem reuelationis*, vt aiunt, aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, 5 *à nemine*

** a c. dilecto, de ſentent. excom. in 6. c. multi in princ. 2 q. 1. c. viſis, in fin 16. q. 2. corripiatur, 24. q. 3.*

*prorſus*, [6] *præterquam ab Epiſcopo* decernantur; & tunc nõ aliàs, quàm ex re non vulgari, cauſaq; diligenter,[a] ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ eius animum moueat; nec ad eas concedendas cuiuſuis ſæcularis etiam Magiſtratus, auctoritate adducatur; ſed totum hoc in eius arbitrio [7] *& conſcientia ſit* poſitum: quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore eas decernẽdas eſſe iudicauerit. In cauſis verò iudicialibus mandatur omnibus iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcumq; dignitatis exiſtant, [8] *vt quandocumq́; executio realis*, vel perſonalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quàm definiendo, à cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis ciuilibus, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcúmque, etiam laicos, [9] *per mulctas pecuniarias*, [10] *quæ locis piis*, ibi exiſtẽtibus, eo ipſo quòd exactæ fuerint, aſſignentur; ſeu per captionem pignorũ, perſonarumq; diſtrictionem, per ſuos proprios, aut alienos executores faciendam, ſiue etiam per priuationem beneficiorum, aliaq; iuris remedia procedere, & cauſas definire. [11] Quod ſi executio realis, vel perſonalis aduerſus reos hac ratione fieri nõ poterit; ſitq; erga iudicem contumacia,[b] tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio ſuo, præter alias pœnas ferire poterit. In cauſis quoque criminalibus, vbi executio realis, vel perſonalis, vt ſuprà, fieri poterit; erit à cenſuris abſtinendum: ſed ſi dictæ executioni facilè locus eſſe non poſſit; licebit iudici hoc ſpiritali gladio in delinquentes vti; ſi tamen delicti qualitas, præcedente bina ſaltem monitione, etiam per edictum, id poſtulet. ❧ *Nefas autem ſit* ſæculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico iudici, ne quem excõmunicet; aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu, quòd contenta in præſenti decreto non ſint obſeruata; cùm non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.[c] [12] *Excommunicatus* verò quicumque, ſi poſt legitimas monitio-

[a] *c. Epiſcopi, c. nem. Epiſcoporũ & c. nullus ſacerdotum, 11. q. 3. c. ſacro. de ſent. Excom. Conc. Aurelian. 5. c. 2.*

[b] *c. ſi quis deinceps, in fin. 17. q. 1.*

[c] *c. rogo, cum ſeq. 11. q. 3. c. nulli, cũ ſeq. c. cum deſideres, & c. ſi cõcubina, de ſent. Excom.*

tiones non reſipuerit,non ſolùm ad Sacramenta,&com-munionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur: ſed,ſi obdurato animo,cenſuris annexus,in illis *per annum inſorduerit*, etiam contra eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum,procedi poſſit.

---

## DECLARATIONES.

1 *Quamuis excommunicationis gladius.* ] Epiſcopus in fulminandis excommunicationibus ſe gerere debet ſicut à Concilio Tridentino ſtatuitur,nec poteſt procedere,vt Apoſtolicæ Sedis delegatus,niſi in caſibus à iure expreſſis.

2 *Sobriè tamen.* ] Gladius excommunicationis maxima cum circumſpectione eſt exercendus, ne deſpectus Eccleſiaſticæ diſciplinæ oriatur.

Cum Ordinarius tanquam delegatus mandat aliquid ſub pœna excõmunicationis(quod in defectum vel aliàs requiri poteſt)poteſt appellari etiam quoad effectum ſuſpenſiuum, ita vt excommùnicatio poſtea lata,ſit nulla.Congregatio enim reſpondit, debere ipſum tanquam delegatum abſtinere ab huiuſmodi præceptis, cum additione pœnæ excommunicationis, quæ non niſi in ſubſidium eſt exercenda,ab ea tamen ( ſi cui comminetur ) dari vtique appellationem.

3 *Quapropter excommunicationes illæ.* ] Vicarius Generalis, & ad id facultatem habens ab Epiſcopo, poteſt ſine præuia cognitione facta ab ipſomet Epiſcopo, excommunicationem ad finem reuelationis pro rebus deperditis decernere, dum tamen ipſe Vicarius cognitionem adhibeat;Et quamuis nonnulli Illuſtriſſ. DD.dubitarent ex illis verbis; *à nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo*, quia taxatiuè alios excludunt,Congregatio tamen ſub die 18. Februarij, 1583.primam firmauit reſolutionem.

4 *Ad finem reuelationis.* ] Excommunicationes quæ ad finem reuelationis fieri ſolent,concedi non poſſunt à Commendatore Abbatiæ,hominibus ſibi ſubiectis, quæ dicitur eſſe nullius diœceſeos, minúſque à vicinis Epiſcopi in iuriſdictione eiuſdem Abbatiæ, cum ea vere Sedi Apoſtolicæ ſubiecta, ſit nullius diœceſeos. Dicatur propterea, ſi quibus hoc remedio opus erit, confugiendum eſſe eis ad ipſam Sedem Apoſtolicam,à qua huiuſmodi generis excommunicationes impetrent. *Infrà,hoc cap.§. A nemine, & §. Epiſcopus non poteſt.*

5 *A nemine prorſus.* ] Vicarius tamen generalis poteſt has excommunicationes decernere adhibita cauſæ cognitione. At reliqui omnes Prælati etiam nullius Diœceſeos, (etiamſi in ſuis territoriis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem haberent, etiam priuatiuè quoad Epiſcopum) Epiſcopis inferiores, qui ante Concilium huiuſmodi excommunicationes concedebant vel ex iure proprio, vel ex priuilegio, vel etiam ex immemorabili conſuetudine, hodie non poſſunt, ſed tantum Epiſcopi. Ideo eos, qui ſunt nullius Diœceſeos, & quicumque alicui Epiſcopo non ſunt ſubiecti, ſed immediatè Sedi Apoſtolicæ, ipſam ſanctam Sedem pro his excommunicationibus adire oportet. *Suprà, hoc c. §. ad finem.*

Et hæc poteſtas competit Vicario Capituli Sede vacante, vt reſolutum fuit die 14. Auguſti 1586. quia ad Capitulum tranſeunt ea, quæ ſunt iuriſdictionis neceſſaria, vt eſt excommunicatio.

Epiſcopus non poteſt concedere excommunicationes, quæ ad finem reuelationis (vt aiunt) fieri ſolent, hominibus beneficij quod ſit nullius Diœceſeos, minúſque poteſt concedi ab obtinente dictum beneficium: ſed eis confugiendum eſt ad Sedem Apoſtolicam, ſi quando his excommunicationibus opus habebunt. Sic Congregatio ex ſententia Pij IV. die 6. Octobris 1579. *Suprà. hoc cap. §. ad finem.*

Monitoria pro rebus deperditis ab Epiſcopis ſolis ſunt decernenda, & inferiores Ordinarij, etiam exempti, & immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiecti ac nullius Diœceſeos, ea concedere non poſſunt, ſed ad Sedem Apoſtolicam pro eis eſt recurrendum, cùm nec Epiſcopis vicinioribus ea concedere permittatur. *Hoc ſæpè declaratum ſuprà, hoc cap.*

6 *Præterquam ab Epiſcopo.* ] Vicario etiam licet, ſed ex ſpeciali mandato & non alias: non autem Commendatario, neque ab Epiſcopis in beneficiis commendatis, ſi nullius Diœceſeos erunt. *Et hoc valde ſæpe.*

7 *Et conſcientia ſit poſitum.* ] Epiſcopus non debet facultatem concedendi literas monitorias pro rebus perditis committere quibuſuis foraneis perſonis, ſed iis dumtaxat quæ graues, honeſtæ & cæteris bonis qualitatibus ſint præditæ.

8 *Quandocunq; executio realis.* ] Excommunicatio lata à iudice Eccleſiaſtico priuſquam legitimè conſtet de impedimento vel perturbationibus, ob quas non poteſt deuenire propria authoritate ad executionem realem vel perſonalem, eſt valida, & qui tali excommunicatione ligatus exiſtit, indiget abſolutione. Debent tamen Ordinarij curare, vt in excommunicationibus proferendis obſeruentur Decreta Concilij Tridentini.

9 *Per mulctas pecuniarias.* ] In mulctis, quæ ex ordinatione Concilij Tridentini ſunt applicandæ locis piis, idem Concilium Tridentinum eſt obſeruandum.

10 Quæ

10 *Quæ locis piis.*] Pœni fori Eccleſiaſticæ piis locis ſunt applicandæ, nec valet conſuetudo contraria, per quam pars pœnarum applicatur Vicario, vel Cameræ Epiſcopali, etiam in minima parte.

11 *Quod ſi executio realis.*] Si ſunt duo in ſolidum obligati pro eodem debito, & contra vnum tantùm deueniri poteſt ad executionem realem vel perſonalem, non debet laxari cenſura (etiam ad inſtantiam creditoris) contra eum, circa quem non poteſt deueniri ad executionem realem aut perſonalem. Ita Congregatio die 12. Decemb. 1585.

12 *Excommunicatus verò.*] Excommunicatus tanquam contumax à contumacia ſi coram Ordinario compareat, & ſit paratus ſtare iuri, debet per eundem abſolui.

An ſi iudex deficientibus cæteris remediis velit excommunicare Canonicos ex hoc ca. 3. neceſſarium ſit vt ex actis conſtet realem & perſonalem executionem fieri non poſſe, an verò ſufficiat hæc conſtare extra iudicium? Congregatio cenſuit, debere ex actis conſtare: ſed ſi non ſic poteſt conſtare, reſpondit quod ſufficiat probari per nuntij relationem, aliàs exequi non poſſe.

---

## REMISSIONES.

α VIde Quarant. in ſumma Bullarij, verbo Concilium prouinciale, verſ. Trigeſimo ſexto, in fine, Sair. in Claui Regia, lib. 9. c. 15. num 20.

β *Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis, &c.*] Ad materiam literarum monitorialium generalium ad finem reuelationis ſub excommunicationis pœna, vide Ioan. de Neuizan. in ſua Sylua nup. li. 3. verbo Monitoriæ; Nauar. in Repet. c. Inter verba, 11. quæſt. 3. concl. 6. Corol. 66. Franciſc. Marc. deciſ. 850. 851. & 853. Achil. de Graffis, deciſ. 6. de Senten. Excomm. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Excommunicatio, pag. mihi 134. Gutier. Canon. lib. 1. cap. 11. P. Henriq. in Sum. lib. 5. de Excommun. ca. 18. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 59. art. 4. Proſper. de Auguſtino in addit. ad Quarantam in Summa Bullarij, verbo Excommunicatio ad finem reuelationis, pag. 232. & verbo Archiepiſcopi auctoritas, verſ. 19. Auctoritas in fine, pag. mihi 77. reſoluit, quòd ſi Epiſcopus monitiones excommunicationum, quæ fiunt ad finem reuelationis, denegaret, licet parti appellare ad Metropolitanũ, quamuis reſideat in eius arbitrio eas concedere. Vt prædictarum literarum monitorialium cõceſſio obtineatur, quòd debent quinque concurrere, aſſeruntDoctores infrà citati. Primum eſſe, quòd nominatim contra teſtes non concedãtur ratione formæ, niſi præuia diligentia de exequendo realiter, vel perſonaliter, quamuis ſine Canonica monitione, non procedatur ad excommunicationem, dicitFranc. Marc. deciſ. 851. & 853.

p.1.per Text.in cap.conſtitutionem, de ſentent. excomm. lib. 6. Secundum eſſe, quòd res pro qua huiuſmodi literæ conceduntur, non ſit minimi, aut exigui momenti, refert Franc. Marc. deciſ. 803. p. 1. & Aloyſ. Ricci. Curiæ Archiep. Neapol. deciſ. 90. Tertium eſſe, quòd contineant clauſulam iuſtificatiuam, aliàs ſunt inualidè, decidit Sayr. deciſ. 3. de Cenſib. & deciſ. 3. de Clerico Excom. miniſt. Quartum eſſe, quòd aduerſarius non ſit certus, alioquin via ordinaria eſſet expediendum, teſtatur Alexand. Raud. deciſ. 60. Quintum eſſe, quòd dentur hæ literæ monitoriales in ſubſidium, id eſt, deficiente alia probatione, reſoluit Sayr. deciſ. 4. de Cenſib.

γ *Præterquam ab Epiſcopo.* ] Vide Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Vicarius, verſ. 17. pag. 338. Quid in Vicariis Epiſcoporum? Vide P. Sanch. de Matrim. lib. 3. diſp. 29. num. 16.

δ *Nefas autem ſit, &c.* ] An per hoc Decretum videantur prohibitæ tertiuæ appellationes? Negant Barth. Humad. lib. 13. Gloſſ. 4. tit. 13. part. 2. Viuald. in Candelab. p. 2. in explicat. Bullæ Cœnæ Domini, caſu 16. à num. 114. Latiſſimè Azeued. lib. 2. verſ. Item & decimoquarto, tit. 6. lib. 1. Recopil.

ε *Per annum inſorduerit.* ] Vide Cou. in cap. Alma mater, p. 1. §. 7. à num. 10. Mandoſ. in Annal. caſ. à nu. 90. & in praxi tit. de Ingrat. cap. 5. Duenh. Reg. 153. verſ. Quartò amplia, Rebuff. in Repet. cap. Poſtulaſti, de Clerico excomm. miniſt. à num. 108. & in praxi tit. declarat. nouæ prouiſ. verbo Téque abſoluentes, num. 10. Marant. de Ordine iudic. p. 6. cap. de contumacia, num. 35. Simanch. de Cathol. inſtitut. cap. 14. à num. 1. & cap. 27. nu. 4. Paul. Fuſc. de Viſitat. lib. 1. cap. 29. nu. 2. Perez. lib. 1. verſ. Et excommunicatus perſiſtens, tit. 5. & lib. 9. in Gloſſ. verbo, *eſtuuiere deſcomulgado*, tit. 19. lib. 8. Ordin. Humad. li. 32. Gloſſ. 2. à princip. tit. 19. p. 1. Salzed. in praxi cap. 116. à num. 4. Azeued. ad lib. 14. n. 14. tit. 1. l. 4. nouæ Recopil. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Clericus, pag. 78. ad finem, Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. qu. 103. art. 3. in fine, Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. Gloſſ. 15. nu. 103. cum ſeqq. Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 119. num. 2. cum ſeqq. qui duo poſteriores reſoluunt, quòd ſi quis fuerit excommunicatus propter debitum ciuile, ob non ſolutionem alicuius rei, non habebit locum huiuſmodi priuatio propter inſordeſcentiam.

## CAPVT IV.

*Epiſcopi, Abbates & Generales Ordinum poſſunt pro ſua conſcientia ſtatuere omne quod magis expedire iudicauerint circa Miſſarum numeroſarum recitationem.*

α CONtingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis vel 1 *tam magnum Miſſarum celebrandarum* numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, vt illis pro ſin-

gulis

gulis diebus, à teſtatoribus pręſcriptis, nequeat ſatisfieri; vel Eleëmoſynam huiuſmodi pro illis celebrandis adeo tenuē eſſe, vt non facilè inueniatur, qui velit huic ſe muneri ſubiicere; vnde depereunt pię teſtātium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur. S. Sinod. cupiens hęc ad pios vſus relicta, quo pleniùs, & vtiliùs poteſt impleri, facultatē dat Epiſcopis, vt in Synodo diœceſana, *β itemq; Abbatibus, & Generalib. Ordinum*, vt in ſuis Capitulis Generalib. re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac prouiſione indigere cognouerint, 2 *ſtatuere circa hæc, quidquid magis* ad Dei honorem & cultum, atq; Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire; ita tamen vt eorum ſemper defunctorū cōmemoratio fiat, qui pro ſuarū animarū ſalute legata ea ad pios vſus reliquerunt.

## DECLARATIONES.

1 *Tam magnum Miſſarum.*] Caput hoc intelligendum eſt de Miſſis tantùm, & non de aliis ſuffragiis.

Hoc Decretum habet locum etiam in reductione Officiorum pro defunctis.

Improbata fuit certa taxa Eleëmoſynarum, pro Miſſis à teſtatoribus præſcriptis. Non intelligitur hoc capitulum de Miſſis in fundatione impoſitis, ſed de relictis.

2 *Statuere circa hoc, quidquid, &c.*] Congregatio cenſuit, Epiſcopum in Synodo Diœceſana poſſe conſtitutiones facere abſque conſenſu & approbatione cleri; debere tamen eum requirere conſilium Capituli, licet illud non teneatur ſequi, niſi in quibuſdam caſibus à iure expreſſis de Synodo.

## REMISSIONES.

α VIde Concil. Brachar. act. 4. cap. 26. in fine, Seraph. deciſ. 611. Fr. Emman. in ſum. p. 1. cap. 252. num. 13.

β *Itemq; Abbatibus & Generalibus Ordinum.*] Optimè Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Miſſa, §. 5. pag. 128. Fr. Em. q. Reg. to. 1. q. 43. ar. 13.

## CAPVT V.

### *Rebus bene conſtitutis & certum onus annexum habentibus nihil omnino detrahatur.*

RAtio poſtulat, vt illis, quæ bene conſtituta ſunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. quādo igitur

ex beneficiorum quorumcumque 1 *erectione, ſeu fundatione*, aut aliis conſtitutionibus, 2 *qualitates aliquæ requiruntur*, ſeu certa illis onera ſunt iniuncta; in beneficiorum collatione, ſeu in *α quacumq; alia diſpoſitione*, 3 *eis non derogetur.* β *Idem in præbendis* Theologalibus, Magiſtralibus, Doctoralibus, aut Preſbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocúmque ita conſtituta fuerint, obſeruetur, vt eorum qualitatibus, vel Ordinibus nihil in vlla prouiſione detrahatur: & aliter facta prouiſio ſurreptitia cenſeatur.

## DECLARATIONES.

1 *Erectione ſeu fundatione.*] Habens Capellam non tenetur promoueri ad Sacerdotium, dummodo in fundatione cautum non ſit, vt Capellanus per ſeipſum Miſſas celebret; attamen interea debet curare vt per alium Miſſæ in illa Capella celebrentur, nec erit ſatisfactum oneri, ſi Miſſæ in alia Eccleſia erunt celebratæ.

2 *Qualitates aliquæ requiruntur.*] Congregatio cenſuit, non licere Epiſcopo poſt Concilium, etiam accedente Patronorum conſenſu derogare qualitatibus in beneficij fundatione appoſitis: ideóque ſi beneficium in fundatione certam ætatem requirat, non poſſe Epiſcopum illud ei conferre qui nequaquam fuerit huiuſmodi ætatis.

Capellæ non intelliguntur habere onus celebrandi Miſſam, niſi ex fundatione cautum ſit, *vt per ſeipſum, &c.*

3 *Eis non derogetur.*] Ne quidem de conſenſu Patronorum, quorum circa hoc nulla eſt poteſtas, ſed omnino ſeruari debet fundatio. Itáque ſublata eſt facultas de qua Doctores in c. *cùm acceſſiſſent, de Conſt. vbi Abbas, num.* 5.

## REMISSIONES.

α *Qvacumq; alia diſpoſitione.*] Quòd valet conditio poſita in fundatione beneficij, quòd tale beneficium conferatur conſanguineis, reſoluunt Hoied. de Benefic. p. 1. cap. 23. nu. 131. & cap. 24. nu. 107. Lambertin. de Iurepatron. p. 1. lib. 1. quæſt. 9. princip. à nu. 109. & lib. 1. p. 2. art. 2. quæſt. 2. princip. à num. 1. Sebaſt. Medices de Acquir. rerum domin. Gloſſ. 1. p. 3. num. 352. Azeued. lib. 14. nu. 15. tit. 3. lib. 1. nouæ Recopil. & lib. 5. num. 2. tit. 6. eod. lib.

β *Idem in præbendis.*] Vide Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 9. §. 2. n. 19. & vide quid gloſſ. 29. num. 3.

CA-

## CAPVT VI.

*Præſcribitur modus quem obſeruare debet Epiſcopus viſitans Capitula exempta, ac perſonas, cum deputatis duobus ex parte Capituli, tam in criminibus ex incontinentia quàm aliter.*

1 α STatuit ſancta Sinodus, vt in omnibus Eccleſiis Ca-
thedralibus, & Collegiatis Decretum ſub fel. rec.
Paulo III. [a] quod incipit, 2 *Capitula Cathedralium*, obſer- a Sup. Seſſ 6. de
uetur, non ſolùm, 3 β *quando Epiſcopus viſitauerit*, ſed & ref. c. 4.
quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius, 4 *contra*
*aliquem ex contentis* 5 *in dicto Decreto procedat*: ita tamen, vt,
cùm extra viſitationem proceſſerit, infraſcripta omnia
locum habeant: videlicet, 6 γ δ *vt Capitulum initio* cuiuſ-
libet anni 7 *eligat ex Capitulo duos*: de quorum conſilio, &
aſſenſu Epiſcopus, 8 *vel eius Vicarius*, *tam* 9 *in formando*
*proceſſum*, quàm in cæteris omnibus actibus vſque ad fi-
nem cauſæ incluſiuè, 10 *coram Notario tamen ipſius Epiſcopi*,
& in eius domo, 11 *aut conſuetudo tribunali, procedere tenea-*
*tur.* ε *Vnum autem tantùm ſit* vtriúſque votum, poſſitque
alter Epiſcopo accedere. Quod ſi ambo ab Epiſcopo
diſcordes in aliquo actu, ſeu interlocutoria, vel diffiniti-
ua ſententia fuerint; tunc intra ſex dierum ſpatium cum
Epiſcopo tertium eligant: &, ſi in electione tertij etiam
diſcordent, ad viciniorem Epiſcopum electio deuolua-
tur; & iuxta eam partem, cum qua tertius conueniet, arti-
culus, in quo erat diſcordia, terminetur: aliàs proceſſus,
& inde ſecuta nulla ſint, nullóſque producant iuris effe-
ctus. [b] 12 *In criminibus tamen* 13 *ex incontinentia* prouenien- b infr. c. 14. & ſupr. Seſſ. 24. de
tibus, de qua in Decreto de concubinariis, & in atrocio- matrim. c. 8.
ribus delictis, depoſitionem, aut degradationem requi-
rentibus, vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, &
ideò opus ſit 14 *perſonali detentione*, [c] poſſit initio ſolus c c. qualiter, li.
Epiſcop. 15 *ad ſummariam informationem*, & neceſſariam 2 de accuſ. & c. ſua, de pœn.
detentionem procedere: ſeruato tamen in reliquis ordi-

ne præmiſſo. In omnibus autem caſibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, ac perſonarum, delinquentes ipſi in loco decenti cuſtodiantur. [a] Epiſcopis præterea vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt; eiſque in choro & in Capitulo, 16 *in proceſſionibus*, & aliis actibus publicis ſit 17 *prima ſedes*, & locus, quem ipſi elegerint, 18 *præcipua omnium rerum agendarum auctoritas*, 19 *Qui ſi aliquid Canonicis* ad deliberandum proponant, nec de re ad ſuum, vel ſuorum commodum ſpectante agatur, [b] 20 *Epiſcopi ipſi* 21 *Capitulum conuocent*, 22 *vota exquirant*, & iuxta ea concludant. Abſente verò Epiſcopo omnino hoc 23 *ab iis de Capitulo*, ad quos hoc de iure, vel conſuetudine ſpectat, perficiatur, 24 *nec ad id Vicarius* Epiſcopi admittatur. Cæteris autem in rebus 25 *Capituli iuriſdictio, & poteſtas*, ſi qua eis competit, & bonorum adminiſtratio ſalua, & intacta omnino relinquatur. 26 *Qui verò non obtinent dignitates*, 27 *nec ſunt de Capitulo*, ij omnes in cauſis Eccleſiaſticis Epiſcopo ſubiiciantur: *non obſtantibus, quoad ſupradicta*, priuilegiis, etiam ex fundatione competentibus, 28 *nec non conſuetudinibus*, 29 *etiã immemorabilibus*, ſententiis, iuramentis, 30 *concordiis*, quæ tantùm ſuos obligent auctores: [c] ſaluis tamen in omnibus, priuilegiis, quæ Vniuerſitatibus Studiorum generalium, ſeu earum perſonis ſunt cõceſſa. 31 *Hæc autem omnia*, & ſingula in iis Eccleſiis locum non habeant, in quibus Epiſcopi, aut eorum Vicarij ex conſtitutionibus, vel priuilegiis, aut conſuetudinibus, ſiue Concordiis, ſeu quocumque alio iure maiorem habent poteſtatem, auctoritatem, ac iuriſdictioné, quàm præſenti Decreto ſit comprehenſum, quibus S. Synodus derogare non intendit.

[a] *Conc. Carth. 4. c. 35. c. Epiſcop. in Eccleſiis, 95. diſt.*

[b] *c. nouit. cum ſeq. de his quæ fiunt à præl. ſine conſ. cap.*

[c] *iur. alleg. in meo tract. de priuilegijs ſcholarium, maximè priu. 64. cũ ſeq.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Statuit ſancta Synodus.* ] Decretum hoc loquitur ſolùm de Capitulis exemptis, & iis quæ conſuetudine aut alio ſpeciali iure ſe tuebantur aduerſus Epiſcopos, ea autem iura Epiſcopo ſunt reſtituta; ſed illis non vtetur niſi cum conſilio, & aſſenſu duorum electorum

ex Capitulo, &c. Non exempta autem Capitula non comprehenduntur, etiamſi multa habeant priuilegia.

2 *Capitula Cathedralium.* ] Hoc Decretum non pertinet ad Eccleſiam Cathedralem tanquam Cathedralem, ſed tanquam exemptam: vnde Collegiata, quæ prius non erat exempta, ſed in omnibus Epiſcopo ſubiecta, ſi poſtea eſt erecta in Cathedralem, non comprehenditur hoc Decreto.

Si Capitula, de quibus hoc Decretum & ſuprà Seſſ. 6. cap. 4. ſunt exempta à iuriſdictione Epiſcoporum, tenentur ſeruare Decretum illius Concilij Prouincialis, cui interfuit Epiſcopus.

3 *Quando Epiſcopus viſitauerit.* ] Debere ita obſeruari Congregatio Concilij cenſuit. *Vide quæ ſupra notata ſunt Seſſ. 6. cap.* 4.

Circa hoc Capitulum fuerunt propoſita varia dubia. *Primum*, An in viſitatione Abulenſis Eccleſiæ vel perſonarum, Epiſcopus neceſſariò deberet aſſumere Notarium & Secretarium Capituli, vel potius vnum ex ſuis Notariis, quem ipſe ad hoc elegiſſet, cum in Concil. Trident. hoc cap. 6. expreſſe ſit diſpoſitum, quòd acta fiant coram Notario Epiſcopi? *Secundum*, An Epiſcopus viſitando, poſſit ſolus ſine adiunctis Capitularibus peccata & exceſſus Capitularium (quos correctione & punitione dignos repererit) corrigere, punire, & emendare? *Tertium*, An Epiſcopus vel eius Vicarius, quando ſimul cum adiunctis Capitularibus, extra viſitationem, contra aliquem ex Capitularibus ad punitionem delictorum procedunt iuxta formam Concil. Trident. hoc cap. 6. debeat ei ſeruire Fiſcalis ipſius Epiſcopi, qui crimina accuſet & proſequatur? vel potiùs an ad hoc munus ſit aſſumendus & nominandus alius Fiſcalis ex ſeruitoribus vel Capellanis dictæ Eccleſiæ Abulenſis?

Ad hæc ita reſponderunt Domini Cardinales, & quidem ad primum, quod in viſitatione, de qua agebatur, proprius Notarius ab Epiſcopo eſſet aſſumendus, non illi tamen Capitulo ſuſpectus. *Ad ſecundum*, Non teneri Epiſcopum in præfata viſitatione adhibere adiunctos Capitulares; & aliquod crimen poſſe per ſe corrigere & punire, non tamen pœna ordinaria, ſed ea quæ ad morum magis emendationem, quàm punitionem reſpiciat. *Ad tertium*, Poſſe eundem Epiſcopum aſſumere Fiſcalem vel alium, quem ipſe deputare maluerit.

Ex parte eiuſdem Epiſcopi denuo propoſita fuerant hæc dubia: *Primum eſt*, An Epiſcopus ſolus, abſque adiunctis Capitularibus, poſſit Capitulum viſitare. *Secundum*, An hæc viſitandi facultas extenderetur etiam ad res & bona Capituli, eiuſque adminiſtratores. *Tertium*, An huiuſmodi deciſio haberet locum etiam, caſu quo adminiſtratio rerum & bonorum inter Epiſcopum & Capitulum eſſet communis. *Quartum*, Quatenus Epiſcopo competat facultas viſitandi, etiam tunc, cùm adminiſtratio eſt communis, an præſcribendus ſit modus Epiſcopo, ne immutet aut tollat decreta ab adminiſtrato-

ſtratoribus facta, ne eorum poteſtas, aut auctoritas labefactetur. *Quintum*, An liceret Epiſcopo exigere iuramentum à viſitatis. *Sextum*, An de rebus ſcandaloſis tantum, & publicis, an etiam ſecretis & occultis in viſitando poſſet inquirere. *Septimum*, An eſſent danda tranſſumpta eorum, quæ Epiſcopus viſitando punitione digna reperiſſet. *Octauum*, An Capitulum poſſit viſitari ab Epiſcopo in ſua domo Epiſcopali an in loco Capitulari tantùm. *Nonum*, An Epiſcopus viſitando poſſit recuſari, tanquam ſuſpectus. *Decimum*, An Epiſcopus viſitans, iuramentum, & acta viſitationis in ſcripturam redigere poſſit, præſertim ſi reſpiciebant perſonas Capitulares, contra quas non niſi cum adiunctis eſt procedendum iuxta hoc cap. *Ad primum de viſitatione*, reſpondit Congregatio Epiſcopum poſſe, Quod ſi (vt prætenditur) Capitulum habet ſtatutum ab Apoſtolica Sede confirmatum. Hunc articulum Congregatio reiecit ad Rotam, dummodo interea non retardetur viſitatio. *Ad ſecundum* reſpondit, facultatem viſitandi, etiam ad res & bona Capituli, eiuſque adminiſtratores extendi, alias eluſoria eſſet viſitatio, ſi negligentes, & bonorum vſurpatores non caſtigaret. *Ad tertium* reſpondit, prædictum Epiſcopum etiam eo caſu, viſitare poſſe, non excedendo tamen terminos viſitationi præſcriptos. *Ad quartum*, nullum alium Epiſcopo præſcribendum modum, quam quòd iuxta viſitationis limites ſe contineat. *Ad quintum*, de iuramento, non licere in viſitatione præparatoria, ſecus in Capitulo: an autem depoſitiones teſtium ſint redigendæ in ſcripturam, Congregatio dixit maturius vtráque parte informata, ſe deliberaturam. *Ad ſextum*, reſpondit poſſe etiam in iis. *Ad ſeptimum*, de tranſſumptis dandis, poſſe itidē in præparatoria, ſecus verò in Epiſcopali. *Ad octauum*, dixit, Epiſcopum non poſſe nec potuiſſe viſitare in domibus Epiſcopalibus, ſed cùm viſitare voluerit Capitulum, accedere debere ad locum ipſum, quo Capitulares Congregari & eorum actus expediri conſueuerunt, ſi tamen id congruè fieri poteſt: ſin minus, ad locum congruum & commodiorem. Sed ſemper tenetur accedere ad locum Capitularem, quoties proſequi voluerit viſitationem alicuius particularis perſonæ de Capitulo. *Ad nonum*, reſpondit ſæpe dictum Epiſcopum recuſari non poſſe, nec cum generalem viſitationem aggreditur, nec cum ad ſpecialem deſcendit, ſi modo ſine ſtrepitu & figura iudicij procedens pœnas imponit delictorum non ordinarias, ſed eas tantum, quæ morum emendationem reſpiciunt, & modum corrigendi non excedant. *Ad decimum & vltimum* de redigendis in ſcripturam iuramento & actis viſitationis, reſpondit id non poſſe.

Congregatio cenſuit de voto Rotæ, hoc Decretum non ſolum comprehendere Capitula exempta, ſed & omnia alia prætendentia ritè ſe poſſe tueri, non modo aduerſus viſitationem, vt c. 4. Seſſ. 6. ſed etiam aduerſus ea quæ hic diſponuntur, quando agenda ſunt extra viſitationem, ſiue vigore priuilegiorum etiam ex fundatione competen-

peten-

petentium, necnon conſuetudinum etiam immemorabilium, ſententiarum, iuramentorum & concordiarum, quæ tantum ſuos obligent auctores.

Fuit dubitatum, an portionarij, qui habent vocem in Capitulo, poſſent viſitari ab Epiſcopo abſque adiunctis: & fuit reſolutum quod ſic, quia etiamſi habeant vocem in Capitulo, non propterea erunt de Capitulo, eo quod de Capitulo ſint Canonici tantum, *Feli. in proœm. Decretal* & habere vocem in Capitulo non operatur, quod quis ſit de Capitul. *gl. & Doct. in Clem. 2. de ætat. & qualitat.*

4 *Contra aliquem ex contentis* ] Facultas procedendi contra aliquem ex Capitularibus exemptis pertinens ad Epiſcopum, & adiunctos, iuxta hoc cap. non deuoluitur ad Epiſcopum, ſi adiuncti requiſiti, cum eo procedere negligant, vel recuſent.

5 *In dicto Decreto procedat.* ] Hæc facultas non eſt priuatoria ad eos, qui ius habent viſitandi & corrigendi, quia iis licebit viſitare ſeorſum ab Epiſcopo, & correctos ab iſtis non poterit Epiſcopus de nouo corrigere.

Hoc Decretum planè eſt obſeruandum, etiamſi Capitulum ipſum deliquerit, vel aliquis ex Canonicis de mandato Capituli, etiamſi Canonicus extra ciuitatem delinquat; maximè degens in aliquo loco, vt putà in loco ſui beneficij, vel ſi deliquerit intra corpus ſuæ Eccleſiæ.

Subcollectores Cameræ Apoſtolicæ ad nudum miniſterium exigendi certis caſibus in his partibus deputati, ſi ſunt Canonici vel alias beneficiati, ab Epiſcopo viſitari & corrigi non poſſunt. Sic reſponſum fuit Epiſcopo Segobienſi.

6 *Vt Capitulum initio cuiuſlibet anni.* ] Quando ſc. exemptum eſt à iuriſdictione Epiſcopi, & ſic quæ diſponuntur in hoc capitul. & c. 4. Seſſ. 6. habent locum tantum in Capitulis à iuriſdictione Epiſcoporum exemptis. *Hoc hactenus ſæpe declaratum eſt.*

Propoſitum fuit: An ad Epiſcopum vel ad alium Superiorem pertineat facultas procedendi contra Capitulares, quando vniuerſum Capitulum deliquit? Item dato quod ad Epiſcopum pertineat, an de conſilio & aſſenſu duorum ex Capitulo procedere teneatur, iuxta hoc cap.

Ad has duas dubitationes Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trident. Interpretum, ſic reſpondendum cenſuit, nempe, *quoad primum* huiuſmodi facultatem procedendi pertinere ad Epiſcopum etiam abſque adiunctis, quando totum Capitulum deliquit: modò delictum non ſit in perſonam Epiſcopi, vel in contemptum eius; vel, vbi Epiſcopus habeat intereſſe: tunc enim ea facultas contra Capitulares procedendi deuoluitur ad proximum ſuperiorem. *Ad ſecundum* verò reſpondit, Epiſcopum de conſilio & aſſenſu duorum ex Capitulo procedere non teneri.

7 *Eligat ex Cap. duos.* ] In forma procedendi Epiſcopo hic præſcripta,

pta, licet ei ſecum adhibere duos de Capitulo exempto, quando procedere voluerit contra aliquem ex ipſis.

Ex hoc decreto poteſt ſolus Epiſcopus ſine adiunctis Capitularibus ad correctionem, & punitionem portionariorum procedere, etiam caſu quo portionarij de conſuetudine, aut ex priuilegio Apoſtolico, vel Eccleſiæ ſtatuto in Capitulo vel ſemper, vel plurimùm haberent vocem.

8 *Vel eius Vicarius.*] Congregatio Cenſuit, Vicarium non teneri procedere cum adiunctis, niſi pro vt tenetur Epiſcopus.

9 *Informando proceſſu.*] Aliter tamen cenſuit Congregatio, quando à Capitulo vniuſcuiúſque Eccleſiæ Collegiatæ non ea omnia obſeruari debent, quæ decreta ſunt hoc Capitulo.

10 *Coram Notario tamen ipſius Epiſcopi.*] Etiam in viſitatione, quando eſt adhibendus Notarius, non tamen ad electionem Vicarij cum adiunctis. Id ſeruandum eſt tam in extraiudicialibus, quàm in iudicialibus correctionibus.

Capitulo licet eligere duos Canonicos, qui cum Epiſcopo procedant in cauſis Canonicorum: nullum tamen ius habent in electione Fiſcalis, qui interuenire ſolet in criminibus Canonicorum reorum, ſed eius electio ad Epiſcopum pertinet.

Excluſo Notario Capituli, electio Fiſcalis ad Epiſcopum ſolùm pertinet: Epiſcopus verò poteſt aſſumere ſuum Fiſcalem vel alium quemcumque voluerit deputare.

11 *Aut conſueto tribunali.*] Ad electionem Epiſcopi, vel eius Vicarij, dummodo non fiat in Eccleſia, Vicarius Epiſcop. debet conuenire in conſueto tribunali, eo caſu quo procedit cum adiunctis, quod erat in Eccleſia Salamantina in clauſtro, dummodo ſit extra corpus Eccleſiæ.

Epiſcopus poteſt ſedere pro tribunali quocunque loco Diœceſis non exempto vbi maluerit. *Ita cap. Cum Epiſcopus, de off. Ordin. in 6.*

12 *In criminibus tamen.*] Epiſcopus in viſitatione poteſt inquirere de criminibus occultis, & non ſolummodo de publicis, & notoriis.

Cum magiſter Capellæ, cæteríque Cantores, & Organiſta ſint de Capitulo, an iſtos Epiſcopus punire ſine adiunctis poſſit? Congregatio cenſuit, niſi hæ perſonæ comprehendantur in confirmationibus Apoſtolicis; ex Concilio in hoc c. omnes, qui non obtinent dignitates, neque ſunt de Capitulo, in cauſis Eccleſiaſticis Epiſcopo ſubiici.

13 *Ex incontinentia.*] In crimine concubinatus poteſt Epiſcopus ſolus ad informationes, & carcerationem procedere, vbi de fuga timetur, idque abſque monitione, & forma hic præſcriptis.

14 *Perſonali detentione.*] Carceres pro Capitularibus delinquentibus in domo Epiſcopi eſſe debent.

15 *Ad ſummariam informationem.*] Etiam abſque monitione illa, de qua infra cap. 14.

Epiſco-

Epiſcopus viſitans tenetur dare tranſſumptum, ſi repererit aliquod delictum carceratione, vel caſtigatione dignum.

Mulctæ quæ exiguntur à Capitularibus non ſunt aliquibus eorum functionibus applicandæ, veluti portionibus, ſed piis locis.

Epiſcopi conuocare Capitulum ad libitum poſſunt, dummodo non proponant de re ad commodum ſuum vel ſuorum ſpectante: Capitulum quoque ipſum poteſt, quandocúmque voluerit, ſe Congregare. *Infr. hoc c. §. Quod ſi aliquid.*

16 *In proceſſionibus.*] Ad Epiſcopum pertinet cum Conſil. Capituli decernere & edicere, quò & quà dirigendæ deducendæque ſint proceſſiones, non obſtante immemorabili conſuetudine, provt eſt in Decreto Concilij.

Hoc Capituli conſilium declarauit eadem Congregatio intelligi oportere in proceſſionibus dumtaxat publicis, non autem in priuatis. Priuatas autem proceſſiones eas intellexit, in quibus alieni ſeu externi Clerici non euocantur, ſed à Capitularib. & Cathedralib. tantum fiunt ob aliquas particulares cauſas. Porrò in publicis proceſſionibus abſente Epiſcopo eandem facultatem habet Vicarius Generalis in proceſſionibus decernendis & dirigendis, quam Epiſcopus habere conſueuit.

17 *Sit prima ſedes.*] Per hæc verba fuit reſolutum, quod Rector, Parochialis Eccleſiæ Ripæ Tranſenenſis, qui ex immemorabili conſuetudine deferebat in publica proceſſione Sacramentum Eccleſiæ, *iuxta Clementinam vni, de reliquiis, & vener. ſanct. & ſupr. Seſſ.* 13. *Cant* 6. cedat Epiſcopo nuper electo, qui vult per ſe Sacramentum huiuſmodi deferre. Sic Congregatio cenſuit de menſe Aprilis 1573.

18 *Et præcipua auctoritas.*] Non poteſt tamen ſolus Epiſcopus ſine conſilio Capituli edicere & dirigere proceſſiones, ſed tenetur illud adhibere, ſicut dicitur in hoc Decreto.

19 *Quod ſi aliquid Canonicis.*] Epiſcopo ex Decret. huius cap. quoad conuocationem Capituli ſpectat, ea dumtaxat auctoritas eſt attributa, vt eo caſu ſolo poſſit ipſe ſuo arbitrio Capitulum conuocare, vota requirere, & iuxta ea concludere, dummodo non ſit actum de re ad ſuum vel ſuorum commodum ſpectante. In reliquis Concilium ſuum vnicuíque ius reſeruauit. Eadē tamen Congregatio cenſuit, Epiſcopum conuocare non poſſe Capitulum in illis caſibus, in quibus iudex eſſe non poteſt: Et qui de re ſpectante ad Epiſcopalem dignitatem poteſt eſſe iudex, conuocare poteſt Capitulum.

20 *Epiſcopi ipſi.*] Eo caſu quo res eſſet pertinens ad commodum Epiſcopi, Concilium declarauit, quod Capitulum non poteſt conuocari ſine conſenſu & præſentia Epiſcopi, reliquos autem caſus reliquit in terminis iuris veteris. In Capitulis ergo non exemptis, quæ Ordinario ſubſunt, eſt ſeruandum ius commune.

Epiſcopus controuerſiam habens cum Capitulo, non poteſt domi ſuæ Capitulum congregare, ſed debet ad aulam Capitularem

rem conuocare, in qua ſolitum eſt Capitulum ſemper conueni-re.

21 *Capitulum conuocent.* ] In domibus propriis poſſet conuocari Capitulum, caſu quo non haberent Epiſcopi locum ad hoc ſpecialiter deputatum & decentem, in quo ſolitum eſſet conuocare, & congregare Capitulum.

Epiſcopus Placentinus non poteſt Capitulum Eccleſiæ Cathedralis domi ſuæ congregare, ſed idem debet in aula Capitulari conuocari, in qua antea ſolitum eſt ſemper Capitulum conuocari.

22 *Vota exquirant.* ] Epiſcopus non habet vocem in Capitulo.

23 *Ab iis de Capitulo.* ] Abſque conſenſu Epiſcopi.

Viſitatio, ad fauorem cap. 4. ſeſſ. 7. & cap. huius, eatenus competit ex his Decretis, Epiſcopo, vt etiam liceat Decano & Capitulo Regulares perſonas ipſi Capitulo ſubiectas cumulatiuè cum Epiſcopo, vel ſeorſum etiam ab eodem (non tamen excludendo ipſum Epiſcopum toties quoties ſua auctoritate vti voluerit) viſitare, corrigere, & emendare iuxta antiquam & immemorabilem hactenus obſeruatam conſuetudinem.

24 *Nec ad id Vicarius Epiſcopi admittatur.* ] Hoc intelligendum eſt, ſi Capitulum eſt exemptum: Et ita obſeruari iuſſit Congregat. cum Vicario Tarantinenſi.

25 *Capituli iuriſdictio & poteſtas.* ] Declaratum fuit hoc debere fieri iuxta conſuetudinem & ſtatuta hactenus obſeruata, & idcirco non poterit cogi Capitulum ad tenendum Secretarium, qui ſit Clericus in ſacris conſtitutus, ſed poteſt habere Laicum: Punctator verò debet eſſe Clericus in ſacris conſtitutus, ſecundum Decretum Prouincialis Compoſtellæ, reuiſum per S.D.N. anno 1565. Et ſi ab immemorabili tempore deputatio punctatoris ad Capitulum pertineat, ita obſeruetur, quia Concilium in hoc nihil innouat.

26 *Qui verò non obtinent dignitates.* ] Qui non obtinent dignitates, nec ſunt de Capitulo portionarij, ſi in Cathedrali habent ſtallum, in choro veſtem Canonicalem, & votum conſultiuum; ſunt de Capitulo, & comprehenduntur hoc Decreto.

Dubium faciebat doctrina Innoc. *in c. 2. ad finem, de inſtit.* vbi requirit quod quis habeat ius Canonici, per ea quæ cumulat Fel. Sed viſum fuit Sacræ Congregat. Illuſtriſſimorum Cardinalium, quòd propter votum conſultiuum, quod habent illi portionarij, dicantur eſſe de Capitulo, quantum ad diſpoſitionem huius cap. Nam qui habet vocem in Capitulo, habet ius Canonici. *Fel. in cap. cum acc. n. 34. de conſtit.* quid autem de dignitatibus faciendum ſit, tenendum eſt ſicut per eum ibidem dicitur.

27 *Nec ſunt de Capitulo.* ] Etſi ſubſint Capitulis, vel illis inſeruiant, aut famulentur foris aut in ipſa Eccleſia, quantum ad diuina & non aliter.

28 *Necnon conſtitutionibus.* ] Congregatio cenſuit, non obſtare, quod Vicarius Archiepiſcopi poſſit interuenire in Capitulo, & in eo præſi-dere,

dere, ſi talis facultas ei ante Concilium, ex conſtitutionib. aut conſuetudine, vel alio quocunque iure legitimè competebat, iuxta Decretum eiuſdem Concilij in fine. Præſertim ſi illud Capitulum nullo exemptionis, aut ſpeciali iure iuuetur aduerſus omnimodam ſubiectionem: in his tamen in quibus eſſet agendum in capitulo de re ſpectante ad Archiepiſcopum, ſeu ſuorum commodum, Congregatio æquum cenſuit, vt ne eius Vicarius interſit.

29 *Etiam immemorabilib.* ] Derogatio immemorabilis, de qua hoc cap. extenditur ad diſpoſita in c. 4. ſeſſ. 6. ſupra.

30 *Concordiis.* ] Re propoſita à Rota, & perlata ad Illuſtriſſimos Cardinales, & in congregatione maturata, Illuſtriſſimi cenſuerant, derogationem, de qua in præſenti textu, concordias etiam à Sede Apoſtolica confirmatas comprehendere, quia attendenda eſt potius mens, quam verba legis, & ita fuerat reſolutum ſub die 15. Apr. 1574. Sed iterum negotium excitantibus Dominis de Rota, S. D. N. hunc textum declarauit ex congregationis ſententia, cum ſuis derogationibus non comprehendere concordias à Sede Apoſtolica confirmatas.

Fuit autem propoſitum in congregatione, An intelligatur de concordis confirmatis in forma communi, an verò de illis tantum, quæ ex certa ſcientia ſunt confirmatæ? Die 13. Nouemb. 1586.

Congregatio cenſuit, eſſe præſeruatas ex hoc textu, & ex c. 4. ſeſ. 6. concordias confirmatas ex ſcientia cum cauſæ cognitione dumtaxat.

Super interpretatione c. 4. ſeſſ. 6. & cap. 6. ſeſſ. 25. Concil. Trid. facta per Dominos de Rota inſtante Sacra congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium eiuſdem concilij: Reſpondit ſic Decanus: De Ordinatione Sacræ congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini fuit propoſitum in Rota dubium, quod erat inter D. Epiſcopum Gadicenſem, & Decanum, & capitulum eiuſdem Eccleſiæ ſuper interpretatione tam cap. 4. ſeſſ. 6. quam huius c. & partibus hinc inde informantib. fuerunt Cardinales omnes ſine difficultate in voto, quòd vigore harum conſtitutionem poſſint per Epiſcopos & alios maiores Prælatos, capitula cathedralium & aliarum maiorum Eccleſiarum, illarúmque perſonæ viſitari, corrigi & emendari, etiam auctoritate Apoſtolica: non ſolum ſi capitula huiuſmodi, ac perſonæ vellent ſe tueri exemptionibus, ſed etiam conſuetudinibus, ſententiis, iuramentis, & concordiis, quæ tantum ſuos obligent authores, non etiam ſucceſſores. Itaq; Sacra Synodus cõprehendit non ſolum capitula exempta, ſed omnia alia prætẽdentia ſe poſſe tueri aduerſus viſitationem, ſub vigore conſtitutionum, &c. Nouiſſimum enim & indefinitum, in lege æquipollet vniuerſali: præterea ſatis dixiſſet: *nullis exemptionibus*, ſi nihil vltra impedimentũ exemptionis S. Synodus tollere voluiſſet, quod non eſt dicendum ſtantibus ſubſequentibus verbis, ſcil. *conſuetudinibus, ſententiis, iura-*

*mentis, concordiis, &c.* Quam interpretationem clariſſimè comprobant verba, quæ ſunt initio huius capitis, ſc. *Statuit S. Synodus vt in omnibus Eccleſiis Cathedralibus, &c.* Qui autem dicit (*omne*) nihil excipit aut excludit: Et hoc tenendum eſt, etiam caſu quo agendum ſit extra viſitationem, derogatúrque priuilegiis etiam ex fundatione competentibus, necnon conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ſententiis, iuramentis, & concordiis, quæ tantum ſuos obligent auctores ſicuti dicitur in hoc Capitulo.

31 *Hæc autem omnia & ſingula.*] S. Synodus in fauorem Epiſcoporum addit *omnia & ſingula* (de quibus hoc Capitulum) locum non habere in his Eccleſiis, in quibus Epiſcopi, aut eorum Vicarij, ex cõſtitutionibus vel priuilegiis aut conſuetudinibus, ſiue concordiis ſeu quocũnque alio iure maiorem habent poteſtatem, auctoritatem & iuriſdictionem, quam præſenti Decreto ſit comprehenſum, quibus S. Synodus derogare non intẽdit. Ita hic in præſenti decreto dicitur. Ex quibus verbis tollitur vnum motiuum deductum per informantes pro parte cuiuſdam Capituli, quo dicebatur præſentis Capitis tenor non continere derogationem ſtatutorũ dicti capituli. Sed apertè ex verbis proximè relatis conſtat de contrario, cum ſolùm præſeruentur conſtitutiones in fauorem Epiſcoporum. Ex quibus infertur prædicta omnia verba multo fortius habere locum, ſi Capitulum neque ſit exemptum, aut conſuetudinem non habeat aut ſententias, aut iuramenta, aut concordias.

---

## REMISSIONES.

α Vide Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ. p. 4. collect. 751. per totũ, vbi in fine refert mẽſe Aprili 1614. Illuſtriſſ. Card. cenſuiſſe text. noſtrum procedere etiam in portionario, ita vt Canonici poſſint in coniudices eligi, & huiuſmodi portionarios habere ius votandi, vt Canonicos, & poſſe agere ſicut Canonicos pro concernentibus Eccleſiæ vtilitatem, reſoluit Verall. deciſ. 91. p. 1.

β *Quando Epiſcopus viſitauerit.*] Viſitationem Capitulorum, & perſonarum Epiſcopis conceſſam, eſſe intelligendam cumulatiuè, non priuatiuè ad Abbates, & Decanos, & alios, quibus ante Concil. competebat ius viſitandi, ſeorſum tamen ab Epiſcopis, per Illuſtriſſ. Car. deciſum referunt Stephan. Gratian. diſceptat. forenſ. c. 154. num. 40. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. §. 2. procœm. n. 21.

γ *Vt Capitulum initio cuiuſlibet anni, &c.*] An habeat locum in Capitulo exempto ab Epiſcopo? Affirmãt Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Capitulum, verſ. Ad 8. pag. 84. Rot. Roma. diuerſ. dec. 205. & 308. p. 2. quam refert Aloyſ. Ricci. d. collect. 751. in princ.

δ An ſi Collectores Cameræ Apoſt. ad nudum miniſterium exigendi certis caſibus in partibus deputati ſi ſunt Canonici, vel alias beneficiati ab Epiſcopo viſitari & corrigi poſſint? Sacram Card. con-

grega-

gregationem cenſuiſſe Epiſcopum non poſſe, refert Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 51. nu. 82.

2 *Vnum autem tantùm ſit.*] Quid ſi diſcordent? Vide Guttier. pract. lib. 1. q. 94.

3 *Non obſtantibus, quoad ſupradicta, priuilegiis.*] Locum non habere in concordiis à Sede Apoſtol. ex certa ſcientia confirmatis, docet Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 25. n. 14.

## CAPVT VII.

### *Acceſſus aut regreſſus ad beneficia eccleſiaſtica tolluntur. Coadiutor quomodo, cui, & ex qua cauſa concedendus.*

CVm [a] in beneficiis eccleſiaſticis ea, quæ hęreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, ſacris conſtitutionibus ſint odioſa, & patrum decretis contraria; nemini in poſterum acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad beneficium eccleſiaſticum cuiuſcumque qualitatis concedatur: nec hactenus conceſſi ſuſpendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque decretum in quibuſcumque beneficiis eccleſiaſticis, ac in quibuſcumque perſonis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus locum habeat. 1 *In Coadiutoriis* quoq; cum futura ſucceſſione idem poſthac obſeruetur, vt nemini in quibuſcumq; beneficiis eccleſiaſticis permittantur. Quòd ſi quando eccleſiæ Cathedralis, aut monaſterij vrgens neceſſitas, aut euidẽs vtilitas poſtulet Prælato dari Coadiutorem; is nõ alias cum futura ſucceſſione detur, quàm hæc cauſa prius diligẽter à Sanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ à iure, & decretis huius S. Synodi in Epiſcopis, & Prælatis requiruntur: aliàs conceſſiones ſuper his factę ſurreptitię eſſe cenſeantur.

[a] *c. ad Apoſtolica 8. q. 1. c. ex trãſmiſſa, & c. ad extirpandas ſucceßiones, de fil. presb. c. conſuluit. de in patro. c. ad hæc, de deci. Conc. Rom. tempore Hilarij c. 5.*

## DECLARATIONES.

1 *In Coadiutoriis.*] Epiſcopo cuidam petenti, vt poſſet facere coadiutorem in Abbatia, quam in Epiſcopatus reſignatione retinuit, conceſſum eſt, vt eligat Vicarium ad vitam, vel coadiutorem; & cær. cum non obſtet præſens Capitulum.

## REMISSIONES.

α Vide Flam. de Reſign. lib. 6. q. 5. n. 96. P. Azor. inſt. moral. par. 2. lib. 9. c. 21. col. 883.

β De Coadiutoria vide Quintanad. Eccleſiaſt. li. 2. à num. 30. cum ſeqq. Latiſſimè Nicol. Garſi. de Benefic. p. 4. c. 5. per totum.

γ Quando concedi ſoleant Coadiutoriæ, vide Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. gl. 5. §. 9. num. 43. cum ſeqq.

δ *In Coadiutoriis, &c.*] Vide P. Azor. d. p. 2. lib. 3. c. 2. col. 257. & vide quid Gonzal. d. gl. 5. nu. 33. & 34.

## CAPVT VIII.

*Beneficiati ſint hoſpitales. Hoſpitalia regantur prout fert fundatio, patiuntur prouentus, ac bona. Epiſcopus ad hæc aduigilet, contra tamen fundationem nihil agat, quam obſeruari curet, adhibitis pœnis.*

α ADmonet ſancta Synodus quoſcumque Eccleſiaſtica beneficia, ſæcularia, ſeu regularia, obtinentes,[a] vt hoſpitalitatis officium, à ſanctis Patribus frequẽter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, promptè, benigneque exercere aſſueſcant; memores, eos, qui hoſpitalitatem amant, [b] Chriſtum in hoſpitibus recipere. Illis verò, qui hoſpitalia vulgo nuncupata, ſeu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperúve vſum præcipuè inſtituta, 1 *in commendam*, adminiſtrationem, aut quemcumq; titulum, aut etiam eccleſiis ſuis vnita, obtinent; vel ſi Eccleſiæ Parochiales, hoſpitalibus fortè vnitæ, aut in hoſpitalia erectæ, earumque patronis in adminiſtrationem cõceſſæ ſint; præcipit omnino, vt impoſitum illis onus, officiumve adminiſtrent, atq; hoſpitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, [c] iuxta Conſtituſtionem Concilij Viennenſis, alias in hac eadem Synodo ſub fel. rec. Paulo III. innouatam, quæ incipit, Quia contingit. β *Quod ſi hoſpitalia*, hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorũ, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtitu-

a c. 1. & c. quieſcamus. 42. diſt. c. Archid. 25. diſt c. volumus: 89. diſ. c. quia, ad fi. & c. Moſ. 12. qu. 2. c. quoniam. 16. q. 1.
b Matth. 25.
c Clem. quia contingit, de relig. domi & ſup Seſſ. 7. cap. vlt.

ſtituta;nec in loco,vbi ſunt dicta hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc, vt fructus illorum in alium pium vſum,qui eorum inſtitutioni proximior ſit,ac pro loco,& tempore vtilior, conuertantur provt Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerũ vſu peritiores ſint,per ipſum deligendis, magis expedire viſum fuerit:niſi aliter fortè,etiam in hunc euentum,2 *in eorum fundatione*, aut inſtitutione fuerit expreſſum: quo caſu, quod ordinatum fuit, obſeruari curet Epiſcopus, aut,ſi id non poſſit,ipſe, pro vt ſuprà, vtiliter prouideat. Itaq; ſi prædicti omnes,& ſinguli,cuiuſcúnque Ordinis, & Religionis, & dignitatis,etiam ſi laici fuerint,qui adminiſtrationem hoſpitalium habent, non tamen regularibus ſubiecti,vbi viget regularis obſeruantia, ab Ordinario moniti, hoſpitalitatis, munus adhibitis omnibus, ad quæ tenentur,neceſſariis, re ipſa obire ceſſauerint,nõ ſolùm per Eccleſiaſticas cenſuras, & alia iuris remedia ad id compelli poſſint, ſed etiam hoſpitalis ipſius adminiſtratione,curave perpetuò priuari poſſint;aliique eorũ loco ab iis,ad quos ſpectabit, ſubſtituantur. Et prædicti nihilominus,etiam ad fructuum reſtitutionem,quos cõtra ipſorum hoſpitalium inſtitutionem perceperunt,quę nulla eis remiſſione,aut compoſitione,indulgeatur,in foro conſcientiæ teneantur;nec adminiſtratio, ſeu gubernatio huiuſmodi locorũ vni & eidẽ perſonæ vltra triennium deinceps committatur; niſi aliter in fundatione cautum reperiatur: non obſtante, quoad omnia ſupradicta,quacumque vnione,exemptione, & conſuetudine in contrarium,etiam immemorabili,ſeu priuilegiis, aut indultis quibuſcumque.

## DECLARATIONES.

1 *In commendam.*] Hoſpitalia, ob rationabilem cauſam quandóq; à Sede Apoſtolica ad quatuor menſes tantummodo commendantur,cum clauſula,*quod omnes fructus in vſus pauperum conuertantur.*

Petenti Cardinali de Piſis, vt Hoſpitale Placentinum vacans morte eius familiaris,ſibi ſolùm ad ſex menſes cõmendaretur, Congre-

gatio cenſuit dandum, & cuſtodiendum ad quatuor menſes per Breue, cùm onere tamen vt poſtea de idoneo viro prouideatur ex hoc Decreto, & modo interim ipſe nullos inde fructus percipiat, ſed omnes in vſum Hoſpitalis conuertat.

Congregatio cenſuit, comprehendi Hoſpitale, cuius à 300. annis citra collatio & inſtitutio in perpetuum titulum dari conſueuit, quia Concilium excipit vnum caſum duntaxat, videlicet quando aliter in fundatione cautum reperitur.

2 *In eorum fundatione, vel inſtitutione.* ] Congregatio Concil. die 4. Febr. 1581. cenſuit poſſe, & debere admitti id quod aliter fieri cautum eſt in fundatione.

## REMISSIONES.

α AN poſſit aliquis compelli ad hoſpitalitatem? Vide Laram in lib. ſi quis à liberis, §. & ſi impubes, numer. 37. Menoch. de Arbitr. caſu 182. num. 43. P. Henriq. p. 2. ſum. pag. mihi 1147. Tiraq. de Pœnis temp. cauſa 44. nu. 10. Spin. in Speculo Teſtam. gl. 6. princip. num. 8.

β *Quòd ſi hoſpitalis, &c.* ] Vide Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 2. q. 84. art. 2. verſ. Secundum, Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Hoſpitale, num. 8.

## CAPVT IX.

*Quomodo probandum Iuſpatronatus: cui deferendum, ſimiliter etiam vetitæ nonnullæ acceſſiones, quædam verò minimè. Legatur & teneatur hoc Capitulum.*

α &c. SIcuti, legitima patronatuum iura tollere, piaſque fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare, æquum non eſt: ſic etiam, vt hoc colore beneficia Eccleſiaſtica in ſeruitutem, quod à multis impudenter fit, redigantur non eſt permittendum. ζ *Vt igitur debita in omnibus* ratio obſeruetur, decernit ſancta Synodus; vt titulus Iuriſpatronatus ſit ex a fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis iure requiſitis 1 *oſtenditur*, ſiue etiam 2 θ *ex multiplicatis* præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum ι *qui hominum memoriam* excedat, aliaſve ſecundum iuris diſpoſitio-

a Supr. Seſſ. 14. de ref c. 12 c piè mentis, cum ſeq. 16. q. 1. & c. nobis de Iu. patro.

ſitionem. In iis verò perſonis, ſeu Communitatibus, κ *vel Vniuerſitatibus*, in quibus id ius plerumque 3 *ex vſurpatione potius quæſitum* præſumi ſolet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, 4 *nec immemorabilis temporis probatio* aliter eis ſuffragetur, quàm ſi præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes, etiam continuatæ, non minori ſaltem, quàm quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, 5 *authenticis ſcripturis probentur.* 6 *Reliqui patronatus* omnes in beneficiis, tam ſæcularibus, quàm regularibus, ſeu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuſcumque aliis beneficiis, in Cathedrali, 7 *vel Collegiata* Eccleſia; ſeu facultates, 8 *& priuilegia conceſſa*, tam in vim patronatus, quàm alio quocúmque *iure nominandi, eligendi, præſentandi* ad ea, cùm vacant (λ *exceptis patronatibus*, ſuper Cathedralibus Eccleſiis, competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges, ſeu regna poſſidentes, μ *alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes*, iura Imperij in dominiis ſuis habentes, pertinent; & [a] quæ in fauorem Studiorum generalium conceſſa ſunt) in totum prorſus abrogata, ν *& irrita* cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta intelligantur. Beneficiáque huiuſmodi, tanquam libera à ſuis collatoribus conferantur; ac prouiſiones huiuſmodi plenum effectum conſequantur. [b] Ad hæc liceat Epiſcopo, præſentatos à patronis, ſi idonei non fuerint; repellere. 10 *Quod ſi ad inferiores inſtitutio pertineat*; 11 *ab Epiſcopo tamen*, iuxta aliàs ſtatuta ab hac ſancta Synodo, examinentur: alioquin inſtitutio ab inferioribus facta 12 *irrita ſit, & inanis.* ξ *Patroni autem beneficiorum*, cuiuſcumque Ordinis, & dignitatis etiam ſi Communitates, Vniuerſitates, Collegia quæcumque Clericorum, vel laicorum exiſtant in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum, quorumcúnque beneficiorum, etiam ſi verè de Iurepatronatus ipſorum ex fundatione, & dotatione eſſent, nullatenus, 13 *nullave cauſa*, vel occaſione ſe ingerant; ſed illos liberè Rectori, ſeu Beneficiato, non obſtante etiam quacunq; conſuetudine, diſtribuendos dimittant.

a *Nota prot. 19. Seſſ. 24.*

b *Supr. Seſſ. 24. de ref. c. 18. & Seſſ. 14. de ref. c. 13.*

Nec dictum Iuſpatronatus venditionis,aut alio quocúnque titulo in alios contra Canonicas ſanctiones tranſferre præſumant: 14 *ſi ſecus fecerint*,excommunicationis & interdicti pœnis ſubiiciantur ; & dicto Iurepatronatus, ipſo iure priuati exiſtant. Inſuper acceſſiones, per viam vnionis factæ de beneficiis liberis, ad Eccleſias Iuriſpatronatui, etiam laicorum, ſubiectas, tam ad parochiales, quàm ad alia quæcumque beneficia, etiam ſimplicia, ſeu dignitates, vel hoſpitalia, ita vt prædicta beneficia libera eiuſdem naturæ cum iis, quibuſcum vniuntur, efficiantur, atque ſub Iurepatronatus conſtituantur; hæ ſi nondum plenarium ſortitæ ſunt effectum, vel deinceps ad cuiuſuis inſtantiam fient; quacúmque auctoritate,etiam Apoſtolica, conceſſæ fuerint, ſimul cum vnionibus ipſis per ſurreptionem obtentæ intelligantur : non obſtante quacúmque in iis verborum forma,ſeu derogatione,quę habeatur pro expreſſa : nec executioni ampliùs demandentur; ſed beneficia ipſa vnita, cùm vacauerint, liberè, vt anteà conferantur.[a] Quę verò à quadraginta annis citrà factę,effectum & plenam incorporationem ſunt conſecutæ; hæ nihilhominùs ab Ordinariis,tanquam à Sede Apoſtolica delegatis, reuideantur & examinētur: ac quæ per ſurreptionem vel obreptionem obtētæ fuerint,ſimul cum vnionibus irritæ declarentur,ac beneficia ipſa ſeparentur,& aliis conferantur.Similiter quoque patronatus quicunque in Eccleſiis, quibuſcunque aliis beneficiis, etiam dignitatibus anteà liberis, acquiſiti à quadraginta annis citrà, & in futurum acquirendi, ſeu ex augmento dotis,ſeu ex noua conſtructione,vel alia ſimili cauſa,etiá auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ab iiſdem Ordinariis, vti delegatis,vt ſuprà,qui nullius in his facultatibus aut priuilegiis impediantur, 15 *diligenter cognoſcantur* : & quos non repererint ob maximè euidentem Eccleſiæ, vel beneficij, ſeu dignitatis neceſſitatem legitimè conſtitutos eſſe, in totum reuocent, atque beneficio huiuſmodi ſine damno illa poſſidentiũ, & reſtituto patronis eo quod ab eis idcircò datum eſt,in priſtinum libertatis ſtatum reducant:

a Supr. Seſſ. 7. de ref. c. 6.

cant:

cant: non obſtantibus priuilegiis, conſtitutionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

## DECLARATIONES.

1 *Oſtendatur.* ] Non eſt ſatis aſſerenti, ſibi competere Iuſpatronatus ex fundatione vel donatione; quod vna præſentatio de Anno 1554. & altera 1561. effectum ſortitæ fuerint, ſed oſtendatur, prout Congregatio cenſuit, die 4. Februarij 1581. *Infrà, hoc cap.* §. *multiplicatis.*

Item cenſuit, non poſſe patronum repelli à ſua quaſi poſſeſſione præſentandi, ſi adhibita cauſæ cognitione ſuper Iurepatronatus, poſt Concilium Ordinarius à Patrono præſentatum admiſiſſet, etiamſi poſt obitum eiuſdem præſentati de validitate Iuriſpatronatus iterum contigerit dubitari: ſecus autem ſi ſimpliciter Patroni præſentatio abſque cauſæ cognitione admiſſa fuiſſet. Item cenſuit, demum debere intelligi adhibitam fuiſſe cauſæ cognitionem in probando Iurepatronatus, cùm ſeruata fuerit forma à Concilio tradita. *Infrà, hoc c.* §. *diligenter.*

2 *Multiplicatis præſentationibus.*] Iuſpatronatus ex ſolis præſentationibus continuis vltra hominum memoriam probatur, licet in eis nulla facta fuerit mentio de fundatione, aut donatione.

☞ Hoc Decretum Concilij habet locum & in petitorio, & in poſſeſſorio, vnde admittenda non eſt præſentatio, aut præſentati inſtitutio facienda, niſi prius cognito Iurepatronatus ex Decreto Concil.

3 *Ex vſurpatione potiùs quæſitum.*] Quoad vſurpationem bonorum Eccleſiaſticorum, quæ præſumitur in Dominis Oppidorum & terrarum habentibus perpetuam iuriſdictionem, Congregatio Concil. cenſuit, Barones, & alios Dominos iuriſdictionem perpetuam habentes comprehendi hoc Decreto.

4 *Nec immemorabilis temporis.* ] Ad probandum priuilegium patronatus in Conuentuali Eccleſia ex cauſa fundationis, & donationis, & quidem in eius limine fundationis conceſſum fuiſſe, ſufficit immemorabilis iunctis multiplicatis præſentationibus, quæ ſecundum formam Concilij hoc cap. effectum ſortitæ fuerunt. Sic enim Congregatio die 4. Decembris 1586. cenſuit ex verbis Concilij, etiam caſu quo ſuper hoc nullum fuerit priuilegium, aut nullum reperietur fundationis inſtrumentum.

Congregatio cenſuit, vt ad conficiendam immemorabilem conſuetudinem concurrant anni elapſi vſque ad terminum controuerſiæ motæ, non tantùm tempus diuerſum ad publicationem Concilij attendendum ſit.

5 *Authenticis ſcripturis probentur.* ] Non poſſunt repelli probationes oblatæ à Patronis, vt eorum patronatus declaretur eſſe ex Concilio: ſaluis tamen exceptionibus tam huius Decreti, quàm iuris communis, probatio ergo quæ ſit per ſolos teſtes & non per authenticam ſcripturam reiicitur.

6 *Reliqui patronatus* ] Congregatio die 4. Decembris 1586. cenſuit, eſſe ablatos patronatus ex priuilegio, non autem ex fundatione & donatione.

7 *Vel Collegiata Eccleſia.* ] Si de beneficiis ſimplicibus agatur, præſentatio non poteſt inſtitui à Canonicis, priuſquam fuerint examinati ab Epiſcopo, & idonei reperti. Si vero de parochialibus Eccleſiis agatur, ſeruanda eſt forma examinis quæ perſcribitur. Seſſ. 24. cap. 16.

8 *Et priuilegia conceſſa.* ] Super hæc verba fundabat ſe quidam Epiſcopus dicens ius eligendi (quod ex conſuetudine competebat cuidam Capitulo cuiuſdam Eccleſiæ Collegiatæ ad Canonicatus vacantes) per Concilium hoc eſſe ſublatum, quod falſum eſt, & fuit ab Illuſtriſſimorum Congregatione reprobatum, nam Textus iſte reſtringit ſe ad ius eligendi in Iurepatronatus electiuè, non autem in aliis electionibus, quæ de iure communi Capitulis competũt cum Prælato inferiori.

9 *Iure nominandi, eligendi, præſentandi.* ] Hoc ius præſentandi v. g. ad manſionarios, tantùm cenſendum eſt eſſe ex priuilegio, quando Capitulum non fundauit, nec dotauit, vel habet immemorabilem, ideo ſublatum eſt hoc Decreto. Qui dicit ſe habere Iuſpatronatus ex priuilegio, admittendus eſt ad probandum immemorabilem.

Iuſpatronatus ex priuilegio Epiſcopi conceſſum, in cuius pacifica poſſeſſione extitere prætenſi Patroni per 140. annos, cùm conſtet de titulo ex priuilegio inualido, centenaria poſſeſſio prodeſſe non poteſt, & hoc, ob malam fidem.

10 *Quod ſi ad inferiores inſtitutio.* ] Quando Concilium hic ſe remittit ad ſtatuta aliàs in hac ſancta Synodo, intelligit Textus, Seſſ. 7. capit. 13. vt ſit ſenſus: Beneficium Iuriſpatronatus, quando eſt ſimplex, licet poſſit ab inferiore inſtitui, tamen ſemper Epiſcopi requirit examen. Sic Congregatio die 18. Iunij 1573.

Congregatio cenſuit, cognitionem validitatis & inualiditatis Iuriſpatronatus controuerſi, ad Epiſcopum dumtaxat, non autem ad inferiores, qui ius habent inſtituendi, pertinere, ſecus verò ſi huiuſmodi inferiores Ordinarij in eo loco haberent iuriſdictionem.

11 *Ab Epiſcopo examinentur.* ] Etiamſi inſtitutio pertineret ad monachos. Non tamen comprehendit beneficia ſimplicia, quorum collatio liberè pertinet ad inferiores, ſed bene ſe extendit ad omnia bene-

beneficia, pro quibus facienda eſt præſentatio, electio, ſeu manutentio inferioribus collatoribus.

Abbates,& alij ex fundatione exemptionem prætendentes in Eccleſiis ſuis,coram ſe præſentatos inſtituere non poſſunt abſque Epiſcopi examine. Congregatio enim Concilij illud cenſuit,ab Epiſcopo fieri debere,ſi nihil aliud obiiciatur, quàm dicta exemptio:& aliter factam inſtitutionem, irritam eſſe & nullam ex hoc capite. Et quia dicti Abbates prætendunt in dictos huiuſmodi à ſe ad patronorum præſentationem inſtitutos, omnimodam iuriſdictionem habere, ſéque illorum Ordinarios eſſe, & ideo dictam declarationem ſibi non obeſſe, quò minùs abſque Epiſcopi examine & approbatione præſentatos inſtituere poſſint; Congregatio cenſuit eis obeſſe eam, etſi Ordinarij inſtitutorum ſint, & in eos iuriſdictionem habeant, aliàs eam irritam eſſe inſtitutionem.

12 *Irrita ſit & inanis.* ] Non ſufficit, quòd præſentatus fuerit aliàs examinatus,& approbatus ab alio Ordinario ad aliquod beneficium Curatum, ſed de nouo oportuit eum eſſe examinatum.

13 *Nullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant.* ] Qui tempore, quo ſe ingerit, & fructus exigit, non eſt in actu præſentandi, ſed eſt Patronus in potentia, (vt pote de patronorum familia) non habet locum in hoc Capitulum, ſed is aliâ pœnâ puniri poterit, quia bona aliena inuaſit, vel ſurripuit. Sic Congregatio cenſuit, in vna Murana. Quod ſi ipſe patronus vellet à præſentato conducere bona Iuris patronatus (etenim verbum, *ingerere*, ſonat rem agi per viam illegitimam, titulus verò locationis eſt legitimus) maior pars Illuſtriſſimorum reſpondit hoc Capitulum habere locum etiam eo caſu.

14 *Si ſecus fecerint, excommunicationis, &c.* ] Pœnæ appoſitæ in hoc Decreto referuntur non ſolum ad alienantem bona beneficij patronatus,ſed etiam ad vſurpantem fructus illius.

15 *Diligenter agnoſcantur.* ] Si Ordinarius poſt Concilium cognouit de Iurepatronatus & admiſit poſt Concilium, non poteſt patronus repelli à ſua quaſi poſſeſſione præſentandi, ſi Ordinarius voluerit cognoſcere, propter obitum illius præſentati: ſecus autem, ſi ſimpliciter eius præſentatio fuiſſet admiſſa abſque cauſæ cognitione.

## REMISSIONES.

*a* Vide Matthæ. Soar. in practica & Ordine viſitandi, cap. 6. num. 1. Cabed. de Patronat. Regiæ Coronæ, cap. 34. Latiſſimè Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. Gloſſ. 18. num. 19. cum multis ſeqq. nouiſſimè P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 30. tract. 3. num. 210.

*Deci-*

## *Deciſiones Illuſtriſſ. Cardin. adductæ à Gonzalez locis infrà citatis.*

β PRima. Hoc Decretum Concilij habet locum in petitorio, & in poſſeſſione. Vnde admittenda non eſt præſentatio, aut præſentati inſtitutio facienda, niſi priùs verificatò iurepatronatus ex decreto Concilij, refert Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloſ. 18. nu. 23.

γ Secunda. Non poteſt repelli à ſua quaſi poſſeſsione præſentandi, ſi adhibita cauſæ cognitione ſuper iurepatronatus pòſt Concil. Ordinarius à patrono præſentatum admiſiſſet, etiamſi poſt obitum eiuſdem præſentati, de validitate iuriſpatronatus contigerit dubitari, ſecus autem ſi ſimpliciter patroni præſentatio abſque cauſæ cognitione admiſſa fuerit, refert Gonzal. d. Gloſ. 18. nu. 26.

δ Tertia. Iuſpatronatus ex ſolis præſentationibus continuis vltra hominum memoriam probatur, licèt in eis nulla fuerit facta mentio de fundatione, aut dotatione, refert Gonzal. d. Gloſ. 18. num. 46.

ε Quarta. Pro forma requiritur, vt probatio fiat per Authenticas ſcripturas, & regula eſt conſtituenda, quòd probatio per teſtes non ſufficiat, refert Gonzal. d. Gloſ. 18. num. 79. & nu. 82. reſoluit, quòd ſi per teſtes probaretur eſſe deperditas ſcripturas, & deponerent de tenore illarum, in quibus continebantur continuatæ præſentationes, quòd tunc ſatisfieret menti Concilij, vide tamen Steph. Grat. diſcept. forenſ. cap. 168. num. 21.

ζ *Vt igitur debita in omnibus, &c.*] Quibus modis probetur Iuſpatronatus, vide Maſcard. de Probat. Conc. 956. & concl. 1216. Farin. deciſ. 540. num. 2. & dec. 542. nu. 3. Zerol. in praxi Epiſc. p. 1. verbo Iuſpatronatus, pag. 180. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. p. 1. Collect. 58. An ſufficiat fama, Maſcard. concl. 753. num. 47.

η An debeat patronus probare bonam fidem? Vide Spin. in Speculo Teſtam. Gloſſ. 4. princip. num. fin. Valaſc. conſult. 163. num. 9. cum ſeqq. Gonzal. d. Gloſſ. 18. nu. 48. vbi quid ſi conſtet de inualido titulo, vel de iniuſto principio.

θ *Siue etiam ex multiplicatis præſentationibus, &c.*] Vide Menoch. Conſ. 336. & lib. 3. de Præſumpt. quæſt. 90. nu. 3. cum ſeqq. Maſcard. concl. 103. nu. 9. Gonzal. d. Gloſſ. 18. nu. 44. cum ſeqq. Caual. deciſ. 17. p. 1. vbi reſoluit, ad minus debere eſſe tres, nec omnes neceſſarias eſſe de tempore immemorabili decidit Aloyſ. Ricci. deciſion. 29.

ι *Qui hominum memoriam excedat.*] Quot annorum debeat eſſe tempus immemoriale ad probandum Iuſpatronatus? Per ſpatium ſexaginta annorum probari tenent Oſaſc. dec. 150. Vinc. de Franch. deciſ. 166. Spatium tamen centum annorum deſiderari aſſerunt Capell. Tholoſ. deciſ. 44. Farin. in deciſ. nouiſſ. 584.

10 An patronus, qui eſt in quaſi poſſeſsione præſentandi poſt Concil. ſi de nouo vacet beneficium, & iterum præſentet, teneatur ad inſtantiam fiſci de nouo docere de titulo, vel priùs debet fieri inſtitutio & manu teneri in poſſeſsione? Patronum eſſe manutenendum in quaſi poſſeſsione ſaluis iuribus fiſco in petitorio, decidit Aloyſ. Ricci. Curiæ Archiep. Neap. deciſ. 63.

κ *Vel vniuerſitatibus.*] Vide Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ. p. 4. collect. 1240.

λ *Exceptis patronatibus, &c.*] Vide Guttier. pract. lib. 3. q. 13. nu. 72. Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. Gloſ. 24. nu. 160. & vide quid Gloſ. 18. num. 97. cum ſeqq.

μ *Alióſque ſublimes ac ſupremos principes.*] Qui ſint iſti magnates, vide Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. gloſ. 18. num. 66. cum ſeqq. & gloſ. 24. à num. 160.

ν *Et irrita, &c.*] Vide Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. Gloſ. fin. nu. 47. & 48.

ξ *Patroni autem beneficiorum.*] Vide Spin. in Speculo Teſtam. Gloſ. 4. princip. num. 91.

## Capvt x.

*Præter Ordinarios locorum quadam perſonæ qualificatæ deſignentur à Capitulis, coram quibus ac eorum ſubſtitutis cauſæ Eccleſiaſticæ ſpirituales tractentur. Breuiter terminentur cauſæ.*

QVoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandóque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, vſque adeò haberi non poteſt; hincque interdum iudicibus, non vndequáque idoneis, cauſæ in partibus delegantur: ſtatuit ſancta Synodus, in ſingulis Conciliis prouincialibus aut diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habent, a iuxta Conſtitutionem Bonifac. VIII. quæ incipit, *Statutum*, & 1 *alioquin ad id aptas deſignari*, vt præter Ordinarios locorum iis etiam poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et, ſi aliquem interim 2 *ex deſignatis mori contigerit*, 3 *ſubſtituat Ordinarius loci* cum conſilio Capituli alium in eius locum, vſque ad futuram prouincialem aut diœceſanam Synodum: ita vt habeat

a c. *ſtatutum, de Reſor. in 6. Vide poſt finem huius libri.*

habeat quæque diœceſis quatuor ſaltem aut etiam plures probatas perſonas, ac vt ſuprà qualificatas, quibus huiuſmodi cauſæ à quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam à Sede Apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad ſummum Romanum Pontificem tranſmittant, delegationes quæcúmque aliorum iudicum, aliis quàm his factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. Admonet dehinc ſancta Synodus tam Ordinarios, quàm alios quoſcúmque iudices, [a] vt terminandis cauſis, quanta fieri poterit breuitate, ſtudeant, ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte iudicij differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

*a Vide Seſſ. 24. c. 20. c. fin. litibus, & c. fi. de do. & contu c. 2. de re iud. & c. conſtitutus de procur.*

## DECLARATIONES.

1 *Alioquin ad id aptas deſignari.* ] Harum perſonarum qualificatarum nominationem ad Epiſcopum quidem principaliter, non tamen priuatiuè ad alios ſpectare, Congregatio reſpondit. Et ſi is qui tempore commiſſionis cauſarum reperiebatur conſtitutus in dignitate, & deſignatus inter iudices ſynodales, commiſſionem reſignauerit, poterit de eadem cauſa cognoſcere, quia ſufficit ab initio fuiſſe capacem. Sic fuit dictum die 2. Martij 1587.

2 *Ex deſignatis mori contigerit.* ] Habet hic Textus etiam locum in diuturna abſentia, quæ æquiparatur morti.

3 *Subſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum.* ] Congregatio cenſuit, conſilium Capituli requiri pro forma Ordinarius ergo non poterit illud præterire, attamen non tenebitur illud ſequi.

## CAPVT XI.

*Eccleſiarum bona non elocentur cum præiudicio ſucceſſorum quocumque indulto non obſtante. Iuriſdictiones quoque Eccleſiaſticæ non locentur, & conceſſæ elocari, irritantur, &c.*

α &c. MAgnam Eccleſiis perniciem afferre ſolet, cùm earũ bona, γ *repræſentata pecunia*, in ſucceſſorum præiudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes,

tiones, ſi anticipatis ſolutionibus fiant, a δ *nullatenus in præiudicium* ſucceſſorum validæ intelligantur, quocúmque indulto, aut priuilegio non obſtante:nec huiuſmodi locationes in Romana Curia vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam 1 *iuriſdictiones Eccleſiaſticas*, ſeu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus, locare; nec conductoribus per ſe aut alios ea exercere:alitérque conceſſiones, etiam à Sede Apoſtolica factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. Locationes verò rerum Eccleſiaſticarum, etiam auctoritate Apoſtolica confirmatas, ſancta Synodus irritas decernit, 2 *quas* ε *à triginta annis citra*, 3 *ad longum tempus*, ſeu, vt in nonnullis partibus, ad viginti nouem, ſeu bis vigintinouem annos, vocant factas; Synodus Prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ & contra Canonicas ſanctiones contractas fuiſſe iudicabunt.

a *c.de prætariis, 11. q.1. & c.2. de præca.*

## DECLARATIONES.

1 *Iuriſdictiones Eccleſiaſticas.* ] Sub iis comprehenduntur etiam iuriſdictiones damnorum datorum.

2 *Quas à 30. annis citra.* ] Intelligendum à 30. annis citra, vſque ad confirmationem Concilij.

3 *Ad longum tempus.* ] Dominus proprietatis, ſi tempus præfixum, eſſet finitum, ita vt deberet confirmare Emphyteuſim continuetur, ſi electi deputati à Synodo, vel ipſa Synodus Prouincialis iudicauerint non eſſe locationem factam in damnum monaſterij, ipſe autem D. curare debet, vt quamprimum fiat hoc iudicium.

## REMISSIONES.

α VIde P.Rebello de Obligat. inſtit.p.2. lib.14.q.5.n.4.P.Valer. Reginald.in praxi fori pœnit.lib.25.cap.43.num.539.

β Vtrùm valida ſit per priores ſaltem tres annos locatio, de rebus Eccleſiæ vltra triennium,facta in Luſitania,& vbi Extrauagans Paulina recepta eſt? Affirmat P.Rebello, d.lib.14.q.6.

γ *Repræſentata pecunia.* ] Ante diem ſolutam intelligit Guttier.de Iuram.Confirmat.p.3. cap.3.nu.2. vide quid D.Barboſ. in l.ſi filiofam.§.vlt.num.27. ff. ſoluto mat.Valaſc.de iure Emphyt.quæſt.10. nu.5. Zerol.in praxi Epiſcop. part.1. verbo Alienatio rerum Eccleſ. verſ. ad 7. pag. 14. nouiſſimè Cald. Pereira de Renouat. quæſt. 10. num.3.

num. 3. & de Emptione, cap. 26. num. 8. vbi etiam an locatio iudicetur vſuraria, ſi ob repræſentatam ſolutionem conductor dimidium lucri faciat.

8 *Nullatenus in præiudicium ſucceſſorum, &c.* ] An Prælatus vel beneficiarius ſuccedens in officio vel beneficio teneatur ſtare locationi per ſuum prædeceſſorem factæ? Negant, ſi Prælatus vel beneficiarius nomine proprio locet reditus ſuæ dignitatis, vel beneficij in ſuam vtilitatem, ad tempus iure vel Synodali conſtitutione permiſſum, ipſeque ante tempus locationis expletum decedat, ſecus pro illo anno cœpto, & quando terræ eſſent ſatæ, & fructus pendentes de proximo colligendi, per Gloſſ. receptam in cap. fin. ne Prælati vices ſuas, Cou. Vari. lib. 2. cap. 15. num. 6. Molin de Primog. lib. 1. ca. 21. à princip. Caroc. de Locato, p. 3. tit. de rebus Eccleſiæ locandis, quæſt. 1. cum ſeqq. Mich. Graſſ. tom. 2. Commun. opin. lib. 4. tit. 43. num. 40. pag. 656. & ibi Viui. nu. 123. pag. 661. Spin. in Speculo Teſtam. Gloſſ. 19. princip. nu. 41. Cardoſo in praxi iudicum, verbo fructus, nu. 23. & verbo Locatio num. 6. Steph. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 37. à nu. 18. Rip. obſeru. 115. Balb. deciſ. 229. Statil. Pacif. deciſ. 192. Card. Pute. deciſ. 176. lib. 1. Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. p. 4. Collect. 1007. & Collect. 1055. in fine, remiſſiuè Guttier. de tutel. p. 2. cap. 20. nu. 10. P. Molin. de Iuſtit. tract. 2. diſp. 492. verſ. Quòd denique, Flamin. de Reſignat. lib. 1. quæſt. 16. num. 47. D. Barboſ. d. §. vltim. à num. 17. Morl. in Emporio iuris, p. 1. tit. 10. quæſt. 2. nu. 20. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 25. cap. 43. nu. 538. cum ſeqq. ex antiquioribus plures refert Cened. ad Decretal. Collect. 76. nu. 5. D. Matt. de Iuriſdict. p. 4. caſu 48. num. 8. & in votis nouiſs. deciſ. voto 180. Cardin. Thuſc. verbo Locatio, concl. 419. Cardin. Mantic. de Tacitis & ambig. conuent. lib. 5. tit. 13. num. 21. Cald. quæſt. forenſ. lib. 2. qu. 32.

9 *A triginta annis citra.* ] Vide Cened. ad Decretal. Collect. 102. nu. 3. in fine.

## Capvt XII.

*Decimarum ſolutiones fiant: impedientes fieri, excommunicentur, nec abſoluantur niſi plena reſtitutione ſecuta. Subueniendum rectè eſt, tenuioribus qui præſunt Eccleſiis.*

a *Conc. Matiſcon. 2. c. 5. Conc. Ticin. ver. in ſacris. Exod. 22. 23 Leu 27. Num. 18. Tob. 3. Malach 3. c. 10. 16. q. 1. c. 10 cum ſeq 16 q 7 c. parochianus, c. ex tranſmiſſa, & ſtna, de deciſ.*

α NOn [a] ſunt ferẽdi, qui variis artib. decimas, Eccleſiis obuenientes, ſubtrahere moliuntur; aut qui ab aliis ſoluendas temerè occupant & in rem ſuam vertunt: cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt.

Præ-

Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus, 1 *cuiuſcumq; gradus*, & conditionis ſint, 2 *ad quos decimarum ſolutio ſpectat*, vt eas, ad quas de iure tenentur, in poſterum Cathedrali, aut quibuſcumq; aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitimè debentur, 3 *integrè per ſoluant*. a Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, β *niſi plena reſtitutione* ſecuta, abſoluantur. Hortatur dehinc omnes & ſingulos, pro Chriſtiana charitate, debitoque erga Paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi à Deo collatis, Epiſcopis & Parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, largè ſubuenire ad Dei laudem, atque ad Paſtorum ſuorum; qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

*a c. omnes decimæ, 16. q. 7. c. peruenit, c. non eſt, c. tua, & c. in quibuſdam, de deci. Clem. 1. eod. tit.*

---

## REMISSIONES.

α Vide Fr. Ioan. de la Cruz, de ſtatu Relig. lib. 2. ca. 19. dub. 4. per totum.

β *Niſi plena reſtitutione.*] Vide nouiſſimè P. Sanch. in præcepta Decal. lib. 2. cap. 20. num. 19.

## CAPVT XIII.

*Quarta funeralium ſoluatur omnino loco cui hactenus ſolita eſt pendi, non obſtantibus quibuſcúnque.*

α DEcernit b ſancta Synodus, quibuſcumque in locis, *iam* 1 β *ante annos quadraginta*, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut Parochiali Eccleſiæ 2 *ſolita eſſet perſolui*, 3 *ac poſtea fuerit ex quocumq; priuilegio*, aliis monaſteriis, hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro iure & eadem portione, quæ anteà ſolebat, Cathedrali ſeu Parochiali Eccleſiæ perſoluatur: non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, priuilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.

*b de ſepult. extra, in 6. & Clem.*

## DECLARATIONES.

1 *Iam ante 40. annos.* ] Non comprehenduntur monaſteria ædificata à 40. annis citra, aut quæ in dies ędificantur, pręſuppoſito quod huiuſmodi monaſteria ſunt eius religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, vt quartam funeralium non teneatur Epiſcopo ſoluere.

A diſpoſitione igitur Concilij Tridentini in hoc cap. non ſumitur argumentum quod à monaſteriis ædificatis ab annis 40. citra non perſoluatur quarta funeralium Epiſcopo, niſi monaſteria per Sedem Apoſtolicam ad ſolutionem huiuſmodi quartæ partis funeralium non teneantur. Item Monaſterium fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia à 30. annis fabricari cœptum, poſt hoc Decretum non debet ſoluere quartam funeralium Cathedrali, prout Congregatio cenſuit, huiuſmodi Monaſteria non comprehendi vel teneri quartam funeralium perſoluere Epiſcopo, præſertim præſuppoſito priuilegio quod Iulius Tertius conceſſit religioni fratrum Minorum S. Franciſci.

2 *Solita eſſet perſolui.* ] Regularibus, qui ſunt in quaſi poſſeſſione non ſoluendi quartam Epiſcopo ſeu Parocho, non incumbit onus probandi ante 40. annos non ſolui ſolitam ab eorum monaſteriis, ſed onus probandi Regulares ante 40. annos eſſe ſolitos ſoluere, ſpectat ad prætendentes Epiſcopos ſeu Parochos.

3 *Ac poſtea fuerit ex quocunq; priuilegio.* ] Idem ſi ante 40. annos dummodo priuilegium non ſit in vſu.

In priuilegiis, quæ S.D.N. mendicantibus conceſſit, ea mens fuit, vt Parochi inuitentur, quartæ funeralium ante 40. annos cum Cathedrali Epiſcopo incumbere. Non poteſt autem Epiſcopus applicare fabricæ ſuæ Eccleſiæ cenſus, quos Rectores Eccleſiarum poſſident nec prohibere quin dicti Rectores accipiant ſponte oblata ab hæredibus defunctorum.

## REMISSIONES.

α VIde Petr. de Peruſ. in tract. de Canonica Paroch. Bertachin. de Epiſcop. p. 4. lib. 4. num. 40. Petr. Gregor. Syntagm. lib. 2. c. 15. nu. 10. Chopin. de ſacra polit. tit. 7. num. 13. & 14. Guttier. de Iuram. conf. part. 2. cap. 4. numer. 2. Cardin. Thuſc. tom. 6. verbo Quarta, concl. 21. Fr. Emman. quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 39. art. 2. Latè Fr. Ioan. de la Cruz, de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 19. dub. 5.

β *Ante annos quadraginta.* ] Sacra. Cardin. Congreg. cenſuit, non comprehendi in dictis verbis Concil. Monaſteria ædificata à quadraginta annis citra, vel quæ in dies ædificantur, &c. refert. Fr. Ioan. de la Cruz, d. dub. 5. concl. 2. in fine.

CAPVT

## CAPVT XIV.

*Datur ſalutaris ac expeditus modus procedendi contra peſtem fæculentam ac lutulentam clericorum concubinariorum per ipſos Epiſcopos, ſiue illi Clerici ſint in beneficio ſiue non.*

a QVàm turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa, communi fidelium omnium offenſione, ſummóque Clericalis militiæ dedecore, teſtatur. a Vt igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ reuocentur; populúſque hinc eos magis diſcat reuereri, quo illos vitâ honeſtiores cognouerit: prohibet ſancta Synodus quibuſcúmque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo β *vel extrà detinere*, aut cum iis vllam conſuetudinem habere audeant: γ *alioquin pœnis*, 1 *à ſacris Canonibus* vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis, puniantur. 2 *Quòd ſi à Superioribus moniti*, 3 *ab iis ſe non abſtinuerint*; 4 δ *tertia parte fructuum*, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcúmque, & penſionum ipſo facto ſint priuati: quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perſeuerantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes, ac prouentus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur; ſed etiam à beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam vti Sedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur; & ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuò priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuſcúmque honoribus, dignitatibus, bene-

*a Suprà, Seſſ. 24. c. 8. Reform. Conc. Carthag. 3. c. 18. Conc. Nicænum. c. 3. Conc. Matiſcon. 1. ca. 1. Conc. Arelaten. 2. ca. 3 Conc. Tolet. 2. c. 3. Conc. Braccar. 1. c. 15. Conc. Turon. 2. cap. 10. 11. & 12. Conc. Maguntiacum. c. 49. c. interdixit, 32. diſt. c. cum omnibus, c. volumus, & c. fœminas, 81. diſt. c. 1. cum multis ſeqq. de cohab. Cler. & mulier.*

ficiis, ac officiis in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi, poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adiungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, [a] excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio, aut exemptio 5 *prædictam executionem* impediat aut ſuſpendat; ſupradictorumq; omniũ cognitio, 6 *non ad Archidiaconos*, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat: qui ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſint. 7. *Clerici verò beneficia Eccleſiaſtica*, aut penſiones non habentes, iuxta [b] delicti & contumaciæ perſeuerantiam & qualitatem ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliíſve modis, iuxta ſacros Canones, puniantur. 8 *Epiſcopi quoque* quod abſit, ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint; & à Synodo prouinciali admoniti, ſe non emendauerint; [c] ipſo facto ſint ſuſpenſi: & ſi perſeuerent, etiam ad Sanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, ſi opus erit, in eos animaduertat.

a c. 3 cum ſeq. de cohab. Cler. & mul. c. ſi concubinæ, de ſent. Excom. Conc. Aurelian. 3 c. 4.

b Sup. c. 6. & in aliis locis ſuprà alleg. Conc. Tolet. 4. c. 41. Vide 8. Tolet. cap. 6.

c ... rorundam, 34. diſt. Conc. Aurelian. 5. c. 3.

## DECLARATIONES.

HOc Decretum de concubinatu & aliis impudicitiæ ſordibus Clericorum, non procedit in ſimplici incontinentia abſque qualitate concubinatus.

1 *A ſacris Canonibus.*] Patroni poſſunt (ſi ad eos ſpectat præſentatio alicuius beneficij per concubinarium detenti) vel alij laici parochiani pro ſuo intereſſe, in quo ab his percipiunt Sacramenta, accuſare eos.

Quinimò poteſt Ordinarius procedere contra ipſos de iure non expectata forma huius Textus & vi huius literæ, eſt enim intolerabile peccatum.

2 *Quòd ſi à Superioribus moniti.*] Specialiter monendi ſunt, non autem

[ve]rum ſolùm generaliter, putà per edictum. Et hæ monitiones ex hoc Decreto non ſunt faciendæ tantùm in viſitatione, ſed & in aliis quoque temporibus fieri debent. Ad tempus, quod inter vnam & aliam monitionem intercedere debet, arbitrio Epiſcopi relinquitur.

Poterit Epiſcopus contra omnes procedere, etiam incarcerando, quando timetur de fuga iuxta traditam formam in c.6. huius Seſſionis, idque abſque monitione.

3 *Ab iis ſe non abſtinuerint.*] Epiſcopus procede poteſt per denuntiationem ex officio, vel alio qui ſibi placuerit, modo.

4 *Tertia parte fructuum.*] Si reſignatio parochialis verè fuit Romæ expedita, antequam Ordinarius reſignantem, titulo ac beneficio dictæ parochialis priuaret, eadem dicta reſignatio ſuum effectum ſortiri debet, nec eam poteſt Ordinarius infringere, nec aliquam Eccleſiæ penſionem imponere. Itaq; pœna quæ ſtatuitur in hoc capitulo non tranſit ad ſucceſſorem in beneficio, ſi concubinarius iure priuatus beneficio illud reſignat.

5 *Prædictam executionem impediat.*] Prædictam executionem exemptio aut appellatio ante vel poſt diffinitiuam ſententiam ſuſpendere non poteſt.

6 *Non ad Archidiaconos.*] Congregatio cenſuit, hoc non habere locum in immemorabili.

7 *Clerici verò*] Si Clerici concubinarij, notorij ſunt, etiam hodie ipſo iure à diuinis ſuſpenſi (provt in vetere iure) ſunt.

---

# REMISSIONES.

V Ide Bernard. Diaz in pract. c. 73. Clar. §. Fornicatio, nu. 9. verſ. Clericus autem concubinarius, Guid. Papę, deciſ. 558. Hieron. de Monte Vari. iuris q. 18. num. 48. Humald. l. 32. Gloſſ. 5. n. 6. tit. 5. p. 1. & l. 43. Gloſſ. 2. n. 3. tit. part. 1. Perez, l. 23. verſ. Quæri tamen poteſt, tit. 5. lib. 1. Ordin. Matienſ. l. 6. Gloſſ. 2. à num. 23. tit. 8. l. 5. nouę Recop. Menoch. de Arbit. caſu 418. Rebuff. de cócord. tit. de Publicis concub. verſ. Prima ergo pœna, Petr. de Bello in OEcon. Eccleſ. claſſi. 1. c. 4. à §. 5. Zerol. in praxi Epiſcop. p. 1. verbo Concubinarij, §. 3. pag. 60. P. Comitol. Reſponſ. Moral. l. 1. q. 57. P. Valer Regin. in praxi fori pœn. lib. 30. tract. 3. n. 154. verſ. Decimum. Aloyſ. Ricci. in coll. deciſ. p. 4. Collect. 857. Th. Valaſc. tom. 1. Alleg. 34. num. 7. optime Petr. de Ledeſm. p. 2. ſum. tract. 27. cap. 18.

8 *Vel extra detinere.*] Quod procedit in ſimplici incontinentia abſq; qualitate concubinatus, reſoluunt Nau. Conſ. 4. ſub tit. de Adulter. Sayr. deciſ. 4. ſub eod. tit. quem refert Aloyſ. Ricci. in Collect. deciſ. p. 4. Collect. 821. in fine, dicit probabile, ſed contrarium probabilius, P. de Ledeſm. d. cap. 18. diffic. 3.

γ *Alioquin pœnis.* ] An pecuniariis? Affirmat Aloyſ. Ricci. Curiæ Archiep. Neap. deciſ. 99.

δ *Tertia parte fructuum.* ] An etiam diſtributionum quotidianarum? Affirmant Sayr. deciſ. 7. de verbor. ſignific. quem refert. Aloyſ. Ricci. in Collect. 857. verſ. Amplia, 2. Petr. de Ledeſm. d. cap. 18. diffic. 2.

ε *Epiſcopi quoq; &c.* ] Vide P. Soar. tom. 5. de Cenſur. diſp. 31. ſect. 5. ad fin. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 32. tract. 2. num. 65. verſ. Item ex Concilio, P. Ægid. de Conink. de Sacram. & Cenſur. tom. 2. diſp. 15. ſuſpenſ. 27.

## CAPVT XV.

### *Contra Clerici filios.*

a *Conc. 9. Toletã. in c. 10. c. grauius animaduertit, c. propoſuiſti, 92. diſt.*

b *Ab Alexãd. 3 partis, 19. c. 5. & in Conc. 2. Latteran c. 14. c. 2 & per totum, de fil presbyter.*

1 VT [a] *paternæ incontinentiæ* memoria à locis Deo conſecratis, quos maximè puritas, ſanctitaſque decet, 2 α *longiſſimè arceatur*; β *non liceat* γ &c. *filiis Clericorum,* 3 *qui non ex legitimo* nati ſunt matrimonio, 4 *in Eccleſiis,* vbi eorum patres 5 θ &c. *beneficium aliquod Eccleſiaſticum* 6 *habent, aut habuerunt*, 7 *quodcúmque etiam diſſimile beneficium obtinere*, 8 [b] ο &c. *nec in dictis Eccleſiis* 9 *quoquo modo miniſtrare*, 10 *nec penſiones ſuper* fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt habere. 11 *Quodſi in præſenti pater*, & filius 12 σ *in eadem Eccleſia beneficia* τ *obtinere* 13 *reperiantur*, 14 υ *cogatur filius ſuum beneficium reſignare*, aut cum alio permutare extra Eccleſiam 15 *intra trium menſium ſpatium* : aliàs ipſo iure eo priuatus exiſtat, & ſuper iis quæcumque diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur. φ *Adhæc, reciprocæ* reſignationes, ſi quæ poſthac à parentibus Clericis in fauorem filiorum fient, vt alter alterius beneficium conſequatur: in fraudem huius Decreti, & canonicarum ſanctionum factæ omnino cenſeantur: nec collationes ſecutæ, vigore huiuſmodi reſignationum, ſeu aliarum quarumcúmque; quæ in fraudem factæ fuerint, ipſis Clericorum filiis ſuffragentur.

DECLA-

# DECLARATIONES.

1 *Vt paternæ incontinentiæ.*] Hoc Decretum à iure communi differt in quinque: Primò: quod non ſolùm ratione ſucceſſionis, (provt de iure communi,) ſed etiam ob incontinentiæ memoriam inualuit hæc prohibitio. Secundò: quòd ratione talis memoriæ legitimè arceatur quis non ſolùm immediatè, provt de iure communi, ſed etiam mediatè. Tertiò: quòd non ſolùm prohibetur ſucceſſio in beneficio eodem, ſed & in alio quocunque, etiam diſſimili, dummodo ſint in eadem Eccleſia. Quartò: quòd non ſolùm prohibetur filius obtinere beneficium in eadem Eccleſia in qua pater obtinet, ſed etiam miniſtrare, cùm iure communi tantùm pater miniſtrare prohibeatur. Quintò: quòd nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quos parentes eorum obtinuerunt, vel obtinent, habere poterant filij.

2 *Longiſſimè arceatur.*] Hunc Textum ſacra Congregatio cenſuit, procedere non ſolùm in filio reſpectu patris, ſed etiam in nepote reſpectu aui, propter verbum, *longiſſimè*, quod excludit omnem perſonam etiam mediatam, vt dictum eſt. Vide infrà, hoc cap. §. *Stante.*

3 *Qui non ex legitimo matrimonio nati ſunt.*] Filij illegitimi Clericorum non prohibentur à Concilio Tridentino cum patribus habitare.

4 *In Eccleſiis, vbi eorum patres.*] Filij Presbyterorum Decreto hoc Concilij Trid. non prohibentur retinere beneficium legitimè obtentum in eadem Eccleſia, in qua fuit beneficiatus pater eorum, qui ante publicationem eiuſdem Concilij è vita migrauit, quia hoc Decreto tantùm prohibentur in futurum obtinentes.

Illegitimus, cuius pater fuit Rector Eccleſiæ matricis, poteſt Eccleſiam filialem obtinere dependentem, ſeu aliàs illi vnitam, in qua etiam eadem matrix habet quædam iura Parochialia, ſaluo hoc Decreto, niſi vnio facta ſit per viam ſubiectionis Eccleſiæ matricis. Quod ſi beneficia ſunt vnita æquè principaliter, tunc illegitimi obtinere non poſſunt, ſi verò non ſunt vnita æquè principaliter ſed acceſſoriè, tunc poſſunt, ſi tamen dictæ Eccleſiæ vnitæ non tenentur miniſtrare in principali.

Habens Canonicatum in Eccleſia, in qua pater eius ſimiliter Canonicatum obtinuit, non poteſt in eadem Eccleſia de Canonicatu ad dignitatem aſcendere.

Pater, qui eſt coadiutor filij in Canonicatu, cedere tenetur omne ius filio, poſſet tamen ſibi aliquem ſeruare fructum aut penſionem.

Non ſunt tolerandi in Eccleſia, ſed expellendi Canonici illegitimè ex presbyteris & ſolutis mulieribus nati. Non comprehenditur

hoc Decreto is qui literis Apoſtolicis non expeditis, nec poſſeſſione ſecutâ, ceſſit in fauorem alterius in manibus Pontificis. Secus autem dicendum eſt de eo qui literas expediuit, poſſeſſionem accepit per procuratorem, quamuis numquam in Eccleſia miniſtraſſet, nam per prouiſionem acquiritur ius in re, & cauſatur vitium in perſona filij per Patris intitulationem. Abbas in cap. *Transmiſſa, num. 6. de filiis Presb.*

5 *Beneficium aliquod Eccleſiaſticum.* ] Concilium Tridentinum non prohibet, quin Pater & Filius poſſint celebrare Miſſam in eadem Eccleſia, dummodo ambo non obtineant beneficia in ea, ſed id fiat ab altero cauſâ legati quod legatum ſit Miſſam celebrantibus.

Ad Epiſcopum N. ſcribatur, vt deſinat moleſtiam exhibere presbytero N. illegitimo celebranti Miſſam, ob quoddam legatum in eadem Eccleſia, in qua Pater celebrat ob deuotionem, cùm neuter habeat beneficium, quia hic caſus non eſt prohibitus à Concilio.

6 *Habent, vel habuerunt.* ] Non dicitur ille habuiſſe, ad hoc vt comprehendatur ſub hoc capitulo, qui prouiſus, ſed literis non expeditis, & poſſeſſione non habita ceſſit alteri. *Suprà, hoc cap. Non ſunt.*

Hæc verba, *habent vel habuerunt*, intelliguntur de futuro, ſcilicet poſt publicationem Concilij, non autem ante Concilium. Congregatio cenſuit, eum comprehendi hoc Decreto qui per procurationem acquirit ius in re, hæc enim cauſat vitium in perſona filij per patris inſtitutionem. Si verò per ſolam publicationem pater obtinuerit beneficium, cùm vel literas non expediuerit, nec poſſeſſionem cœperit, ſecus cenſuit Congregatio, quia ante literarum confectionem gratia non eſt perfecta, ſed informis.

Præſumpta diſpenſatio, quæ fundatur in Regula de Triennali, non habet locum contra hoc Decretum, quia dicta Regula requirit titulum coloratum, *vt latè in c. 4. Seſſ. 7.*

7 *Quodcunq; etiam diſſimile.* ] In Eccleſiis quæ dicuntur eſſe ſorores aliarum Eccleſiarum (ſicut ſunt aliquæ in Hiſpania) in quarum altera reſidens præſupponitur reſidere in principali, non poteſt pater reſidere in vna, & filius in altera.

Cum patre habente præbendam Theologalem in Eccleſia in qua eius filius illegitimus Canonicatum detinebat, & cum filio qui ſuum Canonicatum dimittere tenebatur; ob ſuarum virtutum merita & teſtimonium ipſius Epiſcopi fuit diſpenſatum, dummodò idem pater abſtineret ab Eccleſia, ſed legeret per ſubſtitutum ab Epiſcopo eligendum cui aſſignetur aliqua portio arbitrio eiuſdem Capituli & Epiſcopi.

8 *Nec in dictis Eccleſiis quoquo modò miniſtrare.* ] Dubitatum fuit, an filius illegitimus laicus, qui in Eccleſia in qua pater beneficium ha-

bet,

bet, non habet portionem, ſed vt Cantor muſicæ tantummodo in Eccleſia cantat, prohibeatur cantare per iſtum textum? Congregatio die Decembr. 1574. cenſuit affirmatiuè, quia Concilium dicit, *quoquo modo miniſtrare*, eadem enim ratio eſt, ſiue miniſtret in officio, ſiue in beneficio. *Infr. hoc c. §. Quoquo modo.*

Filius Clerici hoc Decreto non prohibetur, quo minus tanquam Capellanus amouibilis deſeruire poſſit atque obtinere beneficium in Eccleſia, in qua eius pater nunquam fuit intitulatus ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, licet pro Capellano amouibili inſeruierit in eadem Eccleſia.

In ciuitate Leodienſi ſunt plures Collegiatæ: Decani & Canonici vigore cuiuſdam ſtatuti accedunt per certas proceſſiones in certis feſtis diebus anni ad Cathedralem, & ibi canunt vnum Verſiculum, ſeu Collectam: hoc ſtante, fuit pluries dubitatum, an valeat electio facta de filio illegitimo ad Decanatum vnius illarum Eccleſiarum Collegiatarum, cùm prædicta teneatur præſtare in Cathedrali, in qua pater eius Canonicus fuit? Congregatio cenſuit, filium prædictum illegitimum, incapacem eſſe huius Decanatus, quia quoquo modo inſeruire dictæ Eccleſiæ videtur.

9 *Quoquo modo miniſtrare.* ] Non ſolùm filius non poteſt retinere beneficia in ea Eccleſia, in qua pater obtinuit, ſed nec canere in eadem Eccleſia, tanquam Muſicus ſimplex. *Supr. hoc cap. §. Nec in dictis.*

10 *Nec penſiones.*] Idem decretum locum non habet in iis filiis Preſbyterorum, qui penſiones ſuper beneficio à patre obtento ante Concilium Tridentinum & illius confirmationem obtinuerunt.

Cum filio obtinente penſionem in Eccleſia N. in qua pater habuit Canonicatum, quem reſignauit, fuit diſpenſatum.

Filius illegitimus Presbyteri dimidium beneficium habens in illa Eccleſia in qua pater eius olim beneficium habuit, non poteſt aſcendere ad integram portionem.

Filius Presbyteri illegitimus non poteſt obtinere beneficium, quod olim pater eius abſque legitimo titulo, & minus pacificè aliquamdiu poſſedit, die 4. Septemb. 1586.

11 *Quod ſi in præſenti.* ] In petitione Presbyteri N. de reſignatione Canonicatus nepoti coadiutori, quæ ideo fit, vt eius filius poſſit obtinere eum quem habet in eadem Eccleſia Canonicatum, viſum eſt dandum ſpatium ſex menſium filio ad permutandum, ita tamen vt interim ab Eccleſia omnino abſtineat.

Illegitimo N. habenti beneficium Patrimoniale, quod permutari non poteſt in Eccleſia, in qua idem pater habet, ſed non ſeruit, vt potè iacens in lecto Paraliticus, conceſſum eſt, vt retineat, quia non poteſt permutare.

Spurij petentes in poſterum pro tranſitu ad honorem, afferant Teſtimonium & Epiſcopi commendationem, & maioris partis ſui Capituli.

Poſtulantibus, dum viuit alter, vel pater, vel filius, vt alteruter poſſit ire ad aliam Eccleſiam, & altero mortuo, de conſenſu Epiſcopi & Capituli, liceat alij ad primam Eccleſiam redire, conceſſum eſt.

Stante ſupradicta declaratione, vid. quod Concilium non comprehendat nepotem legitimum ex filio ſeu filia illegitimis reſpectu beneficij, quod auus obtinuit, dubitatum eſt, an etiam procedat viuente ipſo auo, adeò vt nepos ex filia illegitima, ſiue illa viuat, ſiue non, poſſit obtinere penſionem ſuper beneficio Parochiali, quod auus poſſidet? Congregatio die 13. Maij 1586. cenſuit affirmatiuè vt arceatur memoria prioris incontinentiæ, licet quidam Illuſtriſſimi dicerent contrariam opinionem eſſe de iure veriorem, ex ſententia Rotæ.

Cardinali N. dubitanti an nothi Parochias obtinere poſſint, viſum eſt reſpondendum Concilium Tridentinum de hoc non eſſe loquutum.

12 *In eadem Eccleſia beneficia obtinere.* ] Idem eſſet ſi vnum tantùm, ſed eſſet in perſona patris & filij cum alternatiua reſidentia.

Dicitur & aliud obtinere reſignatarius cum reſeruatione tituli & denominationis, necnon fructuum pro reſignante, perinde ac ſi reſignaſſet. Vnde reſignatarius cenſetur priuatus titulo, ſi poſt publicationem Concilij intra tempus hîc præſcriptum non reſignauit; ſi tamen eius viueret beneficiatus, in ea Eccleſia vere beneficiatus eſt; licet reſeruatis fructibus vt ſuprà: ſecus verò ſi eius pater in eadem Eccleſia beneficiatus ante prædictam publicationem Concilij fuiſſet mortuus: Tunc enim eueniente morte reſignantis, illud beneficium plenè poſſidere poteſt, fructúſque inde percipere pleno iure, & tuta conſcientia tanquam ante Concilium acquiſitos.

13 *Reperiantur* ] Etiamſi eſſet factus coadiutor, teneretur intra ſex menſes à die mortis patris reſignare.

14 *Cogatur filius ſuum beneficium reſignare.* ] Si fieret locus regreſſui, & qui regreſſum habet, nollet conſentire; oblata prius reſignatione cum honeſta penſione & non acceptata, admittitur reſignatio, & regreſſus ſuſpenditur vſque ad ceſſum vel deceſſum reſignatarij.

Filius omnino cogendus eſt reſignare beneficium, quod obtinet in illa Eccleſia, in qua pater obtinuit, quia filius ſemper repreſentat incontinentiam paternam. Hoc tamen moderatum quandóque fuit de conſenſu Ordinariorum, ſi pater reſignaſſet ſua ſponte ſuum beneficium.

15 *Intra trium menſium ſpatium.* ] Filij intra trium menſium ſpatium reſignare debent ſua beneficia: quod adeò verum eſt, vt ſi poſt dictos tres menſes non reſignauerint, nihil eis proſit hoc Decretum.

REMIS-

# REMISSIONES.

α *Longiſſimè arceatur.* ] Si per triginta annos alius mediatè ſucceſſerit, quòd videtur filium poſſe in eo ſuccedere, docet Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gl. 5. n. 33.

β *Non liceat.* ] An liceat illa beneficia, quæ pater ante hanc Conſtitutionem dimiſit, obtinere? Affirmat & reſolutum fuiſſe refert Farin. dec. 81.

γ *Filiis clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio.* ] Quòd filius natus ex legitimo matrimonio poteſt obtinere beneficium patris, reſoluunt Fr. Emman. in ſumm. tom. 1. cap. 29. nu. 4. verſ. *Lo primero,* Veg. p. 1. cap. 36. caſu 18. verſ. *Lo quarto,* Garſi. de Benefic. p. 7. cap. 3. num. 18.

δ An prohibitio hæc procedat in filiis naturalibus, procreatis ante clericatum? Affirmat Balb. deciſ. 29.

ε An procedat in illegitimo Religioſo? Negat Sayr. dec. 4. ſub tit. de filiis presbyter.

ζ An habeat locum in nepotibus legitimis filiorum ex filio illegitimo, reſpectu beneficij aui? Affirmant Rebuff. Rojas, & Mier. quos refert Garſi. d. c. 3. n. 21. Salzed. in pract. ca. 48. lit. A. P. Leſſi. de Iuſtit. lib. 2. c. 34. n. 91. Negant Nauar. conſ. 9. nu. 9. ſub tit. de filiis presbyter. Spin. in Speculo Teſtam. gl. 3. à nu. 13. Sayr. de Cenſur. lib. 6. c. 10. nu. 46. & deciſ. 9. de filiis presbyt. Balb. deciſ. 21. P. Azor. inſt. Moral. part. 2. lib. 6. cap. 4. qu. 17. Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 397. num. 6.

η An è conuerſo prohibeatur pater ſuccedere in beneficio filij? Negant Rebuff. in praxi tit. de Diſpenſat. ſuper defectu natalium, num. 29. Fr. Emman. d. cap. 29. num. 4. in fine, Quintanad. Eccleſiaſt. lib. 2. num. 95. Nicol. Garſi. d. cap. 3. num. 28.

θ *Beneficium aliquod habent.* ] Quòd pater clericus habens facultatem transferendi penſionem poteſt illam transferre in filium illegitimum, reſoluunt Gig. de Penſionib. q. 86. n. 5. Flam. de Reſign. lib. 6. q. 4. n. 21. & 22. Gonzal. ad reg. 8. Canc. gl. 5. §. 5. n. 22. & 23. P. Azor. Inſt. Mor. p. 2. lib. 8. cap. 8. q. 7. Nicol. Garſi. d. c. 3. nu. 34. Steph. Grat. diſcept. forenſ. cap. 397. nu. 1. & 7. Aloyſ. Ricci. in collect. deciſ. p. 4. collect. 1307. in fine.

ι Clericum non prohiberi obtinere beneficium in Eccleſia, in qua eius pater nunquam fuit intitulatus ad aliquod beneficium intitulatum, licèt pro Capellano inſeruierit in eadem Eccleſia, reſoluunt Nicol. Garſi. de Benef. p. 7. cap. 3. nu. 72. Steph. Gratian. diſcep. forenſ. cap. 397. n. 24. cum ſeqq. Nec prohiberi obtinere Canonicatum, qui erat portio tempore quo pater illũ obtinebat, refert Achill. de Graſ. deciſ. 1. de filiis presbyter. Nec prohiberi ſuccedere in Capellania,

quæ

quæ fundari ſolet, maximè in Hiſpania, abſque aliqua Epiſcopi vel alterius ſuperioris auctoritate, vt in illis ſuccedant clerici de parentela, aſſerit Gonzal.d.gl.5.n.33.& ſeqq.

## *Deciſiones Illuſtriſſ. Cardinal. adductæ per Garſiam locis infrà citatis.*

κ PRima. Congregatio Concilij cenſuit, Canonicum illegitimum, cuius pater poſſeſſionem alterius Canonicatus in eadem Eccleſia apprehendit, licet in dicta Eccleſ. non miniſtrauerit, nec aliquid perceperit ex fructibus ipſius Canonicatus, comprehenſum eſſe decreto Concil.ſeſſ.25. cap.15. Illum verò, cuius pater ſola Romani Pontific. ſignatura ſibi obtinuit conferre Canonicatum eiuſdem Eccleſiæ ſed neque literas Apoſt. expediuit, neque vnquam habuit poſſeſſionem, non comprehendi, refert Garſi. de Benef. par.7. cap.3. num.55.

λ Secunda. Non dicitur habuiſſe, ad hoc vt comprehendatur ſub hoc cap. ille, qui fuit prouiſus, & literis non expeditis, & poſſeſſione non habita, ceſſit alteri, refert Garſi. d. c.3. nu.56.

μ Tertia. Filius presbyteri illegitimus non poteſt obtinere beneficium, quod olim pater ſuus abſque legitimo titulo, & minùs pacificè poſſedit, refert Garſi. d. c. 3. nu. 59.

ν Quarta. An illegitimus obtinere poſsit Eccleſiam filialem, quando eius pater obtineret matricem? Fuit dictum poſſe, quando obtinentes filiales non tenerentur miniſtrare in matrice, refert Garſi. d. c.3.n.63. vbi etiam dicit procedere quoad Eccleſias filiales, quæ ſunt beneficia de per ſe, & diſtincta à matricibus, & n.65. reſoluit quòd ſi vnio facta ſit acceſſoriè, & pater habuit, ſeu habet Eccleſiam, ſeu beneficium principale, filius poteſt obtinere vnitam, tanquam Vicarius perpetuus, ſeu tanquam Vicarius temporalis.

ξ Quinta. Item fuit quæſitum, an filius illegitimus per Concil. hoc cap. excludatur, ne poſsit obtinere beneficium in Eccleſia, in qua eius pater habuit ſolam ſedem in choro, ratione dignitatis, quam in alia Eccleſia obtinebat? Congregatio reſpondit excludi, & refert Garſi.d.c.3.num.66.

ο *Nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare.*] Neque Miſſam ibi celebrare, aut Epiſtolam canere, neque Sacriſtæ aut Cantoris officio fungi poſſe reſoluunt Nau.conſ.1. q.17. ſub tit.de Conſtitut. Sayr. deciſ. 1.ſub eod.tit.quem refert Aloyſ.Ricci.in collect.deciſ.p.4.collect.1367.verſ. Tu amplia, Steph.Grat. diſcep.forenſ.c.397.nu.16. cum ſeqq.vbi nu.28. teſtatur, quòd nec etiam Antiphonam in ea canere ratione oneris beneficij alterius Eccleſiæ annexi, de quo etiam Aloyſ. Ricci. Curiæ Archiep. Neap.deciſ.3.

ϖ Sacra Card. Congr.ita cenſuit: Concil.Trid.non prohibet, quin pater & filius poſsint celebrare Miſſam in eadem Eccleſia, dummodo ambo

ambo non obtineant beneficium in ea, ſed id fiat ab altero deuotionis gratia, ab altero cauſa legati, quod relictum ſit Miſſam celebrantibus, refert Nicol. Garſi. d. c. 3. nu. 73.

ſ Item cenſuit filios illegitimos clericorum non prohiberi à Concil. Trid. cum patribus habitare, refert Garſi. d. c. 3. num. 74.

σ *In eadem Eccleſia beneficia obtinere.* ] Sacra Card. Congr. ita cenſuit: Idem eſſet, ſi vnum tantùm, ſed eſſet in perſona patris & filij cum alternatiua reſidentia, quo caſu fuit decretum, quòd pater in totum cederet filio totum ius, quod haberet, reſeruata ſibi penſione, & perpetuò abſtineret à ſeruitio.

τ *Obtinere.* ] An collatio ei facta ſit ipſo iure nulla? Affirmat Sayr. deciſ. 1. de Conſtitut.

υ *Cogatur filius.* ] Vide Flamin. de Reſign. li. 3. qu. 18. nu. 38.

φ *Adhuc reciproca, &c.* ] Vide Nauar. conſ. 5. de Renun. Fr. Emman. in ſum. part. 1. c. 56. n. 9. & faciunt quæ ſcribit Flamin. de Reſign. lib. 14. quæſt. 9.

## CAPVT XVI.

*Beneficia habentia annexam curam animarum non conuertantur in ſimplicia. Vicario, in quem tranſlata fuerit cura animarum aſſignetur congrua portio, & reapplicetur animarum cura cum titulis.*

STatuit ſancta Synodus, vt Eccleſiaſtica beneficia ſæcularia, quocúmque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum inſtitutione, aut aliter quomodocúmque retinent, 1 *illa deinceps in ſimplex beneficium*, etiam aſſignata Vicario perpetuo congrua portione, 2 *non conuertantur:* non obſtantibus quibuſcúmque gratiis, quæ ſuum plenarium effectum non ſunt conſecutæ. In iis verò, in quibus contra earum inſtitutionem, ſeu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum tranſlata eſt, etiam ſi in hoc ſtatu ab immemorabili tempore, reperiantur, ſi congrua portio fructuum Vicario, quocumque nomine is appelletur, non fuerit aſſignata, ea quamprimum, & ad minùs intra annum à fine præſentis Concilij, arbitrio Ordinarij, [a] iuxta formam decreti ſub fel. rec. Paulo III. aſſignetur. Quod ſi id commodè fieri non poſſit, aut intra dictum terminum factum non erit:

a Sup. Seſſ. 7. de reform. ca. 7.

erit: cùm primùm per ceſſum vel deceſſum Vicarij, ſeu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen ceſſet, 3 *& in antiquum ſtatum reſtituatur.*

---

## REMISSIONES.

α *QVomodocumque retinent.*] Vide Zerol. in praxi Epiſc. part. 1. verbo Vnio. §. 3. pag. 348.

## CAPVT XVII.

### *Epiſcopi vbique viuant tanquam Patres & Paſtores ſecundum gradus ſui decorum, nullibi autem indignè ſe demittant.*

NOn poteſt ſancta Synodus non grauiter dolere, audiens Epiſcopos aliquos, ſui ſtatus [a] oblitos, Pontificiam dignitatem non leuiter dehoneſtare; qui cum Regum miniſtris, Regulis, & Baronibus in Eccleſia, & extra, indecenti quadam demiſſione ſe gerunt, & veluti inferiores miniſtri altaris, nimis indignè non ſolùm loco cedunt, ſed etiam perſonaliter illis inſeruiunt. Quare hæc, & ſimilia deteſtata ſancta Synodus, ſacros Canones omnes, Conciliaque generalia, [b] atque alias Apoſtolicas ſanctiones ad dignitatis Epiſcopalis decorum, & grauitatem pertinentes renouando, præcipit, vt ab huiuſmodi in poſterum Epiſcopi ſe abſtineant; mandans eiſdem, vt tam in Eccleſia, quàm foris ſuum gradum, & Ordinem præ oculis habentes, vbique ſe Patres, & Paſtores eſſe meminerint, reliquis verò tam Principibus, quàm cæteris omnibus, vt eos paterno honore, ac debita reuerentia proſequantur.

a *Vnde Concil. Agat. c. 23. nec Epiſc. poſteriorẽ ſinit priori præponi, & 3. Bracc. car. c. 24. c. quãto, de off. ord. & ſupr. ſeſſ. 24. de ref. c. 4.*

b *Supr. c. 6. Valentin. 63. diſt. c. Epiſcopus in Eccleſiis 95. diſt. c. quis dubitet, c. duo ſunt, cum ſeq. 96. diſt. & c. ſolita, de maio. & obed.*

CA-

## CAPVT XVIII.

*Canones exactè ſeruentur ab omnibus indiſtinctè: ſi quando in eis diſpenſandum, id valide, maturè, & gratis fiat, alioquin diſpenſatio ſit ſurreptitia.*

SIcut publicè expedit, legis vinculum quandóque relaxare, vt pleniùs, euenientibus caſibus, & neceſſitatibus, pro communi vtilitate ſatisfiat: ſic frequentiùs legem ſoluere, exemplóque potius, quàm certo perſonarũ, rerúmque delectu, petentibus indulgere, nil aliud eſt, quàm vnicuíque ad leges trãſgrediendas adire. a Quapropter ſciãt vniuerſi, ſacratiſſimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indiſtinctè obſeruãdos. Quòd ſi α *vrgens, iuſtaque ratio*, & maior quandóque vtilitas poſtulauerint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe; b id β *cauſa cognita*, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum: alitérque facta diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur.

a c. ſi Romanor. 19. diſt. c. ſi quis omnem, 1 q. 7. c. 1. de conſtit.

b c. 1. de voto.

vide lo bueno in sum. trat. 2 de leg. c. 41

## REMISSIONES.

α VRgens, iuſtaque.] Ad diſpenſationem debere cum legitima auctoritate concurrere rationabilem cauſam, iuxta viri boni arbitrium, reſoluunt P. Valer. Regin. in praxi fori pœnit. lib. 13. ca. 19. nu. 194. cum ſeqq. Fr. Ioan. de la Cruz de ſtatu Relig. lib. 2. c. 1. dub. 1.

β Cauſa cognita.] Vide P. Sanch. de Matrim. lib. 3. diſp. 8. num. 3. & lib. 8. diſp. 17. num. 10.

## CAPVT XIX.

*Quicumque Domini temporales locum ad monomachiam concedentes ſint ipſo facto excommunicati, & priuati certis priuilegiis ab Eccleſia obtentis. Ipſi quoque duellantes & eorum patrini grauibus pœnis plectantur.*

α &c. DEteſtabilis a duellorum vſus, fabricante diabolo, introductus, vt cruẽta corporũ morte, anima-

a c. 1. de torn men.

animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales; qui locum ad [a] monomachiam in terris ſuis *inter Chriſtianos conceſſerint*; eo ipſo ſint excommunicati; ac iuriſdictione, & dominio ciuitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur: &, ſi feudalia ſint, directis dominis ſtatim acquirantur. 1. *Qui verò pugnam commiſerint*, & qui eorum Patrini vocantur, & excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamię pœnam *incurrant*; & vt homicidæ, [b] iuxta ſacros Canones, puniri debeant. Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò *careant eccleſiaſtica ſepultura*. Illi etiam, 2 *qui conſilium* in cauſa duelli, tam in iure, quàm facto dederint; aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obſtante quocunque priuilegio, ſeu praua conſuetudine, etiam immemorabili.

*a de ea & Nicolaus 1. decretorum ſuorum titul. 11.*

*b c. 2. de cler. pugnan. in duel. de torneam. per totum, & toto tit. de homi.*

---

## DECLARATIONES.

1 *Qui verò pugnam.*] Qui ex condicto & ſtatuto tempore, & in loco conſueto commiſerit duellum, etiamſi nulli patrini ſociive ad id vocati fuerint, vel loci ſecuritas habita, nullæve prouocatoriæ literæ aut denunciationes cartulæque præceſſerint, cenſulis & pœnis à Concil. Trident. impoſitis perinde tenentur, ac ſi publico & conſueto abuſu ſingulare certamen iniuiſſent, iuxta Bullam Gregor. XIII. incipientem, *Ad tollendam deteſtabilem duellorum*, publicatam 9. Decembr. 1582.

2 *Qui conſilium.*] Locorum Domini ſi certamen huiuſmodi ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut, quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, omnéſque illud fieri mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium & fauorem dantes: equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes: aut ex propoſito ſpectatores, vel ſocios quouis modo ſe præbẽtes, eiſdem pœnis ſubiaceant: etiãſi illi, qui ad locũ deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſtetit, quo minus illa committeretur. Ita Greg. XIII. in eadem iam dicta Bulla. Attamen S.D.N. Greg.

Greg. XIII. audita relatione reſpondit poſtmodum hoc Decretum in duellis ſolemnibus, & publicis, non autem in priuatis habere locum. Nouiſſimè pro hac materia videnda eſt Bulla S.D.N. Clementis VIII. edita Kal. Septembr. 1592. quæ incipit, *Deteſtabilis duellorum vſus.*

---

## REMISSIONES.

α Vide Ordina. Regiam Luſitanorum lib. 5. tit. 43. Sylueſt. Caiet. Armil. & alios Summiſtas verbo Duellum, Salzed. ad Bern. in pract. c. 100. Azeued. l. 10. n. 18. tit. 8. l. 8. nouæ Recop. Nau. conſ. 1. & 2. de Purgat. vulgari, Bannes in 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 5. Mench. Illuſtri. c. 49. n. 11. cum ſeq. Valent. 2. 2. diſp. 3. q. 17. puncto 1. Farin. in praxi crim. lib. 4. q. 119. n. 18. & conſ. 9. lib. 1. Fr. Emm. q. Regul. to. 3. q. 61. art. 1. verſ. 12. Zerol. in praxi Epiſcop. verbo Duellum, Quarãt. in Summa Bullarij cum addit. Proſper de Auguſtino verbo Duellum, pag. mihi 218. Sayr. in Claui Regia, li. 7. c. 13. n. 11. cum ſeq. & de Cenſur. li. 3. c. 31. à n. 29. nouiſſimè Pet. Caball. in tract. de omni genere homicidij, à n. 76. cum multis ſeqq. plures ex antiquioribus refert Cened. ad Decret. collect. 117. n. 4. Et ex doctiſsimis Religioſis Societatis Iesv, vide P. Henriq. in Sum. l. 13. c. 39. §. 3. P. Paul. Comitol. Reſp. Mor. l. 6. q. 13. cum ſeqq. P. Molin. de Iuſtit. tract. 3. diſp. 17. P. Martin. Delr. Diſquiſit. Magic. l. 4. c. 4. q. 4. ſect. 2. optimè P. Valer. Reginal. in praxi fori pœnit. lib. 21. c. 7. à n. 73. nouiſsimè P. Sanch. in Præcepta Decalogi, li. 2. c. 39. num. 19. cum ſeqq.

β Conſtitutionem Clem. VIII. incip. *Illius vices*, quam edidit anno Dom. 1591. renouare Bullam quãdam de hac re editam à Pio IV. & confirmare alteram Gregor. XIII. incip. *Ad tollendum*, editam anno Incarnat. 1582. 9. Decembris, refert latè, & eleganter P. Valeri. Reginald. d. lib. 21. num. 81. cum ſeqq. vbi reſoluit, Gregor. XIII. in prædicta Bulla extendere impoſitas in Concilio in præſenti pœnas aduerſus omnes illos, qui non publicè quidem, priuatim tamen ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiſerint, etiamſi nulli patrini, ſociiue ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæ prouocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præceſſerint. Quas etiam pœnas extendere teſtatur contra locorum dominos, ſi certamen ex condicto permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, nec non contra eos omnes, qui duellum huiuſmodi fieri mandauerint, inſtigauerint, auxilium, conſilium, vel fauorem dederint, aut equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia, ſcienter ſubminiſtrauerint, aut ex compoſito ſpectatores vel ſocios, ſi ſe quouis modo præbuerint, etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerint, per ſeipſos non ſteterit quominus illa committeretur.

γ Vtrum liciti ſint conflictus illi particulares, qui inter hoſtes ſolent fieri tempore belli, inter vnum, & vnum, decem, & decem, &c. Vide Caiet. 2.2.q.95. in fin. Petr. à Nauarra li. 2. de Reſt. c. 3 n. 295. & 296. P. Sanch. in præcepta Decalogi l. 2. c. 39. à nu. 12. P. Valer. Regin. d. lib. 21. num. 79.

δ Vtrùm Concilium in præſenti procedat, quando duellum fuerit commiſſum in loco priuato & non tuto, ſine patrinis, ſociiſve ad id vocatis, ac ſine prouocatoriis literis, & chartellis, ac etiam pugna non perfecta? Affirmant P. Valeri. Regin. in citato loco, Ioſeph. Ludo. Peruſ. deciſ. 11. Aloyſ. Ricci in collect deciſ. p. 3. collect. 616. Farinac. d. conſ. 9. n. 34. Quarant. d. verbo Duellum, ver. Nouiſsimè, vbi refert ita declaraſſe S.D.N. Clement. VIII. die 2. Septembr. 1592. Negant, reſoluentes, Concil. in præſenti de ſolo Duello ſolemni, quod auctoritate publica, & cum patrinis fiebat, loquutũ fuiſſe Bouadil. in ſua Polit. l. 2. c. 14. n. 41. & poſt Nauar. & P. Soar. P. Sãch. d. c. 39. n. 22.

ε An pro honoris defenſione duellum licitum ſit? Negant Bernard. Græuæ ad pract. Cameræ Imper. lib. 2. concl. 100. conſid. 1. P. Valeri. Reginal. d. l. 21. n. 80. vbi etiam reſoluit, nulla vnquam de cauſa licitum fuiſſe duellum ſuſcipere.

ζ *Inter Chriſtianos conceſſerunt.*] An procedat inter infideles? Negant P. Mart. Delt. d. q. 4. n. 16. P. Sanch. d. cap. 39. nu. 29. vbi ſecus dicit, ſi Chriſtiano pugnaturo cum infideli in ſuo Regno locum cõcederet.

η *Incurrant.*] Vide P. Valeri. Reginal. d. li. 22. n. 76. poſt princip. vbi reſoluit, non obſtare quod Concilium in præſenti vtatur verbis imperatiui modi, quæ videri poſſunt ſignificare non ſententiam latam, ſed ferendam per iudicem, quia ea non diriguntur ad iudicem, vt cenſeantur requirere illiùs actionem, ſed ad reum, quem per imperium efficax ligauit.

θ *Careant Eccleſiaſtica ſepultura.*] Morientes in duello ſepultura priuari, reſoluunt D. Martin. Carrillo *en la Explication de la Bulla de los defunctos*, par. 2. c. 4. nu. 55. P. Valeri. Regin. d. lib. 22. num. 76. verſ. Accedit.

## Capvt XX.

*Cogantur omnes Principes Catholici conſeruare omnia ſancita quibus immunitas eccleſiaſtica declaratur, à prædictorum Principum Officialibus minime lædenda, ſed bene conſeruanda.*

CVpiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam tectam à quibuſcúmque impedimentis conſeruari, præter ea quæ de Eccleſiaſticis perſonis con-

ſtituit,

ſtituit, ſeculares quoque Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos, vt Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei Eccleſiæq; protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui, non tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam [a] ſubditos ſuos omnes ad debitã erga Clerum, Parochos, & ſuperiores Ordines reuerentiam reuocaturos; nec permiſſuros, vt Officiales, aut inferiores magiſtratus, Eccleſiæ & perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, [a] *& Canonicis ſanctionibus conſtitutam*, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent; ſed vnà cum ipſis Principibus debitam ſacris ſummorum [b] Pontificum, & Conciliorum conſtitutionibus obſeruãtiam præſtẽt. Decernit itaque & præcipit, [c] ſacros Canones, & Concilia generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas ſanctiones, in fauorem eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obſeruari debere. Proptereaq; admonet Imperatorem, Reges, Reſp. Principes, & omnes, & ſingulos, cuiuſcúmque ſtatus, & dignitatis extiterint, vt, quo largiùs bonis temporalibus, atq; in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius, quæ Eccleſiaſtici Iuris ſunt, tãquam Dei præcipua, eiuſque patrocinio tecta, venerentur; nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliiſve dominis temporalibus, ſeu magiſtratibus, maximeque miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur; ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, eccleſiarúmque protectionem exiſtant; [d] imitantes anteriores optimos, religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſię ſua imprimis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoque ea in re quiſque officium ſuum ſedulò præſtet: quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati; cæterique Clerici in reſidentiis, & officiis ſuis, quieti, & ſine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi, permanere valeant.

*a c Conc. §. hinc, 17. diſt. 1. quis dubitet. c. duo ſunt, & c. ſi. 96. diſt.*

b *Pij II. ep. 2.*

c *c. peruenit. 86. diſt. c. ſi quis ſuadente. 17. q. 4. toto tit. de im. muccel. c. quam, quam, de cenſi. in 6. c. fœlicis, de pœ. eo. lib. Conc. Ticinen. verſ. ſtatuimus, & verſ. ſancimus. Concil. Aquiſgran. c. 9. Conc. Lateran. ſub. Leone X, Seſſ. 9. & 10.*

d *c. Valentinia. 63. diſ. c. eccleſiæ in c. ſi. 87. diſtin. c. Conſtantin. & c. vlt. 96. diſt.*

## REMISSIONES.

a *ET Canonicis ſanctionibus conſtitutam.*] Vtrum exemptio Clericorum, quoad forum ſit iuris humani, an Diuini? Vide Couar. Pract. cap. 31. numer. 2. Medin. in Cod. de Reſtitut. qu. 15. Chaſſan. ad conſuetud. Burgund. Rub. 1. §. 3. fol. 30. n. 27. cum ſequentib. Mench. Illuſtri. cap. 22. nu. 8. & de ſucceſſ. creat. §. 22. nu. 58. Nau. in cap. Nouit. notab. 3. num. 52. de Iudic. Perez l. 1. tit. 3. li. 1. Ordin. pag. 55. Humad. l. 14. tit. 1. par. 6. gloſſ. 2. n. 6. Surd. conſ. 301. n. 46. & 55. Anaſtaſ. Germon. de Sacrorum Immunit. lib. 3. cap. 15. à n. 15. Farin. in praxi crimin. qu. 8. n. 2. Flamin. de Reſign. l. 7. q. 9. n. 5. Garſi. de Nobilit. gl. 9. n. 1. Morl. in Emporio iuris p. 1. tit. 2. quæſt. 12. Ceuall. Commun. contra Comm. q. 550. Soar. de Paz tom. 2. prælud. 2. n. 2. P. Molin. de Iuſt. tract. 2. diſp. 31. concl. 1. & 3. Valaſ. conſ. 100. n. 8. Pat. Azor. Inſtit. Moral. p. 1. lib. 5. cap. 12. P. Paul. Comit. Reſp. Moral. li. 1. qu. 92. Sayr. in Claui Regia, lib. 12. c. 8. nu. 16. cum ſeqq. D. Mart. de Iuriſdict. p. 4. caſu 64. num. 1. Caſtill. Quotid. lib. 2. cap. 5. n. 29. cum ſeqq. Cened. ad Decretum collect. 37. n. 1. & Canon. qu. lib. 1. q. 4. per totam. Ex noſtris Luſitanis Fr. Emman. q. Regul. tom. 2. q. 62. art. 2. Cabed. par. 2. deciſ. 83. n. 10. nouiſſimè Cald. Pereira in Comment. ad leg. vni Cod. ex Delictis defunct. p. 1. n. 54. Fr. Anton. de Souſa in Relect. de Cenſuris Bullæ Cœnæ, c. 19. diſp. 91.

## CAPVT XXI.

POſtremo S. Synodus, omnia, & ſingula, ſub quibuſcúmque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina, tam ſub fel. rec. Paulo III. ac Iulio III. quàm ſub Beatiſſimo Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc a ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat, ita decreta fuiſſe, vt in his ſalua ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ, & ſit, & eſſe intelligatur.

a *Supr. Seſſ. 7. de refor. in princ.*

### *Decretum de continuanda Seſs. in diem ſequentem.*

Cum ea omnia, quæ in præſenti Seſſione tractanda erant, quia hora tarda eſt, commodè expediri nõ poſſint; propterea iuxta id quod in generali Congregatione à Patribus ſtatutum fuit, ea quę ſuperſunt, in diem craſtinam hanc eandem Seſſionem continuando, differuntur.

CON-

# CONTINVATIO SESSIONIS
## DIE IV. DECEMB.

### *Decretum de Indulgentiis.*

a CVm poteſtas conferendi Indulgentias à CHRISTO Eccleſiæ conceſſa ſit; atque huiuſmodi poteſtate, diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit: ſacroſancta Synodus Indulgentiarum vſum, Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel aliàs concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Abuſus verò; qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos, & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit, prauos quæſtus omnes pro his conſequendis, vnde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Cæteros verò, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliundè quomodocúmque prouenerunt, cùm ob multiplices locorum, & prouinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant ſpecialiter prohiberi; mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque huiuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eoſque in prima Synodo Prouinciali referat: vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad ſummum Romanum Pontificem deferantur: cuius auctoritate, & prudentia, quod Vniuerſali Eccleſiæ expediet, ſtatuatur; vt ita ſanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.

## REMISSIONES.

a VIde Angles in Floribus Theologicarum qu.e. de Indulgent. Nau. in particulari opere, P. Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 20. P. Soar. tom. 4. prope finem, P. Henriq. in Summa p. 1. lib. 7. de Indulgent. P. Valeri. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 7. à nu. 94. cum ſeqq. P. Ægid. de Coninck. de Sacram. & Cenſuris tom. 2. diſp. 11. Baſd. Iunium ſuper opera controu. Bellarm. p. 1. lib. 6. de Indulgent.

### *De delectu ciborum, ieiuniis, & diebus feſtis.*

Inſuper hortatur ſancta Synodus, & per ſanctiſſimum Domini noſtri atque Saluatoris aduentum Paſtores omnes obteſtatur, vt tanquam boni milites illa omnia, quæ ſancta [a] Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum mater & magiſtra, ſtatuit, necnon ea, quæ tam in hoc Concilio, quàm in aliis œcumenicis ſtatuta ſunt, quibuſcúmque fidelibus ſedulò commendent; omníque diligentia vtantur, vt illis omnibus, & iis præcipuè ſint obſequentes, quę ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus, & ieiunia; vel etiam, quæ faciunt ad pietatem augendam, 1 *vt dierum feſtorum deuota, & religioſa celebratio*; admonentes populo crebrò, [b] obedire Præpoſitis ſuis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui verò contemnunt, Deum ipſum vltorem ſentient.

a c. non decer. 12. diſt. Vigil. in ep. ad Eutherum in fi. Felix 1. in ep. 3.

b c. qui ſuis 93. diſt. c. quia frater 7. q. 1. Luc. 10.

## DECLARATIONES.

1 *Vt dierum feſtorum deuota & religioſa celebratio.* ] Nihil innouandum in conſuetudine hucúſque tolerata in nundinis, quæ non ſunt ſolemnes, ſed fiunt peractis ſacris in feſto alicuius Sancti, ante eius Eccleſiam, extra tamen atrium.

### *De Indice librorum, & Catechiſmo, Breuiario, & Miſſali.*

SAcroſancta [c] Synodus in ſecunda Seſſione, ſub Sanctiſſimo Domino noſtro Pio IV. celebrata, delectis quibuſ-

c Supr. Seſſ. 18. prin.

quibuſdam Patribus commiſit, vt de variis cenſuris, ac libris, vel ſuſpectis, vel pernicioſis, quid facto opus eſſet, conſiderarent; atque ad ipſam ſanctam Synodum referrent: audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impoſitam eſſe; nec tamen, ob librorum varietatem, & multitudinem, diſtinctè, & commodè poſſit à ſancta Synodo diiudicari; præcipit, vt, quidquid ab illis præſtitum eſt, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur; vt eius iudicio, atque auctoritate terminetur, & euulgetur. Idemque de [a] Cathechiſmo à Patribus, quibus illud mandatum fuerat, 1 *& de Miſſali*, & Breuiario fieri mandat. [a] *Vide ſeſſ. 24. c. 7.*

## DECLARATIONES.

### *De Miſſali.*

1 *Et de Miſſali.*] Pius V. in Bulla poſita in Miſſali Romano, ex Decreto Conc. Trident. à ſe reſtituto, ſuſtulit omnes alias ceremonias, preces & ritus ex aliis Miſſalibus, quantumuis vetuſtis hactenus obſeruari conſuetos, derogans conſuetudini etiam immemorabili.

Celebrantes cum alio Miſſali, quàm cum hoc reformato, qui aliàs ex dicta Bulla tenentur, incurrunt in peccatum mortale, ſi ſcienter & abſque iuſta & rationabili cauſa id faciant.

### *De loco Oratorum.*

DEclarat S. Synodus, ex loco aſſignato Oratoribus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, in ſedendo, incedendo, aut quibuſcúmque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuiſſe præiudicium; ſed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum ſuorum iura, & prærogatiuas illæſas, & ſaluas eſſe, in eodemque ſtatu permanere, provt ante præſens Concilium reperiebantur.

### *De recipiendis, & obſeruandis Decretis Concilij.*

Tanta fuit horum temporum calamitas, vt hæreticorum inueterata malitia, vt nihil tam clarú in fide noſtra

aſſerenda vmquam fuerit, aut tam certo ſtatutum; quod non, humani generis hoſte ſuadente, illi errore aliquo contaminauerint: ea propter ſancta Synodus id potiſſimum curauit, vt præcipuos hæreticorum noſtri temporis errores damnaret, & anathematizaret; verámque & Catholicam doctrinam traderet, & doceret, provt damnauit, anathematizauit, & definiuit. Cúmque tamdiu tot Epiſcopi, ex variis Chriſtiani orbis prouinciis euocati, ſine magna gregis ſibi commiſſi iactura, & vniuerſali periculo ab Eccleſiis abeſſe non poſſint; nec vlla ſpes reſtet, hæreticos, toties, fide etiam publica, quam deſiderarunt, inuitatos, & tamdiu expectatos, huc amplius aduenturos; ideóque tandem huic ſacro Concilio finem imponere neceſſe ſit: ſupereſt nunc, vt Principes omnes, quod facit, in Domino moneat ad operam ſuam ita præſtandam, vt, quæ ab ea decreta ſunt, ab hæreticis deprauari, aut violari non permittant; ſed ab his, & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obſeruentur. Quod ſi in his recipiendis 1 *aliqua difficultas oriatur*; aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem poſtulant, præter alia remedia, in hoc Concilio inſtituta, confidit ſancta Synodus Beatiſſimum Romanum pontificem curaturum, vt vel euocatis ex illis præſertim prouinciis, vnde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij generalis celebratione, ſi neceſſarium iudicauerit, vel commodiore quacúmque ratione ei viſum fuerit, prouinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.

## DECLARATIONES.

### *De recipiendis, & obſeruandis Decretis Concilij.*

1. *Aliqua difficultas oriatur.* ] Cauſis granibus quæ committuntur in Rota apponatur hæc clauſula, quæ in cauſa Salamantinenſi prius appoſita fuit, ſcil. *committatur in Rota, cum facultate inhibendi, præuia tamen matura cauſæ cognitione, & Decretis Concilij in hac parte editis diligenter prius conſideratis, & diſcuſſis in Rota.*

Decre-

Decreta, & literæ Congregationis Concilij ſemotis litibus ſunt executioni demandandæ, nec ſuper his, ſententia vel Decretum aliquod eſt iterum faciendum.

S.D.N. Gregorius XIII. reducit ad terminos Decretorum Concilij eas tantùm materias, de quibus Concilium diſpoſuit: eas autem de quibus Conc. nihil decreuit, reliquit in terminis in quibus erat ante Concil. & ideo ſi qua ipſis Regularibus priuilegia eo tempore indulta fuerunt, quæ Decretis Conc. non aduerſantur, Sanctitas ſua non ſuſtulit.

In vna piſcienſi, Rota auocauit ad ſe quaſi poſſeſſionem: oppoſuit ſe Præpoſitus, qui cum Abbate de Florentia litigabat ſuper iure viſitationis de Decreto Concilij, c. 8. Seſſ. 21. Congregatio conſulta reſpondit, licuiſſe Rotæ auocare ſibi quaſi poſſeſſionem, & poſſe procedere in cauſa ad vlteriora.

Cùm dicitur. *ante publicationem Concilij*, non intelligitur in aliqua particulari Diœceſi, ſed ante Kal. Maij, 1564. ſecundum declarationem Pij IV. modo accedant reliqua.

S. D. N. Gregorius XIII. voluit illas tantùm declarationes Pij IV. ſaluas eſſe, de quibus literæ Apoſtolicæ iam expeditæ, vel ſupplicationes ſignatæ & regiſtratæ fuerunt.

Epiſcopo Leodienſi, qui quæſiuit an publicatio Concilij Tridentini facta in vrbe, liget Leodienſes, vbi nec hodie per Epiſcopum publicatum fuit? Reſpondit Congregatio ligare debere, modo concurrant quæ ſuprà, Seſſ. 24. de Reform. Matrim. 1. §. *Poſt triginta dies.*

## *De recitandis Decretis Concilij, ſub Paulo III. & Iulio III. in Seſſione.*

Quoniam [a] diuerſis temporibus, tam ſub fel. rec. Paulo III. quàm Iulio III. multa in hoc ſacro Concilio, quoad dogmata ac morum reformationem, ſtatuta & definita ſunt; vult ſancta Synodus, vt illa nunc recitentur & legantur.

*Recitata ſunt.*

## *De fine Concilij, & confirmatione petenda à Sanctiſſimo Domino noſtro.*

Illuſtriſſimi Domini, Reuerendiſſimíque Patres, Placetne vobis, vt ad laudem Dei omnipotentis huic ſacræ OEcumenicæ Synodo finis imponatur? & omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub S. D. N. Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decreta & definita ſunt, [b] confirmatio nomine ſanctæ

[a] *Supr. Seſſ. 1. 6. 7. 13. & 24.*

[b] *Iuxtà Gelaſ. Pap. ſuper Conc. Chalced. & Pelagium PP. 2. in Epiſt. Decret. & Marcel. in Epiſt. decretali, ad Epiſc. Antioch. prouin. & Concil. Chalced. Act. 3 & Nicol. 1. apud Gratianum, d. 19. Si Romanorum.*

huius Synodi per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Præſidentes à Beatiſſimo Romano Pont. petatur.
*Reſponderunt*, PLACET.

*Poſtmodum Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & præſidens, benedicens ſanctæ Synodo*, dixit: POST GRATIAS DEO ACTAS REVERENDISSIMI PATRES ITE IN PACE. *Qui reſponderunt*, AMEN.

# ACCLAMATIONES PATRVM IN FINE CONCILII.

## CARDINALIS À LOTHARINGIA.

Beatiſſimo Pio Papæ, & Domino noſtro, ſanctæ Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

## RESPONSIO PATRVM.

*Domine Deus, Sanctiſſimum Patrem diutiſſimè Eccleſiæ tuæ conſerua multos annos.*

Card. *Beatiſſimorum ſummorum Pontificum animabus, Pauli III. & Iulij III. quorum auctoritate hoc ſacrum generale Concilium inchoatum eſt, pax à Domino, & æterna gloria, atq; fœlicitas in luce Sanctorum.*

Reſp. *Memoria in benedictione ſit.*

Card. *Caroli V. Imperatoris, & Sereniſſimorum Regum, qui hoc vniuerſale Concilium promouerunt & protexerunt, memoria in benedictione ſit.*

Reſp. *Amen, Amen.*

Card. *Sereniſſimo Imperatori Ferdinando, ſemper Auguſto, Orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, Rebuſpub. & Principibus noſtris, multi anni.*

Reſp. *Pium, & Chriſtianum Imperatorem Domine conſerua: Impe-*

*Imperator cœleſtis terrenos Reges, recta fidei conſeruatores, cuſtodi.*

Card. *Apoſtolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo Præſidentibus, cum multis annis magna gratia.*

Reſp. *Magna gratia: Dominus retribuat.*

Card. *Reuerendiſſimis Cardinalibus, & Illuſtribus Oratoribus.*

Reſp. *Magnas gratias, multos annos.*

Card. *Sanctiſſimis Epiſcopis vita, & felix ad Eccleſias ſuas reditus.*

Reſp. *Præconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo Senatui multos annos.*

Card. *Sacroſancta OEcumenica Tridentina Synodus: eius fidem confiteamur, eius decreta ſemper ſeruemus.*

Reſp. *Semper confiteamur, ſemper ſeruemus.*

Card. *Omnes ita credimus: omnes idipſum ſentimus: omnes conſentientes & amplectentes ſubſcribimus. Hæc eſt fides B. Petri & Apoſtolorum: hæc eſt fides Patrum: hæc eſt fides Orthodoxorum.*

Reſp. *Ita credimus, ita ſentimus, ita ſubſcribimus.*

Card. *His decretis inhærentes, digni reddamur miſericordiis & gratia primi & magni ſupremi Sacerdotis Ieſu Chriſti Dei, intercedente ſimul inuiolata Domina noſtra ſancta Deipara, & omnibus Sanctis.*

Reſp. *Fiat, Fiat. Amen, Amen.*

Card. *Anathema cunctis hæreticis.*

Reſp. *Anathema, Anathema.*

*Poſt hæc mandatum fuit à Legatis, & Præſidentibus ſub pœna excommunicationis omnibus Patribus, vt, antequam diſcederent è ciuitate Tridentina, ſubſcriberent manu propria decretis Concilij; aut ea per publicum inſtrumentum approbarent: qui omnes deinde ſubſcripſerunt, & fuerunt numero* CCLV. *videlicet Legati* IV. *Cardinales* II. *Patriarchæ* III. *Archiepiſcopi* XXV. *Epiſcopi* CLXVIII. *Abbates* VII. *Procuratores abſentium cum legitimo mandato* XXXIX. *Generales Ordinum* VII.

LAVS DEO.

Concordat cum Originali: in cuius fidem ſubſcripſimus;

*Ego Angelus Maſſarellus, Epiſcopus Theleſinus, ſacri Concilij Tridentini Secretarius.*

*Ego Marcus Antonius Peregrinus, Comenſis, eiuſdem Concilij Notarius.*

*Ego Cynthius Pamphilus, Clericus Camerinenſis diœceſis, eiuſdem Concilij Notarius.*

# CONFIRMATIO CONCILII.

NOs Alexander, S. Laurentij in Damaſo Diaconus Cardinalis, de Farneſio, S. R. E. Vicecancellarius, fidem facimus & atteſtamur, qualiter hodie, die Mercurij, XXVI. Ianuarij, M. D. LXIV. Pontificatus Sanctiſſimi D. noſtri D. Pij, diuina prouidentia Papæ IV. anno quinto, in Conſiſtorio ſecreto, apud S. Petrum, Reuerendiſs. D D. mei, Cardinales Moronus, & Simoneta, nuper reuerſi à ſacro Concilio Tridentino, cui vti Sedis Apoſtolicæ Legati præerant, petierunt ab eodem Sanctiſſ. D. noſtro vt infrà.

Beatiſſime Pater, in decreto ſuper fine Concilij OEcumenici Tridentini, pridie Nonas Decembris præteriti publicato, ſtatutum fuit, vt per Sanctitatis Veſtræ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatos, & Præſidentes peteretur nomine dicti Concilij à Sanctitate Veſtra confirmatio omnium, & ſingulorum, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub Sanctitate Veſtra in eo decreta, & definita ſunt. Quapropter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Ludouicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati, & præſidentes eramus, volentes exequi, quod in dicto Decreto ſtabilitum fuit, humiliter petimus

mus nomine dicti Concilij OEcumenici Tridentini, vt Sanctitas Veſtra dignetur confirmare omnia & ſingula quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub Sanctitate Veſtra in eo decreta & definita ſunt.

Quibus auditis, Sanctitas Sua, viſo & lecto tenore dicti Decreti, & habitis votis Reuerendiſſ. D D. meorum Cardinalium, reſpondit per hæc verba.

Petitioni, nomine Concilij OEcumenici Tridentini ſuper eius confirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia, & ſingula, quæ in dicto Concilio tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. prædeceſſoribus noſtris, quàm Pontificatus noſtri tempore decreta & definita ſunt, auctoritate Apoſtolica, etiam de Venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio & aſſenſu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, atque ab omnibus Chriſti fidelibus recipi & inuiolabiliter obſeruari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, AMEN.

Ita eſt.

*A. Cardinalis*
*Farneſius, Vicecancell.*

BVL-

# BVLLA S. D. N. PII,

## DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ QVARTI,

## SVPER CONFIRMATIONE OECVMENICI GENERALIS Concilij Tridentini.

*Pius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

BENEDICTVS Deus & Pater Domini noſtri IESV-CHRISTI, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis: qui reſpicere dignatus Eccleſiam ſuam ſanctam tot procellis & tempeſtatibus agitatam atque vexatam, & grauiùs in dies laborantem, apto tandem ei ſubuenit optatóque remedio. Ad plurimas & perniciofiſſimas hæreſes extirpandas, ad corrigendos mores, & reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam, ad pacem & concordiam Chriſtiani populi procurandam indictum iampridem in ciuitate Tridentina OEcumenicum & generale Concilium à piæ memoriæ Paulo III. prædeceſſore noſtro, & ſeſſionibus aliquot habitis cœptum fuerat, ab eius autem ſucceſſore Iulio in eamdem vrbem reuocatum, poſt alias ſeſſiones celebratas, variis impedimentis & difficultatibus obiectis, ne tum quidem peragi potuerat: itáque diutiùs intermiſſum fuerat, non ſine maximo mœrore piorum omnium, cùm quotidie magis Eccleſia eiuſmodi remedium imploraret. Nos autem poſt ſuſceptum Sedis Apoſtolicæ regimen, tam neceſſarium ac ſalutare opus, ſicut Paſtoralis ſolicitudo monebat, diuinæ miſericordiæ fiducia perficere aggreſſi, adiuti pio ſtudio cariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & alio-

aliorum Chriſtianorum Regum, Rerumpublicarum, ac Principum, tandem conſecuti ſumus, quod nec diurnis nec nocturnis curis elaborare deſtitimus, quodque à Patre luminum aſſiduè precati ſumus. Cùm enim eam in vrbem vndique ex Chriſtiani nominis nationibus conueniſſet, noſtris conuocata litteris, & ſua etiam ipſorum pietate excitata, Epiſcoporum & aliorum inſignium Prælatorum maxima, & OEcumenico Concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios & ſacrorum litterarum ſcientia, diuiníque & humani iuris cognitione præſtantes viros, præſidentibus ipſi Synodo Sedis Apoſtolicæ Legatis, nobis adeò Concilij libertati fauentibus, vt etiam de rebus Sedi Apoſtolicæ propriè reſeruatis liberum ipſi Concilio arbitrium per litteras, ad Legatos noſtro ſcriptas, vltrò permiſerimus, quæ de Sacramentis & aliis rebus, quæ quidem neceſſariæ viſæ ſint, tranctanda, definienda & ſtatuenda reſtabant, ad confutandas hæreſes, ad tollendos abuſus, & emendandos mores à ſacroſancta Synodo ſumma libertate, diligentiáque tractata, & accuratè ac maturè admodum definita, explicata, ſtatuta ſunt. Quibus rebus perfectis, Concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, vt conſenſum eum planè à Domino effectum fuiſſe conſtiterit: idque in noſtris atque omnium oculis valdè mirabile fuerit. Pro quo tam ſingulari Dei munere ſupplicationes ſtatim in alma hac Vrbe indiximus, quæ magna cleri & populi pietate celebratæ fuerunt; laudéſque & gratias diuinæ Maieſtati meritò perſoluendas curauimus: cùm eiuſmodi Concilij exitus ſpem magnam & propè certam attulerit, fore, vt maiores in dies fructus ad Eccleſiam ex ipſius decretis conſtitutionibúſque perueniant. Cùm autem ipſa ſancta Synodus pro ſua erga Sedem Apoſtolicam reuerentia antiquorum etiam Conciliorum veſtigiis inhærens, decretorum ſuorum omnium, quæ noſtro & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in publica

blica Seſſione facto: Nos, ex Legatorum litteris priùs, deinde poſt reditum eorum, ex iis, quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, poſtulatione ipſius Synodi cognita, habita ſuper hac re cum venerabilibus fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, deliberatione matura, ſanctique Spiritus in primis auxilio inuocato, cùm ea decreta omnia Catholica & populo Chriſtiano vtilia ac ſalutaria eſſe cognouiſſemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorundum fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu in Conſiſtorio noſtro ſecreto illa omnia & ſingula auctoritate Apoſtolica hodie confirmauimus, & ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda ac ſeruanda eſſe decreuimus; ſicut harum quoque litterarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & ſuſcipi obſeruaríque decernimus. Mandamus autem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris Canonibus conſtitutis, aliiſq; grauioribus, etiam priuationis, arbitrio noſtro infligendis, vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis quibuſuis Eccleſiarum Prælatis, cuiuſcúmque ſtatus, gradus, Ordinis & dignitatis ſint etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem decreta & ſtatuta in Eccleſiis ſuis, ciuitatibus & diœceſibus, in iudicio & extra iudicium diligenter obſeruent, & à ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinent, inuiolabiliter faciant obſeruari: contradictores quoſlibet & contumaces, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas etiam in ipſis decretis contentas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: inuocato etiam, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio. Ipſum verò cariſſimum filium noſtrum Imperatorem electum, cæteroſque Reges, Reſpublicas, ac Principes Chriſtianos monemus, & per viſcera miſericordię Domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtamur, vt, quâ pietate Cōcilio per Oratores ſuos affuerunt, eadem pietate, ac pari ſtudio, diuini honoris & populorum ſuorum ſalutis cauſa, pro Sedis quoque Apoſtolicæ & ſacræ Synodi reuerentia, ad eiuſdem Concilij exe-

exequenda & obſeruanda decreta, Prælatis, cùm opus fuerit, auxilio & fauore ſuo adſint, neq; aduerſantes ſanę ac ſalutari Concilij doctrinæ opiniones à populis ditionis ſuæ recipi permittant, ſed eas penitus interdicant. Ad vitandum prætereà peruerſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi vnicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilij commentarios & interpretationes ſuas edere, Apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus, tam Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcumque ſint Ordinis, conditionis & gradus, quàm laicis, quocumque honore ac poteſtate præditis; Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis verò quicumque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat vllos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, vllumve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilij decretis quocúmque modo edere, aut quidquam quocúmque nomine, etiam ſub prætextu maioris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore, ſtatuere. Si cui verò in eis aliquid obſcuriùs dictum & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione aut deciſione aliqua egere viſum fuerit; aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem, videlicet Apoſtolicam, omnium fidelium magiſtram; cuius auctoritatem etiam ipſa ſancta Synodus tam reuerenter agnouit. Nos enim difficultates & controuerſias, ſi quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipſa quoque ſancta Synodus decreuit, reſeruamus, parati, ſicut ea de nobis meritò confiſa eſt, omnium prouinciarum neceſſitatibus ea ratione, quæ commodior nobis viſa fuerit, prouidere: Decernentes nihilominùs irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, neve quis excuſatione ignorationis vti poſſit: Volumus & mandamus, vt hæ litteræ per aliquos curiæ noſtræ Curſores in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, tunc, cùm in eis

populus, vt Miſſarum ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palàm & clara voce recitentur; &, poſtquam recitatæ fuerint: ad valuas earum Eccleſiarum, itemq; Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affigantur; ibique, vt legi, & omnibus innoteſcere poſſint, aliquantiſper relinquantur. Cùm autem inde amouebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Vrbe ad impreſſionem tradantur, quò commodiùs per Chriſtiani nominis prouincias & regna diuulgari poſſint. Tranſſumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij ſcripta, ſubſcriptave, & ſigillo ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munita fuerint, fidem ſine vlla dubitatione haberi, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, monitionis, inhibitionis, reſeruationis, voluntatis, mandatorum & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Tertio, Septimo Kalend. Februarij, Pontificatus noſtri anno quinto.

EGO

# EGO PIVS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPVS.

*Ego F. Card. Piſanus, Epiſcopus Oſtien. Decanus.*
*Ego Fed. Card. Caſius, Epiſcopus Portuen.*
*Ego Io. Card. Moronus, Epiſcopus Tuſculan.*
*Ego A. Card. Farneſius, Vicecan. Epiſcopus Sab.*

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

*Ego R. Card. S. Angeli, Maior Pœnitent.*

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

*Ego Io. Cardinalis S. Vitalis.*
*Ego Io. Michael, Card. Saracenus.*

. . . . . . . . .

*Ego Io. B. Cicada, Card. S. Clementis.*
*Ego Scipio, Cardin. Piſarum.*
*Ego Io. Cardinalis Romanus.*
*Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.*
*Ego Clemens, Card. Aracals.*
*Ego Ia. Card. Sabellus.*

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

*Ego B. Cardinalis Saluiatus,*
*Ego Ph. Card. Aburd.*
*Ego Lud. Card. Simoneta.*

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

*Ego F. Card. Pacieccus, y de To.*
*Ego M. A. Card. Amulius.*
*Ego Io. Franc. Card. de Gambara.*
*Ego Carolus Card. Borromaus.*
*Ego M. S. Card. Conſt.*
*Ego Alph. Card. Geſualdus.*
*Ego Hip. Cardinalis Ferrar.*
*Ego Franciſcus, Card. Gonzaga.*

. . . . . . . . .

*Ego Gui. Aſc. Diac. Cardinalis Cam.*
*Ego Vitellotius, Cardin. Vitellius.*

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

. . . . . . . . .

*Ant. Florebellus Lauellinus.*
*H. Cumyn.*

# LEO DECIMVS IN CONCILIO LATERANENSI. SESSIO X.

NOs ne id quod ad Dei gloriam, & fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem ſalubriter eſt inuentum, in contrarium conuertatur, ac Chriſti fidelium ſaluti detrimentum pariat, ſuper librorum impreſſione curam noſtram habendam fore duximus, ne de cætero cum bonis ſeminibus ſpinæ coaleſcant, vel medicinis venena intermiſceantur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio prouidere, hoc ſacro approbante Concilio, vt negotium impreſſionis librorum, huiuſmodi eo proſperetur fœliciùs, quo deinceps indago ſolertior diligentiùs, & cautiùs adhibeatur: ſtatuimus, & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem, ſeu aliam quamcúmque ſcripturam, tam in Vrbe noſtra, quam aliis quibuſuis ciuitatibus, & diœceſibus imprimere ſeu imprimi facere præſumat: niſi priùs in Vrbe per Vicarium noſtrum, & ſacri Palatij Magiſtrũ in aliis verò ciuitatibus & diœceſibus per Epiſcopum, vel alium habentem peritiam ſcientiæ, libri ſeu ſcripturæ huiuſmodi imprimendæ, ab eodem Epiſcopo ad id deputandum, ac Inquiſitorem hæreticæ prauitatis ciuitatis, ſiue diœceſis, in quibus librorum impreſsio huiuſmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria ſubſcriptionem ſub excommunicationis ſententia, gratis & ſine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem ſecùs præſumpſerit, vltra librorum impreſſorum amiſsionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum fabricæ Principis Apoſtolorum de Vrbe ſine ſpe remiſsionis ſolutionem, ac anni continui exercitij impreſsionis ſuſpenſionem, excommunicationis ſentẽtia innodatus exiſtat; ac demum ingraueſcente contumacia, taliter per Epiſcopum ſuum, vel Vicarium noſtrum reſpectiuè per omnia iuris remedia caſtigetur; quod alij eius exemplo ſimilia minimè attentare præſumant.

## *SIXTI QVARTI CONSTITVTIO PRIOR de feſto Conceptionis immaculatæ Virginis ex lib. 3. Extrauagantium communium, tit. de Reliquiis & veneratione Sanctorum.*

CVm præexcelſa meritorũ inſignia, quibus Regina cælorũ, Virgo Dei genitrix glorioſa, ſedibus prælata ethereis, ſideribus quaſi ſtella matutina perrutilãs, deuotę cõſiderationis indagine perſcrutamur, & intra pectoris arcana reuoluimus, quòd ipſa, vt pote via miſericordiæ, mater gratiæ, & pietatis amica, humani generis conſolatrix,

trix, pro ſalute fidelium, qui delictorũ onere grauantur ſedula oratrix & peruigil ad Regem quem genuit, intercedit: dignum, quin potiùs debitum reputamus, vniuerſos Chriſti fideles, vt omnipotenti Deo (cuius prouidentia eiuſdem Virginis humilitatem ab æterno reſpiciens pro concilianda ſuo auctori humana natura, lapſu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam ſui Vnigeniti habitaculum ſancti Spiritus præparatione conſtituit, ex qua carnem noſtræ mortalitatis pro redemptione populi ſui aſſumeret, & immaculata Virgo nihilominùs poſt partum remaneret) de ipſius immaculatæ Virginis mira conceptione gratias & laudes referant, & inſtituta propterea in Eccleſia Dei, Miſſas & alia diuina officia dicant, & illis interſint, indulgentiis & peccatorum remiſſionibus inuitare, vt exinde fiant eiuſdem Virginis meritis & interceſſione diuinæ gratiæ aptiores. Hac igitur conſideratione inducti, eiuſdem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolica hac in perpetuũ valitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui Miſſam, & Officium Conceptionis eiuſdem Virginis glorioſæ, iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarolis clerici Veronenſis, Notarij noſtri. & quæ deſuper à nobis emanauit, Miſſæ & Officij huiuſmodi inſtitutionem, in die feſtiuitatis Conceptionis eiuſdem Virginis Mariæ. & per Octauas eius deuotè celebrauerint & dixerint, aut illis Horis canonicis interfuerint: quoties id fecerint, eamdem prorſus indulgentiam & peccatorum remiſſionem conſequantur, quam iuxta fœlicis recordationis Vrbani 4. in Concilio Viennenſi approbatæ, ac Martini 5. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones conſequuntur illi, qui Miſſam & horas Canonicas in feſto Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti à primis Veſperis, & per illius Octauas, iuxta Romanæ Eccleſiæ conſtitutionem, celebrant, dicunt, aut Miſſæ officio & Horis huiuſmodi interſunt, præſentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1476. 3. Kalend. Martij, Pontificatus noſtri anno 6.

## *Conſtitutio altera.*

Graue nimis gerimus & moleſtum, cùm ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis referuntur. Sed in totum, qui ad euangelizandum verbum Dei ſunt deputati, exceſſibus prædicando commiſsis, eo grauiùs prouocamur, quo illi periculoſiùs remanent incorrecti: cùm facilè deleri nequeant, qui multorum cordibus ſic publicè prædicando diffuſiùs & damnabiliùs imprimuntur errores. Sanè cùm ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ conceptione publicè Feſtum ſolemniter celebret, & ſpe-

ciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit: nonnulli, vt accepimus, diuerſorum Ordinum prædicatores, in ſuis ſermonibus ad populum publicè per diuerſas ciuitates & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant, omnes illos, qui tenent aut aſſerunt eamdem glorioſam & immaculatam Dei genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos: eiuſdem immaculatæ conceptionis Officium celebrantes, audientéſque ſermones illorum qui eam ſine huiuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare grauiter; ſed & præfatis prædicationibus non contenti, confectos ſuper his ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum aſſertionibus & prædicationibus non leuia ſcandala in mentibus fidelium exorta ſunt, & maiora meritò, exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiuſmodi temerariis auſibus, ac peruerſis aſſertionibus ac ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione & certa ſcientia, huiuſmodi aſſertiones prædicatorum eorumdem & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent aut tenerent eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut huiuſmodi Officium conceptionis celebrantes, ſeu huiuſmodi ſermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere, vt pote falſas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editóſque deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium reprobamus & damnamus: ac motu, ſcientia, & auctoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, quòd prædicatores verbi Dei, & quicúmque alij, cuiuſcúmque ſtatus, gradus, aut Ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero auſu temerario præſumpſerint in eorum ſermonibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare, huiuſmodi ſic per nos improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint; excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua ab alio quàm à Romano Pontifice ( niſi in mortis articulo ) nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Item motu, ſcientia & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubiicientes eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen vel peccatum incurrere mortale; cum nondum ſit à Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede deciſum: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcúmque, quibus communiter vel diuiſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam ac expreſſam, ac de verbo ad verbum

de

de indulto huiuſmodi mentionem. Et ne de præmiſſis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quòd locorum Ordinarij requiſiti, præſentes litteras in Eccleſiis, conſiſtentibus in eorum ciuitatibus, & ſuarum diœceſum locis inſignibus, dum maior ibi multitudo populi ad diuina conuenerit, ſermonibus ad populum mandent & faciant publicari. Prætereà quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus expediens fuerit, deferre: etiam volumus & dicta auctoritate decernimus, quòd earumdem litterarum tranſumpto, manu publici Notarij confecto, & authentico alicuius prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitó, vbique ſtetur, prout ſtaretur eiſdem originalibus litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis, damnationis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum: Anno incarnationis Dominicæ 1483. pridie Nonas Septemb. Pontificatus noſtri Anno 13.

## *Concilium Lateranenſe ſub Innocentius III. Can.* 10.

CVm ſæpè contingat, quòd Epiſcopi, propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hoſtiles incurſiones, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis eſt reprobandum omnino, nec de cætero tolerandum) per ſe ipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceſes & diffuſas: generali conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum, cùm per ſe idem nequiuerint, ſolicitè viſitantes, eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipſi cùm indiguerint, neceſſaria miniſtrent, ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incepto. Vnde præcipimus, tam in Cathedralibus, quàm in aliis cōuentualibus Eccleſiis, viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint Coadiutores & cooperatores habere, non ſolùm in prædicationis officio, verumetiam in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, diſtrictæ ſubiaceat vltioni.

## *Lib. 1. Decretalium, tit. de electione & electi poteſtate.*

## CAPVT VII.

CVm in cunctis ſacris ordinibus, & Eccleſiaſticis miniſteriis ſint ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum ſciētia inquirenda: multo fortiùs in Epiſcopo hæc oppor tet inquiri, qui ad alio-

rum curam poſitus, in ſe ipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conuerſari. Ea propter, ne quod de quibuſdam pro neceſſitate temporis factum eſt, trahatur à poſteris in exemplum; præſenti decreto ſtatuimus, vt nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui iam trigeſimum annum ætatis exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus: qui etiam vita & ſcientia commendabiſſis demonſtretur.

### *Lib. 3. Decretal. De Clericis non reſidentibus*

## CAPVT III.

QVia nonnulli modum auaritiæ non ponentes, dignitates diuerſas Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias parochiales contra ſacrorum Canonum inſtituta nituntur accipere; vt cùm vnum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vendicent plurimorum: ne id de cætero fiat, diſtrictius inhibemus. Cùm igitur Eccleſia vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam eius per ſeipſam valeat exercere. Quòd ſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra ſacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi poteſtate priuetur.

### *In Sexto, De electione, & electi poteſtate.*

## CAPVT XIV.

LIcet Canon à fœlicis recordationis Alexandro Papa tertio, prædeceſſore noſtro, editus, inter cætera ſtatuerit, vt nullus regimen Eccleſiæ parochialis ſuſcipiat, niſi vigeſimum quintum ætatis annum attigerit, ac ſcientia ac moribus commendandus exiſtat; quódque talis ad regimen aſſumptus huiuſmodi, ſi monitus non fuerit, præfixo à Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, à regiminis eiuſdem amoueatur officio, & alij conferatur. Quia tamen in obſeruatione Canonis memorati ſe multi exibent negligentes, nos periculoſam illorum negligentiam volentes iuris executione ſuppleri, præſenti decreto ſtatuimus, vt nullus ad regimen parochialis Eccleſiæ aſſumatur, niſi ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate: Decernentes, collationes de parochialibus Eccleſiis, iis qui non attigerint vigeſimum quintum annum de cætero faciendas, viribus omnino carere. Is etiam qui ad huiuſmodi regimen aſſumetur, vt gregis ſibi crediti diligentiùs curam quærere poſſit, in parochiali Eccleſia, cuius rector is extiterit, reſidere perſonaliter teneatur. Et intra annum à ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum, ſe faciat ad Sacerdotium promoueri. Quòd ſi intra idem tempus promotus non fuerit: Eccleſia ſibi commiſſa (nulla

etiam

etiam præmiſſa monitione) ſit præſentis conſtitutionis auctoritate priuatus. Super reſidentia verò, vt præmittitur, facienda, poſſit Ordinarius gratiam diſpenſationis ad tempus facere prout cauſa rationabilis id expoſcit.

*Lib. 3. Decretal. De præbendis & dignitatibus.*

## CAPVT XXIX.

GRaue nimis eſt & abſurdum, quòd quidam Eccleſiarum Prælati, cùm poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promouere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec literarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non iudicium rationis. Vnde quanta Eccleſiis damna proueniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, vt prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui Deo & Eccleſiis velint & valeant gratum impendere famulatum; fiátque de hoc in prouinciali Concilio diligens inquiſitio annuatim; ita vt qui poſt primam & ſecundam correptionem fuerit repertus culpabilis, à beneficiis conferendis per ipſum Concilium ſuſpendatur, inſtituta in eodem Concilio perſona prouida & honeſta, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipſum circa Capitula, quæ in his deliquerint, obſeruetur. Metropolitani verò delictum, ſuperioris iudicio relinquatur ex parte Concilij nunciandum. Vt autem hæc ſalubris prouiſio pleniorem conſequatur effectum, huiuſmodi ſuſpenſionis ſententia, præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ, minimè relaxetur, vt in hoc quoque quatuor Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.

*Lib. 3. Decretal. De præbendis & dignitatibus*

## CAPVT XXVIII.

DE multa prouidentia fuit in Lateranenſi Concilio prohibitum, vt nullus diuerſas dignitates Eccleſiaſticas, vel plures Eccleſias Parochiales reciperet, contra ſacrorum Canonum inſtituta: alioquin recipiens ſic acceptum amitteret, & largiendi poteſtate conferens priuaretur. Quia verò propter præſumptiones & quorumdam cupiditates, nullus hactenus, aut rarus de prædicto ſtatuto fructus prouenit: nos euidentius & expreſſius occurere cupientes, præſenti decreto ſtatuimus, vt quicúmque receperit aliquod beneficium, curam habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit ipſo iure priuatus, & ſi fortè illud retinere contenderet, etiam alio ſpolietur. Is quoque, ad quem prioris ſpectat donatio, illud poſt receptionem alterius liberè conferat, cui merito viderit conferendum: & ſi vltra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolùm ad alios ſecundùm Lateranenſis Concilij ſtatutum eius collatio deuo-

*Cap. Quia nonnulli, ſupr. Seſſ. huius cap. 2.*

*1. Decretal. de Conc. præben c. nulla.*

luatur, verùm etiam tantùm de ſuis cogatur prouentibus in vtilitatem Eccleſiæ, cuius eſt illud beneficium, aſſignare, quantum à tempore vacationis ipſius conſtiterit eſſe perceptum. Hoc idem in perſonatibus eſſe decernimus obſeruandum: addentes, vt in eadem Eccleſia nullus plures dignitates aut perſonatus habere præſumat, etiam ſi curam non habeant animarum. Circa ſublimes tamen & litteratas perſonas, quæ maioribus beneficiis ſunt honorandæ, cùm ratio poſtulauerit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

## *In ſexto, tit. 16. De Officio Ordinarij.*

## CAPVT III.

ORdinarij locorum ſubditos ſuos, plures dignitates vel Eccleſias quibus animarum cura imminet obtinentes, ſeu perſonatum aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura ſimilis eſt annexa, diſtrictè compellant, diſpenſationes, auctoritate quarum huiuſmodi Eccleſias, perſonatus ſeu dignitates canonicè tenere ſe aſſerunt, intra tempus pro facti qualitate ipſorum Ordinariorum moderandum arbitrio exhibere. Quòd ſi fortè iuſto impedimento ceſſante, nullam diſpenſationem intra idem tempus contigerit exhiberi, Eccleſiæ beneficia, perſonatus, ſeu dignitates, quæ ſine diſpenſatione aliqua eo ipſo illicitè detineri conſtabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, liberè perſonis idoneis conferantur. Cæterùm ſi diſpenſatio exhibita ſufficiens euidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficiis huiuſmodi, quæ canonicè obtinet, moleſtetur. Prouideat tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eiſdem Eccleſiis, perſonatibus, ſeu dignitatibus negligatur: nec beneficia ipſa debitis obſequiis defraudentur. Si verò de diſpenſationis exhibitæ ſufficientia dubitetur, ſuper hoc erit ad Sedem Apoſtolicam recurrendum: cuius eſt æſtimare, quem modum ſui beneficij eſſe velit. In conferendis inſuper perſonatibus, &c.

## *In Sexto, De priuilegiis.*

VOlentes libertatem (quam nonnullis Apoſtolica Sedes priuilegio exemptionis indulſit) ſic integram obſeruari, vt & illam alij non infringant, & ipſi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quòd quantumcúmque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſiue contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, ritè poſſunt coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc ſuam in ipſos iuriſdictionem (provt ius exigit) exercere.

Nunquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non vtique, quia nec coram Ordinariis ipſis, dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, aut res litigioſa, nec

vbi domicilium habent, ſi alibi delinquant vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conueniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis: nec domiciliorum prætextu, locorum diœceſani (ſi vbi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa conſiſtit, illi conueniantur) remittendi eos illuc, vel ipſis vt illic reſpondeant, iniungendi habeant aliquam poteſtatem, ſaluis nihilominus caſibus aliis, in quibus eos Epiſcoporum iuriſdictioni ſubeſſe Canonica præcipiunt inſtituta. Et idipſum decernimus circa illos, quibus vt non niſi ſub vno iudice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, Apoſtolico priuilegio eſt conceſſum. In eos autem, quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari à quoquam valeant à Sede Apoſt. eſt indultum (ſicut ſunt religioſi quamplures) in quorum priuilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus vel Archiepiſc. monaſt. ſuorum monachos pro vlla cauſa, vllove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat: iidem Ordinarij iuriſdictionem ſuam quantum ad iſta vbicúmque illi fuerint, penitus exercere non poſſint: niſi forſan ipſi monachi ad monaſt. ſuorum Prioratus Ordinariis iiſdem ſubiectos, fuerint deſtinati. Tunc enim etſi liberè poſſint ad eadem monaſteria reuocari, ac tam illorum quàm ipſorum Prioratuum monachi reputentur (cùm non ſit inconueniens, aliquem vtrobique locum habere monachicum) vnum alteri ſubeſſe monaſterio, vel ab ipſo noſcitur dependere, ratione tamen eorundem Prioratuum dicti Ordinarij ſua iuriſdictione in ipſis etiam quoad præmiſſa (quamdiu morantur in illis) licitè vti poſſunt.

## *In Clementinis lib. 3. tit. De religioſis domibus.*

QVia contingit interdum, quòd xenodochiorum, leproſariarum, eleëmoſynariarum, ſeu hoſpitalium rectores, locorum ipſorum cura poſtpoſita, bona, res & iura ipſorum interdum ab occupatorum & vſurpatorum manibus excutere negligunt: quinimò ea collabi & deperdi, domos & ædificia ruinis deformari permittunt: & non attento quòd loca ipſa ad hoc fundata & fidelium erogationibus dotata fuerunt, vt pauperes infectíque lepra reciperentur inibi, & ex prouentibus ſuſtentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, prouentus eoſdem in vſus ſuos damnabiliter conuertentes: cùm tamen ea quæ ad certum vſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalua quidem Sedis Apoſtol. auctoritate) conuerti. Nos incuriam & abuſum huiuſmodi deteſtantes, hoc ſacro Concilio approbante ſancimus, vti, ad quos id de iure vel ſtatuto in ipſorum fundatione locorum appoſito, aut ex conſuetudine præſcripta legitimè, vel priuilegio Sedis Apoſtolicæ pertinet, loca ipſa ſtudeant in prædictis omnibus ſalubriter reformare: ac occupata, deperdita & alienata indebitè, in ſtatum reduci debitum faciant: & ad ipſarum miſerabilium perſonarum receptionem & ſuſtentationem debitam, & iuxta facultates & pro-

uentus locorum ipſorum, rectores prædictos compellere non omittant. In quo ſi fortè commiſerint negligentiam vel defectum, Ordinariis locorum iniungimus, vt etiam ſi pia loca prædicta exemptionis priuilegio munita conſiſtant, per ſeipſos vel alios impleant omnia præmiſſa & ſingula, & rectores eoſdem vtique non exemptos, propria; exemptos verò & alios priuilegiatos Apoſtolica ad id auctoritate compellant. Contradictores cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, aut præbentes eiſdem circa præmiſſa conſilium, auxilium vel fauorem, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris remedia, compeſcendo: nullum tamen per hoc exemptionibus ſeu priuilegiis ipſis quoad alia præiudicium generando. Vt autem præmiſſa promptius obſeruentur, nullus ex locis ipſis ſecularibus Clericis in beneficium conferatur: etiamſi de conſuetudine (quam reprobamus penitus) hoc fuerit obſeruatum: niſi in illorum fundatione ſecùs fuerit conſtitutum, ſeu per electionem ſit de rectore locis huiuſmodi prouidendum. Sed eorum gubernatio viris prouidis, idoneis, & boni teſtimonij committatur, qui ſciant, velint & valeant loca ipſa, bona eorum ac iura vtiliter regere, & eorum prouentus & reditus in perſonarum vſum miſerabilium fideliter diſpenſare, & quos in vſus alios bona prædicta conuertere præſumptio veriſimilis non exiſtat: in quibus ſub obteſtatione diuini iudicij illorum, ad quos dictorum locorum commiſſio pertinet, conſcientias oneramus. Illi etiam quibus dictorum locorum gubernatio ſeu adminiſtratio committetur, ad inſtar tutorum & curatorum iuramentum præſtare, ac de locorum ipſorum bonis inuentaria conficere, & Ordinariis, ſeu aliis quibus ſubſunt loca huiuſmodi, vel deputandis ab eis, annis ſingulis de adminiſtratione ſua teneantur reddere rationem. Quòd ſi ſecus à quoquam fuerit attentatum, collationem, prouiſionem, ſeu ordinationem ipſam carere decernimus omni robore firmitatis. Præmiſſa verò ad hoſpitalia militarium Ordinum, aut Religioſorum etiam aliorum, extendi minimè volumus. Quorum tamen hoſpitalium rectoribus in ſanctæ obedientiæ virtute mandamus, vt in illis ſecundùm ſuorum Ordinum inſtituta & antiquas obſeruantias prouidere pauperibus, & hoſpitalitatem debitam in illis tenere procurent: ad quod per Superiores eorum arcta diſtrictione cogantur, ſtatutis aut conſuetudinibus quibuſlibet non obſtantibus in præmiſſis. Cæterùm noſtræ intentionis exiſtit, quòd ſi quæ hoſpitalia, altare vel altaria, & cœmeterium ab antiquo habentia, & presbyteros celebrantes, & Sacramenta Eccleſiaſtica pauperibus miniſtrantes, ſeu ſi Parochiales rectores conſueuerint in illis exercere præmiſſa, antiqua conſuetudo ſeruetur, quoad exercenda & miniſtranda ſpiritualia ſupradicta.

Con-

## *Concilium Lateranenſ. ſub Innocent. III. cap. 21. De pœn. & Remiſſ. cap. Omnis.*

OMnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de conſilio proprij ſacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſpiam ignorantiæ cœcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat à proprio ſacerdote, cùm aliter ille ipſum non poſſit ſoluere vel ligare.

## *Lib. 3. Clem. De vita & honeſtate Clericorum.*

QVoniam qui abiectis veſtibus proprio congruentibus Ordini, alias aſſumere, & in publico portare rationabili cauſa ceſſante præſumit, profeſſorum illius Ordinis prærogatiua ſe reddit indignum; præſenti conſtitutione ſancimus, quòd quicúmque Clericus virgata vel partita veſte publicè vtetur (niſi cauſa rationabilis ſubſit) ſi beneficiatus extiterit, per ſex menſes à perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Si verò beneficiatus non fuerit, in ſacris tamen Ordinibus citra ſacerdotium conſtitutus, per idem tempus reddatur eo ipſo inhabilis ad Eccleſiaſticum beneficium obtinendum.

Idem quoque cenſemus de Clericis aliis, veſtem talem, ſimul & tonſuram publicè deferentibus clericalem. Dignitatem verò, perſonatum, ſeu beneficium aliud obtinens cui cura immineat animarum, nec non cæteri in ſacerdotio conſtituti, ac Religioſi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinſeci morum intrinſecam honeſtatem oſtendere, ſi (præterquam ex cauſa rationabili) publicè veſtem ferant huiuſmodi, aut infulam, ſeu pileum lineum publicè portent in capite: ſint eo ipſo, beneficiati videlicet, à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, ſuſpenſi per annum; cæteri verò ſacerdotes & Religioſi quilibet per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcúmque beneficium Eccleſiaſticum obtinendum. Sed & tales & cæteri quicúmque Clerici vtentes epitogio ſeu tabardo foderato vſque ad oram, & ita breui, quòd veſtis inferior notabiliter videatur; epitogium ipſum ſæculares Clerici & Religioſi, adminiſtrationem habentes, teneãtur intra menſem dare pauperibus: cæteri verò religioſi adminiſtrationem non habentes, intra idem tempus

illud

illud teneantur ſuis Superioribus aſſignare, in pios vſus aliquos conuertendum; alioquin beneficiati ſuſpenſionis, cæteri verò inhabilitatis pœnas prædictas per idem tempus ſe nouerint incurriſſe.

Huic inſuper adiicimus ſanctioni, vt Clerici, præſertim beneficiati, caligis ſcacatis, rubeis, aut viridibus publicè non vtantur.

### *Lib. 3. Decretal. De Eccleſiis ædificandis.*

## CAPVT III.

AD audientiam noſtram noueris perueniſſe, quòd villa quæ dicitur H. tantum perhibetur ab Eccleſia Parochiali diſtare, vt tempore hiemali cùm pluuiæ inundant, non poſſint Parochiani ſine magna difficultate ipſam adire: vnde non valent congruo tempore Eccleſiaſticis intereſſe officiis. Quia igitur dicta Eccleſia ita dicitur reditibus abundare, quòd præter illius villæ prouentus miniſter illius conuenienter valet ſuſtentationem habere, mandamus, quatenus ſi res ita ſe habet, Eccleſiam ibi ædifices, & in ea ſacerdotem, ſublato appellationis obſtaculo, ad præſentationem rectoris Eccleſiæ maioris cum Canonico fundatoris aſſenſu inſtituas, ad ſuſtentationem ſuam, eiuſdem villæ obuentiones Eccleſiaſticas percepturum; prouidens tamen vt competens in ea honor pro facultate loci matrici ſeruetur: quod quidem fieri poſſe videtur, cùm eiuſdem villæ Dominus viginti arras terræ frugiferæ velit ad vſus ſacerdotis conferre. Si verò perſona matricis Eccleſiæ virum idoneum præſentare diſtulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum appellationis ceſſante diffugio inſtituere non omittas.

### *Lib. 1. Clement. De ætate & qualitate & ordine præficiendorum.*

VT ij qui diuinis Cathedralibus vel Collegiatis, ſæcularibus vel regularibus Eccleſiis ſunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in poſterum, ad ſuſcipiendos ſacros Ordines propenſius inducantur: Statuimus, vt nullus de cætero in huiuſmodi Eccleſiis vocem in Capitulo habeat (etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè concedatur) niſi ſaltem in ſubdiaconatus Ordine fuerit conſtitutus. Illi verò qui dignitates, perſonatus, officia, vel præbendas, quibus certi Ordines ſunt annexi, pacificè nunc obtinent in eiſdem Eccleſiis, vel obtinuerint in futurum, niſi (iuſto impedimento ceſſante) ad huiuſmodi Ordines ſe promoueri fecerint intra annum, ex tunc donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant earundem; ipſíſque diſtributionum, quæ dantur iis qui certis Horis interſunt, pars dimidia ſubtrahatur non obſtantibus quibuſlibet conſuetudinibus vel ſtatutis. Pœnis aliis, quæ contra tales promoueri ad Ordi-

Ordines recuſantes ſtatuuntur in Iure, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

*In Sexto, lib. 2. tit. De appellationibus.*

ROmana Eccleſia & infrà. Cum ſuffraganeorum Rhemenſis Eccleſiæ, ſuorúmque Officialium (qui generaliter de cauſis ad ipſorum forum pertinentibus, eorum vices ſupplendo cognoſcunt) vnum & idem conſiſtorium ſiue auditorium ſit cenſendum: ab ipſis Officialibus, non ad dictos ſuffraganeos (ne ab eiſdem ad ſe ipſos interponi appellatio videatur) ſed de iure ad Rhemenſem eſt curiam appellandum. Ab Archidiaconis verò, aliiſque inferioribus Prælatis ſuffraganeis ſubiectis, eiſdem & eorum Officialibus, ad ſuffraganeos ipſos debet, & non ad eandem curiam (omiſſis dictis ſuffraganeis) appellari: niſi aliud Rhemenſi Eccleſiæ de conſuetudine competat in hac parte. Cùm autem ad præfatam curiam ab eorundem ſuffraganeorum, vel ſuorum Officialium audientia fuerit appellatum, Rhemenſis Archiepiſcopus (qui pro tempore fuerit) vel Officialis ipſius nullatenus in appellationis cauſa interpoſitæ ante definitiuam ſententiam citent partes, nec etiam aliis illam committent, appellationis eiuſdem cauſa probabili ſeu legitima non expreſſa.

Si verò vocatis partibus, vel nullatenus, aut non intra decem dies poſt interlocutoriam vel definitiuam ſententiam appellatum fuiſſe, ſeu aliquid aliud ſimile, ſicque non eſſe per appellationem ad eundem Archiepiſcopum vel eius Officialem deuolutum negotium, proponatur: iidem (niſi prius ipſis conſtiterit, cauſam ipſam ad eos totaliter fuiſſe delatam) prohibere, ne in cauſa illa, vel ne ad executionem procedatur ſententiæ, non præſumant.

Quod ſi obiiciatur ex iniuſta cauſa, ſeu minùs legitima, ante ſententiam appellationem interpoſitam extitiſſe, & ex eo non eſſe appellationem huiuſmodi admittendam: nequeunt prædicti Archiepiſcopus vel eius Officialis prohibere, ne procedatur in cauſa, niſi prius appellatione recepta velut emiſſa ex cauſa probabili, cognoſcere incipiant de cauſa huiuſmodi, an ſit vera. Si autem poſt ſententiā in caſibus à iure prohibitis (vtpotè à ſententia ſuper manifeſto & notorio crimine, vel de quo quis in iure confeſſus extitit, promulgata) vel conſimilibus appellatum fuiſſe dicatur: poſſunt, ne ſententia executioni mandetur, (poſtquam cognoſcere cœperint, vtrùm ſit recipienda vel non appellatio ab eo interpoſita) inhibere. In alium quoque qui circa rem, de qua inter appellantem & appellatum controuerſia vertitur, aliquid poſt eorum inhibitionem attentat: non valent occaſione huiuſmodi iuriſdictionem aliquam vendicare. Cùm verò is qui ad Rhemenſem curiam ſuper aliqua cauſa vocem appellationis emittit, nihilominus in cauſis aliis Ordinarij ſui iuriſdictioni ſubiiciatur. Rhemenſis Archiepiſcopus vel Officialis ipſius nequa-

nequaquam iuriſdictionem ipſam in aliis impediant, vt ab eiuſdem Ordinarij poteſtate totaliter eximant taliter appellantem. Debet autem ad eos ab Epiſcopis præfatæ prouinciæ ſuper cauſis, in quibus temporalem iuriſdictionem exercent, niſi fortè de conſuetudine aut priuilegio, ſiue iure alio ſpeciali ſit appellandum ad alium, appellari. Sententias quoque interdicti vel ſuſpenſionis ſeu excommunicationis in appellantem ab eo, à quo appellatum proponitur, promulgatas nullatenus, niſi vocatis partibus, & de appellatione legitimè cognito, reuocent aut denuntient eſſe nullas. Cùm autem ad Rhemenſem Archiepiſcopum ab audientia ſuffraganei ſui ſuper aliqua cauſa fuerit ante ſententiam appellatum: idem Archiepiſcopus (poſtquam de appellatione cognita conſtiterit eam minus rationabilem extitiſſe) cauſam ad eundem ſuffraganeum remittere non poſtponat.

## *Bonifac. VIII. in Sexto, De Clericis coniugatis.*

Clerici qui cum vnicis & virginibus contraxerunt, ſi tonſuram & veſtes deferant clericales, priuilegium retineant Canonis ab Innocentio II. prædeceſſore noſtro editi in fauorem totius Ordinis clericalis. Et cùm iuxta Pariſienſe Concilium, nullus Clericus diſtringi debeat aut condemnari à iudice ſæculari, præſenti declaramus edicto, huiuſmodi Clericos coniugatos pro commiſſis ab eis exceſſibus vel delictis trahi non poſſe criminaliter aut ciuiliter ad iudicium ſæculare: nec ab ipſis ſæcularibus iudicibus eos debere perſonaliter, vel etiam pecunialiter (ne per vnam viam concedatur eiſdem iudicibus quod per aliam denegatur) vllatenus condemnari. In cæteris autem, vel niſi, vt præmittitur, tonſuram vel veſtem deferant clericales, etiam in pręmiſſis eos gaudere nolumus priuilegio clericali.

*17. q. 4. c. Si quis ſuadente.*

*In 6. De foro comp. c. 2.*

## *Gregor. X. in generali Concil. Lugdunenſi in 6. Decretal. tit. De cenſibus & exactionibus.*

### Capvt II.

Exigit peruerſorum audacia, vt non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed etiam pœnam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque fœlicis recordationis Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, editam ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus, ac ſuper receptione munerum viſitantibus, eorúmque familiaribus interdicta, quam multorũ fertur temeritas præterire, volentes inuiolabiliter obſeruari, eam decernimus pœnæ adiectione iuuandam: Statuentes, vt vniuerſi & ſinguli, qui ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere, vel aliàs conſtitutionem ipſam recipiendo mune-

*Ibid. c. 1.*

munera, ſiue viſitationis officio non impenſo procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occaſione, violare præſumpſerint, duplum eius quod receperint Eccleſię à qua id receptum fuerit, intra menſem reddere teneantur. Alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, duplum ipſum vltra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ ſentiant interdictum. Inferiores verò ab officio & beneficio nouerint ſe ſuſpenſos, quouſque de duplo huiuſmodi grauatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remiſſione liberalitate ſeu gratia valitura.

## *Concilium Lateran. ſub Innoc. 3. c. 8. & lib. 5. Decretalium, De accuſationibus & inquiſitionibus.*

QValiter & quando * quomodo debeat prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum ſubditorum exceſſus, ex auctoritatibus noui & veteris Teſtamenti colligitur euidenter, ex quibus poſteà proceſſerunt Canonicæ ſanctiones, ſicut olim apertè diſtinximus, & nunc ſacri approbatione Concilij confirmamus. Legitur enim in Euãgelio, quòd villicus ille qui diffamatus erat apud dominum ſuum quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audiuit ab illo: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Et in Geneſi Dominus ait: Deſcendam & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me opere cõpleuerunt. Ex quibus auctoritatibus manifeſtè comprobatur, quòd non ſolùm cùm ſubditus, verumetiam cùm prælatus excedit, ſi per clamorem & famam ad aures ſuperioris peruenerit, non quidem à maleuolis & maledicis, ſed à prouidis & honeſtis: nec ſemel tantùm, ſed ſæpè (quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat) debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari, vt ſi rei popoſcerit qualitas, Canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, non tanquam ſit auctor & iudex, ſed quaſi deferente fama, vel denunciante clamore, officij ſui debitum exequatur. Licet autem hoc ſit obſeruandum in ſubditis, diligentiùs tamen obſeruandum eſt in prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam. Et quia non poſſunt omnibus complacere, cùm ex officio teneantur non ſolùm arguere, ſed etiam increpare; quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam verò ligare, frequẽter odium multorum incurrunt & inſidias patiuntur: ideò ſancti Patres prouidè ſtatuerunt, vt accuſatio Prælatorum non facilè admittatur, ne concuſſis columnis corruat ædificium, niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolùm falſæ, ſed etiam malignæ criminationi ianua præcludatur. Verùm ita voluerunt prouidere Prælatis, ne criminarentur iniuſtè, vt tamen cauerent, ne delinquerent inſolenter, contra morbum vtrùmque inuenientes congruam medicinam, videlicet vt criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem ca-

* quando
*Luc. 16.*
*Geneſ. 18.*
*Thren. 3.*

pitis(id eſt, degradationem) intenditur, niſi legitima præcedat inſcriptio; nullatenus admittatur. Sed cùm ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ita vt iam clamor aſcendat, qui diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo, ad inquirendum & puniendum eius exceſſus, non ex odij fomite, ſed charitatis procedatur affectu, quatenus ſi fuerit grauis exceſſus, etſi non degradetur ab Ordine, ab adminiſtratione tamen amoueatur omnino quod eſt ſecundùm Euangelicam ſententiam à villicatione villicum amoueri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem. Debet igitur eſſe præſens is cõtra quem facienda eſt inquiſitio, niſi ſe per contumaciam abſentauerit: & exponenda ſunt ei illa capitula de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi ſeipſum. Et non ſolùm dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt ei, vt quid & à quo ſit dictum appareat, publicanda: necnon exceptiónes & replicationes legitimæ admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum infamandi, per exceptionem verò excluſionem, de ponendi falſum audacia præbeatur. Ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus, tanto diligentius debet Prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſeret incorrectas: contra quos, vt de notoriis exceſſibus taceatur, & ſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem videlicet, denunciationem, & inquiſitionem eorum, vt tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne fortè per leue compendium ad graue diſpendium veniatur: ſicut accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, ſi & denunciationem charitatiua admonitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio præuenire; illo ſemper adhibito moderamine, vt iuxta formam iudicij, ſententiæ quoq; forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa Regulares perſonas non credimus vſquequaq; ſeruandum quæ, cùm cauſa requirit faciliùs & liberiùs à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoueri.

## *Lib. 5. Decretal. De priuilegiis & exceſ. priuileg. cap. 16. Innoc. 3. Epiſcopo Lingonenſi.*

CVm capella ducis Burgũdiæ gaudere dicatur huiuſmodi priuilegio, quòd nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus in perſonas Canonicorum eiuſdem capellæ ſuſpenſionis vel excommunicationis, aut interdicti ſententias audeat promulgare: quidam capellæ ſupradictæ Canonici, qui parochiales Eccleſias à te tenent, occaſione priuilegij prælibati in his etiam quarum iuriſdictio ad te pertinet, ita ſe dicunt exemptos, vt quantumcúnque grauiter interdum excedant, tuæ correctioni recuſent & ſententiæ ſubiacere. Quocirca mandamus, quatenus in quantum exempti ſunt eiuſdem ratione capellæ, Apoſtolicis priuilegiis deferas reuerenter; ſed in quantum ratione parochialium Eccleſiarum, vel alias iuriſdictionem tuam reſpi-

reſpicere dignoſcuntur, officij tui debitum in eoſdem liberè proſequaris.

## *In 6. tit. De conſuetudinibus.*

CONſuetudinem, quam in veſtra Eccleſia ſeruatam aſſeritis tanto tempore, quòd in contrarium memoria non exiſtit, videlicet quòd ipſius Eccleſiæ Canonici duos perſonatus, aut duas dignitates, vel præpoſituras, ſeu adminiſtrationes, aut duo officia, vel eorum alterum cum reliquo, in ſimul & præbendam, poſſint in ea licitè abſq; diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ obtinere: corruptelam (cum ſacris ſit inimica Canonibus, & de ambitionis radice proceſſerit) meritò reputantes: eam auctoritate Apoſtolica reprobamus; vóſque ad ipſius obſeruantiam, etiam ſi iuramento firmata extiterit (cum iuramentum iniquitatis vinculum non exiſtat) decernimus non teneri.

Statuentes, vt (cùm vnum officium vix dignè valeat aliquis adimplere) nulli liceat de cętero niſi vnicum perſonatum, vel dignitatem aut præpoſituram: ſiue adminiſtrationem, vel officium perpetuum, quocúmque nomine cenſeantur, cum præbenda in ſimul abſque diſpenſatione dictæ Sedis in eadem Eccleſia obtinere. vel iam obtenta tenere. Quòd ſi à quoquam ſecùs præſumptum fuerit, irritum ſit omnino.

## *In Sexto, tit. De ſtatu Regularium.*

PEriculoſo & deteſtabili quarumdam monialium ſtatui (quę honeſtatis laxatis habenis, & monachali modeſtia, ſexúſque verecundia impudenter abiectis, extra ſua monaſteria nonnunquam per habitacula ſæcularium perſonarum diſcurrunt, & frequenter intra eadem monaſteria perſonas ſuſpectas admittunt, in illius, cui ſuam integritatem voluntate ſpontanea deuouerunt, grauem offenſam, religionis opprobrium & ſcandalum plurimorum) & prouidere ſalubriter cupientes præſenti conſtitutione perpetuò irrefragabiliter valitura, ſancimus, vniuerſas & ſingulas moniales præſentes atque futuras, cuiuſcúmque Religionis ſint vel Ordinis, in quibuſlibet mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis monaſteriis debere de cætero permanere clauſura: ita quòd nulli earum Religionem tacitè vel expreſsè profeſſæ, ſit vel eſſe valeat quacúmque ratione vel cauſa (niſi fortè tanto & tali morbo euidenter earum aliquam laborare conſtaret, quòd non poſſet cum aliis abſque graui periculo ſeu ſcandalo commorari) monaſteria ipſa deinceps egrediendi facultas: nulliſque aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac

de illius ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia( ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem: vt ſic à publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ omnino ſeruire Deo valeant liberiùs, & laſciuiendi opportunitate ſublata ) eidem corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentiùs cuſtodire. Sanè vt hoc ſalutare ſtatutum commodiùs valeat obſeruari, diſtrictius inhibemus, ne in monaſteriis Ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in ſorores, niſi quot poterunt de ipſorum monaſteriorum bonis ſiue prouentibus abſque penuria ſuſtentari: ſi ſecùs actum fuerit, irritum decernentes.

Verùm quando Abbatiſſa vel Prioriſſa cuiuſuis monaſterij, pro feudo quod monaſterium ipſum tenet ab aliquo Principe ſeu domino temporali, ſibi debebit homagium, vel fidelitatis ſacramentum præſtare ( niſi per procuratorem illud præſtet, poſſit efficere apud eum)de monaſterio cum honeſta & decenti ſocietate exire poterit eo caſu licenter, homagio facto quamprimùm commodè poterit, ſeu fidelitatis præſtito ſacramento, ad ipſum monaſterium è veſtigio reuerſura: ſic quod in fraudem reſidentiæ ſiue moræ clauſtralis nihil fiat omnino.

Portò ne moniales cauſam ſeu occaſionem habeant euagandi, Principes ſæculares ac alios dominos temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ IESV CHRISTI, eiſdem in remiſſionem peccaminum nihilominus ſuadentes, quòd Abbatiſſas ipſas & Prioriſſas, ac moniales quaſcunque monaſteriorum ſuorum curam, adminiſtrationem, negotiave gerentes, quibuſcúmque nominibus cenſeantur, per procuratores in ſuis tribunalibus ſeu curiis litigare permittant: ne pro cõſtituendis procuratoribus(qui Atornati in aliquibus partibus nuncupantur ) ſeu aliis huiuſmodi eaſdem oporteat euagari. Si qui verò cõtra præſumpſerint, exhortationi huiuſmodi rationabili atque ſanctæ obtemperare nolentes, cùm ſit iuri contrarium quòd mulieres ( præſertim religioſæ) per ſeipſas litigare cogantur, & à via deuiet honeſtatis, & periculum animarum inducat, ad hoc per ſuos Ordinarios eccleſiaſticos cenſura eccleſiaſtica compellantur. Epiſcopis autem & aliis prælatis ſuperioribus & inferioribus quibuſcúmque iniungimus, quòd & ipſi cauſas ſeu negotia, quæ præfatæ moniales habebunt agere coram ipſis, aut in curiis eorundem, ſiue ſint homagia, fidelitatis ſacramenta, lites, vel quidquid aliud ipſa per procuratores earum fieri faciant & tractari.

Et quoniam parum eſſet condere iura, niſi eſſent qui ea executioni debitè demandarent, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis vniuerſis diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in ciuitate ac diœceſi propria in monaſteriis monialium ſibi ordinario iure ſubiectis, ſua; in ijs verò quæ ad Romanam immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate; Abbates verò, & alij tam exempti quàm non

non exempti prælati eccleſiarum, monaſteriorum & Ordinum quorumcúmque, in monaſteriis huiuſmodi ſibi ſubiectis, de clauſura conuenienti, vbi non eſt, ipſorum monaſteriorum expenſis, & fidelium eleëmoſynis, quas ad hoc procurent diligentiùs facienda, & de ipſis monialibus includendis, quamprimum commodè poterũt prouidere procurent; ſi diuinæ ac noſtræ indignationis voluerint acrimoniam euitare: contradictores atque rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo: inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis. Per hoc autem in monaſteriis exemptis Ordinarij locorum, quoad alia, nullam ſibi credant iuriſdictionem vel poteſtatem aliquatenus attributam.

## *Innocent. 3. in Concil. Lateranenſi c. 12. & lib. 3. Decretal. de ſtat monachorum.*

IN ſingulis regnis ſiue prouinciis fiat de triennio in triennium, ſaluo iure diœceſanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non conſueuerunt tale Capitulũ celebrare, ad quod vniuerſi conueniant, præpeditionem Canonicam non habentes, apud vnum de monaſteriis ad hoc aptum; hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plus quàm ſex euectiones, & octo perſonas adducat. Aduocent autem charitatiuè in huius nouitatis primordiis duos Ciſtertienſis Ordinis Abbates vicinos, ad præſtandum ſibi conſilium & auxilium opportunum, cùm ſint in huiuſmodi capitulis celebrandis ex longa cõſuetudine pleniùs informati. Qui abſque contradictione duos ſibi de ipſis aſſocient, quos viderint expedire. Ac ipſi quatuor præſint Capitulo vniuerſo, ita quòd ex hoc nullus eorum auctoritatem prælationis aſſumat: Vnde cùm expedierit, prouida poſſint deliberatione mutari. Huiuſmodi vero Capitulum aliquod certis diebus continuè iuxta morem Ciſtertienſis Ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis & obſeruantia Regulari: & quod ſtatutum fuerit, illis quatuor approbantibus, ab omnibus inuiolabiliter obſeruetur, omni excuſatione & cõtradictione ac appellatione remotis, prouiſo nihilominus, vbi ſequenti termino debeat Capitulum celebrari: & qui conuenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter ſimul omnes communes expenſas: ita quòd ſi non omnes potuerint in eiſdem, ſaltem plures ſimul in diuerſis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem Capitulo religioſæ ac circumſpectæ perſonæ, quæ ſingulas abbatias eiuſdem regni ſiue prouinciæ, non ſolùm monachorum, ſed etiam monialium, ſecundùm formam ſibi præfixam, vice noſtra ſtudeant viſitare corrigentes & reformantes, quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere; ita quòd ſi rectorem loci cognouerint ab adminiſtratione penitus amouendum, denuncient Epiſcopo

proprio, vt illum amouere procuret; quòd ſi non fecerit, ipſi viſitatores hoc referant ad Apoſtolicæ Sedis examen. Hoc ipſum regulares Canonicos ſecundum Ordinem ſuum volumus & præcipimus obſeruare. Si verò in hac nouitate quidquam difficultatis emerſerit, quod per prædictas perſonas nequeat expediri, ad Apoſtolicæ Sedis iudicium abſque ſcandalo referatur, ceteris irrefragabiliter obſeruatis, quæ concordi fuerint deliberatione prouiſa.

Porrò diœceſani Epiſcopi monaſteria ſibi ſubiecta ita ſtudeant reformare, vt cùm ad ea prædicti viſitatores acceſſerint, plus in illis inueniant quod commendatione, quàm quod correctione ſit dignū; attentiſſimè præcauentes, ne per eos dicta monaſteria indebitis oneribus aggrauentur. Quia ſic volumus ſuperiorum iura ſeruari, vt inferiorem nolimus iniurias ſuſtinere. Ad hoc diſtrictè præcipimus tam diœceſanis Epiſcopis, quàm perſonis quæ præerunt Capitulis celebrandis, vt per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compeſcant aduocatos, patronos, vicedominos, rectores, & conſules, magnates & milites, ſeu quoſlibet alios, ne monaſteria præſumant offendere in perſonis ac rebus. Et ſi forſitan offenderint, eos ad ſatisfactionem compellere non omittant, vt liberiùs & quietius omnipotenti Deo valeant famulari.

## *In Sexto, tit. De reſcriptis.*

STatutum quod circa iudices à Sede Apoſtolica deputandos nuper edidimus, cùm quædam contenta in eo, quæ pro communi vtilitate credebantur inducta (ſicut experientia docuit) tendere dignoſcantur ad noxam, ſanctione præſenti, quàm irrefragabiliter obſeruari mandamus, ſuadente vtilitate in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, vt nullis niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, cauſæ auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum eius de cætero committantur; nec audiantur alibi quàm in ciuitatibus vel locis inſignibus, vbi poſſit commodè copia peritorum haberi.

FINIS.

PRÆ-

# PRAETERMISSAE DECLARATIONES,

*PARTIM EX MANVSCRIPTIS, impreſſiſq́; exemplaribus à* XXI. *Martij* CIↃ.IↃXCI. *(ordine Seſſionum tamen capitúmque Concil. Trident. ſeruato) partim ex aliis fidelibus manuſcriptis, ac vno præſertim à viro probè erudito in ipſa vrbe deſcripto.*

## SVPPLETÆ.

### *Concil. Trid.* Seſſ. 4. in decret. de edit. & vſu ſacrorum librorum.

E*T, ſi regulares fuerint, vltra examinationem.*] Congregatio Concilij cenſuit idem in concionibus obſeruandum, etiamſi concionatores ab Ordinario fuiſſent approbati.

### *Eadem §. qui autem ſcripto eos communicant.*

*Vel euulgant.*] Etiam lectiones, annotationes, diſputationes conciones & alia ſimilia, nec non tractatus, pertinentes, tum ad deuotionem, tum ad quietationem conſcientiarum ſtimulatorum fratrum & alia huiuſmodi, quæ ſibi inuicem communicant fratres.

### *Seſſio* 5. *De Reformatione.*

### CAPVT I.

COngregatio Concilij cenſuit, quãdo clericus ſæcularis idoneus *Phanenſis 24. Maij 1581*
pro Theologali præbenda non reperitur, collationem illius ſu-
ſpendendam eſſe, donec inueniatur idoneus Theologus ſecularis, cui
fieri poſſit, & interim nullum eſſe deputandum cuſtodem, aut cura-
torem fructuum ipſius Canonicatus, ſed eos omnes tradendos ſu-
periori alicuius ordinis, qui curet, vt aliquis Theologus ex ſuis Re-
gularibus publice in Cathedrali Eccleſia doceat ſacram ſcripturam,
prout mandatur Decreto Concilij cap. 1. Seſſ. 5. eíque in primis ne-
ceſſaria ſubminiſtret ex dictis fructibus, quod reliquum fuerit in
vſum Monaſterij conuertat.

Congregatio Concilij cenſuit, erectionem præbendæ Theologi non habere locum in ea, quæ vigore ſtatuit à ſequenti Canonico optatur, ſed illam præbendam, quam dimiſerit Canonicus, qui nouiſſimè optat, huic muneri affectam, & vnitam remanere. *Lunenſis 6. Iulij 1582.*

*11. Ianuar. 1594.* Congregatio Concilij cenſuit tempus,horam & materiam Sacræ Scripturæ, ſuper qua legendum ſit,remitti arbitrio Ordinarij.

*14. Martij 1598.* Congregatio Concilij cenſuit, ſi ſtipendium pro lectore ſacræ Theologiæ iam ante Concilium fuit, vt proponitur in Cathedrali, deputatum, non eſſe neceſſe ex Decret. Concil. erigere præbendam Theologalem.

*Aſtenſis 11. Febr. 1601.* Congregatio Concilij cenſuit,obtinentem præbendam Theologalem non eſſe admittendum ad ius optandi competens Canonicis.

An ſi canonicatus omnes conſiſtant in quotidianis diſtributionibus ipſæ præbendæ erunt intelligendæ, & ſic quoque Congregatio cenſuit.

*Se coram Epiſcopis præſentare.* ] Poterit Ordinarius ſi ſibi videbitur etiam ab eis exigere profeſſionem fidei.

## *Seſſio 5.*

## CAPVT II.

*Nullius 3. Iulij 1591.* Congregatio Concilij cenſuit, cogendos eſſe curatos ad ſubeūda per ſeipſos,& non per ſubſtitutos ea munia, ad quæ tenentur, tolerandos autem,vt per ſubſtitutum ſuppleant in illis tantum caſibus,quibus expreſſis verbis Canonum, Decretorúmve Concilij permiſſum eſt eis,vt per Vicarios coadiutores, vel ſubſtitutos poſſint officio ſuo fungi.

## *Seſſio 6. De Reformatione.*

## CAPVT III.

Congregatio Concilij cenſuit rectores habentes Parochianos intra & extra ciuitatem,licet hi qui extra ſunt,plures & magni numeri ſint, qui per Vicarios amouibiles regebantur oportere reſidere in loco, in quo ſita eſt Eccleſia Pariochialis, & ideo ſi ea intra mœnia ciuitatis ſit, ibi ipſos reſidere oportere. Quid ſi Parochiani, qui extra ciuitatem habitant ob locorum diſtantiam vel difficultatem patiuntur incommoda in percipiendis ſacris & diuinis officiis audiendis ſuccurrendum illis eſſe remedio. c. ad audientiam de Eccleſ. ædif. & decret. Concilij Seſſ.21. c.4. Quod ſi eſſent duæ Eccleſiæ intus & extra,& vna tantum parochia, rectorem debere reſidere in Eccleſia quæ eſt intra ciuitatem.

## *Seſſio 6. De Reformatione.*

## CAPVT IV.

An milites Hieroſolymitani comprehendantur Decret. Concilij etiam vbi de eis non ſit expreſſa mentio. Reſpondit Congre-

gregatio comprehendi, niſi ſpecialiter priuilegiis poſt Concilium muniantur.

## Capvt V.

Congregatio cenſuit de voto Rotæ hoc decretum non ſolum cóprehendere capitula exempta, ſed etiam omnia alia prætendentia ſe poſſe tueri aduerſus viſitationem ſiue vigore conſuetudinum, ſiue ſententiarum, ſiue iuramentorum, ſiue concordiarum, quæ tantùm ſuos obligent authores non etiam ſucceſſores, quo minus à ſuis Epiſcopis. &c.

An derogatio de qua in Seſſ. 25. cap. 6. extendatur etiam ad diſpoſita in hoc cap. 4. Congregatio reſpondit extendi.

*Suos obligent authores.*] Videtur Rota, decidiſſe hæc verba non referri ad concordias ſed ad iuramenta.

*Authoritate Apoſtolica.*] Concordiæ confirmatæ, etiam quando Ordinarius viſitat tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, non cenſentur ſublatæ.

Hoc decreto prohibetur quod Decanus & Capitulum habens ius ſibi legitime competens, non poſſit viſitare ipſum Capitulum, ſingularéſque perſonas ſibi ſubiectas cumulatiue cum Epiſcopo, ſeorſum tamen ab eodem, nec poteſt, ſi quis in viſitatione legitime fuerit punitus & correctus ab ipſo decano, Epiſcopus denuo punire & corrigere ſuper eodem.

Item cenſuit congregatio Epiſcopum in viſitatione Captiuli poſſe ſolum aliquod crimen corrigere & punire non tamen ad pœnam ordinariam, ſed eam pœnam quæ magis emendationem morum reſpiciat; cum finis viſitationis ſit potius emendatio quam punitio. Item ſi compilato proceſſu & formato iudicio contra aliquem capitularem in viſitatione Epiſcopus voluerit procedere, cenſuit congregatio ſeruandam eſſe formam traditam in c. 6. Seſſ. 25. vt non ſolus, ſed additis deputatis Epiſcopus procedat.

In territorio de Couarruuias exſtat Collegiata inſignis omni modo exempta à viſitatione Abbatis. Quæritur quis iſtorum Epiſcopúſne in cuius diœceſi prætenditur eſſe Abbatia, an ipſe Abbas iuxta formam Concilij poſſit viſitare, corrigere, & etiam extra viſitationem iuxta c. 6. Seſſ. 25. Item is qui debuerit viſitare obſeruet formam Concilij aſſumendo duos electos de Capitulo. Item expoſitum fuit, quod eſt aduertendum, quod lis pendet in Rota, an Abbatia ſit in diœceſi Burgenſi nec ne.

Congregatio cenſuit Concilium d. c. Seſſ. 6. & cap. 4. Seſſ. 25. nullum ius dediſſe Abbati viſitandi Collegiatam, quia dicta Capitula loquuntur de Epiſcopo tantum: Ideo Epiſcopum poſſe viſitare iuxta d. c. 4. non obſtante exemptione etiam immemorabili, quia prædicta Capitula ſublata ſunt, Si modo dicta Collegiata eſt in diœceſi Burgenſi, nec in actu viſitationis tenetur Epiſcopus aſſumere duos de Capitulo d. c. 4.

Præſuppoſito ſtatuto inter Dominum Archiepiſcopum Hiſpalenſem & Capitulum ipſius à Sede Apoſtolica confirmato, de cuius validitate videndum erit in iudicio ordinario. Congregatio cenſuit Dominum Archiepiſcopum in viſitatione qua fit inquiſitio quæ vocatur, Præparatoria, non poſſe recipere iuramentum à viſitatis, nec procedere ad capturam, nec mādare vt detur copia teſtium, nec procedere ad vllum genus pœnarum poſſe, aut viſitare ſolum ſine adiunctis, iuxta formam cap. 4. Seſſ. 6. Quod ſi compilato proceſſu, formatóque iudicio pro vt iuris fuerit, contra aliquem Capitularem in caſu quo contra accuſatum de crimine comprehenſum in iudicio ſtatuto ſiue concordia ad pœnam voluerit procedere, ſeruandam eſſe concordiam non poſſe Dominum Archiepiſcopum viſitare in domo ſua Epiſcopali, ſed cum viſitare voluerit Capitulum debere accedere ad locum ſolitum, quo ſcilicet Capitulares congregari & eorum actus expedire conſueuerunt, ſi id tamen commode fieri poterit, ſin minus, ad locum congruum & communem, ſed non teneri accedere ad locum Capituli quoties proſequi velit viſitationem alicuius particularis perſonæ de Capitulo. Si tamen Capitulum occaſione viſitationis ipſe conuocare voluerit, non poſſe extra locum ſolitum iubere illud congregari, vt dictum eſt.

Congregatio cenſuit, licere alieno Epiſcopo exercere pontificalia in aliena Eccleſia & ordinare clericos eiuſdem diœceſis de licentia Ordinarij & cum litteris dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum. Idem etiam licere de licentia Capituli ſede illa Epiſcopali vacante. Nec obſtare cap. 10. Seſs. 7. quia voluit tantum coarctare hanc facultatem poſt annum; nec veriſimile eſt, quod voluerit abrogare ius vetus & tollere facultatem & iuriſdictionem datam Capitulo. Nec obſtare hoc decretum, quia dicit, ſine licentia Ordinarij, quia Capitulum hoc caſu vice Ordinarij fungitur: Nec obſtant verba illa, *ſubditos & ſubiectos*, quia litteræ dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum fecerunt illos ſubiectos.

Poterit etiam ille Epiſcopus ordinare familiares triennales eiuſdem Epiſcopi, in cuius diœceſi exercet Pontificalia, ſi ille idem Epiſcopus qui hanc facultatem exercendi pontificalia dedit, expreſsè etiam dedit licentiam huic familiari, vt poſſet ordinari ab eo, cum talem familiarem Concilium habeat pro ſubdito illius Epiſcopi, & ſicut Epiſcopi verè ſubditum ordinare poteſt, ſic & iſtum.

Poteſt Abbas Benedictinus ſcilicet ex priuilegio hanc facultatem habens exercere pontificalia, & ſolemnem benedictionem populo dare in ſuo monaſterio & Eccleſia in qua habet hanc iuriſdictionem: extra vero veluti benedictiones dare, reconciliare Eccleſias & cœmiteria non niſi de licentia Ordinarij loci.

# DE CONFIRMATIONE.

## CAPVT III.

ORdinarium. ] Abbas habens ex priuilegio ſedis Apoſtolicæ vt ſacramentum Confirmationis poſſit conferre. S. D. N. Gregorius audita relatione Congregationis annuit quod poſſit, de licentia tamen Ordinarij. Extraordinarium vero cui Papa concederet, S.D.N. Gregorius ex ſententia Congregationis reſpondit Abbatem priuilegiatum omnia quæ ſpectant ad Epiſcopum poſſe exercere, præterquam Chriſma & ſacros ordines conferre non poſſe & ſacramentum Confirmationis adminiſtrare, cum ea quæ ſunt ordinis requirant ſpecialem mentionem, nec inferioribus Prælatis inueniuntur conceſſa, & licet exceptio firmet regulam non tamen ampliat vltra eius naturam vt comprehendat ea quæ ſunt aliàs reſeruata, & de quibus eſt facienda ſpecialis mentio, provt eſt confirmare.

An ſcholares vniuerſitatum quibus ex indulto Apoſtolico conceſſum eſt vt poſſint nominari ab beneficia vacatura ſecundo & tertio donec qui ſeniores ſunt, aſſecuti ætatem legitimam 80. florenos auri de camera in fructibus beneficiorum deductis omnibus percipere valeant. S. D. N. Gregorius reſpondit ex ſententia Congregationis hanc receptionem, nominationem intelligi de compatibilibus beneficiis.

*Commenda perpetua.* ] Commendæ quæ ad ſex menſes in Eccleſiis curatis fieri poterant ab Ordinariis cap. nemo de Elect. in 6. amplius poſt Concilium locum non habent in eis deputari Vicarij ad formam cap. 18. Seſſ. 24.

Congregatio Concilij declarando ſupradictum S. D. N. reſponſum intellexit regulam de triennali non defendere eos, qui beneficia incompatibilia poſt Concilium obtenta ſimul retinuerunt contra decretum cap. 4. Seſſ. 7. nec etiam eos qui beneficia ante Concilium obtenta ratione incompatibilitatis vel alias dimittere teneantur non obſtantibus diſpenſationibus iuxta terminos cap. 17. Seſſ. 24. & cap. 15. Seſſ. 25.

Congregatio Concilij cenſuit, obtinentem Parochialem vnà cum canonicatu ex diſpenſatione Apoſtolica ante Concilium obtenta potuiſſe poſt Concilium abſque alia diſpenſatione optare præbendam pinguiorem.

Epiſcopus cum examinaret vniones iuxta diſpoſitionem huius decreti, & in Seſſ. 21. cap. 9. ante 40. annos in eius diœceſi factas, & quę prius non tamen ante dictum tempus 40. annorum ſortitæ effectum fuerant intereſſe prætendentes vigore ſuarum prætenſarũ appellationum impediunt Epiſcopũ ab huiuſmodi examine! Reſpondit

Con-

Congregatio Concilij caſum hunc omiſſum à Concilio, Ideo ex decretis eiuſdem non poſſe quidquam attentari in eos cap. 7.

Congregatio Concilij cenſuit, nominationem vicariorum ad tempus in beneficiis curatis ſpectare ad monaſterium; perpetuorum vero in vim conſtitutionis Pij V. ſpectare ad Epiſcopos. Fuit in congregatione Concilij dubitatum an vicarius perpetuus conſtitutus vigore huius decreti ſubire deberet aliqua onera ſaltem pro rata per conſtitutionem Pij V. de vicariis perpetuis. S.D.N. Greg. XIII. audita relatione Congregationis declarauit Bull. Pij V. vt omnia onera incumbentia ipſi parochiali, in qua erit vicaria perpetua, pertineant ad ipſum vicarium ſolum, nulla autem ex parte ad Eccleſiam ſeu monaſterium aut locum pium, quibus erat vnita ipſa parochialis.

Cenſuit Congregatio in parochialibus, quæ non ſunt vnitæ monaſteriis, ſed earum membra, aut quomodolibet dependentes ſunt, nec Concilium, nec conſtitutionem Pij V. de vicariis perpetuis diſpoſuiſſe, an vnus vel duo regulares eſſe debeant. Ideo hos caſus relinquendos eſſe inſtitutioni cuiuſque religionis, niſi aliud Sanctiſſimus decernat.

Actum eſt in Congregatione Concilij an eſſent conſtituendi vicarij perpetui in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis curam animarum habentibus, & eam per temporarios mercenarios exercentibus.

Congregatio cenſuit, nihil per legem generalem ſtatuendum eſſe, ſed ſingulis caſibus, qui occurrerint prouidendum, prout magis expedire videbitur.

## *Seſſio 7. De Reformat.*

### Capvt III.

*Nullius 4. Sept. 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit, ad obtinendam in Cathedrali vel collegiata dignitatem non curatam, requiri ætatem annorum 22. completam.

### Capvt IV.

*22. Ianuarij 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit Epiſcopum ex cauſa poſſe diſpenſare, vt quis poſſit obtinere duo beneficia difformia ſub eodem tecto, dummodo quodlibet per ſe non ſit ſufficiens ad ſuſtentationem prouiſi.

### Capvt V.

Congregatio Concilij cenſuit, ſi aliqua Abbatia nullius diœceſeos exiſtat, non poſſe Epiſcopum viciniorem ibi conferre Sacramentum confirmationis, & exercere Pontificalia, abſque Abbatis ex-

expreſſa licentia, ſed eſſe in facultate ipſius Abbatis conuocare, quem maluerit Catholicum antiſtitem, ſaluo tamen maiori iure Epiſcopi viciniotis, ſi aliunde id ſibi competat, verum poſſe Epiſcopum viciniorem viſitare benificia ſæcularia, & Clericos ſæculares dictæ Abbatiæ, illóſque culpabiles repertos corrigere, & Epiſcopum viciniorem dici tantum illum, cuius Cathedralis Eccleſia ſit Abbatiæ proximior, non autem locis dictæ Abbatiæ ſubiectis.

## CAPVT VII.

Congregatio Concilij cenſuit, ſi beneficium liberum, ſiquidem vnitum ſit Monaſterio Monialium, Vicarium in eo conſtituendum eſſe perpetuum, vel amouibilem à Monialibus præſentandum, & ab Epiſcopo approbandum, iuxta cap. 7. Seſſ. 7. ſi vero non ſit vnitum, ſed pertineat ad collationem Monialium, & per perſonas ſæculares deſeruire ſit ſolitum, eſſe vtique conferendum à Monialibus illi, qui ab Epiſcopo præuio examine per concurſum fuerit approbatus. Quod ſi de iure patronatus Monialium fuerit, ſeruandum eſſe, quod ſtatuit Decretum Concilij cap. 18. Seſſ. 24. verſ. *Si verò iurispatronatus Eccleſiaſtici*: nempe vt ſi inſtitutio ad Epiſcopum pertineat, is, quem Moniales digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicauerint, Epiſcopo præſentent, vt ab eo inſtruatur, ſi vero inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo erit facienda, Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem ſpectat inſtitutio. *Pataniens. Iulij 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit, conſtitutionem Sanctæ memoriæ Pij V. de Vicariis perpetuis, ita eſſe intelligendam, vt omnia onera, incumbentia Parochiali Eccleſiæ, in qua fuerit erecta Vicaria perpetua, pertineant ad Vicarium perpetuum ſolum, nulla autem ex parte ad Eccleſiam, ſeu Monaſterium, aut alium locum pium, quibus vnita fuerit ipſa Parochialis. *27. Martij 1594.*

## CAPVT VIII.

Congregatio Concilij cenſuit, poſſe Epiſcopum viſitare quaſcumque Eccleſias ſæculares, intra fines ſuæ Diœceſeos exiſtentes vigore cap. 8. Seſſ. 7. etiamſi ad Regulares pertineant, & ab eis dependeant, dum tamen per ſæculares eis deſeruiatur. *12. Februarij 1596.*

Item, Monaſteria quæcumque commendata, in quibus non viget Regularis obſeruantia, ac beneficia tam curata, quam non curata ſæcularia, & regularia qualitercumque commendata vigore cap. 8. Seſſ. 21. Præterea tam beneficia curata vnita quibuſcumque Monaſteriis, & locis piis ex cap. 7. Seſſ. 7. quam etiam perſonas exercentes curam animarum in Monaſteriis Regularium, quibus etiam cura imminet iuxta cap. 11. Seſſ. 25. de Regul. Eccleſias autem militum Hie-

Hieroſolymitanorum eſſe exemptas priuilegiis ſummi Pontificis à viſitatione Epiſcopi, præterquam ſi fuerint curata, tunc enim cum huiuſmodi priuilegia excipiant ea, quæ reſpiciunt curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, quoad hoc, poſſe vtique viſitari ab Epiſcopis, &c.

Item nullam pœnam incurrit Epiſcopus non vtendo iuriſdictione ſibi in exemptos à Concilio tributa; ſed in illis tantum caſibus, quibus decreta Concilij vtuntur verbis præceptiuis ſeu obligatoriis, incurrere peccatum mortale, & in caſibus in quibus diſpoſitio Concilij non abſolutè adimit exemptis hanc iuriſdictionem, ſed tantum ſi Ordinarij velint, Ordinariis volentibus exercere poſſunt, exempti vero in caſibus, in quibus Concilium hanc iuriſdictionem exemptis adimit, & præcipit Epiſcopis vti ſoli ipſi exerceant, non poſſunt.

Præſuppoſito ex declaratione Congregationis quod Epiſcopi non ſolum per ſeipſos, ſed etiam per illorum in ſpiritualibus generales Vicarios munus viſitationis poſſunt exercere, an Vicarij eo caſu ſpecialem in ſcriptis facultatem habere debeant, & de illa prius & per authentica documenta ipſis Abbatibus, ſuperioribus vel eorum Officialibus & ſubditis, dimiſſo ſibi illorum exemplo de verbo ad verbum fidem facere teneantur, & donec iſtud fecerint liberè & licitè eis valeant reſiſtere.

Congregatio cenſuit, opus eſſe ſpeciali in ſcriptis facultate, de eáque etiam huiuſmodi fidem eſſe faciendam.

Congregatio cenſuit, licere Epiſcopo viſitare capellaniam Iuriſpatronatus Laicorum, etiam Iuriſpatronatus Regum ex priuilegio ſibi conceſſo, quia in ſua diœceſi, nec Iuſpatronatus quamquam Regum obſtare, niſi in fundatione id expreſſum ſit, ſed ſi probetur capellaniam exemptam, tunc Epiſcopus viſitet tamquam ſedis Apoſtolicæ delegatus ex hoc cap. 8.

Concilium hic non videtur ſuſtuliſſe neque rem iudicatam neque concordiam.

*Excluſis.*] Etſi iureiurando ſolemniter ceſſiſſet exemptæ Eccleſiæ, quæ in ſua diœceſi reperitur, quia Ordinarius non poteſt ſe eximere à præceptis quæ continentur & in hoc & in aliis decretis Concilij.

De hoc in vna Barenſi Sancti Nicolai.

## Capvt X.

*Taurinenſis 27. Auguſti 1593.* Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe Capitulum, vel eius Vicarium ſede Epiſcopali vacante, infrà annum literas dimiſſorias non arctatis concedere.

*16. Decembris 1599.* Congregatio Concilij cenſuit, licere Vicario Capituli ſede Epiſcopali quamuis adhuc intra annum vacante, concedere Oratori, vtpote arctato dimiſsorias ad ordines, &c.

Vica-

Vicarius Capituli ſede vacante infra annum poteſt concedere dimiſſorias ad primam tonſuram ei qui eſt præſentatus à patronis laicis ad beneficium Eccleſiaſticum Iuriſpatronatus ipſorum, vt illud obtinere valeat.

Hoc cap. cenſuit Congregatio non procedere in inſignito ſolo charactere primæ tonſuræ.

*Si in maioribus ordinibus.*] Ad minores ſic promotus, poteſt in ſuſceptis ordinibus miniſtrare & beneficium obtinere.

## CAPVT XI.

*Facultates de promouendo à quocúmque.*] Intelliguntur à ſede Apoſtolica conceſſæ, non ab Ordinariis quæ appellantur litteræ dimiſſoriæ.

## CAPVT XIII.

Congregatio Concilij cenſuit, Canonicum ſemel ab examinatoribus vrbis, cum Canonicatum adeptus eſt, examinatum & idoneum repertum, ſi eo dimiſſo, alium Canonicatum obtinuerit, non eſſe iterum examinandum. *Ianuenſis 6. Iulij 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, prouiſum Apoſtolicum apprehendentem poſſeſſionem beneficij literis non expeditis, ex Iulij 3. conſtitutione amittere beneficium, ſiue ius illud habens, ac ad illa obtinenda Decreto inhabilem effici. *Placentinenſis 8. Iulij 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, in prouiſione beneficiorum ſimplicium, quorum collatio libere ſpectat ad collatorem inferiorem, non requiri approbationem Epiſcopi, prout requiritur in inſtitutione, vt dicitur ex *cap.* 13. *Seſſ.* 7. *De Reform.* *3. Ianuarij 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, eum, qui ad dignitatem approbatus eſt, examini nihilominus ſubiiciendum tam eius Epiſcopi, qui non contulit dignitatem, quàm eius, qui contulit, niſi tamen ſtatim cum collatione dignitatis examinatus, & ordinatus fuerit. *30. Ianuarij 1596.*

Qui admittuntur in Eccleſiis patrimonialibus aut receptiuis, tam numeratis quam innumeratis ad beneficia ſeruitoria, non poſſunt admitti niſi præuio examine & approbatione Epiſcopi iuxta hoc decretum. In illis Eccleſiis, in quibus occurrente vacatione Canonicatus Canonicus ad illum præſentari debeat, & ab inferiori inſtitui, antiquior penſionarius ad penſionem antiquorum beneficiatus ad beneficium antiquior expectans, cenſuit Congregatio non ſufficere aliquem examinatum & approbatum fuiſſe ab Epiſcopo, quando admiſſus ad expectandum iuxta diſpoſitionem huius decreti, ſed neceſſarium eſt in quolibet aſcenſu nouum examen.

Epiſcopus cui commiſſum eſt examen per litteras Apoſtolicas alicuius, qui beneficium ſimplex obtinuit, poterit illud delegare non obſtante quod fuerit in litteris eius conſcientia onerata.

Cogni-

Cognitio vero an beneficium ſit vel ne de Iurepatronatus, ſpectat ad habentem ius inſtituendi.

Ita alias in vna Vercellenſi.

## Capvt XIV.

AN Canonici Regulares, qui de conſenſu & mandato ſuorum Superiorum Regularium aliquibus Parochialibus Eccleſiis ſuis Monaſteriis vnitis præficiuntur, ſi delictum, curam animarum, aut adminiſtrationem non concernens Sacramentorum commiſerint, poſſint ab Epiſcopo puniri, &c.

Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe ab Epiſcopo puniri, ſed à ſuis ſuperioribus Regularibus tantum.

### *Seſſio 13. De aſſeruando Euchariſtiæ Sacramento.*

## Capvt VI.

IN Eccleſiis Parochialibus ſemper Euchariſtia reſeruari debet, in aliquo mundo, ſingulari & ſignato loco, vt infirmis ſuccurri poſſit, nec conſuetudo excuſat contraria, nec paupertas Eccleſiæ, niſi fortè ſubeant periculum à manu ſacrilega, contra quod periculum ſatis cautum eſſe non poſſit per quamuis diligentem cuſtodiam.

### *Seſſio 13. Canon. 9.*

*18. Februarij 1598.* Congregatio Concilij cenſuit, procedi non poſſe aduerſus eum, qui tribus ab hinc annis ab A. C. excommunicatus ad hanc vſque diem in excommunicatione permanſit, pręterquam in feſtis Paſchalibus, in quibus anno ab A. C. abſolutionem obtinuit.

*21. Maij 1601.* Congregatio Concilij cenſuit, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ eum, qui ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcepit, ante, vel poſt diem Paſchatis non de manu Parochi, ſed Regularium habentium à ſede Apoſtolica priuilegium miniſtrandi hoc ſacramentum, præterquam in die Paſchatis.

### *Seſſio 13. De Reformat.*

## Capvt I.

*7. Martij 1596.* COngregatio Concilij cenſuit, non poſſe Epiſcopum in viſitatione recuſari, tanquam ſuſpectum, dum tamen in ea proceſſum non complicet, & ſe intra viſitationis terminos contineat.

*24. Aprilis 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum non poſſe in viſitatione imponere pœnas ordinarias delictorum, ſed tantum extraordinarias, quæ magis morum emendationem, ac correctionem, quam ordinariam delicti vindictam reſpiciant.

*2. Ianuarij 1601.* Congregatio Concilij cenſuit, non licere Epiſcopo viſitationem aggre-

aggredienti proponere edicta, quibus ſubdicti iubeantur crimina detegere, multóque minus propoſita pœna excommunicationis.

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum viſitationem aggredientem atque etiam in præparatoria inquiſitione non poſſe vti ſuſpectum recuſari, nec probatione, vel allegatione ſuſpicionis, quo minus pœna extraordinaria, quæ morum correctionem & emendationem reſpiciat, viſitatos afficere poſſit, impediri. *25 Maij 1601.*

Congregatio Concilij cenſuit, in viſitatione, quando fit inquiſitio, quæ Præparatoria vocatur, non licere Epiſcopo ad detegenda viſitandorum peccata per edicta publica monere homines ſub excommunicationis pœna ad reuelandum, neque in ea exigere iuramentum à viſitatis, cęterum cum viſitare voluerit illos, qui ſunt de Capitulo, teneri ad locum Epiſcopum accedere, vbi Capitulares ſe congregare conſueuerunt, ſi id commode fieri poſſit, ſin minus ad locum congruum, non tamen teneri accedere ad locum Capituli quoties proſequi voluerit viſitationem alicuius particularis perſonæ de Capitulo, & ſi Epiſcopus viſitauerit ad morum correctionem, & emendationem, vtique non poſſe non compilato proceſſu, nec ſeruatis de ſeruandis pœnam ordinariam infligere. *26. Auguſti 1594.*

*Appellari non poteſt.* ] Intelligitur etiam de indebita carceratione, & ideo ab huiuſmodi grauamine appellari poteſt, & Ordinarius tenetur huic appellationi deferre, & ſincerè proceſſum transferre ad Iudicem appellationis; interim tamen reo manente in carceribus, donec Iudex appellationis cauſa cognita aliud iuſſerit.

Quare authoritas delegata, quæ Epiſcopis à Concilio tribuitur non aufert ius illorum ad quos legitimè interpoſita appellatione aliàs cauſa deuolueretur.

## Capvt IV.

*Conſtitutis.* ] Non comprehenduntur Prælati mendicantium regularium, cum non habeant nomen dignitatis.

Nec debent intereſſe in examine proceſſus, ſed tantum in ſolemni & actuali degradatione, tanquam aſſiſtentes ſeu aſſeſſores.

Et poſſunt ab Ordinario aſumi aliæ perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ & non diœceſanæ, ſcientia ſacræ Theologiæ commendabiles.

## Capvt V.

Congregatio Concilij cenſuit, ſubditum Epiſcopi excommunicatum ab eo, & à Vicario vrbis & delegatione Papæ abſolutum, poſſe appellare ab ipſius Epiſcopi pronuntiatione, qui vigore Decreti Conc. cap. 5. Seſ. 13. abſolutionem obtentam ſubreptitiam, & obreptitiam declarauit. *Martis Politan 15. Maij 1591.*

## *Seſſio 14. De partibus & fructu Sacramenti Pœnitentiæ.*

### CAPVT III.

E*Go te abſoluo.*] Congregatio cenſuit, intelligi in forma ſolita & conſueta ab Eccleſia, quæ debet extendi ſecundum conſuetudinem & ſtylum.

## *Seſſio 14. De Sacramento Pœnitentiæ & caſuum reſeruatione.*

### CAPVT VII.

C*Vſtoditum ſemper fuit.*] Congregatio cenſuit, ſacerdotem alioquin idoneum ſi tamen ad audiendas confeſſiones approbatus non ſit iuxta c.15. Seſ. 23. non poſse valide à peccatis mortalibus abſoluere pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, vbi Parochus præſens iam perhibeatur Seſ. 14. de ſacramento pœnitentiæ & de reſeruatione, paratúſq; ſit infirmi audire confeſſionem, illúmq; abſoluere, neque vlla ſubſit cauſa Parochum ipſum recuſandi.

*Nullius 3. Aprilis 1593.* Congregatio Concilij cenſuit, illos qui confeſſiones audiunt, poſſe virtute Iubilæi indicti à ſummis Pontificibus cum facultate abſoluendi à quibuſcúmque caſibus, abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, ſed non virtute priuilegiorum Regularibus, ſeu confraternitatibus conceſsorum.

*16. Februarij 1594.* An qui ſemel in vno tempore Paſchatis peccata fuerit confeſsus pœnitentiario deputato, in vim decreti Concil. Trident. c.8. *Seſſ.* 14. dicatur ſatisfeciſse præcepto Eccleſiæ cõtento in c. omnes vtriúſque ſexus, extra. de pœnit. & remiſ. Omnes Illuſtriſs. Domini fuerunt illius ſententiæ, quod videatur ſatisfeciſse.

*12. Maij 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe Regulares abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, in vim priuilegiorum eis ante Concilium conceſsorum, neque audire confeſſiones perſonarum ſæcularium, niſi prius fuerint approbati ab Ordinario.

## *Seſſio 14. De Reformat.*

### CAPVT I.

*Nullius 3. Februarij 1593.* COngregatio Concilij cenſuit, cap. 1. Seſ. 14. de Reformat. habere locum in ſuſpenſionibus, & prohibitionibus tam temporariis quam perpetuis, & temporalem prohibitionem & ſuſpenſionem dici eam, vbi ex delicto occulto extraiudicialiter procedit Epiſcopus ad ſuum beneplacitum prohibendi, vel ſuſpendendi.

CAPVT

## Capvt II.

COngregatio Concilij cenſuit Epiſcopum exercentem Pontiſicalia in aliena Diœceſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, poſſe Ordines conferre etiam ſuis propriis Diœceſanis, non obſtante Concilio *c.5. Seſſ.6. de Reform.* 6. *Iulij* 1595.

In loco exempto intra fines certæ Diœceſeos exiſtenti non poſſe Epiſcopum Diœceſanum etiam à ſuperiore loci exempti Ordinario accerſitum Pontificalia exercere, niſi de licentia Epiſcopi loci, intra cuius fines locus huiuſmodi exemptus fuerit conſtitutus. 1. *Iulij* 1587.

*Epiſcopus.* ] Concilium Lateranenſe nouiſſimum permiſit Cardinales in Eccleſiis ſuis iſtos habere Epiſcopos pro ſuffraganeis *ibi Seſ. 9. de Card. omni conatu ſuis prouideant debite inſeruire Cathedralibus dignos & idoneos vicarios ſeu ſuffraganeos, prout conſuetudo fuerit cum digna & competenti mercede.* Pius V. publicationes circa Concilium Tridentinum decreto ſuo conſiſtoriali ſanciuit huiuſmodi Epiſcopos non eſſe creandos, neque in ſuffraganeos dandos, niſi Eccleſiis Cathedralibus, & illis, quæ ſolent habere, & cum certo ſtipendio perpetuo ad minus ducentorum aureorum de Camera ſuper fructibus illius Eccleſiæ qui propria authoritate ab Epiſcopo percipi poſſunt, & quod nullibi poterit Pontificalia exercere ſine expreſſa licentia ſedis Apoſtolicæ, niſi in illa diœceſi cui datus eſt in ſuffraganeum.

## Capvt III.

COngregatio Concilij cenſuit, decretum Concilij c. 3. Seſ. 14. non comprehendere examinatos, & promotos à prædeceſſoribus Epiſcopis, niſi poſt promotionem noua cauſa ſuperuenerit. 9. *Martij* 1597.

## Capvt IV.

COngregatio Concilij cenſuit, non poſſe ex decreto Concilij c. 4. Seſ. 14. etiam extra viſitationem corrigere, & punire Clericos ſeculares exemptos ab Epiſcopo, & alteri inferiori Ordinario ſeculari intra Diœceſim exiſtenti ſubiectos, quam ſententiam Sanctiſſimus ad ſe relatam approbauit. 27. *Iunij* 1596.

## Capvt V.

COngregatio Concilij cenſuit, conſeruatorias regularibus conceſsas, quas Concilium Tridentinum *c. 6. Seſſ.* 14. ſaluas eſse voluit, non fuiſse ſublatas ex decreto Concilij *c. 20. verſ.* 24. 28. *Ianuarij* 1594.

*Et regularium loca.* ] S. D. N. Gregorius XIII. conceſſit omnibus regularibus, quod in omnibus Italiæ ciuitatibus conſeruatorem ſemel

eligant, & coram eo tantum conueniantur, neq; illis liceat ab eo recedere, & ad alium conſeruatorem tranſire eorumdémque nomina intra menſem Epiſcopis locorum Ordinariis indicarent, alioquin coram ipſis Ordinariis conueniri poſſunt.

*Hoſpitalitatem ſeruantia.* ] Sub his verbis excluduntur Abbates & conuentus Sancti Antonij Viennenſis & aliorum ſimilium.

Litteræ cancellariæ conceſſæ vniuerſitati vel regularibus vel aliis quos hoc Decreto Concilium voluit eſſe ſaluos, non ſunt ſublatæ altero decreto Concilij Seſ.24.c.20.

## CAPVT VI.

IN *ſacris fuerint.* ] Dubitatur vtrum eo ipſo quod clericus in ſacris conſtitutus, non detulit veſtes clericales, iuxta conſuetudinem Prouinciæ & ſtatuta Epiſcopi, ſit ſuſpẽſus etiam ipſo iure pro prima vice, vel ſaltem ſuſpendi debeat ab ipſo iuxta hoc decretum. Congregatio reſpondit quod neceſſe eſt vt præcedat monitio Epiſcopi, quę ſufficiat etiam per edictum publicum, poſtquam quis deprehenſus fuerit non deferre honeſtum habitum clericalem ſuo ordini & dignitati congruentem & iuxta Epiſcopi ordinationem, non erit quidem ipſo iure ſtatim ſuſpenſus, ſed poterit & debebit Epiſcopus eum etiam pro prima vice ſuſpendere ad tempus, eius arbitrio.

## CAPVT VII.

R*Epellendo.*] Congregatio cenſuit, hoc etiam habere locum cum agitur de repellendo vi illata Patri.

*25 Iunij 1589.* Congregatio Concilij cenſuit, ex homicidio merè caſuali, cum nulla penitus fuerit admiſſa culpa, & in quo non dabatur opera rei illicitæ, nullam oriri irregularitatem.

## CAPVT VIII.

HOc decretum Concilij loquitur de iis, qui virtute priuilegij animaduertere volunt in non ſubditos. Epiſcopus loci delicti innititur iuri communi c.poſtulaſti & c.vlt.de for. compet. non priuilegio de quo loquitur concilium, ſic fuit reſponſum Epiſcopo, qui dubitabat vigore huius decreti procedere contra forenſem qui commiſerat in ſua diœceſi delictum.

## CAPVT XI. in fine.

*10. Nouembris 1590.* COngregatio Concilij cenſuit, milites regulares militiæ Sancti Iacobi, & Spatha alióſque huiuſmodi non emittentes omnia tria vota ſubſtantialia, videlicet pauperitatis, caſtitatis, & obedientiæ, non eſse incapaces bẽneficiorum ſęcularium, ſiue ſimplicium, ſiue curatorum, neque etiam penſionum.

CAPVT

## CAPVT XII.

NEc ſunt ſublatæ inſtitutiones,quę ex immemoriali cõſuetudine ante Concilium ad inferiorem ſpectabant,& dummodo ad inferiores ipſos inſtitutio hæc alias legitimè ſpectet & pertineat,ita vt non deſcendat ab aliquo Iurepatronatus quod decreto Concilij ſublatum ſit,provt diſponitur Seſſ 7.c.13. Seſſ.24.c.8.& Seſſ.24.c.9.

## CAPVT XIII.

*INtelligatur.*] Non ſunt ſublatæ Iuriſdictiones, veluti ſi fundator, capellæ reliquerit inſtitutionem Capitulo.

### *Seſſio 21. de Reformat.*

## CAPVT I.

*24. Ianuarij 1594.*

COngregatio Concilij cenſuit,non poſſe Cancellarios pro expeditione literarum collationis vel inſtitutionis quorumcũmq; beneficiorum,vel pro deputatione Vicariorum in illis,accipere, niſi mercedem ſuo labori conuenientem,quæ tamen ſcriptura,ſigillo,& cæteris computatis vnum aureum non excedat, dummodo tamen ipſis Cancellariis ſalarium vllum pro officio exercendo conſtitutum non ſit, & ex pecunia, quam acceperunt, nihil prorſus emolumenti collatores aliquo modo directe vel indirecte percipiant.

Item Epiſcopo Maſſarienſi idem Gregorius declarauit non poſſe exigere annatam pro confirmatione vel benedictione Abbatiſſæ, vel pro collatione alicuius beneficij de menſa Epiſcopali, vel dimidiam annatam,ſi beneficium eſſet Iuriſpatronatus.

## CAPVT II.

*Camerienſis 1. Iulij 1593.*

COngregatio Concilij cenſuit,tutum etiam in conſcientia eum, qui beneficium,ad cuius titulum erat promotus,reſignauit, & aliud ex cauſa permutationis obtinuit, tacendo in reſignatione, quod erat promotus ad titulum primi beneficij, dummodo ſecundum beneficium ſit æquiualens primo.

*6. Februarij 1597.*

Congregatio Concilij cenſuit, non expedire,vt ad titulum patrimonij quis ad ſacros Ordines promoueatur, niſi certi reditus ad honeſtam promouendi ſuſtentationem ſufficientes ſuper certis reditibus fuerint in forma legitima & valida aſſignati.

*13. Februarij 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, poſſe Epiſcopum in ſumma clericorum penuria ob neceſſitatem Eccleſiæ ordinare ad Subdiaconatum ſuos clericos cum aſſignatione perpetua fructuum aliquorum bonorum,quorum fructus ſufficiant ad eorum ſuſtentationem.

*10. Aprilis 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, poſſe aliquem ad ſacros Ordines promoueri ad titulum bonorum immobiliũ, & annuorũ redituum qui ei donentur, ſi tamen Epiſcopus iudicauerit eum aſſumendum, pro neceſſitate ſuarum Eccleſiarum, donationéſq; huiuſmodi bene, & abſq; vlla fraude in forma valida fiant, ac bona, & reditus donati huiuſmodi promouendo ſufficiant ad vitam honeſte ſuſtentandam, & nullo modo poſſint alienari abſque licentia Epiſcopi, donec ille

beneficium ſufficiens adipiſcatur, vel aliunde habeat vnde commodè viuere poſſit.

*Poſſidere.* ] Quæritur An obtinens Parochialem Eccleſiam inſufficientem ad victum, teneatur promoueri ad ſacerdotium infra annũ iuxta cap. licet, cum Concilium videatur declaraſſe d.c. licet intelligi de beneficio Eccleſiaſtico ſufficienti ad victum; imo prohibet poſſe promoueri ad ſacros Ordines. Congregatio cenſuit non teneri, ſed tamen expedire eum debere demittere. Sanctitas ſua probauit hanc ſententiam vt demittat.

Quod ſi beneficium eſſet litigioſum & curam animarum haberet, tamen obtinens ſacros Ordines ſuſcipere debet, ſi modo liberum curæ habeat exercitium.

*Poſſit.* ] Quidam reſignauit Canonicatum, vt intra menſem teneretur docere, quod aliunde commodéque, &c. Moritur infra menſem, Ordinarius voluit beneficium conferre per obitum. Reſpondit Cong. non poſſe, quia affectum eſt, cum ſemel Papa poſuit manus.

Habent etiam locum omnia hic, etiam ſi beneficia eſſent Iuriſpatronatus.

Hoc decretum prohibet reſignationes voluntarias, non autem priuationes.

Congregatio Concilij reſpondit non poſſe Capitula Sede vacante poſt annum non arctatis concedere dimiſſorias ordinandis ad titulum patrimonij ſiue penſionis, ſed hanc facultatem eſſe reſeruandam iudicio proprij Epiſcopi.

Clerici regulares, qui ante profeſſionem factam ad ſacros Ordines promouentur, ipſo facto ſuſpenſi ſunt, & ita ordinum ſuſceptorum actus exercendo fiunt irregulares. Ita Pius V. in extrau. Romanus Pontifex ſacrorum publicata pridie Idid. Octobris 1568.

## CAPVT III.

*Elborenſis Iulij 1591.* Congregatio Concilij cenſuit, ſcribendum ad Archiepiſcopum, à Decreto, quo Epiſcopus exequutus Decretum Concilij c. 3. Seſſ. 21. vel 3. Seſſ. 22. tertiam partem fructuum prębendarum in diſtributiones quotidianas conuertit, non dari appellationem ad effectum ſuſpenſiuum.

*Melitenſis 9. April. 1592.* Congregatio Concilij cenſuit, vigore Concilij non poſſe conuerti in diſtributiones tertiam partem redituum beneficij ſimplicis.

*15. April. 1592.* Congregatio Concilij cenſuit, detractionem tertiæ partis ex fructibus præbendarum, ac dignitatum faciendam, ex cap. 3. Seſſ. 21. & conuertendam in diſtributiones quotidianas, fieri debere non ex vna, & altera tantùm pinguiori præbenda, ſed ex omnibus præbendis, & dignitatibus Eccleſiæ.

Eamdem autem aſſignationem diſtributionum quotidianarum ex tertia parte fructuum dignitatum, & præbendarum, fieri debere detractis penſione, & aliis legitimis oneribus, quamdiu durauerint.

Vnum-

Vnumquémque percipere debere tantum de diſtributionibus, quantum de ſua præbenda fuit detractum, & eum cui plus ablatum de præbenda pinguiori, plus de diſtributionibus percipere debere, cui autem nihil ablatum eſt, nihil eſse dandum.

Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe ab Epiſcopo beneficiis ſimplicibus nouum onus imponi. *1. Iulij 1587.*

Et ſit hæc deductio de dignitatibus, quorum fructus ſunt illius Eccleſiæ, in cuius choro hæ dignitates ſedem habent, ſecus verò ſi nullos fructus perciperent ex illis Eccleſiis, ſed haberent proprios & diſtinctos à menſa capitulari.

Congregatio Concilij cenſuit, vt ſic quilibet Canonicus tantùm accipiat de quotidianis diſtributionibus, quantum in eas contulit de tertia parte ſuæ præbendæ, ad portionem contribuendam, ,tam ex hoc c. quàm ex c. 3. Seſſ. 22. tenentur etiam & compelli poſſunt Canonici qui in ſacris non exiſtunt, nec excludantur à cõtributione huius tertiæ partis hi, qui eſſent Epiſcopi vel reſiderẽt in parochiali.

Quando Epiſcopus vſus eſt remedio huius capitis tertij Seſſ. 21. in detrahenda tertia parte ex dignitatibus, non poteſt ex remedio capitis tertij Seſſ. 22. in detrahenda alia tertia parte ex dignitatibus, & nihil dandum eis, qui nihil contulerunt.

Nec poteſt deducere hanc tertiam partem, niſi ex Canonicatibus & aliis beneficiis in Cathedrali vel Collegiata vel aliis vnitis, neque extra Eccleſiam Cathedralem vel Collegiatam hoc decretum habet locum.

Congregatio Concil. cenſuit, quod Eccleſia matrix ſeu parochialis nõ acquirit iuſpatronatus in Eccleſia fundata iuxta ſuos limites, niſi de ſuo aliquid contulerit, nec obſtat ſi diceretur, quod oblationes futuræ ſunt loco dotis, quia ad hoc vt acquiratur Iuſpatronatus requiritur quòd aſſignatio dotis fiat tẽpore fundationis & non poſt. Etiam limitatur, quia Eccleſia ex neceſſitate populi conſtituitur, vt in d. c. ad audientiam, quo caſu erunt loco dotis, & ſic dotans, & rector Eccleſiæ matricis erunt ambo patroni, vt in d. c. ad audientiam.

Dotans inſufficiẽter, quod arbitrabitur Ordinarius non acquirit Iuſpatronatus, ſed dicitur benefactor, quando occurrunt plures in dotatione, licet æqualiter non cõtribuant, omnes efficiũtur patroni, etſi ſufficientẽ dotem ex ſe ſinguli non conferant, dũmodo Eccleſia habeat dotem cõpetentem; quia ex quo ille qui plus contulit, admiſit alium, videtur illi cõmunicare ius ſibi cõpetens in illo patronatu.

Ex quibus Congregatio reſpondit Epiſcopo montis regalis, quod ſi ipſe iudicauerit dotem, quæ à quodam laico promittebatur iunctis obuentionibus, nam ex neceſſitate populi conſtituenda erat Eccleſia, eſſe ſufficientem pro Eccleſia parochiali de nouo erigenda in terminis huius decreti illam erigat, & presbytero qui nominatur, ſi per examen illum idoneum ad Eccleſiam regendam inuenerit, conferat ſine concurſu, pro hac prima vice.

Cenſuit Congreg. dignitati curatæ vniri poſſe aliam dignitatem

ex cauſa paupertatis iuxta hoc decretum etiam in Seſſ. 24. cap. 13. eámque vnionem facere poſſe Abbatem ſi ſibi facultatem vniendi legitimè præſcripſit, aut ex priuilegio in Eccleſia ſibi pleno iure ſubiecta, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habet in omnibus & per omnia, alioquin vnionem faciendam eſſe per Epiſcopum cum conſenſu ipſius Abbatis & Capituli.

## Capvt IV.

*28. Aprilis 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum in vim Concilij Tridentini *c. 4. Seſſ.* 21. non poſſe erigere coadiutoriam, ſed vtique cogere Rectorem, ad adiungendum ſibi tot ſacerdotes, quot ſufficiunt Eccleſiæ Sacramentis miniſtrandis.

*29. Iunij 1600.* Congregatio Concilij cenſuit, ſi in oppido eſt Eccleſia Parochialis abſque fonte baptiſmali, & Archipresbyteratus ab illa ſeparatus cum fonte baptiſmali, ita demum Archipresbyteratum, cui aliàs cura non incumbit animarum, eſſe curatum, ſi tenetur homines oppidi pro pueris baptizandis ſolum Archipresbyterum adire, & ille tenetur id Sacramentum adeuntibus miniſtrare.

*22. Septembris 1600.* Congregatio Concilij cenſuit, ex ea ſola cauſa, quod populus alicuius Parochialis adeo ſit numeroſus, vt vnus Rector non poſſit ſufficere Sacramentis miniſtrandis, & cultui diuino peragendo, minimè quidem licere ordinario nouam Parochiam erigere, niſi & alia concurrant quæ exprimuntur conſtitutione fel. rec. Alex. Tertij, quę incipit *ad audientiam*, & innouatur Decreto Concilij cap. 4. Seſſ. 21. v. in his verò, ſed ob huiuſmodi magnam multitudinem debere ordinarium vti remedio dict. cap. 4. in princ. ſcilicet cogendo Rectores, vt tot ſibi ſacerdotes adiungant, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda & cultum diuinum celebrandum.

An vt quæſtores arceantur poſſint Ordinarij de facultate à Superioribus Regularium Eleëmoſynæ quærendæ conceſſa aliquam cognitionem & qualem habere. Congregatio cenſuit ex Concilio, non prohiberi Regulares mendicantes quo minus Eleëmoſynas quęrant non tamen alios eorum nomine, & quoquo modo poſſe quæritare, illo tamen ex loco vbi ſint ſita monaſteria, Eleëmoſynas per eamdem diœceſim quęritantes, teneri ad oſtendendum Ordinario licentiam ſuorum ſuperiorum.

## *Seſſio 22. De celebrat. Miſſæ.*

*Elborenſis 9. Septemb. 1592.* Congregatio Concilij declarauit, caput vnicum de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ Seſſ. 22. in ea parte, in qua diſponitur extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria ſacrificium Miſſæ celebrari non debere, non derogaſſe priuilegio introducto in fauorem Epiſcoporum per cap. vltimum de priuil. in 6.

Item non poſſe Parochos recipere aliquid etiam à ſponte danti- *1. Febr. 1595.*
bus pro adminiſtratione Sacramentorum : pro Eleëmoſyna autem quod ſponte offeretur, poſſe accipere.

An ſi regulares aliqua indecentia aut prohibita in Eccleſiis ſuorum ordinum habeant, ex Concilio Prouinciali poſſit Ordinarius etiam contra ipſos regulares, eorúmque Eccleſias prout eis videbitur, etiam per viam interdicti, vel cenſurarum prouidere. Reſpondit Congregatio poſſe, dum tamen ad interdictum non procedat, niſi ritè & rectè obſeruatis omnibus à iure requiſitis.

## CAPVT III.

Congregatio Concilij cenſuit, poſſe Canonicos per mediaria Eccleſiæ inſeruire, iuxta Decretum Epiſcopi, dum tamen toto anno vltra bimeſtre non abſint ab Eccleſia, & etiam eo tempore diſtributiones quotidianas minimè percipiant. *Sauonenſis Iulij 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit non poſſe Ordinarium pro lucranda tertia parte præbendæ in diſtributiones ex Decret. Concil. cap. 3. Seſs. 22. de Reform. conuerſæ dignitatibus præſcribere certam ſeruitij & Officij formam præter ſolitam. *Elborenſis 29. Septēbris 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, diſtributiones quotidianas ita diuidendas eſſe, vt quilibet Canonicus deſeruiendo lucrari poſſit ex illis id totum, quod de tertia parte ſuæ præbendæ detractum in ipſas diſtributiones conuerſum fuerit. *23. April. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, ſi Præpoſitura Cathedralis, à qua poſt Concilium tertia pars fructuum detracta, & in diſtributiones quotidianas conuerſa, proponitur, non ſit de corpore Capituli, id quod ex dicta tertia parte Præpoſitus non inſeruiens amiſerit, fabricæ Eccleſiæ ſi indulgeat, vel alteri pio loco arbitrio Epiſcopi eſſe applicandum iuxta Decretum c. 3. Seſs. 22. *10. April. 1598.*

Dignitates & officia obtinentes in Eccleſia Cæſarauguſtana de quibus in hoc capitulo comprehenduntur ſub diſpoſitione Concilij c. 12. verſ. præterea obtinentib. Seſs. 24. vt ad præſtandum ſeruitium nouem menſium iuxta Iuris decentem formam poſſint compelli.

Competens ſeruitium quod præſtare tenentur obtinentes dignitatem, & beneficia in Eccleſia Cæſarauguſtana non ad eum planè modum accipiendum eſt, quo præſcribitur à Concil. Trid. in cap. 12. verſ. præterea obtinentibus Seſs. 24. ſed Archiepiſcopum poſſe & debere, circumſcripto alio eius decreto, à quo ex parte dignitatum appellatum fuit, aliter quidem ſeruitium illi competens & congruum ſtatuere, nempe ex hoc c. Cæterum oportere Archiepiſcopum arbitrium ſuum pro muneribus & oneribus ipſis dignitatibus & officiis incumbentibus moderari, ſimúlque rationem habere habitantium extra clauſtrum in præſcribendis horis, quibus intereſſe quiſque teneatur, iuxta autem horas & dies ſeruitij ad hunc modum determinati, diuidendas eſſe diſtributiones ex tertia parte quorumcúmque

fructuum & prouentuum earumdem dignitatum & officiorum deſumptas, deductis tamen penſionibus, aliiſque legitimis oneribus, quamdiu durauerint; Quæ quidem diſtributiones, ab illis, qui principaliter ſtatuto tempore non deſeruiunt, amittantur, & fabricæ Eccleſiæ aut alteri pio loco, iuxta decretum eiuſdem cap. 3. applicentur, obtinentéſque huiuſmodi dignitates & officia licet in commodum perinde atque alij eiuſdem Eccleſiæ Canonici admittendi ſunt & ad Miſſas in maiori altari celebrandas.

*Sed fabricæ Eccleſiæ*) hoc habet locum in dignitatibus, perſonatibus & officiis, neque comprehendit Canonicatus, vel aliud diſtributionum genus, habet etiam locum, quod hîc diſponitur, quando non adeſt illa ratio quod nullæ vel ita tenues diſtributiones eſſent, vt in cap. 3. Seſſ. 21. ſed in odium non reſidentium applicandum fabricæ: non obſtat aliqua conſuetudo, qua cauetur, vt deſeruientibus portiones non ſeruientium accreſcant.

An ratione viſitationis Archidiacono incumbentis ratione ſuæ dignitatis poſſit abeſſe vltra tres menſes conceſſos à Concilio. Congregatio cenſuit poſſe.

An verò pro tempore dictæ abſentiæ vltra tres menſes ex cauſa viſitationis poſſit lucrari fructus ſui Archidiaconatus, qui lucrifiunt per intereſſentiam.

Congreg. cenſuit poſſe, dummodo dari conſueuerint abſentibus legitima cauſa. non tamen lucrari diſtributiones merè quotidianas.

An durante ea viſitatione lucrari etiam poſſit fructus illius canonicatus quem obtinuit, vel ex diſpenſatione, vel ex Eccleſiæ illius conſuetudine; ſtante quod fructus canonicatus diſtincti ſunt à fructibus præbendæ Archidiaconatus.

Congregatio reſpondit non poſſe niſi pro tribus menſibus vacationis & à Concilio permiſſis, nec tamen de lucrandis fructibus locum habent, niſi extet Eccleſiæ conſuetudo, vt Archidiaconus viſitans nihil fructuum percipiat, quam conſuetudinem cenſuit Congregatio ſaluam remanere.

## CAPVT IV.

*Eadem Ian. 1597.*

CONgregatio Concilij cenſuit, non licere Epiſcopo poſt Concilium etiam accedente patronorum conſenſu derogare qualitatibus in beneficij fundatione appoſitis, ideóque ſi beneficium in fundatione certam ætatem requirat, non poſſe Epiſcopum illud, quamuis Patronus conſenſerit, ei conferre, qui nequaquam fuerit huiuſmodi ætatis.

Hoc decretum comprehendit omnia beneficia quæ ordinem requirunt.

*Regulari.* ] Sed non loquitur de monaſteriis regularium.

*Habent* ] Neque conſultiuam vocem, neque aſſiſtentiam, neque ſedem in Capitulo.

CA-

## Capvt VII.

AVditores legatorum, aliíque Iudices Apoſtolici à Legatis & Nuntiis delegati, quibus iuxta facultatem illis conceſſam committunt audiendas & cognoſcendas cauſas appellationum ab Ordinariis ad Sedem Apoſtolicam interpoſitarum, debent ſeruare hoc Decretum Concilij ſuper inhibitionibus, iuxta formam cap. Romana de appell. in 6. decernendis.

## Capvt VIII.

ITem Epiſcopum poſſe viſitare confraternitates perſonarum ſæcularium in Eccleſiis Regularium exemptorum exiſtentes, non autem eorum Capellas, vel altaria, quæ intra eaſdem Eccleſias conſiſtunt.

In vna Lucana Societatis ſanctæ Crucis cenſuerunt domini mei illuſtriſſimi omnia hoſpitalia viſitari poſſe ex Concilio tanquam loca pia, licet non ſint Eccleſiaſtica authoritate inſtituta.

## Capvt IX.

COngregatio cenſuit per adminiſtratores confraternitatis Roſarij rationem ſingulis annis, ſtatis temporibus reddendam eſſe, ad id deputatis, & cum his etiam Epiſcopum ſeu eius vicarium adhibendum eſſe.

Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, vt hæc derogatio aliquid operetur. Clem. enim quia contingit de religioſis domibus, ſuſtulit conſuetudinem & priuilegia, & ita cenſuit Congregatio in vna Cordubenſi.

*Eccleſia.*] Abbates, Abbatiſsas & Præpoſitas regulares qui liberam adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum ex immemorabili conſuetudine habent, non teneri Congregatio cenſuit reddere rationem fabricarum ſuarum, nec comprehendi hoc decreto vt Epiſcopus poſſit rationem exigere.

An quæcumque vſurpatio bonorum iuriúmque cuiuſcúmque beneficij vel loci pij, ſubiiciat vſurpantem anathemati, & aliis pœnis hîc appoſitis. Congregatio reſpondit ſubiicere.

## *Seſſio 23. De Sacramento Ordinis.*

## Capvt IV.

AN furioſus habens dilucida interualla ad ſubdiaconatus ordinem promotus, cōtinuo teneatur, & dato quod non teneatur, an ſit ei concedenda diſpenſatio, vt poſſit contrahere matrimonium.

Congregatio reſpondit aut tempore ſuſceptionis agitabatur, & non teneri, niſi ante furorem intentionem ſuſcipiendi habuerit, aut non conſtat ſanæ aut inſanæ mentis tunc eſset, vt idem teneri. Ad ſecundam, nullam eſse rationem diſpenſationis concedendæ.

Seſſ.

## *Seſſ. 23. De Reformat.*

### Capvt I.

8. Ian. 1595. Congregatio Concilij cenſuit, non licere Parochis cauſa ſtudiorum à ſuis Parochialibus Eccleſiis poſt Concilium abeſſe, & Epiſcopum licentias ad id concedere poſſe, caſque ſi conceſſæ fuerint, non ſuffragari.

23. Sept. 1596. Congregatio Concilij cenſuit, ſi Eccleſia Parochialis Rectoris habitatione caret, debere vtique, & poſſe Rectorem compelli ad habitandum intra limites Parochiæ in loco propinquiori.

Congregatio cenſuit ſolam diſtantiam loci, etiam cum æqua cauſa diſcedendi, non excuſare Parochum, vt poſſit abeſſe à ſua Eccleſia ſine licentia in ſcriptis obtenta, niſi talis neceſſitas repente ſe offerat, quæ non patiatur dilationem huiuſmodi licentiam petendi, quo caſu quamprimum de diſceſſu & de neceſſitate Ordinarium certiorem faciendum eſſe, vt de cauſa cognoſcere poſſit.

Nec Parochus habens iuſtam cauſam abeundi extra Parochiam per duos menſes aut tres, ſatisfacit ſuæ conſcientię, ſi petit licentiam, iurans ſe grauamen habere, quod non expedit manifeſtare, vt ſic petita licentia abeſſe poſſit, licet Epiſcopus non concedat. Similiter abeſſe non poteſt in caſu quo cauſam rationalem expreſſit quam vir bonus & æquus rationalem iudicat, ſed rigidus Prælatus minus æquam iudicat, & licentiam denegat, vel quia mouetur ſuſpicione, quæ ficta ſit, cum tamen ſit vera, ſed habere poſſe recurſum ad ſuperiorem.

Nec eſt liber à culpa, & à pœna amiſſionis fructuum qui veluti per quatuor menſium ſpatium ex vrgenti admodum cauſa ad curandam ſuam valetudinem morbo graui inſtanti; pro huiuſmodi abſentia non petiit licentiam ab Epiſcopo; qui bona fide putauit euidentiam cauſæ ſatis eſſe, niſi periculum fuiſſet in mora petendi licentiam, vt ſupra dictum eſt.

Nec ſufficit licentia tacita, ſed oportet vt ſit expreſſa iuxta formam Concil. Trident. Fructus amittuntur dumtaxat pro rata illius temporis, quo quis abeſt ſine licentia.

Nec poteſt componi reſtitutio debita fructuum male perceptorum, cum obtinentibus Bullam Cruciatæ vel vigore aliorum priuilegiorum & facultatum obtentarum poſt Concilium.

An Epiſcopus procedens per ſubtractionem fructuum aduerſus Parochos non reſidentes iuxta hoc decretum, §. eod. omnino teneatur obſeruare eadem interualla, camdémque rationem, quæ contra Epiſcopos non reſidentes ſtatuitur cap. 1. Seſſ. 6. Congregatio cenſuit Epiſcopum quoties in opem omiſſæ reſidentiæ vult Parochis ſubſtituere partes fructuum quos reſidendo ſuos fecerunt debere obſeruare, quoad interualla & quoad quotas præſcriptum Concil. cap.

cap.1.Seſs. 6.in executione autem facienda ſuper illis fructibus,quos eidem Parochi pro rata temporis abſentiæ ſuos non fecerunt, nec tuta conſcientia retineri poſſunt,ex decreto Concil. cap.1. §. Si quis autem Seſs. 24. Epiſcopum non debere ſequi interualla, de quibus in cap.1.Seſs.6.

*Priuationem* ]Intelligendum excluſiuè vſque ad priuationem dum tamen præceſſerint tria edicta publica & lapſi ſint ſex menſes, iuxta cap. tua de clericis non reſidentibus.

An in præſentia, in qua Epiſcoporum copia haberi non poteſt, diſpenſandum ſit,vt in loco duorum Epiſcoporum, qui in conſecratione Epiſcopi intereſſe debent ſubrogentur duo Abbates, duove alij dignitates Eccleſiaſticas habentes. Congregatio dixit poſſe diſpenſari, & maior pars Theologorum, qui conſulti fuerunt, ſic reſponderunt faciendum, & ita Pius V. diſpenſauit.

## Capvt III.

Congregatio Concilij cenſuit, quamuis ordinandorum genus, ætatem, & conditionem diligenter inquirere debeat, iuxta capit.7. Seſs.13. non tamen eos ab ordinatione,niſi aliud Canonicum obſtet impedimentum, qui à Iudæis originem trahunt, vel quorum maiores, &c. *Nullius 3. Iulij 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit,Epiſcopum poſſe alienos Clericos ordinare,ſi habeant literas dimiſſoriales proprij ordinarij, licet Epiſcopus literas dimiſſoriales concedens alia legitima cauſa, quam ægritudinis,expreſſa in cap.3.Seſs.23. de Reform.fuerit impeditus. *Calagiuritanenſis 27. Augusti 1592.*

## Capat V.

AN approbatus ad dignitatem ordines ſacros annexos habentem, alia indigeat approbatione ad ſuum ordinem ſuſcipiendum. Congregatio reſpondit eum, qui ad dignitatem approbatus eſt examini nihilominus ſubiiciendum eſſe, tam eius Epiſcopi qui non contulit dignitatem, quam eius qui contulit, niſi tamen ſtatim cum collatione dignitatis examinatus & ordinatus fuerit iuxta præſcriptum huius decreti.

## Capvt VI.

Congregatio Concilij reſpondit,nullam eſſe à Trident.Concil. præſtitutam ætatem tonſuræ, & quatuor minoribus ordinibus, ſed eam attendendam, quæ à ſacris Canonibus præſcribitur. *Groſſetanenſis 20. Maij 1593.*

Licet Clerici in minoribus dumtaxat ordinibus conſtituti,niſi beneficium Eccleſiaſticum habeant,aut Clericalem habitum,& tonſuram deferentes, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiant, vel in ſeminario,aut aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi verſen- *21. Ianuarij 1594.*

verſentur, fori iudicis Laici declinare non poſſint, non tamen propterea Congregatio Concilij cenſuit obſtare Epiſcopo, quo minus iure ſuo in huiuſmodi clericos delinquentes, ſi adhuc clerici permanent, poſſit animaduertere.

*31. Iulij 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, vt clericus fori priuilegio gaudeat, requiri & ſufficere ea, quæ aliquo ex infra prædictis capitibus ſigillatim ſunt annotata, quod obtineat beneficium Eccleſiaſticum: Quod clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiat: Quod clericalem habitum, & tonſuram deferens in aliquo ſeminario de licentia Epiſcopi degat.

Quod in habitu, & tonſura incedens in aliqua ſchola de licentia Epiſcopi verſetur.

Quod habitum, & tonſuram geſtans in aliqua vniuerſitate de licentia Epiſcopi verſetur.

Si vero, quæ in aliquo ex capitibus comprehenſa ſunt, in clerico concurrant, ſed aliqua occaſione habitum à ſe geſtari ſolitum, ad breue tempus depoſuerit, non ideo fori priuilegium amittere. An verò habitus ſit clericalis ad iudicis Eccleſiaſtici cognitionem pertinere, quibus autem caſibus clericus ex decreto Concilij fori priuilegio non gaudet, nullam requiri monitionem, vt illud amittat.

*18. Sept. 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, clericum prima tonſura inſignitum habitum clericalem, & tonſuram deferentem, nec alicuius Eccleſiæ ſeruitio de mandato Epiſcopi deſcriptum, licet fori priuilegio non gaudeat, gaudere tamen beneficio cap. Odoardus.

## *Super cap. 6. Seſſ. 23.*

*[illegible]. Decemb. 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, obtinere penſionem haberi pro clerico beneficiato ad effectum priuilegij fori.

*16. Martij 1596* Congregatio Concilij cenſuit, ad beneficium ſimplex ſufficere annum 14. inceptum, licet non completum.

*15. Decemb. [illegible]6.* Congregatio Concilij cenſuit clericum primæ tonſuræ, qui poſt dimiſſum habitum & tonſuram clericalem deliquit, & pro eo delicto in curia ſæculari citatus fuit, deinde reaſſumpto habitu & tonſura Eccleſiæ ſeruire cœpit, iuxta c. 6. Seſ. 23. non poſſe iudicem Laicum proceſſui finem imponere, & contra illum realiter procedere.

*17. Auguſti 1600.* Congregatio Concilij cenſuit, ſæpius eiuſdem Concil. Decret. nihil noui iuris inductum eſſe, quoad ætatem obtinentium Canonicatus in Collegiatis Eccleſiis, ideo ſufficere ad huiuſmodi Canonicatus obtinendos ætatem 14. annorum.

Vtrum clericus in minoribus ordinibus conſtitutus clericalem habitum & tonſuram deferens, quod alteri Eccleſiæ quàm cui de mandato Epiſcopi adſcriptus fuerit, inſeruierit, gaudeat priuilegio fori. Congregatio reſpondit gaudere.

Clericus promotus ad quatuor minores ordines, non fuit ab Epiſcopo adſcriptus alicui Eccleſiæ ad inſeruiendum iuxta text. in ca. 6. & 16. Seſſ. 23. Congregatio Concilij cenſuit non teneri.

CA-

## CAPVT VII.

COngregatio Concilij cenſuit, quamuis ordinandorum genus, ætatem, & conditionem diligenter inquirere debeant iuxta c. 7. Seſs. 13. non tamen eos ab ordinatione, niſi aliud Canonicum obſſet impedimentum, qui à Iudæis originem trahunt, vel quorum maiores, etſi hæretici fuerint, emendatos tamen eſſe conſtet, & reincorporatos Eccleſiæ vnitati, & pro culpa huiuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe, quam vel perfecerunt, vel perfectioni eius inſiſtunt, aut paratos fuiſſe ad recipiendum eamdem iuxta conſtitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit, *ſtatutum*, id tamen intelligendum eſſe, niſi aliter priuilegio Apoſtolico aut confirmatione caueretur. *Pacenſis xxi Iunij 1591.*

## CAPVT VIII.

DE mandato S. D. N. Sixti V. auditi fuerunt procuratores ordinum ſuper declaratione à fel. rec. Greg. 13. etiam ex ſententia Congregationis edita, quod regulares teneantur recipere ordines ſacros, vel dimiſſorias ab Epiſcopis, in quorum diœceſi ſunt monaſteria in quibus ipſi tunc degunt.

Idem ſanctiſſimus ex ſententia dixit regulares poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum diœceſis, quod ſi abfuerit ad quemcumque, dummodo ab Epiſcopo qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.

*Suſpenſus.*] An c. 8. Seſs. 23. corrigat conſtitutionem Pij V. cum ſacrorum: ita vt qui receperunt ſacros ordines ab alieno Epiſcopo ſine aliqua licentia, vel dimiſſoria, & poſtea fuerunt à proprio Epiſcopo abſoluti à ſuſpenſione, in quam propter peccata inciderunt, ſint tuti in conſcientia, an vero in dictis caſibus non occultis egeant abſolutione Pontificis: fortè enim Concilium procedit ſolum in eo, qui ſine legitima quidem licentia imo vel ſine licentia, & ſine teſtimonio proprij Epiſcopi de moribus & ſufficienti litteratura ab alieno Epiſcopo ordines ſuſceperit: eadem diſpoſitio eſt circa diſpenſationem in prædictis caſibus. Congregatio reſpondit eſſe tutius, niſi tempore, quo durabat ſuſpenſio in iiſdem ordinibus miniſtraſſent, quo caſu irregularitatem incurriſſent à qua ſolus Papa diſpenſat: ſicque Concilium non corrigere conſtitutionem Pij V. circa irregularitatem, quia nihil de regularitate diſpoſuit, tantum de ſuſpenſione, cuius abſolutio nec reſeruanda erat Papæ per dictam conſtitutionem, ſicque vno verbo ſuſpenſio non inducit reſeruationem, ſi regularitatis eſt reſeruatio: quia d. c. 8. ſic dicit, & ſic concludit caſum quando ſine licentia à Papa, &c.

An Epiſcopus ordinans alienos ſubditos ſæculares cum dimiſſoriis proprij Epiſcopi aſſerentis eos examinatos fuiſſe & idoneos repertos: teneantur huiuſmodi atteſtationi deferre, vel

etiam

etiam poſſit eoſdem ordinandos examinare. Congregatio reſpondit eſſe arbitrarium,& ideo poſſe,ſed non teneri.

Præſuppoſito quod Abbates & perpetui commendatarij monaſterij Sanctæ Mariæ Ordinis S. Benedicti nullius diœceſis ſint, à Iuriſdictione Epiſcopi exempti, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubditi, quibus etiam ex priuilegio Apoſtolico conceſſa fuit cura, regimen, Iuriſdictio & omnimoda adminiſtratio dicti Monaſterij perſonas corrigendi,caſtigandi,& viſitandi propria authoritate.

Item præſuppoſita Congregationis declaratione alias edita quod Superiores regulares dimiſſorias ad ordines concedere poſſint regularibus dicti ſui monaſterij. Congregatio cenſuit ſi conſtat monaſterio,& monachis ſpeciali priuilegio à Sede Apoſtolica huiuſmodi facultatem nominatim eſſe tributam, poſſe vtique Commendatarium dimiſſorias litteras concedere,aliàs nequaquam.

## CAPVT IX.

*26. Maij 1594.* DVbitatum fuit, An Epiſcopus,qui decreto Conc. *cap. 9. Seſſ. 23.* familiarem ſuum ſibi non ſubditum, & per triennium ſecum commoratum ordinat, collato ei ſtatim re ipſa beneficio, poſſit poſtea cum eodem,quoad temporum interſtitia, diſpenſare, in caſibus tamen comprehenſis c. 11. 13.eiuſdem Seſſ. Congregatio Concilij cenſuit poſſe.

An ſufficiat aliquem obtinere in aliena Diœceſi beneficium ſimplex? Congregatio Concil. cenſuit ſufficere, quod beneficium ſit ſimplex.

*Statim.*] In incontinenti,& ſic cenſuit Congregatio quod Epiſcopus, qui contulit primam tonſuram familiari ſuo non ſubdito, qui tamen per triennium ſecum commoratus fuerit,non dicatur ſatisfeciſſe huiuſmodi decreto, per collationem beneficij illi factam infra annum & in vndecimo menſe poſt datam tonſuram.

## CAPVT X.

*Iſernienſis 24. Maij 1591.* COngregatio Concilij cenſuit oratorem pro obtinendis dimiſſoriis poſſe adire etiam eum Epiſcopum, in cuius Diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum.

*30. Martij 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, Abbates etiam benedictos,vel habentes facultatem à Sede Apoſtolica faciendi omnia, quæ facere poſſunt Abbates benedicti, non poſſe primam tonſuram & quatuor Ordines ſæcularibus, etiam quod habeant litteras dimiſſorias ſuorum Ordinariorum conferre.

*21. Aprilis 1594.* Stante declaratione ſacræ Congregationis Trident. Concil. ex mente fœlicis recordationis, Sixti V. facta videlicet, quod ſuperiores Regulares poſſint ſuis ſubditis itidem Regularibus, qui habentes qualitates requiſitas Ordines ſuſcipere voluerint, litteras dimiſſo-

miſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, & ſi is abfuerit, ad quemcúmque alium Epiſcopum, dum tamen ab ipſo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur, quoad doctrinam. Quæſitum fuit quid eſſet obſeruandum ſi Epiſcopus quidem adfuerit, ſed minime ordinationes voluerit habere.

Congregatio Concilij rem ad S. D. N. Clementem VIII. relatam cenſuit in caſu, quo Epiſcopus fuerit præſens, & noluerit habere ordinationes, idem prorſus obſeruandum eſſe, quod declaratum fuit ſeruari debere, ſi Epiſcopus fuerit abſens, ita tamen ſi ſuſceptio Ordinum data opera non fuerit dilata in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus nullas eſſet habiturus ordinationes.

Congregatio Concilij cenſuit, Regulares ſuperiores poſſe ſuo ſubdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterij, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet is regularis, poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, vel Epiſcopalis ſedes vacaret ad quemcúmque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint, de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verum cum à ſuperioribus regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente vel ordinationes non habente, literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtique huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendum eſſe. *Die 3. Iun. 1599.*

Congregatio Concilij cenſuit, Priorem S. Ioannis Hieroſolymitani in locis nullius Diœceſeos, in quibus ipſe iuriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem habet, ſi priuilegium à ſede Apoſtolica etiam ante Concilium obtinuerit conferendi primam tonſuram, & quatuor minores ordines, poſse vtique ſuis ſubditis duntaxat regularibus primam tonſuram, & quatuor minores ordines conferre. *21. Auguſti 1599.*

Poſse etiam ſi dicto priuilegio fulciatur ad quemcúmque Catholicum antiſtitem eoſdem ſubditos regulares dimittere, ad primam tonſuram, & quatuor minores ordines promouendos.

Item poſse aliquem Catholicum antiſtitem accerſere, qui ipſis ſubditis regularibus primam tonſuram & quatuor minores in dictis locis conferat, aliáque ibidem Pontificalia exerceat, Chriſmatiſque ſacramentum conferat licentia alterius minimè requiſita, neque huic rei obſtare Decretum cap. 5. Seſs. 6.

Quinimò minimè obſtante dict. c. 5. Seſs. eundem antiſtitem ab eo accerſitum in eiſdem locis poſse ſæculares, in quos Epiſcopalem iuriſdictionem Prior habuerit, ad ſacros ordines promouere, ſi literas dimiſsorias Epiſcopi, cuius Cathedralis Eccleſia Prioratui proximior fuerit, legitime confectas ſecum attulerint.

*Nullius diœceſis.*] Quod ſi non conſtat eſſe infra fines alicuius diœceſis Epiſcopus vicinior concedat: tonſuratus vero ab Abbate non benedicto, vel non habente hanc poteſtatem ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ debet iterum tonſurari, ſic etiam qui eſſet tonſuratus, quatuorve ordines minores ſuſcepiſſet ab Abbate non benedicto, vel alio qui talem poteſtatem habet ex priuilegio Sedis, tamen ante Concilium, cum huiuſmodi priuilegia in hoc decreto ſublata cenſeantur.

Vicari Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante vel alij inferiores concedentes dimiſſorias incidunt in pœnas de quibus hîc, non autem in pœnam excommunicationis in c. 10. Seſ. 7. quia illud cap. 10. fuit hic tantum expreſsum ad pœnas vicariorum deputatorum in Cathedralibus, ſi concedens incideret in excommunicationem ita vt vicarius aliàs deputatus: ſed voluit concedentes incurrere tantum in illas pœnas, de quibus hîc excepto Capitulo Cathedrali vt in d. cap. 10. Seſs. 7. licet forte eſſet etiam dubium an vicarios Capituli Cathedralis concedentes voluerit Concilium ſubire illas pœnas cap. 10.

Abbas Sanctæ Mariæ de ſuccurſu ordinis montis Oliueti An potuerit in loco ordinariæ ſuæ iuriſdictionis conferre minores ordines tribus regularibus Sancti Auguſtini à ſuis ſuperioribus ad hũc effectum dimiſſis per priuilegium Iulij 2. qui Prælatis dictæ congregationis concedit vt habeantur pro benedictis, ita vt non incurrant pœnas, quæ in d. Seſſ. 23. cap. 8. & 10. & Seſſ. 14. cap. 2. habentur. Congregatio Concilij cenſuit non obſtare, quod non ſit benedictus, quia ex priuilegio Iulij 2. habetur in omnibus pro benedictis, non potuiſſe tamen conferre minores ordines dictis regularibus, abſque conſenſu Epiſcopi loci vt habetur ſupra in cap. vlt. Seſs. 6. non tamen incurriſſe pœnam d. cap. 10. in fine, quia loquitur tantum de concedentibus dimiſſorias. Item illud cap. 2. Seſs. 14. quia loquitur in Epiſcopis nullius &c. Non item illud c. 8. quod loquitur quando ſine teſtimonio Ordinarij, ſed in pœnam c. fin. Seſſ. 6. eo quòd ſine licentia Ordinarij loci contulit ordines & licet d. c. loquatur de Epiſcopo tamen Congregatio cenſuit multo magis habere locum in Abbate & cum ſimpliciter d. c. dicat ſuſpenſus ab exercitio Pontificalium, intelligi abſolutè, non autem per annum duntaxat, quia quando voluit per annum ſuſpendi tantum illud expreſſit. dd. cc. 2. & 8. ſicque Abbas iſte tantum erit ſuſpenſus ab exercitio illorum actuum, quos pontificali dignitate & authoritate exercebat, nempe à collatione ordinis & ſimilium, non autem cenſebitur ſuſpenſus à diuinis, quia vti religioſus ſacerdos celebrare poterit. Ac conſequens erit, vti poſtea celebrauit Miſſam non ideo ſit effectus irregularis tamen indigeat rehabilitatione ad exercenda pontificalia à quibus fuit ſuſpenſus.

CA-

## CAPVT XI.

COngregatio Concilij cenſuit, facultatem remittendi interſtitia Epiſcopo competentem, ex cauſis comprehenſis in c. 11. & 14. Seſs. 23. tranſire in Vicarium Capituli ſede vacante. *Aſtoricenſis 21. Aprilis 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit, homines Regionis Illyricæ, quamuis Latini Idiomatis rudes, ſi tamen linguam Illyricam intelligant poſſe ad ordines promoueri, niſi Canonicum obſiſtat impedimentum, non obſtante cap. 11. Seſ. 23. & conſtitutione ſanctæ mem. Sixti Quinti. *Sebricenſis 20. Sept. 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopi Vicarium habentem generale mandatum in forma, poſſe abſente Epiſcopo concedere dimiſſorias ad Ordines, atque item remittere interſtitia, ideò quantum ad hoc pertinet, Oratores, niſi aliud obſtet, eſſe rite promotos, ſed ex eo, quòd eodem die oratores minores Ordines ſuſceperint, ita demum eſſe malè promotos ſi regionis conſuetudine receptum non ſit, vt ipſi minores Ordines eodem die conferantur. *5. Martij 1597.*

*Epiſcopi.*] An liceat vicario Generali abſente Epiſcopo ſuo, vti facultate conceſſa Epiſcopo in hoc decreto & in ſequenti c. 13. circa reſtrictionem temporum ordinandorum. Congregatio reſpondit poſito quod generalis vicarius habeat generale mandatum in forma, poſſe.

Congregatio Concilij cenſuit, remiſſionem interſtitiorum, etiam quoad Regulares, ex cauſis tantum à Concilio expreſſis faciendam pertinere ad Epiſcopum ordinantem eum, tamen hac in re debere, quoad cauſas, deferre iudicio & atteſtationi ſuperioris Regularis Ordinandi. *31. Martij 1597.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum ita demum interſtitia minorum Ordinum poſſe remittere, ſi ei magis expedire viſum fuerit, cæterum vbicúnque ſanctius eſſe putauerit illa remittere, quatuor minores ordines non aliter poteſt eadem die vni conferre, quod ſi ita in loco hodie conſueuerit. *31. Maij 1595.*

## CAPVT XII.

COngregatio Concilij cenſuit, ſufficere annum 25. fuiſſe cœptum, vt quis ad presbyteratus ordinem, cæteris requiſitis concurrentibus, promoueri poſſit. *7. Septem. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit eos, qui ad ſubdiaconatus ordinem quatuor temporibus quadrageſimæ promoti fuerunt, poſſe anno ſubſequenti eiſdem quatuor temporibus quadrageſimæ ad Diaconatum promoueri, licet annus naturalis integer tunc lapſus non fuerit, cum futuro anno Paſchæ feſtum celerius, quàm ſuperiori celebretur. *Valentina 1. Febr. 1593.*

## Capvt XIII.

P*Ereeperint.* ] Quod ſi habent præbendas huiuſmodi ordines requirentes, etiamſi eſsent Sacerdotes placuit Congregationi vt iſti Diaconi & Subdiaconi in Miſsa ſolemni miniſtrantes eſsent Sacerdotes, melius eſse, vt ipſi poſt vel ante Miſsam celebrent, quam Euchariſtiam ſolum recipiant de manu Sacerdotis.

## Capvt XIV.

AN obtinens parochiale beneficiū vbique cenſendus ſit idoneus & abſque alia Epiſcoporum approbatione audire poſſit confeſſiones tantum eorum, qui non habent huiuſmodi priuilegium, ſed ex Parochorum conſenſu. Reſpondit Congregatio non poſse.

Nec Hieroſolymitanæ militiæ Sacerdotes, ſi Parochi non ſint, poſsunt audire confeſſiones, nec alia Sacramenta miniſtrare, niſi ab Epiſcopo ſint approbati. Ita reſponſum fuit Maletanenſi Epiſcopo.

An ſaltem prouiſus de parochiali Eccleſia per concurſum cenſendus ſit approbatus idoneus miniſter ad audiendas confeſſiones in illa diœceſi, in qua illam parochialem obtinet.

Congregatio cenſuit cenſeri dumtaxat in ea ciuitate vel oppido vbi ſita eſt Parochialis non autem paſſim per totam diœceſim.

An eo caſu dimiſsa parochiali, haberi etiam nihilominus debeat idoneus, vt verbum in d. decreto *beneficium obtineat* extendatur, *vel obtinuit.* Congregatio reſpondit non haberi.

## Capvt XV.

30. Martij 1594. COngregatio Concilij cenſuit, in Monaſteriis ac etiam Collegiis Regularium, vbi Regularia inſtituta ſeruantur poſse Prælatos Regulares, ſiue aliorum religioſorum confeſsores abſque licentia Epiſcopi confeſſiones eorum ſæcularium, qui ſunt vere de familia, & continui commenſales, non tamen illorum, qui tantum deſeruiunt in Monaſteriis audire, &c.

28. Aprilis 1594. Congregatio Concilij cenſuit, Regulares Cōfeſsarios ad audiendas ſæcularium confeſſiones ſemel ab Epiſcopo in ciuitate, & Diœceſi ſua præuio examine approbatos, ab eodem Epiſcopo iterum non eſse examinandos, verum etiam ab Epiſcopo ſucceſsore de nouo examinari poſse.

Item Regularem, ſi ab Epiſcopo ad audiendas confeſsiones abſolutè & ſimpliciter idoneus repertus fuerit, non autem ad tempus approbari debere, atque ſemel ab eo ad id muneris præuio examine approbatum, non poſse ab eodem iterum examinari, niſi noua cauſa ſuperuenerit.

## Capvt XVI.

Congregatio Concilij cenſuit, ius concedendi literas commendatitias, ſine quibus ex decreto Concilij capite decimo ſexto, Seſſione vigeſima tertia, Clericus peregrinus ad diuina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admitti non debet, eſſe obtinendas ab eo, qui huiuſmodi Clerici Ordinarius fuerit. *1. Iul. 1597.*

Congregatio Concilij cenſuit Epiſcopum poſſe admittere Sacerdotes exteros, habentes literas dimiſſorias ſuorum Ordinariorum, ad Sacramenta adminiſtranda, dummodo illi vere idonei ſint. *13. Januar 1594.*

An Epiſcopus loci Ordinarius prohibere poſſit, ne Regulares in eorum Eccleſiis, ſacerdotes ſęculares exteros diuina officia celebrare permittant, niſi prius ab ipſo Epiſcopo viſis literis commendatitiis ipſi ſacerdotes admiſſi fuerint. *12. Nouembris 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit poſſe.

*Interdicatur.*] An obtinens beneficium, illud dimittere poteſt acceptando illud beneficium compatibile ſiue incompatibile contra voluntatem Superioris primi beneficij. Congregatio cenſuit huiuſmodi dubitationis ſolutionem non pertinere ad Congregationem ſed petendam eſſe ex diſpoſitione Iuris communis, quamquam Congregatio viſa eſt inclinare cum Hoſtienſi in c. admonet de Renunt. quod non ſit in vſu.

Etiam exemptos ſubditos comprehendit decretum, dummodo ſint in diœceſi Epiſcopi non autem in locis exemptis. Nec Archidiaconi in eorum diſtrictu Iuriſdictionis habent hanc facultatem.

## Capvt XVII.

*Bigami.*] An Epiſcopus ſua authoritate ordinaria potuerit cum ſuo ſubdito vero bigamo, qui aliàs cum duabus virginibus & ſucceſſiuis temporibus, quæ modo defunctæ ſunt, matrimonium legitime contraxerat & conſummauerat, diſpenſare vt poſſit primam tonſuram & ſimplicia beneficia accipere, hæcque eidem conferre prout contulit; & dato quod non potuerit, an aliquas & quas cenſuras & pœnas incurrit, tam Epiſcopus, quam ſic promotus. S. D. N. Sixtus ex ſententia Congregationis reſpondit, quoad Epiſcopum eſſe ſuſpenſum à collatione Ordinum. Item promotum eſſe ſuſpenſum ab executione ordinum ſuſceptorum, beneficium amiſiſſe & fructus perceptos non feciſſe ſuos.

## Capvt XVIII.

Congregatio Concilij cenſuit, Canonicos ab Epiſcopo electos ad Seminarij adminiſtrationem ad præſcriptum Concil. ca. 18. *Papienſis 7. Ian. 1591.*

Seſſ. 23. verſ. quæ omnia, eſſe perpetuos, nec poſſe amoueri, niſi ex iuſta, & legitima cauſa.

*Murani. 21. Sept. 1591.* Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe Epiſcopum vnire Seminario ea beneficia, quorum collatio ad ſe pertinet.

*Troiana 29. Nou. 1591.* Si bona in Diœceſi Troiana exiſtentia ſint propria aliquarum Eccleſiarum ibidem ſitarum, quæ tanquam membra ſubiectæ, aut vnitæ ſint Abbatiis, & monaſteriis in alia Diœceſi exiſtentibus, Congregatio Concilij cenſuit, pro Seminario ratione præfatorum bonorum debere ſolui Epiſcopo loci, in quo ipſa bona cum Eccleſiis ſita ſint, niſi conſtiterit bona fuiſſe prius applicata ipſis Abbatiis, & Monaſteriis, & deinde ædificatas fuiſſe Eccleſias, quia tunc contributio pro Seminario eſſet facienda Epiſcopo loci, in quo ipſæ Abbatiæ, & Monaſteria exiſtunt.

*Capuana 16. Decem 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, ſi fructus, & reditus canonicatuum conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, quæ dari ſolent duntaxat diuinis perſonaliter intereſſentibus, non teneri Canonicos ad Seminarij contributionem.

*12. Ianuar. 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, vnionem ab Epiſcopo factam Seminario abſque conſilio quatuor deputatorum, iuxta præſcriptum Concil. Trid. *c. 18. Seſſ. 24. de Reform.* minimè valere.

*3. Martij 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, in vnionibus beneficiorum faciendis Seminario, ſatis eſſe ſeruare formam traditam à Concil. *c. 18. Seſſ. 23. de Reform.* nec requiri conſenſum Capituli.

*30. Martij 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, titularem occaſione contributionis per eum factæ Seminario, non poſſe detrahere ex penſione, quam ſoluit, niſi pro rata penſionis, & ad eam rationem, ad quam ipſe titularis contribuit.

*18. Iunij 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, ſuper Hoſpitali, quod neque in titulum, neque in adminiſtrationem datur, ſed merè laicale eſt, non poſſe taxam ratione Seminarij imponi.

*2. Auguſti 1596.* Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopos in taxis faciendis pro Seminario poſſe, ſeruata tamen forma tradita à Concil. c. 18. Seſſ. 23. onerare beneficia, nedum in dimidia decima habito reſpectu ad antiquam taxam, verum etiam in maiori, prout beneficiorum, & locorum habito reſpectu iuſtum & æquum viſum fuerit.

*5. Mart. 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe vniri beneficia Seminario, ſi iuxta formam ipſius Concilli vnionis tempore minimè erectum fuerit, vt pote nec Magiſtris, nec ſcholaribus in eo actu exiſtentibus.

*18. 1597.* Congregatio Concilii cenſuit, ſi Epiſcopus beneficia ſimplicia, ſeruata forma Concilii, Seminario vniuerit ante eorum vocationem, etiam in menſe reſeruato, vnionem debere effectum ſortiri.

*14. Auguſti 1597.* Congregatio Concilii cenſuit decretum *c. 18. Seſſ. 23. verſ. deinceps*, non comprehendere ſcholaſtrias exiſtentes in loco, in quo minimè erigendum eſt Seminarium.

Con-

Congregatio Concilij cenſuit, de cætero ad obuiandum fraudibus oportere decerni, vt non poſſint etiam ante vacationem vniri Seminario beneficia, quæ obtineant perſonæ, quæ vel ob familiaritatem Cardinalium, vel aliam rationem tales ſint, vt quocúmque modo decedant, certum ſit ea fore affecta Sedi Apoſtolicæ. *21. Febr. 1601.*

Nonnullis Epiſcopis conquerentibus de paupertate Seminarij ex Concilij taxa. S. D. N. reſpondit ex ſententia Congregationis ſeruandum eſſe decretum Sanctæ Mem. Pij V. & niſi poſſint erigere Seminarium iuxta formam Concilij, inſtituant ſcholam ex commodiori modo, quo poterint.

## *Seſs. 24. De Reformat. Mat.*

Congregatio Concilij cenſuit, Matrimonium coram Parocho & teſtibus contractum, niſi aliud obſtet, validum eſſe, quamuis Parochus inuitus interfuerit, & alia de cauſa, quam vt Matrimonio intereſſet à contrahentibus accerſitus fuerit, dum tamen ad actum Matrimonij verè, & formaliter fuerit adhibitus. *Vlixbonēſis 19. Auguſt. 1591*

Congregatio Concilij cenſuit, Matrimonium contractum non præmiſſis denunciationibus, niſi aliud obſtet, irritum non eſſe. *Mediolanenſis 28. Sept. 1591.*

A. cum N. coram Parocho & teſtibus, contraxit Matrimonium per verba de præſenti, ſed hac tamen conditione inquit A. *ſi id ſaluo honore meo fieri poteſt, & ſi fratribus meis placuerit*, deinde non exſpectato conditionis euentu copulam habuit cum N. effectu maritali, & copula ſcitur iam à multis: Quæritur, *An per hæc ſit iam firmatum verum Matrimonium de præſenti, nec oportet exſpectare conditionis euentum?* Et ratio dubitandi eſt, quoniam contractus ille coram Parocho, & teſtibus, cùm fuerit per appoſitam conditionem ſuſpenſus, non potuit habere vim Matrimonij rati de præſenti, ſed ſponſalium de futuro, & copula cum effectu maritali ſubſequuta, quamuis oſtendat receſſum fuiſſe à conditione, tamen non ſufficit ad Matrimonij veritatem, niſi de præſenti contrahatur coram Parocho, & teſtibus, qui interfuerunt quidem contractui antea inito, ſed qui non habuit vim Matrimonij de præſenti, ſed ſponſalium de futuro. Concilium autem Tridentinum videtur exigere, vt non ſolùm de futuro, ſed etiam de præſenti, coram Parocho, & teſtibus contrahatur. *Venetia 20 17. Octobr. 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, in caſu propoſito Matrimonium valere, nec requiri, vt de nouo coram Parocho, & teſtibus contrahatur. Sed S.D.N. Clem. VIII. mandauit iſti caſui tantùm eſſe reſpondendum, cæteros autem caſus iuxta qualitates ipſorum eſſe conſiderandos.

Congregatio Concilij cenſuit, Matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote valere. *Abulenſis 1. Decemb. 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, Matrimonium factum coram Sa- *21. Ian. 1594*

cerdote à proprio Parocho deputato, & corā teſtibus vtique valere.

3. Martij 1594. Congregatio Concilij cenſuit, Matrimonium factum coram Parocho denunciato excommunicato vtique valere.

1. Iun. 1594. Congregatio Concilij cenſuit, Matrimonium contractum non adhibito Parocho & teſtibus, eſſe nullum: item cenſuit ſponſalia per verba de futuro poſt contractum per copulam ſubſequutam non tranſire in Matrimonium.

16 Feb. 1595. An validum cenſeri debeat Matrimonium celebratum in Parochia mulieris coram Sacerdote habente licentiam à Parocho viri, & præſertim cum Parochiæ viri, & mulieris ſint in diuerſis Diœceſibus conſtitutæ.

Omnes fuerunt eius ſententiæ, vt Matrimonium celebratum coram Sacerdote de licentia Parochi viri, in Parochia mulieris, etiamſi in diuerſis diœceſibus ipſæ Parochiæ conſtitutæ ſint, valeat.

19. Decemb. 1596. Congregatio Concilij ſæpius declarauit, ſponſalibus per verba de futuro contrahendis, nullam formam præſcripſiſſe Concilium, ideóque eo modo contrahi poſſe, quo poterant ante ipſum Concilium.

13. Ianuar. 1594. Congregatio Concilij cenſuit, ſponſo & ſponſæ licet corrupto, vel corruptæ in primis nuptiis eſſe impertiendam benedictionem.

11. Auguſti 1595. Congregatio Concilij cenſuit, conſuetudinem ab his quorum nuptiæ benedicuntur, aliquid recipiendi, demum eſſe obſeruandam, ſi ab initio pro fidelium voluntate nulla exactione, aut compulſione fuerit introducta, & nec etiam à ſponte dantibus quicquam recipiatur; antequam benedictionem Sacerdos liberè fuerit impertitus.

An ſit pro Matrimonio iudicandum ſi duo contraxerunt ex libero vtriuſque conſenſu coram Parocho alieno, propterea quod vel eorum Parochus eſſet publicus hæreticus, vel profugus quia Eccleſia Parochialis carebat ſuo Rectore. S. D. N. Gregorius XIII. ex ſententia Congregationis declarauit iudicandum eſſe contra Matrimonium, poſſe tamen eos iterum validè contrahere coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de conſenſu Ordinarij, niſi tamen adſit aliud legitimum impedimentum.

Quid de prole ſuſcepta in Matrimoniis clandeſtinis, ſi ea diſſolui debeant, ſit ſtatuendum. Congregatio Concilij cenſuit illegitimam eſſe, niſi iterum contracta ſint Matrimonia ſeruata forma Concilij & aliter validè.

Qui clandeſtinè contraxerunt poſſunt ſi pariter diſsentiant, inuicem ſe diſiungere, licet conſummauerint, & aliquamdiu cohabitauerint; ſed grauiter arbitrio Ordinarij ſunt puniendi; ſed non inhabiles ad contrahendum cum aliis, nec poſsunt cogi ad inuicem contrahendum ſeruata forma Concilij niſi ſponſalia per verba de futuro cum iuramento contraxiſsent, tunc ſeruandum ius commune.

Præ-

Præſuppoſito quòd rector habeat parochianos in duabus diœceceſibus & quidem in vna ipſarum Eccleſia parochialis cum maiori parochianorum parte exiſtat, in altera ſit domus rectoris, in qua domo modo ipſe, modo eius Capellanus reſidere conſueuit: ſi alienus Sacerdos abſque debita licentia parochianos eius matrimonio coniunxerit, ac propterea in ſuſpenſionem inciderit ex Concilio Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. verſ. quod ſi quis parochus; an abſolutionem obtinere debeat ab Ordinario in cuius diœceſi habet domum propriam; maximè ſi parochiani ſic coniuncti fuiſſent eiuſdem diœceſis. Congregatio cenſuit, abſolutionem huiuſmodi ſpectare ad Epiſcopum Foroſempronienſem, cuius diœceſis eſſe dicuntur ſponſi ſic matrimonio coniuncti, & non ad Epiſcopum Senogalenſem, cuius diœceſanus erat Sacerdos, qui coniunxit.

An ſit matrimonium ſi duo contrahunt per verba de præſenti proprio parocho præſente, & aliis requiſitis non omiſſis: cui contractui parochus formaliter adhibitus non fuit, ſed dum forſan conuiuij, aut confabulationis, aliudue tranctandi cauſa adeſſet, audit huiuſmodi contractum fieri, & poſtea alter contrahentium velit ab huiuſmodi contractu ratione huius defectus reſilire. Reſpondit Congregatio poſſe niſi alia interueniant, quæ parochum à contrahentibus adhibitum fuiſſe arguant, qui diceretur adhibitus vt ſupra, quamuis ex alia cauſa erat vocatus dummodo, ſit adhibitus vt ſupra, quamuis ex alia cauſa ad illum actum.

*Statuit'q; benedictiones.* ] Petenti an ob difficultatem exigendi id, quod Parocho debetur ante benedictionem ex laudabili conſuetudine, poſſint cogi coniuges ad illud deponendum, contra Abb. in c. ad Apoſt. num. 2. & 4. in fin. Congregatio reſpondit petitioni indignæ non eſſe reſpondendum.

*Qui aliàs quàm præſente Parocho.* ] Verba hæc ſunt intelligenda adhuc ad ſacerdotium non promoti, nempe quia adhuc non fuerit elapſus annus, qui conceditur ſibi à iure ad faciendum ſe ad illud promoueri, iuxta Text. licet Canon. de Elect. in 6. & ita fuit in Congregatione reſolutum & S. D. N. Clemens VIII. approbauit hanc reſolutionem.

## Capvt II.

Congregatio Concilij cenſuit, ſpeciem cognationis ſpiritualis inter ſuſceptum de ſacro fonte baptiſmatis, & filium filiamve ſuſcipientis eſſe ſublatam Decreto Concilij cap. 2. Seſs. 24. *10. April. 1598*

Congregatio Concilij cenſuit, eum, qui tanquam teſtis ſolummodo interfuit baptiſmati filij N. neque ſuſcepit, leuauit, vel aliud ſimile miniſterium præſtitit, nullam propterea contraxiſse cognationem ſpiritualem, ideo enim N. niſi aliud impedimentum obſtiterit vxorem ducere poſse, & in ſic contracto matrimonio debere perſeuerare. *5. Martij 1597.*

Tarraconenſis 29. Septembr. 1593. Congregatio Concilij cenſuit, cognationem ex confirmatione ortam, quæ dirimat Matrimonium poſtea contractum, contrahi ſolummodo inter confirmantem, & confirmatum, illiúſque patrem, & matrem, & tenentes.

4. Decembr. 1597. Congregatio Concilij cenſuit, ſi tempore Matrimonij contracti inter N. & Martham, in ætate minus legitima, malitia ætatis defectum in Martha ſuppleuiſſet, ex eo vtrinque non conſummato ortũ eſſe impedimentũ publicæ honeſtatis iuſtitiæ, quod fortius vinculum eſt, quam id quod prouenit ex ſponſalibus de futuro, quod ſi malitia ætatis defectum non ſuppleuit, huiuſmodi Matrimonium, ſi modo forma ſeruata Concilij contractum fuit, reſolui in ſponſalia de futuro, ex quibus etiam oritur vinculum publicæ honeſtatis iuſtitiæ, licet debilius, quàm illud quod inducitur in Matrimonio rato non comſummato: itáque vtróque caſu, vt N. cum ſorore Marthæ Matrimonium contrahere legitimè queat, opus eſſe Apoſtolica diſpenſatione.

21. Maij 1601. Congregatio Concilij cenſuit, ſponſalia per verba de futuro contrahi poſſe, quandocúnque ante contractum Matrimonium per verba de præſenti mutuo contrahentium conſenſu diſſolui, atque vbi ſic diſſoluta fuerint, nullum hodie inducere impedimentum.

## Capvt III.

VBi ſponſalia.] Scilicet per verba de futuro, non autem de præſenti: Ita eſſe intelligendum declarauit Pius V. in quadam Bulla ſub data Kal. Iun. 1568. diſpoſitio etiam huius decreti retrò trahitur, prout ſuprà in præcedenti decreto de cognatione ſpirituali dictum fuit. Ita declarauit Gregorius XIII. ex voto Congregationis.

*Quacumq; ratione valida non erunt.* ] Si ſponſalia ſoluuntur de conſenſu, Congregatio cenſuit eſſe valida.

Præſuppoſita declaratione per conſtitutionem Pij V. ſuper hoc decreto cenſuit Congregatio oriri impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus, per verba de præſenti etiam nulliter contractis, omiſſa forma decreti Concil. Trident. cap. 1. huius Seſs.

Sponſalia de præſenti ante ætatem etiam vnius ſecuta carnali copula, non tranſeunt in Matrimonium.

Item Congregatio cenſuit, ex Matrimonio per verba de pręſenti, copula non ſecuta, non oriri affinitatem, remanet tamen impedimentum hoc vlterioris gradus ex declaratione Pij V. ſub datum Kal. Iulij 1568. & ita etiam fuit decretum per Congregationem 17. April. 1586. & de ordine Sanctiſſimi præter Cardinales interfuerunt omnes Priores ordinum & tres Reuerendiſſimi.

An ex Matrimonio contracto per verba de præſenti non conſummato oriatur affinitas vel impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis.

Con-

Congregatio reſpondit non eſſe impedimentum affinitatis, ſed impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, & fortius & maius vinculum, quam impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus de futuro, & hoc Concilij decretum non loquitur de hoc impedimento ſed de illo tantum ex ſponſalibus de futuro. ex quibus gradus iſtius impedimenti colligitur non intelligi ad primum gradum redactos, ſed tantum illos qui contrahunt ex ſponſalibus de futuro, vt per Bullam fœlicis recordat. Pij V. ſub datum Romæ.

## CAPVT IV.

COngregatio Concilij cenſuit, affinitatem ſuperuenientem etiam per illicitum coitum diſſoluere ſponſalia, quæ fuerint contracta de futuro, & peracta pœnitentiaria, vel parte illius poſſe incæſtuoſum ab Epiſcopo diſpenſari, vt cum alia contrahat. *Angionenſis 16. Auguſti 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, ſcribendum Epiſcopo, potuiſſe Ioannem Antonium Oratorem mortua eius prima vxore, accipere in vxorem Ioannam licet fuerit vxor Angeli, qui tertio aut quarto conſanguinitatis gradu, coniunctus erat cum Diamante prima vxore Oratoris, cum tantum affinitatis genus ſublatum fuerit ideo declarandum impedimentum huiuſmodi hodie non obſtare. *Caputaquenſis 16. Decembris 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, affinitatem ex illicita copula prouenientem reſtrictam eſſe ad ſecundum gradum decret. Concilij cap. 4. Seſs. 24. de Reform. Matrim. *19 Decembris 1596.*

Congregatio Concilij cenſuit, ad dignoſcendum, an ſubſit impedimentum affinitatis prouenientis ex fornicatione, attendendum eſſe gradum remotiorem, ideóque quemadmodum inter eos, qui tertio gradu affinitatis ex fornicatione procedentis coniunguntur matrimonio poſt Concilium, quod huiuſmodi impedimentum ad primum & ſecundum gradum reſtrinxit, licitè contrahitur: ita etiam contrahi poteſt inter eos, qui ſimul ſecundo, & tertio gradibus, huiuſmodi affinitatis ex fornicatione inductæ coniunguntur: item cenſuit omiſſionem à denuntiatione non reddere matrimonium nullum. *Die 31. Martij 1597.*

In matrimonio contracto inter hæreticum & Catholicum & è conuerſo qui eſſent aliquo gradu cognationis vel affinitatis coniuncti, quamuis pro iſtorum parte ſupplicaretur, qui tamen etiam legitimo impedimento ceſſante Catholicus cum hæretico contrahere non poteſt, licet contractum valeat, iuxta gloſſam communiter receptam in c. cum oportet 28. quæſt. 1. nullo modo videtur diſpenſandum, ne huiuſmodi exitialibus matrimoniis ſedes Apoſtolica authoretur, quia potius partes Ordinarij ſunt, talia matrimonia irrita & nulla declarare & Catholicis matrimonia contrahendi legitimam cum Catholicis licentiam & fauorem impetrare, inuocato auxilio brachij ſæcularis.

An ex clauſula illa, ex quauis matrimoniali diſpenſatione apponi ſolita, videlicet (dummodo propter hoc mulier rapta nõ fuerit) poſſit Ordinarius denegare executionem matrimonij, ſi rapta tamen à raptore ſeparata non fuerit & in loco tuto & libero cõſtituta raptorem habere in virum conſentiat, prout requiritur à decreto Cõcilij.

Congregatio cenſuit, diſpenſationem eſſe ſubreptitiam: ideo Epiſcopum debere executionem matrimonij denegare.

An Ordinarius poſſit denegare executionem obtentæ diſpenſationis, donec raptor decenter Iudicis arbitrio reipſa raptam dotarit, iuxta decretum prædictum. Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum executionem legitimæ diſpenſationis denegare poſſe, donec raptor effectualiter raptam decenter dotauerit iuxta præſens decretum Concilij.

## CAPVT VII.

CONgregatio cenſuit, ideo non videri matrimonium nullum, quia fuerunt prætermiſsa ea, de quibus in hoc decreto.

## CAPVT VIII.

I*Vdices ſæculares.*] Non poſsunt inhibere Iudicibus Eccleſiaſticis, vt ſeruetur forma trium admonitionum.

Decretum de eiiciendis mulieribus, non intelligitur de viris.

## CAPVT X.

PRæterea ab aduentu D. N. Ieſu Chriſti, vſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum, vſque ad octauam Paſchatis, conuiuia nuptiarum, ſolemnitates, traductiones ad domum & carnalem copulam decret. Conc. 1. cap. Seſs. 24. Reform. Matrim. prohiberi, ſed matrimonium coram Parocho, & teſtibus, eo tempore contrahi poſse.

## *Seſſio 24. De Reformat.*

## CAPVT I.

*19. Decembris 1596.* CONgregatio Concilij cenſuit, Commendatarios Abbatiæ curam iuriſdictionalem tantum, non autem Sacramentalem habentes, nullo Concilij decreto ad reſidentiam adſtringi, neque ſi non reſideant pœnis ab eo in non reſidentes conſtitutis arceri.

*Ianuarij 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, Regulares in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare volentes, non teneri ab Epiſcopo licentiam obtinere, ſed tantum à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinari, & approbari debere, ac ab eis habere licentiam, & cum ea ſe per-

perſonaliter coram Epiſcopo præſentare, ab eóque petere benedictionem, tametſi eam minimè obtinuerunt.

## Capvt II.

Congregatio Concilij cenſuit, Regulares, qui ſubduntur Capitulis generalibus, non poſſe cogi ab Epiſcopo ad intereſſendum Synodo, niſi tantum in caſu expreſſo *cap. 2. Seſſ. 24. De Reform.* *26. Auguſti 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, electionem Synodi Prouincialis factam à prædeceſſore, ligare etiam ſucceſſorem. *6. Aprilis 1595.*

Item non teneri venire ad Conc. Prouinciale, alios exemptos, quàm eos, qui de iure, vel conſuetudine intereſſe debent: ſed capitula Eccleſiarum Cathedralium particulariter eſſe inuitanda. *19. Aprilis 1596.*

Præterea ad obſeruationem decretorum Concilij Prouincialis omnes eſſe obligatos, qui Epiſcopali iuriſdictioni ſubduntur, atque item exemptos in caſibus, in quibus à iure communi, & Concilij decretis ſpecialiter Epiſcopis, aut Concilio Prouinciali in ipſos poteſtas tributa eſt, contra inobedientes autem iuris remedijs eſſe procedendum.

Item Abbates Commendatarios Capitulorum deputatos, vocem duntaxat conſultiuam in Concilio Prouinciali habere: Epiſcoporum vero Procuratores poſſe etiam deciſiuam habere ſi Concilio Prouinciali placuerit, cæterum Laicos, qui inuitati ad Synodum Prouincialem intereſſe poſſunt, in ea votum duntaxat conſultiuorum habere.

Congregatio Concilij cenſuit, capitula collegiatarum, quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentia ad Synodum Prouincialem eſſe vocanda. *19. Decembris 1596.*

## Capvt III.

Congregatio Concilij cenſuit, obtinentem legitimè præbendam & Parochialem ante Concilium, poſſe poſt Concilium vtrúmque beneficium retinere, dummodo in Parochiali reſideat. *28. Aprilis 1594.*

Hoc caput dum de ſubminiſtrandis victualibus diſponit, non habere locum in viſitatione Cathedralis Eccleſiæ cenſuit Congregatio.

Congregatio cenſuit, munera nulla poſſe accipere, ſed victualia tantùm, vel eorum loco procuratorium ſi viſitati ita elegerint. Congregatio cenſuit, nullum certum tempus à Concilio fuiſſe præſcriptum intra quod teneatur Epiſcopus ſuam viſitationem concludere, ſed relictum eius arbitrio, quod tamen debet eſſe moderatum & diſcretum.

Epiſcopo ſibi petente declarari, quem ordinem debeat habere Epiſcopus cum ſuo Capitulo, an cum Notario vel ſine, vel cum iuramento, ne detur occaſio litibus & ſumptibus. Congregatio reſpondit

dit ſeruandum eſſe eum ordinem quem conſtituit decretum Concilij Seſs.6. cap.4.& Seſs.21. cap.6. Si modo Capitulum ſit exemptum ab Ordinario, quod ſi illud ſubiectum ſit, tunc ſeruandum ordinem poſitum præſenti cap. vbi de Notario & diſpoſitionibus, & de actis expreſſe diſpoſitum eſt.

An Epiſcopus conſtituere poſſit ſuum Archidiaconum ad viſitationem expediendam, & præſcribere comitatum & equitatum ne oneri ſit Eccleſiis,quas viſitauerit. Congregatio reſpondit poſſe.

Congregatio cenſuit, licuiſse Archiepiſcopo Tranenſi in actu viſitationis Eccleſiæ ſancti Iacobi Eccleſiæ exemptæ exquirere ab illius Eccleſiæ clericis titulos beneficiorum & dimiſsorias, quarum virtute fuerint ordinati, niſi aliter idem Archiepiſcopus exquiſierit & viderit, poſse item compellere ad exhibendas huiuſmodi dimiſsorias & titulos.

Penſionarius non tenetur contribuere pro mercede concionatoris præſertim vbi eſt conſuetudo, quod populus talem impenſam facere ſoleat.

Penſionarij nulla ex parte contribuere debent pro mercede quæ prædicatoribus ſoluitur.

Decretum Clementis II. de ſepult. de hora prædicandi quod regulares poſſint prædicare populo verbum Dei, hora illa duntaxat excepta, in qua locorum Prælati voluerint vel coram ſe facere ſolemniter prædicare. S. D. N. reſpondit non eſse in vſu.

An vigore huius cap.teneatur Ordinarius prohibere regularibus, ne in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent, cauſam allegare, aut iuſtificare, & quæ legitima cenſeatur. Congregatio cenſuit, non teneri.

## CAPVT IV.

*21. Iunij 1596.* Congregatio Concilij cenſuit, eſſe in electione Epiſcopi vel deputare in ſua Cathedrali Prædicatorem, etiam quod populus illum ab immemorabili tempore eligere conſueuiſſet, vel præteritam nominationem ipſi populo relinquere, ita vt ſi Epiſcopus Prædicatorem eligat, populum ad Eleëmoſynas Prædicatori erogandas non compellat, verum ſi populum prædictum facultate eligendi Prædicatorem vti permiſerit, tunc populum ad ſolitas Eleëmoſynas præſtandas Epiſcopus cogere poterit.

*Die 4. Septembris 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, in aliis Eccleſiis quam Cathedralibus non eſſe ſublatam conſuetudinem immemorabilem præſentandi, vel nominandi pro eis Prædicatorem Epiſcopo.

CAPVT

## CAPVT VI.

Congregatio Concilij cenſuit eos, qui non obtinent dignitates, nec ſunt de Capitulo, & in Cathedralibus vel Collegiatis Eccleſiis beneficia obtinent, propriè comprehendi Decreto eiuſdem Concilij cap. 6. Seſs. 24. verſ. qui vero. *Nullius 13. Augusti 1590.*

Abſolutus vel diſpenſatus à proprio Epiſcopo in materia delicti perpetrati coram duobus vel tribus teſtibus, quod tamen non fuit notorium non eſt tutus in conſcientia, quia Concilium vtitur verbo *occulti*, quod proprie loquendo dicitur, quod probari non poteſt. Abb. in c. veſtra de cohabit. Cleric. eo quòd duo teſtes probare poſſunt & verba Concilij ſecundum proprietatem ſunt accipienda.

Idem reſpondit de illis qui occaſione dictorum occultorum ab officio inquiſiti, ſed quia non potuerunt delicta probari, rei ipſi non fuerunt abſoluti nec definitiuè nec alio modo ſed ſimpliciter dimiſſi recepta promiſſione de ſe præſentando: non poſſe iſtos vti huius canonis beneficio, quia cauſa fuit deducta ad forum contentioſum, ſicque ſufficit ſola deductio, quidquid inde ſequitur.

Item Congregatio cenſuit, ſi is clericus peruenit iam ad ætatem legitimam, poſſe Epiſcopum cum illo diſpenſare tam ſuper irregularitate, quam ſuper ſuſpenſione ex delicto tamen occulto prouenienti, quia ſe fecit promoueri non in ætate legitima, ſi necdum ad legitimam ætatem peruenit clericus Epiſcopum non poſſe, ſed petendam abſolutionem à Sede Apoſtolica.

## CAPVT VIII.

Congregatio Concilij cenſuit, Pœnitentiarium dum confeſſiones audit, in Eccleſia cenſeri præſentem, etiam in proceſſionibus, & orationibus. *Giennensis 4. Septembris 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit, inſtitutionem officij pœnitentiarij ad ſolum Epiſcopum abſque conſenſu Capituli pertinere, collationem autem præbendæ pœnitentiariæ vnitæ ab illo fieri debere. *23. Iunij 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, pœnitentiarium ad præſcriptum Concilij inſtitutum ante vacationem præbendæ ei officio vnitæ, neque vocem in Capitulo, neque in choro ſibi vendicare poſſe, minúſque habendum interim eſſe pro Canonico, præbendam autem ipſi officio vniendam integram, atque Canonicalem eſſe debere. *31. Maij 1596.*

Congregatio Concilij cenſuit, ſi collatio ſit communis inter Epiſcopum, & Capitulum, & vacatio præbendæ pœnitentiarij contingat in quatuor menſibus inferiorum collatorum, electionem perſonæ pœnitentiarij ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, quemadmodum ante Concilium, pertinere. *Ianuarij 1597.*

Congregatio Concilij cenſuit, pœnitentiarium non poſſe abſoluere *17. Iulij 1597.*

uere à caſibus Epiſcopo reſeruatis niſi Epiſcopus ipſe hanc ei tribuerit facultatem.

*1. Martij 1598.* Congregatio Concilij cenſuit, & declarauit, pœnitentiarium ab Epiſcopo ad præſcriptum Concilij inſtitutum teneri officium exercere, etiam ante vocationem præbendæ ipſi officio vnitæ.

*22 Februarij 1601.* Congregatio Concilij cenſuit, tam Theologi, quam Pœnitentiarij præbendam, etiam poſtquam eſt effectum ſortita, non ſubiacere optioni.

*7. Iunij 1601.* In Cathedrali Vercellenſi ſunt 24. Canonici, quorum duodecim ex deſignatione Epiſcopi ſunt Sacerdotes, ſex Diaconi, & alij ſex ſubdiaconi.

Ex conſuetudine illius Eccleſiæ Canonici habent duplicem optionem, alteram Præbendæ temporalis. Nam Canonicus retento titulo optat Præbendam temporalem, vacantem alteram tituli. Nam inferioris ordinis Canonici optant titulos ordinis ſuperioris, & ita Diaconus poteſt optare titulum ſacerdotalem Canonici Sacerdotis defuncti.

Fuit dubitatum an præbenda pœnitentiarij defuncti poſſit optari? Et Congregatio reſpondit non poſſe.

Nunc quæritur, an ordo Sacerdotalis, cuius erat Pœnitentiarius, poſſit optari à Canonico ordinis inferioris, adeo, vt præbenda Pœnitentiarij debeat poſtea obtineri à Canonico ordinis inferioris?

Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe.

*In omnibus Cathedralibus.* ] Congregatio cenſuit, hoc decretum intelligi tantùm de Cathedralibus, & in aliis Eccleſiis Collegiatis non habere locum. Item Pœnitentiarium teneri confeſſiones audire in Eccleſia, alias priuari poſſe.

Congregatio Concilij cenſuit, defectum ætatis 40. annorum non obſtare vbi aliàs aptior pro loci qualitate non reperitur.

Præſuppoſito iuxta deciſionem Congregationis aliàs editam, poſſe Canonicum ex conſuetudine Eccleſiæ in eadem obtinere dignitatem, an obtinens Canonicatum, cui poſt Concilium iniunctum eſt munus pœnitentiarij poſſit vigore dictæ conſuetudinis obtinere etiam dignitatem in eadem Eccleſia: Congregatio cenſuit, non poſſe.

## CAPVT IX.

*4 Decembris 1591.* CONgregatio Concilij cenſuit ſæpius, Eccleſias ſæculares nullius Diœceſeos, quantumcúmque exemptas, & ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectas, earúmque Prælatum ſæcularem habentem in eas iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſe ab Epiſcopo, cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior, viſitari vigore decreti *cap. 9. Seſſ. 24.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum legitime impeditum poſſe ex facultate ſibi à Conc. Trid. tradita in hoc cap. 9. Seſs. 24. Eccleſias quæ nullius diœceſis ſunt, per ſuum Vicarium generalem viſitare.

## CAPVT X.

IN eadem materia correctionis vbi Epiſcopus etiam ſine proceſſu & ſine ſcriptis carcerat ſubditos & diu tenet carceratos, poteſt Metropolitanus cognoſcere de prætenſo exceſſu in corrigendo, ſi carcerati apellauerint ad eum, & dummodo interim non impediatur aut ſuſpendat executionem eorum quæ ab Ordinario decreta fuerunt, vt hic Seſs.22.c.1.

Fuit dubitatum an Epiſcopus viſitans poſſit allegari ſuſpectus, & fuit reſolutum die 6. Octobris 1588. quod non poſſit, ſi voluerit viſitare ad correctionem & non compilato proceſſu, quo caſu non poteſt infligere pœnam ordinariam: Sed ſi voluerit viſitare compilato proceſſu & imponere pœnam ordinariam fuit dictum quod ſicut in illo caſu dabatur appellatio de iure, ita etiam poterat allegari ſuſpectus, nam c. iſtud non habet locum in tali caſu, nempe quando non compilato proceſſu & ad pœnam ordinariam Epiſcopus procedebat.

## CAPVT XII.

COngregatio Concilij cenſuit, ſcribendum ad nuntium Hiſpaniarum, ei, qui profeſſionem fidei non emiſit, poſſeſsionem non ſuffragari, quoad fructus faciendos ſuos tantum, quo ad cæteros autem effectus commodo poſſeſsionis, & cæteris iuribus, ſi quæ habet non priuari. *2. Septembris 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit, non licere Capitulo aliquo prætextu diſtributiones quotidianas donare, aut remittere alicui, qui ab Eccleſiæ ſeruitio abfuerit, quin imo eum, qui illas receperit, teneri ad earum reſtitutionem, nec illas ſuas facere poſſe. *Oxonienſis 12. Nouembris 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, ſtatutum excludens à perceptione fructuum, & diſtributionum quotidianarum eos Canonicos, qui nouem menſes integros Eccleſiæ non inſeruierint, non habere locum quoad Canonicum, per quem non ſtetit, quo minus toto requiſito tempore inſeruierit. *Sarzanenſis 6. Iulij 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, cap. 12. Seſ. 24. in ea parte, in qua dicitur, quod omnes Canonicatus debeant habere annexum ordinem Presbyteratus, Diaconatus vel ſubdiaconatus, non comprehendere Canonicatum iuriſpatronatus laicorum, ante Concilium fundatum, in cuius fundationis limine fuerit appoſitum pactum, quod deſcendentes à fundatore poſſent dictum Canonicatum obtinere, licet non ſint ſacerdotes, neque in ſacris ordinibus conſtituti, ſed tantum ſimplices Clerici, donec deuenerint ad ordinem ſacerdotalem. Ideo in hanc ſententiam erunt dandæ literæ ad Vicarium Placentini, coram quo caſus hic contingit. *Placentinenſis 29. Nouembris 1592.*

*8 Februarij 1593.* Congregatio Concilij cenſuit, neque Epiſcopum, neque Capitulum debere exigere rationem reditionis adminiſtrationis, tempore quo recitantur horæ Canonicæ, diuinæ celebrantur.

*Calag. 19. 1. Iulij 1593.* Congregatio Concilij cenſuit, minime potuiſſe Epiſcopum ſtatuere, vt Decanus primam obtinens dignitatem in Eccleſia Collegiata ſanctæ Mariæ, teneatur contra conſuetudinem dictæ Eccleſiæ inſeruire in Diaconi officio ſacerdoti celebranti, niſi Decanus, vltra dignitatem Decanatus obtineret in eadem Eccleſia etiam præbendam onus hoc canendi Euangelium annexum habentem: tunc enim ad onus prædictum etiam ſubeundum cogendum fore.

*28. Aprilis 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, in obtinente dignitatem nullam habentem principaliter curam animarum, ſed tamen per vnionem Parochialium, quæ ipſi dignitati acceſſorie ſunt vnitæ, non requiri, vt attigerit vigeſimum quintum annum.

*25. Octobris 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, quod ſi quis indebitè coniectus fuerit in carcerem, vtique diſtributiones quotidianæ ei debeantur: pariter cenſuit, quod fructus maſſæ groſſæ tamdiu debeantur, quamdiu per ſententiam non conſtiterit, iuſte illum in carcere detineri.

*13. Aprilis 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, prouiſo de dignitate, vel Canonicatu, qui fidei profeſſionem non emiſit, poſſeſſionem ad fructus faciendos ſuos minime ſuffragari.

*18. Aprilis 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, docentes Ius Canonicum in publica vniuerſitate, priuilegiis de percipiendis in abſentia ſuarum præbendarum fructibus gaudere, & potiri, quamuis præbendæ, quas obtinent, ſitæ ſint in Cathedrali eiuſdem ciuitatis, in qua publici lectoris munere funguntur.

*2. Iunij 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, duos ex Canonicis, qui inſeruientes Epiſcopo à chori ſeruitio abſunt, lucrari quidem fructus præbendæ, non autem diſtributiones quotidianas.

*8. Iunij 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, à mandato de reſidendo in viſitatione edicto non dari appellationem ad effectum ſuſpenſiuum, ſed deuolutiuum tantum.

*17. Aprilis 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, illa verba Concilij, quæ habentur in *cap.* 12. *Seſſ.* 24. eiuſdem Concilij, videlicet poſſeſſio eis non ſuffragetur, intelligenda eſſe, quo ad fructus percipiendos, & faciendos ſuos, ideóque omiſſionem profeſſionis fidei non priuare Canonicum ſupra narratis poſſeſſionis effectibus, ſed ipſum, & vocem in capitulo, & ius procedendi à die adeptæ poſſeſſionis habere, niſi aliud obſtet, quamuis profeſſionem fidei minime emiſerit.

*23. Septembris 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, Canonicum abſentem ſtudiorum cauſa percipere quidem fructus præbendæ, nō autem diſtributiones quotidianas, quod ſi in huiuſmodi diſtributionibus omnes Capituli reditus conſiſtant, percipere etiam diſtributiones demta tertia parte,

quæ

quæ inſeruientibus accreſcit, nullo autem caſu debere ipſum Canonicum percipere diſtributiones miſſis, aut defunctorum anniuerſariis applicatas.

Congregatio Concilij cenſuit, Canonicos Epiſcopum in viſitatio- *5. Decembris*
ne comitantes, percipere quidẽ debere fructus præbendæ, nõ autem 1596.
diſtributiones quotidianas in illis Eccleſiis, in quibus fructus præbendæ ſunt diſtincti à quotidianis diſtributionibus, vniuerſi Capituli reditus conſtent percipere debere ipſas diſtributiones dimiſſa tertia parte, quæ inſeruientibus accreſcit, verum huiuſmodi dictis de cauſis abſentes nullo modo poſſe percipere Eleëmoſynam pro anniuerſariis vel miſſis relictam, aut elargitam, niſi ipſi Eccleſiæ per ſe ſeruitium præſtiterint.

Congregatio Concilij cenſuit, Canonicum in publica vniuerſita- *27. Februarij*
te ſacram ſcripturam legentem debere vtique, etiamſi non reſideat, 1597.
percipere fructus præbendæ non autem diſtributiones quotidianas, quod ſi omnes reditus Capituli huiuſmodi diſtributionibus conſtent, debere percipere diſtributiones dimiſſa altera ex tribus partibus, quæ inſeruientibus accreſcit.

Congregatio Concilij cenſuit, nullam requiri Epiſcopi licentiam *9. Martij 1597.*
vt Canonici tribus menſibus præmiſſis à reſidentia abeſſe poſſint.

Congregatio Concilij cenſuit, decret. cap. 12. verſiculo diſtribu- *1. Iulij 1597.*
tiones, Seſſione 24. ſublatam eſſe conſuetudinem percipiendi diſtributiones in abſentia, etiam immemorabilem.

Non licere Canonicis prætextu immemorabilis conſuetudinis vl- *17. Iulij 1597.*
tra tres menſes quotannis ab Eccleſia abeſſe, neque eo trimeſtri tempore poſſe abſentes diſtributiones quotidianas percipere, quippe quod huiuſmodi immemorabilis conſuetudo vtróque caſu ſublata eſt decret. cap. 12. Seſs. 24.

Congregatio Concilij cenſuit, ad obtinendum in Cathedrali Ca- *18. Decembris*
nonicatum, cui eſt annexus ordo Subdiaconatus, ſufficere, quem eſſe 1597.
conſtitutum in tali ætate, vt intra annum poſſit promoueri ad Subdiaconatum.

Congregatio Concilij cenſuit, diſtributionem Ordinum in Ec- *2. Ianuarij*
cleſia Cathedrali, non adhibito Capituli conſilio, quemadmodum 1598.
Concilium mandat decret. *cap.* 12. *Seſſ.* 24. eſſe nullam.

Congregatio Concilij cenſuit, minime eſſe neceſſe, Archidiaco- *10. Aprilis*
nos, qui cura animarum omnique prorſus iuriſdictione carent, nul- 1598.
lóſque ex Archidiaconatu fructus percipiunt, eſse præditos qualitatibus, quæ habentur ex c. 12. verſ. Archidiaconi, Seſs. 24.

Congregatio Concilij cenſuit, Canonicum tribus menſibus per- *Nullius die 5.*
miſſis ab Eccleſia abeſſe volentem, minime teneri petere vel obti- *Iulij 1599.*
nere licentiam ab Epiſcopo, cæterum quota pars Canonicorum ab Eccleſia eodem tempore poſſit abeſse, ne debito ſeruitio ipſa Eccleſia deſtituatur, Epiſcopi iuriſdictionem atque arbitrium eſſe.

*Commenſis 21. Iulij 1599.* Congregatio Concilij iam pridem declarauit, Canonicos collegiatarum Eccleſiarum etiam in oppidis non inſignibus exiſtentium teneri ad reſidentiam niſi eſſent collegiatæ Rurales prorſus deſtitutæ, aut in quibus nunquam antea ſupra hominum memoriam ſolitum eſſet reſidere, & quarum Canonicatus ea eſſent fructuum tenuitate vt qui eos obtinuerint, nec ex eis ali poſſint, nec aliunde habeant vnde commodè viuant.

*Vltimo Ianuarij 1601.* Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum priuilegio ſacris Canonibus conceſſo poſſe vti opera duorum Canonicorum, eóſque dum illi inſeruient debere percipere fructus præbendæ, amiſſis diſtributionibus quotidianis, ſi diſtributiones quotidianæ ſemotæ ſint à fructibus præbendæ. Quod ſi omnes fructus in quotidianis diſtributionibus conſtent, debere percipere earum duas partes amiſſa tertia, quæ accreſcit inſeruientibus.

*12. Februarij 1601.* Congregatio Concilij cenſuit, ad obtinendam Parochialem oportere eum, cui confertur, attingere 25. annum, atque intra annum à die collationis debere ipſum ad Presbyteratus ordinem ſe facere promoueri, quemadmodum expreſſe cauetur conſtitutione Gregorij X. in generali Lugdunenſi Concilio edita, cui inhæret Tridentinum Concilium Decreto cap. 4. Seſs. 7.

*Fructuum.*] De omnibus fructibus tam præbendæ quam reſidentiæ Canonici miſſi ab ipſis Epiſcopis ad limina Apoſtolorum eorum nomine, vel comitantes ipſos Epiſcopos ad eadem limina lucrantur diſtributiones ex Decreto S. D. N. Sixti V.

Congregatio cenſuit, non poſſe confici ex horis, quibus Canonici reſidentes abſunt à choro, dies, vt ex diebus & horis confici poſſunt menſes abſentiæ, de quibus in hoc Decreto, neque ad conſtituendum ſeruitium nouem menſium, colligendas eſſe punctaturas, quaſi ij qui nouem partes punctatuarum ex duodecim quæ ex ſeruitio totius anni conflantur deſeruiendo tulerint, ſeruitio nouem menſium debito ſatisfecerint, ſed ipſos dies reſidentiæ & ſeruitij ſiue continui ſiue interpellati numerandos eſſe, vt compleant numerum dictorum nouem menſium. Et Capellani deſeruientes capellis mercenariis licitè gaudeant Eleëmoſynis tempore infirmitatis.

## Capvt XIII.

*Nullius 29. Aprilis 1598.* Congregatio Concilij cenſuit, cap. 13. Seſ. 24. dum prohibet Parochiales poſſe vniri Monaſteriis, intelligendum eſſe de Parochialibus, quæ actu, non autem de illis, quæ habitu tantum ſupra hominum memoriam Parochiales exiſtunt.

*30. Martij 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, valorem centum Ducatorum, qui ex decreto *c. 13. Seſ. 24. de Reform.* debent remanere Rectori Parochia-

rochialis Eccleſiæ quæ penſione grauatur, eſſe intelligenda iuxta morem cuiúſque regionis.

Congregatio Concilij cenſuit, non poſſe ab ordinariis fieri vniones Parochialium Eccleſiarum, obſtantibus Collegiis ſæcularium, ſeu Regularium perſonarum, obſtan. Decret. eiuſdem Concilij cap. 13. Seſſio 24. de Reformat. & ſi factæ fuerint, nullas eſſe vniones, &c. 18. Martij 1589.

*Parochiales.*] Quæ actu, non autem quæ habitu tantum parochiales exiſtent, ita enim Congregatio Concilij cenſuit.

## Caput XIV.

*Nisi ponatur.*] Neque hoc Decreto neque Bulla Pij V. ſuper hac eadem re edita comprehenduntur ſtatuta Eccleſiaſtica deſeruiendi per annum, vel aliquod tempus & nihil percipiendi interim de maſſa groſſa niſi peracto integro Decreto ſeruitio, idque poſt obitum hæredibus deberi, cum potius ſit differre quam auferre.

*Vt laudabiles.*] Sed non cenſentur laudabiles, quæ ſunt pro inſtauratione vel reparatione menſæ capitularis, cederent tamen in vtilitatem Capitularium ſingulorum, ſed ſi extat talis conſuetudo, vt fructus, puta cuiuſlibet præſtimonij dimidiandi, poſtquam vacauit, cederent in vtilitatem menſæ Capitularis, talis vtique conſuetudo per hoc decretum non eſt ſublata.

Et ita cenſuit Congregatio in vna Burgenſi.

Item cenſuit Congregatio in vna Palcatina conſuetudinem, qua id quod à recepto in Canonicum ſoluebatur, conuertatur in reparationem & inſtaurationem molendinorum menſæ Capitularis etiam ab hoc Decreto reprobatam.

## Caput XV.

Congregatio Concilij cenſuit, verba illa, *liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli*, contenta in cap. 15. Seſs. 24. eſſe intelligenda de conſenſu Capituli illius Eccleſiæ, in qua fit reductio Præbendarum. Mediolanenſis 4. Decembris. 1582.

*Diſtributiones quotidianæ.*] Idem licere cenſuit Congregatio, quando nullæ ſunt diſtributiones & præbendæ tenues vel è contra; ſic etiam vt huiuſmodi vnio iuxta formam præſcriptam fieri poſſit pro diſtributionibus quotidianis, dummodo tenues ſunt præbendæ; Secus ſeruandum eſſe decretum Seſs. 21. cap. 3.

Congregatio cenſuit, propoſito quod dignitas Archidiaconatus non habeat votum in Capitulo, nec reditus ex menſa Capitulari, ſed duntaxat ſtallum in choro, non licere Epiſcopo per vnionem cuiuſcumque beneficij ſimplicis illius tenuitati prouidere.

*Liceat Epiſcopis.*] Capitulum ſede Epiſcopali vacante non poteſt ſupprimere quodcúmque beneficium & ſibi vnire.

Hoc decretum non habet locum in ſuppreſſionibus ad tempus, ſed perpetuis.

Hoc decretum locum non habet, ſi ſolitæ diſtributiones ſunt tenues, tunc Epiſcopus duntaxat vti poteſt remedio c. 3. Seſs. 21.

## CAPVT XVI.

*Panormitana 31 Apr. 1592* Congregatio Concilij cenſuit, ex Decreto Concil. cap. 16. Seſs. 24. à Capitulo ſede vacante vnum tantum Vicarium eſſe eligendum, cæterum non eſſe eo Decreto ſublatam conſuetudinem duos, aut plures eligendi, præſertim immemorabilem.

*24. Febr. 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, exiſtentibus Doctoribus in Capitulo, neceſſariò vnum ex illis in Vicarium eſſe eligendum, alioquin deputationem ad Metropolitanum deuolui.

*28. Apr. 1594.* Congrrgatio Concilij cenſuit, Capitulum ad libitum poſſe amouere Vicarium, aliàs per ipſum electum, & confirmatum, tenerique intra octo dies alium conſtituere, alioquin deuolui ius deputandi Vicarium ad Metropolitanum, ac ſi Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit, ad antiquiorem Epiſcopum.

*9. Sept. 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, non eſſe de neceſſitate, vt Vicarius eligatur de gremio Capituli, cæteris tamen paribus præferendum eſſe Capitularem, & exiſtentibus Doctoribus, vel Licentiatis in iure Canonico, eligendum in Vicarium Doctorem, ſiue licentiatum in ipſo iure Canonico, aliàs ſufficere vt eligatur, qui quantum fieri poſſit, idoneus ſit.

*12. Nouembr. 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, emolumenta tempore vacationis ſedis Epiſcopalis obuenientia ex iuriſdictione & ſigillo aut aliàs vndecúnque quæ ad Epiſcopum Eccleſia non vacante pertinuiſſent, ad Capitulum minimè ſpectare, niſi ex Apoſtolico priuilegio illi conceſſa fuiſſent, ſed debere futuro Epiſcopo reſeruari, ex his tamen emolumentis deducendum eſse rationabile ſalarium Vicario conſtituendum, & perſoluendum, quod ſi ex priuilegio Apoſtolico Capitulo competerent, non poſse Canonicos, ſi Regulares ſint, & tria vota emiſerint, inter ſe illa diuidere.

*8. April. 1595.* Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum per ſe rationem adminiſtrationis officij geſti à Vicario Capituli Sede vacante conſtituto, exigere, atque alicuius delicti compertum punire auctoritate ſibi tributa decreto Conc. 16. *Seſs* 24.

*22. 1599* Congregatio Concilij cenſuit, licere Vicario Capituli ſede vacante inſtituere præſentatum à patronis.

*Octo dies.*] Capitulum ad libitum poteſt amouere Vicarium aliàs per Epiſcopum electum, aut confirmatum, dummodo intra octo dies alium conſtituat, alioquin deuoluit ius deputandi Vicarium ad Metropolitanum.

Congregatio cenſuit Epiſcopum in Capitulo exempto ſi velit rationem exigere ab Officialibus ex gremio Capituli deputatis ſede vacante, eorum officij & adminiſtrationis, non teneri procedere cum adiunctis ex forma, c. 6. Seſs. 25. niſi vellet criminaliter ad eorum punitionem & correctionem procedere.

Cenſuit Congregatio facta electione Officialium non poſſe ad libitum eos reuocare & nouos conſtituere, niſi vel OEconomum vel illos Officiales quos etiam viuente Epiſcopo Capitulum poſſit deputare.

Item Capitulum Sede vacante poteſt facta mentione Vicarij vel aliorum Officialium illos cogere ad reddendam rationem adminiſtrationis, eóſque pro culpa punire, non tamen impedire futurum Epiſcopum, quin ex hoc Decreto ab eiſdem exigat rationes actionum, quas ſede vacante fecerint & eos punire, etiamſi à Capitulo fuerint abſoluti.

## Capvt XVII.

Congregatio Concilij cenſuit, conſuetudine permittente, vt in eadem Eccleſia dignitas cum canonicatu per eundem obtineri, & retineri poſſit, non cenſeri derogatum ex decreto Concil. Tridentini *cap.* 17. *Seſs.* 24. *de Reform.* vbi diſponitur habenti beneficium competens, non poſſe conferri alterum. *13 Ianuar. 1594.*

Congregatio cenſuit, quod ſi habenti vnum beneficium ſufficiens alind ſufficiens ab Epiſcopo fuerit collatum, habita pacifica poſſeſſione ſecundi, vacat primum ſufficiens. *28. Ian. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, obtinenti canonicatum, cui poſt Concilium munus ſit iniunctum Pœnitentiarij, non poſſe in eadem Eccleſia vna cum dicto canonicatu obtinere dignitatem, in vim cõſuetudinis Eccleſiæ permittentis Canonicum poſſe retinere canonicatum cum dignitate. *27 Mart. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, qui diſpenſatus eſt ad beneficia, dummodo plura ſimul non ſint, non poſſe obtinere plura, quam vnum, quamuis illud ad vitam obtinentis honeſtè ſuſtentandam non ſufficeret. *1. Iulij 1595.*

Congregatio Concilij cenſuit Epiſcopum habenti, vnum ſimplex beneficium, quod non ſufficiat ad eius ſuſtentationem, poſſe ad eius ſimile conferre, ſed non poſſe plura ſimplicia, vſque ad eius ſufficientem ſuſtentationem eidem conferre. *11. Iulij 1596.*

Congregatio Concilij cenſuit, obtinentem beneficium ſimplex ad ui ſuſtentationem ſufficiens, poſſe quidem inſtitui ad aliud ſimplex beneficium itidem ſufficiens in eadem Eccleſia, in qua primum exiſtens, ſed adepta pacifica poſſeſſione ſecundi vacare primum. *28. Febr. 1598.*

Nominatus à Rege Galliæ ad Epiſcopatum Mallunenſem vacantem per obitum, petitum expediri vnà cum retentione duorum monaſteriorum, quæ in commendam obtinet vt detur retentio, quia iſtæ commendæ in Gallia nullam nunc curam, nullámque iuriſdictionem habent aut exercent. S. D. N. putauit compatibiles cum Epiſcopatu.

## Capvt XVIII.

*Foroſempronienſis 19. Auguſt. 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit, licuiſſe Epiſcopo ſecundum ea, quæ proponuntur eligere ex duobus inhabilibus inhabilem, quamuis vnum duntaxat ſuffragium examinatorum tulerit, illum tamen amplius erudiri curabit Epiſcopus.

*Vrbinatenſis 4. Maij 1592. Nullius 29. Ianuarij 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, à reprobatione Examinatorum dari appellationem ad effectum deuolutiuum à die ſcientiæ.

Congregatio Concilij cenſuit, verba illa, *ab alio* poſita in cap. 18. Seſſ. 24. de Reform. verſ. cum verò, &c. intelligenda eſſe de inferiori collatore.

*Saonenſis 1. Febr. 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, examinatores ſynodales durare, donec alij in ſynodo deputati fuerint, verum ſi anno elapſo aliqui ex eis mortui fuerunt officium omnium expirare.

*Montis regalis 6. Auguſt. 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, etiam in Iurepatronatus, quod pro duabus partibus pertinet ad laicos, & pro vna ad Eccleſiaſticos, ſeruandum eſſe concurſum ex Decreto cap. 18. Seſs. 24.

*6. Aug 1593.*

Congregatio cenſuit illum, qui termino elapſo comparuit, minimè eſſe admittendum ad concurſum Parochialis.

*Ciuitatenſis 26. Auguſt. 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit, examinatores minimè quidque etiam poſt examen accipere poſſe.

*11. Ianuarij 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, ad patronum Parochialis Eccleſiæ, quæ Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici ſit, ſi inſtitutio ad Epiſcopum pertineat, ſpectare, eligere digniorem inter probatos ab examinatoribus Synodalibus: ſi autem inſtitutio non ad Epiſcopum, ſed ad alium ſpectet, debere Epiſcopum eligere digniorem, & hunc teneri ipſum Patronum præſentare.

*28. April. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, Vicarios perpetuos in Parochialibus Capitulo vnitis, non eſſe præuio concurſu inſtituendos.

*28. April. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, ſi inſtitutio ad Parochiales Eccleſias Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici facienda ſit à ſummo Pontifice, ius eligendi digniorem ex approbatis ab examinatoribus Synodalibus ſpectare ad Epiſcopum, ſicuti pari modo electio ſpectat ad eumdem Epiſcopum, quando ab eodem pontifice collatio Parochialium facienda ſit.

*14. Iulij 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum poſſe occurente vacatione beneficij curati, vocare & admittere ad concurſum poſſidentem aliud beneficium curatum, ſed non poteſt ſine concurſu, & beneficium

neficium, quod poſſidet, obtinuerit ille per concurſum, & poſtquam vacauerit primum beneficium per adeptam poſſeſſionem pacificam alterius curati, poterit Epiſcopus iterum ponere edicta pro concurſu.

Congregatio Concilij cenſuit, inferiorem Epiſcopo, qui omnimodam iuriſdictionem habeat Epiſcopalem, nec alicui ſubdatur, & ſit immediatè ſubiectus Sedi Apoſtolicæ, nullius Diœceſeos proprium habeat territorium, habeátque ius congregandi Synodum, & legitimè conſtet illam congregaſſe, & delegiſſe examinatores, víſque poſſe concurſum inſtituere, examinare, & approbare, & Oeconomos, ac Vicarios deputare, omniáque alia agere, quæ *cap.* 19. *Seſs.* 14. *de Reform.* continentur. *5. Decemb. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, quod ſi plures fuerint præſentati ſuper Parochiali de Iurepatronatus Laicorum exiſtente, requiratur examen per concurſum inter eos præſentatos tantùm, vt ex his, qui peracto examine idonei ab examinatoribus Synodalibus renuntiati fuerint, Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illum, & non alterum inſtituat. *Die 16. Ianuar. 1595.*

Congregatio Concilii cenſuit, in collatione Canonicatus, quamuis ei vnita ſit parochialis, non oportere obſeruari formam examinis per concurſum. *30. Ianuar. 1596.*

Congregatio Concilii cenſuit, ſi ex duobus concurrentibus ad Parochialem vacantem, & à tribus examinatoribus Synodalibus examinatis, alter eorum ab omnibus tribus fuerit approbatus, alter verò ab vno approbatus, & à duobus reprobatus, debere vtique Epiſcopum tanquam magis idoneum eligere illum, quo omnia ſuffragia pro ſe tuliſſe proponitur, itaque in hunc modum ad electionem procedentem atque approbato petenti acta omnia ab ipſo Epiſcopo eſſe exhibenda. *18. April. 1595.*

Congregatio Concilii cenſuit, Decretum cap. 18. Seſs. 24. de Reform. verſ. ſi verò iuriſpatronatus, non habere locum aduerſus Parochialis inſtitutionem, vel fundationē inveſtigare præſentati idoneitatem ſi præſcripta fuerit, eam vtique omnino eſſe obſeruandam, cæterum Iuſpatronatus debet hoc caſu ab Ordinario examinari, & approbari citra concurſum, quamuis lex fundationis repugnaret. *Die 16. April. 1598.*

Congregatio concilij cenſuit, examinatores Synodales debere renuntiare quotquot idoneos reperint ad vacantem Parochialem Eccleſiam gubernandam, ſed ad Epiſcopum, non autem ad eoſdem examinatores pertinere, iudicare, quis inter eos ſit magis idoneus. *5. April. 1598*

Congregatio Concilii cenſuit, non pertinere ad examinatores, ſed ſolum Epiſcopum, iudicare, quis ex concurrentibus ad Parochialem vacantem ſit magis idoneus. *Conchenſis 1599.*

Congregatio Concilii cenſuit, beneficia curata Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici eſſe conferenda præuio concurſu, ad eúmque omnes, qui concurrunt eſſe admittendos, tametſi à Patronis non fuerint nominati, ideóque appellationem præſentatorum ab ipſis Patronis *22. April. 1599.*

Eccleſiaſticis prætendentium alios ad concurſum admitti non debere, concurſum, dummodo aliàs legitimè conſtitutus, & habitus fuerit, impedire non potuiſſe.

*29. Ian. 1600.* Congregatio Concilij cenſuit, inter plures à Patrono ad Parochialem Iuriſpatronatus laicorum cumulatiuè præſentatos, obſeruandam eſſe formam examinis per concurſum.

*29. Ian. 1600.* Congregatio Concilij cenſuit, in collatione Parochialium, quæ iure deuolutiuo conferuntur, ſeruandam eſſe formam examinis per concurſum, quia Patronus non læditur, & quia ſublato obſtaculo præſentationis,& Iuriſpatroni illa vice excluſi, res cedit ad Ordinarij poteſtatem.

*7. Auguſt 1600.* Congregatio Concilij cenſuit,à reprobatione examinatorum qui aliquem ex concurrentibus ad Parochialem Eccleſiam vacantem minus idoneum renuntiarunt, dari appellationem ad effectum deuolutiuum, non autem ſuſpenſiuum.

*26. Ian. 1601.* Congregatio Cõcilij cenſuit, beneficia curam animarum habentia,quæ verè ſint dignitates, non ſubiacere concurſui

*24. Maij 1601.* Congregatio Concilij cenſuit, relatione examinatorum renuntiantium vnum ex approbatis idoneum quoad ſcientiam tantùm, & quoad vitam, & mores approbationem reiicientium, ad Vicarium Archiepiſcopi, non eſſe ſatisfactum decreto d. cap. 18. Seſs.24. verſ. peracto.

## CAPVT XIX.

*Conthenſis 9 Sept. 1592.* Congregatio Concilij cenſuit, expectatiuas conceſſas à fœlicis recordationis Sixto V. & Gregorio XIII. cùm pauciſſimæ ſint (nempe quia mandata ſunt de prouidendo, videntur poſſe dici per obitum concedentis reuocata) non debere à S. D. N. per regulam generalem, ſed ſpecialiter reuocari, illas ſcilicet, quæ non fuerunt ſortitæ effectum, neque ſuper his lites pendeant. S. D. N. Congregationis ſententia audita, cùm paucæ ſint expectatiuæ conceſſæ inclinauit nolle eas reuocare.

## CAPVT XX.

*31. Martij 1597.* Congregatio Concilij cenſuit,cauſam etiam criminalem aduerſus clericum, quamuis conſentientem, non poſſe abſque ſpeciali commiſſione Papæ ſignata in prima inſtantia à D. A. C. cognoſci, niſi Epiſcopus quoque conſentiat.

*22. Ianuar. 1598.* Congregatio Concilij cenſuit, Decreto eiuſdem Concil. cap.10 verſ. ad hæc, Seſſ.24.non eſſe ſublatam immemorabilem conſuetudinem, ſecundum quam inferiores Epiſcopo cognouerint cauſas Matrimoniales, & criminales, ideóque ſi huiuſmodi immemorabilem conſuetudinem tribus ſententiis conformibus probauerint, non eſſe impediendos eam exercere.

Cæte-

Cæterum antequam huiuſmodi probationem per tres ſententias conformes ad præſcriptum iuris legitime præſtiterint, Epiſcopum, intra cuius Diœceſeos fines is inferior exiſtit, debere huiuſmodi iuriſdictionem exercere.

Congregatio Concilij cenſuit vnicam ſententiam, quæ tranſitum fecerit in rem iudicatam, ad effectum deciſionis Congregationis Concilij tribus æquipollere. *12. Febr. 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, grauamen indebitæ carcerationis eſſe ex his, quæ per appellationem à diffinitiua reparari nequeunt, idéoque ab eo ante diffinitiuam appellare licere ex Decreto cap. 20. circa principium, & ordinarium teneri huic appellationi deferre, & ſinere proceſſum transferri ad iudicem appellationis: interim tamen reo manente in carceribus, donec iudex approbationis cauſa cognita aliud iuſſerit. *6. Martij 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, iuriſdictionem criminalem, quam N. Archipresbyter prætendit ſibi, ademptam eſſe, niſi probaret per tres ſententias conformes, ſe ab immemorabili tempore eam iuriſdictionem exercuiſſe: interim vero, quod huiuſmodi probationem per tres ſententias conformes præſtiterit, Archiepiſcopum intra de cuius Diœceſeos fines Archipresbyteratum exiſtere proponitur, debere eam iuriſdictionem exercere. *18. Martij 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, Archipresbytero, qui nullius Diœceſeos exiſtat & omnimodam iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeat, diſpenſationes matrimoniales atque literas in forma ſignificauit, pro ſuis ſubditis committendas eſſe. *Nullius 5. Iulij 1599.*

## *Seſſio 25. De Regul.*

### CAPVT III.

Congregatio Concilij cenſuit, poſſe Epiſcopum compellere regulares ad publicas proceſſiones accedere recuſantes, facultate ſibi tributa Decreto Concil. cap. 13. Seſs. 25. de regul. & controuerſias præcedentiæ amota omni appellatione componere, ad præſcriptum dicti cap. 13. obſeruata tamen quoad Regulares, & confraternitates, conſtitutione ſanctæ mem. Greg. XIII. hac de re edita. *Nullius 21. Mart. 1591.*

Congregatio Concilij cenſuit in exemptione Fratrum Minorum de obſeruantia, quæ habetur in Decret. cap. 3. Seſs. 25. de Regul. exceptis domibus non comprehendi Moniales S. Claræ. *Hiſpalenſis 26. Martij 1591.*

Licet noua monaſteria erigi ſine conſenſu Epiſcopi non poſſint, fabricæ tamen eorum iam ceptæ ſine licentia perfici poſſunt.

### CAPVT V.

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum non poſſe impediri à Regularibus, quo minus ingrediatur ſepta Monaſterij ipſis Regularibus ſubiecti, ad effectum videndi, ſi clauſura ſeruata fuerit, nec ne. *28. Aprilis 1594.*

Con-

*19. Iunij 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, licentias ingrediendi intra ſepta Monaſteriorum monialium Regularibus ſæcularibus, ex vera tantum neceſſitate concedendas, ſpectare duntaxat ad ipſos ſuperiores Regulares.

*Die 17. Iulij 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum poſſe moniales Regularibus ſubiectas in iis, quæ clauſuram concernunt, toties viſitare, quoties vere cognouerit expedire.

*17. Iulij 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, facultatem concedendi licentiam accedendi ad colloquium cum monialibus Regularibus ſubiectis, ſpectare ad ipſos ſuperiores Regulares, niſi eſſet conſuetudo legitimè præſcripta, vt huiuſmodi licentia etiam, quoad Monaſteria, quæ Regularibus ſubſunt, ab Epiſcopo tantum, vel ab Epiſcopo, & ſuperiori Regulari coniunctim obtineretur, tunc enim conſuetudinem eſſe obſeruandam.

*24. Febr. 1598.* Congregatio Concilij cenſuit, non eſſe permittendum quampiam mulierem, tametſi Regia dignitate inſignitam, vel ex Regia ſtirpe profectam, fundatricemve, Monaſteria Religionis fratrum minorum S. Franciſci de Paula intrare.

## CAPVT VI.

Congregatio Concilij cenſuit omnes Titulares, quamuis pluraliter ad effectum electionis conſtituti non ſint, prohibitos eſſe decreto cap. 6. Seſſ. 25. de reg. ferre ſuffragia in electione ſuperiorum. Non tamen eos, qui titulares perpetui ſint, habentes vero titulos ſuarum Eccleſiarum, à quarum poſſeſſione vi excluduntur, vt ſunt Priores Angliæ, Vngariæ, Hieroſolymitani.

Item ex decreto d. cap. 6. non eſſe prohibitum ſuperioribus ordinum, quibus id ex regula conceditur, vt aliquem fratrem idoneum ſui loco delegent, ſeu mittant ad Capituli generalis celebrationem, vt ſuo nomine electionem faciat, ſi ex inſtitutis & decretis Religionis ſuæ, licet ſuperioribus abſentibus & legitime impeditis, mittere alium ad Capitulum generale, qui ſuo loco & nomine in electione ſuffragium ferat.

*Et Abbatiſſarum.* ] In electione Abbatiſſæ de qua hic Epiſcopus poteſt cum ſuo Vicario vel Secretario, vel alio ab ipſo ſumpto vota ſingularum monialium ore tenus expreſſa audire.

## CAPVT IX.

Epiſcopus non habet Iuriſdictionem in moniales, quæ priuilegio vel indulto Papæ ſunt immunes, niſi in iis quæ ad clauſuram & ad ſpiritualium rerum curam pertinent.

*Sanctiſſimum Chriſti corpus* ] Euchariſtia non in choro monialium reſeruetur, ſed in choro exteriori non obſtante quacúmque conſuetudine contraria.

# CAPVT XI.

CONgregatio Concilij cenſuit, iuriſdictionem tributam Epiſcopo Decreto Concil. cap. 11. Seſs. 25. de Regul. in perſonas exercentes curam animarum, & adminiſtrationem ſacramentorum, in Monaſteriis Regularium, quibus incumbit animarum cura, competere etiam Præpoſitis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus. *Ciſtercienſis 7. Aprilis 1592.*

Item eam iuriſdictionem eſſe cumulatiuam, cum ea, quæ competit ſuperioribus Regularibus, cæterum ſi Præpoſiti Decreta, hac in re à ſuperioribus Regularium Decretis diſcrepent, præualere vtique & obſeruanda eſſe Decreta Præpoſiti.

Congregatio Concilij cenſuit ea verba Abbates Generales, poſita in cap. 11. Seſs. 25. de Regul. eſſe coniunctim intelligenda, ita vt ea exceptio loquatur de Abbatibus, qui iidem ſint generales. *Caurienſis 5. Maij 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopos non poſſe viſitare Eccleſias Parochiales, in quibus Abbates iuriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochiam & Parochianos exercent, niſi Epiſcopus maiorem in illis locis, & perſonis iuriſdictionem exerceat. *26. Nou. 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, nominationem Vicariorum ſæcularium amouibilium in beneficiis curatis vnitis ſpectare ad Epiſcopos, Vicariorum verò Regularium in vim certæ conſtitutionis à Pio V. emanatæ ſpectare ad eos, in quorum Eccleſiis vnitis ipſi Vicarij ponentur, illoſque non eſſe præuio concurſu, ſed tantum examine, & approbatione Epiſcoporum deputandos: & quando dicti Regulares in Vicarios deputabuntur, ipſos teneri cum alio Regulari cohabitare. *5. Febr. 1595.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum poſſe ex *cap. 7. Seſſ. 7.* viſitare Eccleſias Parochiales vnitas Monaſterio Canonicorum Regularium, tametſi generalis in eo Sedem ordinariam principalem habeat. *2. Martij 1595.*

Congregatio Concilij cenſuit, exercentes curam animarum in Parochialibus Hieroſolymitanæ Religionis teneri accedere ad Congregationes, quæ iuſſu Epiſcopi ad caſus conſcientiæ diſſerendos habentur. *18. Martij 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, exceptionem poſitam in cap. 11. Seſſ. 25. de Regul. verſ. & exceptis, procedere quoad regulares Eccleſias, in quibus duo Abbates Regulares commorantur, & quæ dependent à Monaſteriis, in quibus Abbates generales aut capita ordinum ſedem ordinariam principalem habent, etiamſi in illis Eccleſiis Regularibus dependentibus non vigeat regularis obſeruantia, ideóque Epiſcopum ab huiuſmodi Eccleſiarum viſitatione debere omnino abſtinere. *2. Sept. 1598.*

*Præuio examine.* ] Etiamſi eſſent in poſſeſſione immemorabili aliter faciendi.

Ordi-

Biblioteca Universidad GRANADA

Ordinarius non habet ius viſitandi capita Ordinum licet annexam habeant curam animarum, nec membra proxima capiti.

## CAPVT XII.

21. Aprilis 1599. Congregatio Concilij cenſuit, licere diebus feſtis dare operam rebus ad victum neceſſariis, ac tempore perituris, præſertim tempore vindemiarum, ac meſſium, ac recollectionis fructuum, vel vbi neceſſitas vigeat, aut ſuadeat pietas.

Die 7. Ian. 1600. An in die feſti ab Epiſcopo conſtituti, & à Regularibus ſeruandi ex Decreto Concilij cap. 12. Seſs. 25. de Regul. permanere debeat regularium ritus in eorum Eccleſiis, quoad Epiſcopales, Euangelia, & ſimilia.

Congregatio Concilij cenſuit, debere permanere, ſed in ſacris Concionibus, & lectionibus ſeruari ab ipſis debere illa Euangelia & Apoſtolicas, quibus clerus ſæcularis vtitur pro more, & inſtituto illius Eccleſiæ.

Salamantina 10. Ian. 1604. Pro parte Epiſcopi Salamantinenſis, Eccleſiæ à Sacra Rituum Congregatione quæſitum fuit, an ceremoniale Epiſcoporum nuper editum, tollat immemorabiles Eccleſiarum conſuetudines.

Eadem ſacra Rituum Congregatio reſpondit vt alias, ſæpe ceremoniale præceptum tollere abuſus, non autem immemorabiles Eccleſiarum conſuetudines, maxime ſi Conſuetudo immemorabilis legitime præſcripta ſit? Et ita cenſuit, & declarauit die 10. Ianuarij, 1604.

*A regularibus in eorum Eccleſiis publicentur.*] Improbatur vero, imo contra bullam in cœna Domini, quod poſſint publicare monitiones, ſiue bullas ſine expreſſa licentia Ordinarij.

Extant Peruſij quamplurima collegia, quæ collegia artes vocantur, & inter cætera reperiuntur collegia Macellariorum, Aromatariorum & Pullariorum, & iſta tria collegia per plures annos vendiderunt plus offerenti facultatem vendendi diebus feſtis, & ſi ille ſolus, qui plus offerebat, vendebat, nempe vnus pro quolibet exercitio ſeu collegio, & iſtud pretium ſemper conuerterunt in luminaria & collationes hominibus dictorum collegiorum, dum eunt ad dicta luminaria, & hoc habent ex antiquiſſima conſuetudine, verum cum tractetur de vendendo merces diebus feſtis, & ſic de non ſanctificando dies feſtos, quæſitum fuit an ſapiat aliquid peccati vel tolerari poſſit. Congregatio cenſuit tolerari poſſe, cum talis conſuetudo non ſit nutritiua peccati, ſed inducta propter neceſſitatem & ideo excuſatur; atque ita tenent communiter Summiſtæ.

***

CA-

## Capvt XIII.

CONgregatio Concilij cenſuit, ſi Monachi, ſeu Regulares fere vltra medium miliare à Ciuitate diſtent, non eſſe vtique compellendos ab Epiſcopo accedere ad proceſſiones, non obſtante Decreto cap. 13. Seſſ. 25. de Regul. *Ceſanatenſis 5. Maij 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum ex *cap. 13. verſ. 25. de Regul.* controuerſias ſuper præcedentia in proceſſionibus, & aliis ſimilibus ortas inter perſonas Eccleſiaſticas, tam ſæculares quam Regulares componere. 14. Febr. 1594.

Congregatio Concilij ſæpius declarauit in Conciliis Prouincialibus attendendum eſſe præeminentia Epiſcoporum tempus ordinationis, non autem dignitatem Eccleſiarum, vel earum ordinem, & præeminentiam.

Item Commendatarios Monaſteriorum, ſiue Abbatiarum in Conciliis Prouincialibus inter Abbates eſſe recipiendos, eiſque Canonicos Cathedralis eſſe præferendos, quando capitulariter procedunt, ſed extra hunc caſum Abbates titulares, vel habentes vſum mitræ debere præcedere Commendatarios, poſt hos locum obtinere dignitates, & poſt dignitates collocandos eſſe Procuratores Eccleſiarum Cathedralium. *19. April. 1596*

Congregatio Concilij cenſuit, ſacerdotes nullum officium, aut beneficium Eccleſiaſticum in ciuitate vel Diœceſi obtinentes, ſeu habentes non eſſe ab Epiſcopo compellendos ad vllas proceſſiones accedere. *9. Maij 1597.*

Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum poſſe compellere Canonicos, & alios presbyteros beneficia, vel officia Eccleſiaſtica obtinentes, vt accedant ad omnes & quaſcumque proceſſiones publicas, vel indictas, pro bono publico vel honore. *17. Iul. 1597.*

Congregatio Concilij cenſuit, Regulares, quantumuis exemptos teneri accedere ad omnes & quaſcúmque proceſſiones publicas, & conſuetas, vel indictas, pro bono publico vel honore. *22. Ianu. 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, Regulares degentes in Monaſteriis, quæ per dimidium miliare diſtant à ciuitate, non teneri, nec ab Epiſcopo compellendos eſſe accedere ad proceſsiones. *21. Maij 1601.*

An antiquitas monialium à tempore ingreſſus & ſuſcepti habitus regularium, an vero emiſſæ profeſsionis computari debeat. Congregatio cenſuit attendendum eſſe tempus profeſsionis.

Exemptis in proceſsionibus locum aſsignandum, quem habere volent.

## Capvt XIV.

AN regulares degentes de licentia ſuperiorum ſuorum in domo ad erectionem monaſterij deſtinata comprehendantur

ſub

ſub diſpoſitione Concilij hîc,& in.c.5.Seſ.6.ita vt ab Epiſcopo ſi deliquerint, puniri & corrigi poſſint. Congregatio cenſuit comprehendi, ſi in ea domo non viget regularis obſeruantia, vide Seſs. 7. & 8.

## CAPVT XV.

*Lucenſis 6. Auguſti 1593.* CONgregatio Concilij cenſuit,ex profeſſione, ſiue tacitè ſiue expreſſè intra annum probationis emiſſa, non obligari aliquem, neque in ſpecie,neque in genere Religioni.

*Neapolitana 9. Sept. 1593.* Congregatio Concilij cenſuit Oratricem aſſerentem habitum per eam geſtum, diſtinctum fuiſſe diſtinctione patenti ab habitu profeſſas fieri ſolitis immiſcuiſſe,minimè tacitam emiſiſſe profeſſionem.

*22. Sept. 1594.* Congregatio Concilij cenſuit eum qui emiſit profeſſionem intra annum, nec deinde emiſit tacitam, non eſse obligatum ad religionem, neque in genere, neque in ſpecie.

*14. Auguſti 1597.* Congregatio Concilij cenſuit,moniales nullo pacto ad profeſſionem admittendas, niſi per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterint,quemadmodum diſertis verbis cauetur decreto 15. *Seſſ.* 25. *de Reg* neque vllam rationem habendam contrariæ conſuetudinis etiam immemorabilis,vt potè ſublatæ *decret* c.22.*Seſſ.*25.

Itidem moniales virgines, quas ſolas conſecrare fas eſt, ante 25. annum completum non eſſe conſecrandas.

*17. Nou: 1597.* Congregatio Concilij cenſuit, annum probationis ad emittendam profeſſionem in Religione debere eſſe continuum, non autem interpollatum.

*3. Iun. 1599.* Congregatio Concilij cenſuit, etiam milites Hieroſolymitanos hodie debere antequam profeſſionem emittant, per annum in probatione manere, poſtquam eorum conſtitutiones, quoad hoc, ad Tridentini Concilij Decreta ſunt relatæ, & à Sede Apoſtolica confirmatæ.

Poſt profeſſionem vero quilibet regularis etiam extra clauſtra decens,ſiue moriatur cum habitu ſiue ſine,cuncta bona ſua mobilia & immobilia acquirit ordini in qua profeſſus eſt: vide Bullam Pij V.

Puella ex illegitimo & damnato coitu nata,nullo Concilij decreto habitum religionis ſumere, in eóque profiteri prohibetur.

## CAPVT XVI.

*3. Martij 1594.* COngregatio Concilij cenſuit,decretum Conc.Trid. *c.*16.*Seſſ.*25. *de Reg.* non habere locum in donationibus, & renunciationibus factis ante ſuſceptionem habitus.

*27. Octobr. 1594* Congregatio Concilij cenſuit, renunciationem factam cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij intra duos menſes proximos tempore,quo profeſſio emitti legitime potuiſſet, non cenſeri inualidam ex eo,quod ipſa actualis profeſſio per aliquot menſes dilata fuerit.

Con-

Congregatio Concilij cenſuit, tempus anni ad emittendam profeſſionem à Concilio Tridentino præfixum, poſſe arbitrio ſuperioris Regularis prorogari. *31. Maij 1597.*

Congregatio Concilij cenſuit, Decretum cap. 16. in principio, non vendicare ſibi locum in teſtamentis, atque aliis vltimis voluntatibus. *22. Ian. 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit Decretum Concilij cap. 16. Seſ. 25. de Regularibus non vendicare ſibi locum in donationibus, vel renuntiationibus ante habitus ſuſceptionem, etiam animo & propoſito religionem ingrediendi factis. *18. Martij 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, Decretum cap. 16. Seſs. 25. de Reg. in princ. vendicare ſibi locum etiam in his quæ excedunt annum 16. & illa verba ante facta, quæ ibidem habentur non referri ad ætatem renuntiantis, ſed ad duos menſes proximos ante profeſſionem. *15. Ianuar. 1601.*

Cum dubitatur an puella ſit legitime profeſſa, & an donatio facta monaſterio fuerit libera & valida: Epiſcopus debet eam amouere à monaſterio in loco tuto & neutri parti ſuſpecto collocare, ibique eam diligenter interrogare.

*Ad profitendum admittant* ] Fuit dubitatum, an monialis, quæ emiſerat profeſsionem, & deinde probabiliter dubitans non fuiſſe baptizatam, denuo ad cautelam baptizata fuit, debeat denuo emittere profeſsionem, & dato quod ſic debeat expectare per annum. Reſpondit & reſolutum fuit profeſsionem primam eam ligare, verum debere eam ad maiorem cautelam iterum emittere profeſsionem non expectato alio anno, & fuit alleg Abb. c. 1. & 2. de presb. non bapt.

## Capvt XVII.

Congregatio Concilij cenſuit, explorationem voluntatis puellarum profiteri volentium ad præſcriptum Decreti c. 12. Seſs. 25. de Reg. vtróque tempore, ſcilicet ingreſſus, & profeſsionis, faciendam, ad Archiepiſcopum pertinere, quamuis Monaſterium ab eius iuriſdictione exemptum exiſtat. *Burgenſis 21. Sept. 1591.*

*Quam explorauerit Epiſcopus.* ] Per hoc decretum Epiſcopi debent illas bis examinare, primo ante ſuſceptionem habitus, deinde ante profeſsionem, virgines quibus eſt facienda profeſsio, ſi clauſura monialium facta ſit, examinandæ ſunt ab Ordinario intra monaſterium ad cancellos ſeu crates ipſarum monialium, & clauſura facta Ordinarius abſtinere debet à monaſterij ingreſſu.

*Virginis voluntatem.* ] Per hæc verba Congregatio reſcripſit aliquam puellam non debere admitti, ante duodecimum annum ad habitum ſuſcipiendum quia cum requiratur voluntatis exploratio, non eſt eius voluntas neque conſilium ante illam ætatem.

## CAPVT XIX.

*Nulliusi. Decẽb. 1593.* CONgregatio Concilij cenſuit, Regularem deducentem intra quinquennium nullitatem profeſſionis, teneri eam probare coniunctam coram proprio ſuperiori Regulari illius Monaſterij, in quo profeſſionem emiſit, & coram Ordinario illius loci, vbi exiſtit Monaſterium, in quo profeſſus eſt.

*Martij 1598.* Fœlicis recordationis Gregorius XIII. ex ſententia Cõgregationis Concilij declarauit eos, qui per vim, & metum ſe Religionem profeſſos prætenderent, niſi intra quinquennium reclamauerint, eo lapſo non eſſe audiendos, tametſi allegarent vim, & metum ſemper duraſſe.

*Die 6. Martij. 1591.* Congregatio Concilij cenſuit, in cauſis nullitatis profeſſionis quę infra bienniũ ab Ordinario, & ſuperiore regulari non terminãtur eſſe locum decreto Concil. ca. 10. Seſ. 25. in princ. verſ. atque omnino.

## CAPVT XXI.

*6. Ianij. 1600.* COngregatio Concilij cenſuit ſi beneficium huiuſmodi ſit ſæculare, nihil ſubeſſe difficultatis, vt Michael non teneatur habitum Religionis ſuſcipere, & profiteri: quod ſi à principio fuerit Regulare, & poſtea immutauerit ſtatum concurrentibus his, quæ à iure communi requiruntur ad inducendam huiuſmodi mutationem, itidem cogi oratorem non poſſe, vt habitum Religionis aſſumat, in eâque profiteatur. Quod ſi beneficium ſit regulare taléque nunc permaneat, collationem Oratori, qui ſæcularis eſt tanquam de ſæculari factam viribus carere.

*Infra ſex menſes religionem* ] Prioratus ob non ſuſceptionem habitus & profeſſionem non emiſſam infra tres menſes reſtituendus, & prior ipſe redarguendus eſt.

## CAPVT XXII.

PEr hanc derogationem maris magni non poſſunt Regulares, cuiuſcúmque ordinis illi ſint in caſibus Epiſcopis reſeruatis abſoluere, prout etiam annotatum eſt c. 2. Seſ. 14. de ſeruandis in doctrina illius Sacramenti.

Decreta huius Concilij nihil derogant priuilegiis Religioſorum, niſi quatenus Concilio ipſi ſunt contraria.

### *Seſſio 25. De Reformat.*

## CAPVT II.

ITem per eamdem bullam de ſupradictis omnibus debet fieri ſummatius proceſſus circa Religionem fidémque Catholicam iſtorum, quantum Epiſcopo ſufficere videbitur.

CA-

# CAPVT III.

IN *cauſis vero iudicialibus.* ] Excommunicatio lata à Iudice Eccleſiaſtico priuſquam legitimè conſtet de impedimento vel perturbationibus propter quas nonpoteſt deuenire propria authoritate ad executionem realem vel perſonalem, eſt valida, & qui tali excommunicatione ligatus exiſtit, indiget abſolutione, debent tamen Ordinarij curare vt in excommunicationibus proferendis obſeruetur Decretum à Concil. Trid. hoc c.

An poſſit Epiſcopus delegare Vicariis foraneis facultatem concedendi literas monitoriales pro rebus deperditis, vel ſubtractis, non obſtante Decreto c. 3. Seſſ. 25. dum tamen expreſſè, & in ſpecie huiuſmodi facultas tribuatur. *6. Iunij 1591.*

Congregatio ſibi certo perſuadet, per Epiſcopum id non, niſi perſonis circumſpectis, & grauibus, quorum nouerit prudentiam, & iudicium eſſe commiſſum.

Congregatio Concilij cenſuit, ſi iuxta cap. 3. Seſſ. 25. de Reform. literis monitorialibus. ad finẽ reuelationis, quæ etiã pro rebus ſubtractis ferri poſſunt, relaxatis, propalátum aliquid reuelans fuerit poſſe actorem contra eos, qui aliquo indicio laborauerint, ſiue cauſa fuerit ciuilis, ſiue criminalis, iudicium experiri in eóque ſi legitimè probauerit obtinere, & ſi exequutionem iudicati neque realem, neque perſonalem habere voluerit, tunc, & non prius licere Iudici ſpirituali gladio excommunicationis, ſi cauſæ qualitatis id ex poſtulauerit, in eos condemnatos vti. *Taurinenſis 27. Auguſti 1592.*

Congregatio Concilij cenſuit, Abbati aliive inferiori, quamuis nullius Diœceſeos exiſtat, & iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtineat poſt Concilium non licere excõmunicationes, quæ pro rebus deperditis vel ſubtractis fieri ſolent. decernere, ſed debere eius ſubditos ad eas obtinendas ſedem Apoſtolicam adire: idémque eſſe obſeruandum, ſi huiuſmodi inferior intra fines alicuius Diœceſeos exiſtens iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem priuatiuè ad Epiſcopum habeat, ſitque priuilegio ſedis Apoſtolicæ immediatè ſubiectus, nam ius huiuſmodi excommunicationes decernendi in eius ſubditos, neque ad ipſum, neque ad Epiſcopum pertinere, ſed adire ſedem Apoſtolicam oportere. Quod ſi inferior iuriſdictionem quidem quaſi Epiſcopalem in certa parte Diœceſeos habuerit, ſed appellationes ab eo ad Epiſcopum deuoluantur, hanc facultatem in illius ſubditos ad Epiſcopum etiam pertinere, niſi vbi ea iuriſdictio eſſet inferiori per priuilegium quæſita, ex tenore priuilegij aliud reſultaret. ] *22. Ian. 1598.*

Congregatio Concilij cenſuit, ſi ſunt duo in ſolidum obligati in forma Cameræ pro eorum debito, & contra vnum tantum poſſit deueniri ad exequutionem realem, vel perſonalem, non poſſe contra alterum, contra quem non poteſt fieri exequutio realis vel perſonalis, ad inſtantiam creditoris in ſubſidium relaxari cenſuras. *Vlt. Iunij 1600.*

## CAPVT IV

3. Martij 1597. CONgregatio Concilij cenſuit, ex decreto Concilij cap. 4. Seſs. 25. non licere Epiſcopo reducere onera miſſarum beneficio in fundatione appoſita.

28. Ian. 1600. Congregatio Concilij cenſuit, reditus pia teſtantium voluntate pro miſſarum celebratione aliiſque piis vſibus relictos, poſſe ab Epiſcopo in diſtributiones quotidianas, neque alium vſum, quantumuis pium, nullo modo conuerti.

*Vt eorum ſemper defunctorum.* ] Hæc dictio *ſemper* non refertur neque ad tempus neque ad diem, ſed intelligi debet *ſemper ſingulis miſſis* quas iure reductionis celebrari contigerit.

*Commemoratio fiat.* ] Hic ſatisfit per intentionem applicationis Miſſarum per preces, quæ offeruntur in ſecundo memento, & per collectas fieri poſſunt. Religioſi qui ob paupertatem Sacerdotum Miſſarum oneri ſatisfacere nequeunt in ſuis Capitulis pronuncialibus prout magis expedire iudicauerint prouidere poterunt.

## CAPVT VI.

28. Iunij 1593. CONgregatio Concilij cenſuit, non ex eo, quin Portionarij integri, & dimidij habent vocem in Capitulo, illos eſſe Capitulares, ſed tunc inter Capitulares cenſeri debere, cum ex Apoſtolico priuilegio, vel ex conſuetudine, aut Eccleſiæ ſtatuto inter Capitulares connumerentur: Ideo ſi ipſi talibus facultatibus non potiantur, Epiſcopus poterit contra illos non cum adiunctis ſolum procedere.

18. Apr. 1594. Congregatio Concilij cenſuit, concordiæ confirmatæ à Papa in forma communi, cum qua concurrat conſuetudo immemorabilis, fuiſſe à Conc. Trid. *c. 6 ſeſſ. 25. de Refor.* derogatum.

1. Iulij 1597. Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopum in Synodo Diœceſana poſſe conſtitutiones facere abſque conſenſu & approbatione Cleri, debere tamen eum exquirere conſilium Capituli, licet illud non teneatur ſequi niſi in quibuſdam caſibus à iure expreſſis.

11. Auguſti 1599. Congregatio Concilij cenſuit, Decretum d. cap. 6. Seſs. 25. habere locum in his tantum Capitulis, quæ exemptione, conſuetudine, aut alio ſpeciali iure ſe tuebantur aduerſus iuriſdictionem Epiſcopi, tanquam adepta eſſet Capitulis tantum huiuſmodi exemptio, aut aliud ius ſpeciale quo ante Concilium nitebantur, tum etiam iuriſdictionem quam in Capitulares ante Concilium exercebant, Epiſcopo eſſe reſtitutam, qui tamen non aliter ea vti planè debet, aut poteſt, quam cum conſilio & aſſenſu duorum Canonicorum à Capitulo ad præſcriptum eiuſdem Concilij electorum.

De

De quorum conſilio & aſsenſu, Conſilium & aſsenſus duorum Canonicorum à Capitulo pro cauſis criminalibus electorum, ab Epiſcopo quærendum non eſt, ſi Capitulum totum deliquerit aut illi duo electi.

In loco decẽti cuſtodiantur, licet Canonici ſint cuſtodiendi in loco decenti, carcer tamẽ debet eſse in domo Epiſcopali, & nõ in Eccleſia.

Dubitatum fuit an decretum Concilii hoc c. quo conceditur facultas Epiſcopis conuocare Capitulum niſi de re ad ſuum vel ſuorum commodum ſpectante agatur, ſit intelligendum, quando res ad ſe vel ad ſuos ſuo priuato nomine pertinet: an vero etiamſi pertinet ratione dignitatis Epiſcopalis. Congregatio cenſuit quod Epiſcopus conuocare non poſſit Capitulum in illis caſibus, in quibus Iudex eſſe non poteſt, & ſi de re ſpectante ad Epiſcopalem dignitatem poteſt eſſe Iudex, conuocare poteſt. Capitulum Abb. in c. venerabili de Cenſ. in fin.

Capitulum N. prætendit Epiſcopum non poſſe viſitare perſonas Capitulares alibi quam in loco vel Camera Capituli: Congregatio cenſuit in loco decenti.

## CAPVT VIII.

*Qvi eorum inſtitutioni proximior ſit.* ] In hoſpitalibus in quibus non habentur laborantes proprio morbo iuxta proprium inſtitutum hoſpitalis, licet videantur recipiendi proximiori morbo laborantes, iuxta verba Concilij non tamen eiiciendi ſunt ſi qui alioquin pauperes diuerſo morbo laborantes aut alij miſerabiles reperiantur: Cùm verè mens Concilij fuerit prouidere, ne qui poſſident hoſpitalia omnes fructus in vſus proprios conuertant ſub prætextu quod non inueniantur infirmi ſecundum primam inſtitutionem hoſpitalis.

## CAPVT IX.

AN c. 9. Seſ. 25. in ea parte, in qua requirit pleniorem & exactiorem probationem Iuriſpatronatus iis perſonis, ſeu communitatibus, in quibus vſurpatio plerúmque præſumitur, nec vult immemorabilem aliter ſuffragari niſi præſentationes etiam continuatæ non minori, quam 50. annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint authenticis ſcripturi[s] p[r]obentur, requirat pro forma, quod probatio fiat per authenticas ſcripturas, ita vt probatio per teſtes excludatur. *Nullius 23 Oct. 1593.*

Congregatio Concilij cenſuit probationem debere fieri per authẽticas ſcripturas, ita vt probatio per teſtes regulariter excludatur. *24. Febr. 1594.*

Congregatio Concilij cenſuit, ſi Iuſpatronatus ex augmento dotis conceſſum fuerit ſuper 40. annos, ante diem Kalend. Maij 15[8]4.

illud non fuiſſe abrogatum, aut irritum factum à Decreto Concil. Trident. *cap.9. Seſs.25. de Reform.* ſi verò conceſſum ſit à 40. annis citra, eſſe diligenter ab Ordinario vti delegato Sedis Apoſtolicæ cognoſcendum, & ſi non repererint, illud ob maximè euidentem Eccleſiæ neceſſitatem, legitimè eſſe conſtitutum, reuocandum eſſe, reddito tamen Patronis eo, quod ab illis idcirco datum eſt.

*23. Iun. 1594.* Congregatio Concilij cenſuit, Iuſpatronatus ex fundatione, vel dotatione probari etiam ex multiplicatis præſentationibus per tempus, ſupra hominum memoriam tametſi nullum inſtrumentum fundationis vel dotationis oſtendatur, & quamquam etiam in dictis præſentationibus nulla apparet mentio factæ fundationis, & dotationis.

Hieronymus Burgenſis, Gallus, Epiſcopus Catalonen.

*Epiſcopi Pauli Quarti.*

Scipio Aſtenſis, Ferrarien. Epiſc. Caſalen.
Didacus Sarmiente de Soto maior, Hiſpan. Epiſcopus Aſtoricen.
Thomas Goduclus, Anglus, Epiſcopus Aſſaphen.
Fauſtus Caffarellus, Romanus, Epiſcop. Fundanus.
Belliſarius Baldinus, Neapolitan. Epiſc. Latinen.
Vrbanus Vigerius de Ruere, Genuen. Epiſc. Senogallien.
Iacobus Surerus, Græcus, Epiſc. Milopotamen. iunior.
Io. Baptiſta Oſius, Romanus, Epiſc. Reatinus obiit die 12. Nouembris, 1562.
Marcus Laureus, Tropienſis, Ord. Præd. Epiſc. Campanien.
Franciſcus de Beauquerre, Gallus, Epiſc. Metenſis.
Io. Franciſcus Commendonus, Venetus, Epiſc. Zazynthen. nunc Cardinalis.
Carolus de Graſſis, Bononien. Epiſcop. Montis Faliſci.
Arias Gallego, Hiſpan. Epiſcop. Gerunden.
Hieronymus Gallego, Hiſpan. Epiſc. Oueten.
Hercules Rettinger, Germanus, Epiſc. Lauentinus.
Iulius de Rubeis, Polian. Epiſcopus S. Leonis, obiit Romæ in menſe Martio, 1564.
Io. de Munnatones, Hiſpanus, Ord. ſancti Auguſtini, Epiſc. Segorbicen.
Franciſcus Balneo, Hiſpan. Epiſcop. Aurienſis.
Vincentius de Luchis Bononien. Epiſcopus Anconitanus.
Pompeius Piccolhomineus de Aragonia. Epiſc. Tropien.
Petrus Barbadicus, Venetus, Epiſcop. Curſolen.
Franciſcus Bachodius, Sabaudien. Epiſcop. Gebennen.
Carolus de Angennes, Gallus, Epiſcop. Cenomanen.
Hieronymus de Nichiſola, Veronen. Ord. Præd. Epiſcopus Theanen.
Marcus Antonius Bobba, Caſalen. Epiſcopus Auguſten. nunc Cardinalis.
Iacobus Lomellinus, Meſſanen. Epiſc. Mazarien.
Donatus de Laurentiis, de Aſculo, Apulus, Epiſc. Arianen.
Petrus Contarenus, Venetus, Epiſc. Paphen.
Petrus Daneſius, Gallus, Epiſcop. Vauren.
Hieronymus Sauorgnanus, Foroiulien. Epiſc. Sibinicen.
Philippus du Bec, Gallus, Epiſc. Veneten.
Carolus de Roue, Gallus Epiſcopus Sueſſion.
Georgius Draſcouicius, Croatus, Epiſcopus Quinque eccleſien
Franciſcus de Aguirre, Hiſpan. Epiſcop. Crotouen.

Andreas de Cueſta, Hiſpanus, Epiſcopus Legionen.
Antonius Gorroinero, Hiſpanus, Epiſcopus Almerien.
Antonius Auguſtinus, Hiſpanus, Epiſc. Ilerden.
Angelus Maſſarellus, Septempedanus, Epiſc. Theleſinus.
Antonius Ciurelia, Barenſis, Epiſcopus Buduenſis.
Dominicus Caſablancha, Meſſanen. Ord. Præd. Epiſcopus Vicenſis.
Petrus Faunus Coſtacciarius, Epiſcopus Aquen.
Io. Carolus Bouius, Bononien. Epiſcopus Oſtunen. nunc Archiepiſcopus Brunduſinus.
Hugo Boncompagnus, Bononien. Epiſcopus Veſtanus: nunc Card. tit. S. Sixti.
Saluator Pacinus de Colle, Epiſcopus Cluſinus.
Lupes Martinez, Hiſpanus, Epiſcopus Elnen.
Carolus de Eſpinay, Gallus, Epiſcopus Dolen.
Ægidius Spifame, Gallus, Epiſcopus Niuernen.
Antonius Sebauianus Minturnus, de Traiect. Epiſcopus Vxentin.
Bernardus del Benc, Florentinus, Epiſcopus Nemauſen.
Dominicus Bollanus, Venetus. Epiſcopus Brixien.
Io. Antonius Vulpius, Comen. Epiſcopus Comen.
Ludouicus de Ginolhac, Epiſcopus Tutellen.
Philippus Maria Campegius, Bononien. Epiſcopus Feltren.
Ioannes de Quignonnes, Hiſpanus Epiſcopus Calaguritan.
Didacus Couarruuias de Leyua, Hiſpanus. Epiſc. Ciuitaten.
Philippus Gerius, Piſtorien. Epiſcopus Iſclanen. nunc Aſſiſien.
Io. Antonius Faſchinettus, Bononien. Epiſc. Neocaſtren.

*Epiſcopi Pij Quarti.*

Ioannes Fabricius Seuerinus, Neapolitan. Epiſcop. Aceren.
Martinus Rithouius, Flander. Epiſcopus Ipren.
Antonius Hauetius, Ord. Præd. Flander. Epiſcopus Namurcenſ.
Conſtantinus Bonnellus, Feretran, Epiſc. ciuitatis Caſtelli.
Iulius Superchius, Ord. Carmelitarum, Mantuanus, Epiſc. Accien. nunc Caprulan.
Matthæus de Concinis, Florentinus, Epiſc. Cortonen.
Nicolaus Sfondratus, Mediolanen. Epiſcopus Cremonen.
Ventura Buffalinus, Romanus, Epiſcopus Maſſanen.
Ludouicus de Bueil, Gallus, Epiſcopus Vencien.
Hieronymus Galleratus, Mediolanen. Epiſcopus Sutrinus.
Io. Petrus Delphinus, Venetus, Ord. Canonicorum Regularium, Epiſc. Zacynthi, & Cephaloniæ ſecundus.
Io. Andreas Bellonius, Meſſanen. Epiſcopus Maſſalubren.

. . . . . . . . .

Federicus Cornelius, Venetus, Epiſcopus Bergomen.
Stephanus Bouther, Gallus, Epiſcopus Coriſopiten.
Io. Paulus Amanius, Cremen. Epiſcopus Anglonen.

Ale-

Alexander Sfortia de ſancta Flora, Epiſcopus Parmen. nunc Card. tit. ſanctæ Mariæ in via.
Antonius de Cirier, Gallus, Epiſcopus Abrincen.
Andreas Mocenicus, Venetus, Epiſcopus Nimoſien.
Benedictus ſaluinus, Firmanus, Epiſcopus Verulanus.
Gulielmus Caſſador, Hiſpanus, Epiſcopus Barcinonen.
Petrus Gonzalez de Mendoza, Hiſpanus, Epiſc. Salmantin.
Martinus de Corduba de Mendoza, Hiſpanus, Ord. Præd. Epiſcopus Dertuſen.
Iulius Magnanus, Placentinus, Ord. Min. Conuent. S. Franciſci, Epiſcopus Caluen.
Valentinus Herbutus, Polonus, Epiſcopus Præmiſilien.
Simon Aleotus, Foroiulien. electus Foroiulien. mortuus eſt Tridēti, die 10. Auguſti 1562. Epiſcop. Foroiulien.
Petrus de Xaque, Hiſpanus, Ord. Præd. Epiſcop. Niochen.
Proſper Rebiba, Meſſanen. Epiſcopus Troianus.
Melchior Auoſmediano, Hiſpanus. Epiſcopus Guadicen.
Hippolytus de Rubeis, Parmenſis, Epiſcop. Papienſis.
Didacus de Leon. Hiſpanus, Ord. Carmelitarum, Epiſcopus Columbrien.
Annibal Sarracenus, Neapolitan. Epiſc. Licien.
Paulus Iouius, Comenſis, electus Epiſcopus Nucerien.
Hieronymus Triuiſanus, Venetus, Ord. Præd. mortuus eſt Tridenti, die 9. Septembris, 1562. Epiſcopus Veronen.
Hieronymus Ragazzonus, Venetus, Epiſcopus Famaguſtan.
Romulus de Valentibus, de Trebia, Epiſcopus Conuerſan.
Lucius Maranta, Venuſinus, Epiſcop. Lauellen.
Simon de Nigris, Genuen. Epiſcopus Sarrazen. mortuus Cardinalis.
Teophilus Gallupus Tropien, Epiſcopus Oppiden.
Iulius Simonetta, Mediolanen. Epiſcopus Piſauren.
Petrus de Albret, Gallus, Epiſc. Conuenarum.
Iacobus Guidius, Volaterranus, Epiſcopus Pennen. Adrien.
Didacus Ramirez, Hiſp. Epiſcopus Pampilonen.
Franciſcus del Gado, Hiſp. Epiſcopus Lucenſis.
Ioannis Clauſſe, Gallus, Epiſcopus Senecen.
Iacobus Gibertus de Nogueras, Hiſpanus, Epiſc. Aliphan.
Ioannes Annius, Neapolitanus, Epiſcop. Hipponen. & Coadiutor Bouinus.
Antonius Maria de Saluiatis, Romanus. Epiſc. S. Papuli.
Matthæus priulus, Venetus, Epiſc Æmonien. nunc Vincentinus.
Thomas Lilius, Bononien. Epiſcopus Soranus.
Hieronymus Guerrinus, Feretranus, Epiſc. Imolen.
Thomas Oyerllaithe, Hibernus, Epiſcopus Roſſen.
Franſciſcus Valete, Epiſcopus, Vabien.
Fabius Pignatellus, Neapolitan. Epiſcopus Monopolitan.

Carolus de Viecomitibus, Mediolanen. Epiſc. Vintimilien. mortuus Card. tit.
Ioannes Coloſuarinus, Hungarus, Ord. Præd. obiit Tridenti, die 24. Nouembris, anno 1562. Epiſcopus Canadienſis.
Andreas Duditius Bardellatus, Hungarus, Epiſcopus Thinien. nunc Quinque eccleſien.
Spinellus Beucius, Politianus, Epiſcopus Montiſpolitiani.
Franciſcus Abondius, Caſtilloneus, Epiſcop. Bobien. nunc Cardinalis tit.
Staniſlaus Faleſchi, Polonus, Epiſc. Theodoſien.
Eugenius Ohairt, Hibernus, Ord. Præd. Epiſc. Agaden. Donaldus Magongial, Hibernus, Epiſcopus Rapoten.
Guido Ferrerius, Pedemontanus, Epiſcop. Vercellen. nunc Card. tit.
Io. Baptiſta Sighicellius, Bononien, Epiſc. Fauentinus.
Sebaſtianus Vantius, de Arimino, Epiſcop. Vrbeuetanus.
Io. Baptiſta Lomellinus, Meſſanen. Epiſcop. Gardien.
Io. Baptiſta Milaneſius. Florentinus, Epiſcop. Marſican.
Auguſtinus Molignatus, Vercellenſis, Epiſc. Triuicanen.
Carolus Grimaldus, Genuen. Epiſcopus Sauonen.
Fabricius Landrianus, Mediolan. Epiſcop. S. Marci.
Bartholomæus Ferrantius, Amerinus, Epiſc. Amerinus.
Petrus Fragus. Hiſpan. Epiſcopus Vſellen.
Hieronymus de Gaddis. Florentinus, Epiſcop. Cortonen.
Franciſcus Contarenus, Venetus, Epiſc. Paphen.
Ioannes Delphinus, Venetus, Epiſc. Torcellanus.
Alexander Molus, Comen, Epiſc. Minoren.
Hieronymus Vielmus, Venetus, Ord. Præd. Epiſc. Argolicen.
Franciſcus Raguſeus, Ord. S. Franciſci de Obſeruantia, Epiſc. Marchanen.

*Abbates.*

Hieronimus Gallus, Abb. Claraualleu.
Simplicianus, Abb. Sancti Saluatoris Papiæ, de Vultulina, Congregationis Caſſinen.
Stephanus Catanius. Nouarien. Abbas S. Mariæ Gratiarum, Placentin. diœc. Congregationis Caſſinen.
Auguſtinus Loſcus, Hiſpan. Abb. ſancti Benedicti de Ferraria, Congregationis Caſſinen.
Euthychius Cordes, Antuerpienſ. Abb. ſancti Fortunati apud Baſſianum, Congregationis Caſſinen.
Claudius Sainctes, Gallus, Abb. Luneuillan.
Coſmas Damianus, Hortolan. Hiſpan, Abb. Villæbertrandi.

*Generales.*

Vincentius Iuſtinianus, Genuenſis, Generalis Ord. Prædicatorum.
Fran-

Franciſcus Zamora. Hiſpanus, Generalis Ord. Min. de Obſeruantia.
Antonius de Sapientibus, Auguſtanus, Generalis Ord. Min. Conuentualium.
Chriſtophorus Patauinus, Generalis Ord. Eremitarum S. Auguſtini.
Io. Baptiſta Migliauica, Aſten. Generalis Ord. ſanctæ Mariæ Seruorum.
Stephanus Fazinus, Cremen. Prouincialis Lombardiæ, pro Generale Carmelitarum.
Iacobus Lainez, Hiſpan. Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu.
Thomas .... ciuitatis de Caſtello, Generalis Capucinorum.

*Doctores legum pro ſacro Concilio.*

Gabriel Paleottus, Bononien. Auditor Rotæ, nunc Cardinalis tit. ſancti Nerei, & Achillei.
Scipio Lancillotus, Romanus, Aduocatus Conſiſtorialis.
Io. Baptiſta Caſtellius, Bononien. Promotor.
Michael Thomaſius, Maioricen. Doctor Decretorum.

*Theologi à ſummo Pontifice miſſi.*

Frater Petrus de Soto Ordinis Prædicatorum, Hiſpanus, obiit Tridenti, menſe Aprili, 1563.
Alphonſus Salmeron, Hiſpanus, Societatis Ieſu.
Franciſcus Torenſis, Doctor Theologus, Hiſpanus.
Antonius Soliſius doctor Theologus, Hiſpanus.
Fr. Camillus Campegius, Papien. Inquiſitor Ferrariæ Ord. Prædic.
Frater Hieronymus Braun, Hiſpanus, Ordin. Prædic.
Frater Adrianus Valenticus, Venetus, Ord. Prædic. in demortui Fr. Petri de Soto locum, nunc Illuſtriſſimi Dominij Veneti Inquiſitor Generalis.

*Doctores Theologica facultatis Pariſienſis miſſi à Carolo nono Galliarum Rege Chriſtianiſſimo.*

Nicolaus Maillard, Decanus facultatis Pariſienſis.
Ioannes Peletier.
Antonius Demochares.
Nicolaus de Bris.
Iacobus Hugonis Franciſcanus, idem etiam Procurator Reuerendiſſimi Ioannis Vrſini Epiſcopi Trecorenſis.
Simon Vigor.
Richardus du Pre.
Natalis Paillet, obiit Tridenti 7. Kalend. Decemb. 1562.
Robertus Fournir.

Antonius

Antonius Coquier. Lazarus Bloychot.
Claudius de Saintes, Canonicus Regularis.

*Theologi miſſi à Philippo Rege Catholico.*

Coſmas Damianus, Hortolanus Electus Abb. Villæ Bertrandi.
Ferdinandus Tritius, Doctor Theologus, Canonic. Caurien.
Ferd. Velloſillus, Doctor Theologus, Canonicus Saguntinus.
Thomas Daſsio I. V. D. Canonicus Valentinus.
Licentiat. Antonius Couarruuias, Auditor Granaten.
Ferdinandus Mencacenſis, Decretorum Doctor.
Frater Ioannes Ramirez. Hiſpanus, Miniſter prouinc. Diui Iacobi.
Fr. Alphonſus Contreras, Commiſſar. Ord. in curia Regis Hiſpaniæ.
Fr. Michael de Medina, Hiſpanus, Ordinis Minor. ſacræ Theologiæ Doctor.
Fr. Ioannes Lobera, Hiſpanus, ſacræ Theolog. Lector Salmanticæ, miſſus in ſocietatem Miniſtri prouincialis D. Iacobi ſubmemorati.
Coſmas Palma, Fonteyus, ſacræ Theologiæ Doctor, Hiſpanus: Hortolani Abb. deſcrip. & Comes.
Frater Ioannes Gallo, Hiſpanus, Ord. Præd.
Fr. Petrus Ferdinandez, Hiſpanus, Ord. Præd. in ſociet. Magiſt. Gallo.
Fr. Deſiderius de S. Martino, Panorm. Ord. Carmelitan.
Michael Baius ab Atho, ſacræ Theologiæ Doctor.
Ioannes Heſſels, à Louanio, ſacræ Theologiæ Doctor.
Cornelius Ianſenius, Hulſtenſis, ſacræ Theologiæ Doctor.

*Theologi miſſi à Rege Portugalliæ.*

Frater Franciſcus Forierо, Ordinis Prædicatorum.
D. Iacobus à Payua de Andrade, Luſitanus, Doctor Theologus.
D. Melchior Cornelius, Decret. Doctor, Senator Regis Portugalliæ.

*Ab excellentiſſimo Duce Bauariæ.*

Ioannes Cuuillonius, Flander, ex Societate IESV.

*Procuratores Epiſcoporum abſentium.*

Merchantus Doctor Theologus, pro Illuſtriſſ. Cardinale de Mendoza, Epiſcopo Burgen.
Io. Gothardus Cler. ſæc. Germanus. pro Reuerendiſſ. Epiſcopo Ratiſbonen.
Georgius Hochenuarter Cleric. ſæcul. Doctor Theologus, Suffraganeus, pro Reuerendiſſ. Epiſcopo Baſileenſi.
Fr. Felicianus Ninguarda à Morbiuio, Ord. Prædicat. pro Illuſtriſſimo Domino Salisburgen. Orator.

Petrus

Petrus Cumel, Doctor Theologus, Canonicus Malacitanus, pro Reuerendiſſ. Malacitano.
Ioannes Delgadus, Doctor Theologus, Canonicus Tudenſis, pro D. Ioanne de S. Æmiliano Reuerendiſſ. Epiſcopo Tudenſi.
Gaſpar Cardillus Villalpandeus, Segob. Doctor Theologus, pro Reuerendiſſ. Epiſc. Abulen.
Frater Ioannes de Ludenna, Doctor Theologus, Ord. Præd. pro Reuerendiſſ. Epiſcopo Saguntino.
Frater Franciſcus Orantes, Lector Valliſoleti, Ord. Minorum, pro Reuerendiſſ. Epiſcopo Palentino.
Cæſar Ferrantius Sueſſanus, Doctor Theologus pro Reuerend. Epiſcopo Sueſſano apud Reuerendiſſimum Ilerdenſem.

*Procuratores Ordinum.*

Ioannes Coutigon, Doct. Gallus, Prior, & Procurator Ordinis Cluniacenſis.
Nicolaus Boucherat, Gallus, Prior Monaſterij de Recluſo, Procurator Generalis Ordinis Ciſtercienſis.

*Theologi ſæculares, & Doctores Iuris Canonici.*

Georgius Girard, Gallus, Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Andegauenſi.
Gentianus Heruetus, Gallus, cum Illuſtriſſ. & Reuerend. Cardinale à Lotharingia.
Franciſcus Sancius, Decanus facultatis Theologiæ, & Canonicus Salmanticen. cum Reuerendiſſ. Salmanticen.
Matthæus Guerra, Conſentius, Calabr. Presb. ſæcularis, cum Reuerendiſſ. Epiſc. S. Marci.
Federicus Pendaſius, cum Illuſtriſſ. Card. de Mantua, Legato S. Concilij.
Io. Franciſcus Lombardus, cum Illuſtriſſ. Card. Seripando, Legato ſacri Concilij.
Petrus Morcatus, Theologus, cum Reuerendiſſ. *V*icenſi.
Trigillus, Doctor Theologus, Canonicus Legionen. cum Reuerend. Legionen.
Sobannus, Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Legionen.
Antonius Leitonius, Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Corymbricenſi.
Petr. Fontidonius, Doctor Theologus, cum Reuerend. Salmantino.
Ioann. *V*iletta, Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Barcinonen.
Ioannes Fonſeca, Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Archiepiſcopo Granaten.
Michael Oroncuſpe, Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Epiſcop. Pampilon.

Alphon-

Alphonſus Fernandez de la Guerra, Hiſp. Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Guadixien.
Michael Ytero D. V. I. cum Reuerendiſſ. Epiſc. Pampilonen.
Ioſephus Puebla, Doctor Theolog. cum Reuerend. Epiſc. Ciuitaten.
Ioannes Chacon, Doctor Iuris Canonici, cum Reuerendiſſ. Epiſc. Almerien.
Antonius Garſias, Doctor Theologus, cum Reuerend. Epiſc. Oueten.
Benedictus Arias Montanus, Ord. ſancti Iacobi, Doctor Theologus, cum Reuerendiſſ. Segobien.
Ioannes Barcelona, Theologus, cum Reuerend. Epiſc. Vſcellen.

*Doctores Galli Ordinis S. Benedicti.*

Ioannes Corthougne, Doctor Theologus.
Ioannes de Verdun, Doctor Theologus.

*Theologi Ordinis Fratrum Prædicatorum.*

Angelus Cioſus, Florentinus, cum Illuſtr. Card. Mantuano Legato.
Seraphinus de Caballis, de Brixia, Prouincialis Terræ ſanctæ, cum Reuerendiſſimo ſuo Generali.
Heliſeus Capys, Venetus, Theolog. cum Reuerend. Archiep. Pragen.
Petrus Aridien. Gallus, cum Reuerendiſſ. D. Cenomanen.
Bernardus Bernardi, Gallus, Inquiſitor Auenione, Vicarius Cong. Franciæ, cum Reuerendiſſ. D. Nemauſenſi.
Ioannes Matthæus Valdina, cum Reuerendiſſ. D. Tarentino.
Petrus Martyr, Coma, Hiſpan. cum Reuerendiſſ. D. Gerundenſi.
Petrus Zatores, Hiſp. cum Reuerend. D. Dertuſenſi.
Antonius de Groſupto, cum Reuerend. D. Vigliuanenſi.
Aurelius de Chio, cum Reuerend. D. Spalatrenſi.
Adrianus Valenticus, Venetus, cum Reuerend. D. Nicoſienſi.
Marcus Medices, Veronen. cum Reuerend. D. Ceneten.
Benedictus Herba, Mantuanus, cum Reuerend. D. Brixienſi.
Michael de Aſt, Genuenſis, Prior ſancti Laurentij.
Conſtantinus, Coccianus, Iſorella, cum Reuerendiſſimo D. Monte Politiano.
Henricus de S. Hieronymo, cum Reuerend. D. Braccarenſi.
Ludouicus de Soto maior, cum Reuerend. D. Georgio de Tayde.
Baptiſta de Lugo, cum Reuerendiſſ. D. Veronenſi.
Hieronymus Barolus, Papien.

*Nomina Fratrum Theologorum B. Franciſci de Obſeruantia, cum ſuo Generali.*

Aloyſius de Burgo nouo, Italus, ſacræ Theologiæ Lector Bononien, Commiſſarius Generalis, nunc Ordinis Generalis.

Thomas

Thomas de Soglianor, Italus, Prouinc. Bononiæ Miniſter.
Antonius de Padua, Luſitanus, Ordinis Secretarius.
Bonifacius Raguſeus, Apoſtolicus Prædicator, Terræ S. Gubernator, nunc Epiſcopus de Stagno in Dalmatia.
Angelus de Petriolo, Italus, Lector ſacræ Theol. Peruſiæ.
Angelus Iuſtinianus, Italus, Lector ſacræ Theologiæ Ianuæ.
Vincentius de Meſſine, Italus, ſacræ Theologiæ Lector Neapoli.
Iulius Paſſitanus, Vrceanus, Italus, ſacræ Theologiæ Lector Bergoni.
Iacobus Alani, Gallus, Theologus, cum Reuerendiſſimo Epiſc. Veneten.

*Nomina omnium Theologorum Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium, exiſtentium in ſacro Concilio, cum Reuerendiſſ. patre Generali.*

Marcus Antonius Gambaronus à Lugo, ſocius Religionis.
Bartholomæus Golphus de Pergula, Prædicator Illuſtris.
Ioannes Tertius, Bergomen, Lector Theologiæ publicus in Gymnaſio Papienſi.
Clemens Thomaſinus de Florentia, Regens in Conuentu ſanctæ Crucis de Florentia.
Auguſtinus Balbus à Lugo.
Ioannes Baptiſta Ghiſulphus, Ordinis ſcriba.
Antonius de Grignano, Regens S. Antonij de Patauio.
Lucius Auguſiola Placentinus, Regens S. Franciſci Bononiæ.
Maximianus Benianus, Cremen. Orator pro Religione, & Inquiſitor Paduæ.
Octauianus Charus de Neapoli, Regens S. Laurentij de Neapoli.
Antonius Poſius de Monte Ilcino, Regens in Conuentu duodecim Apoſtolorum Romæ.
Bonauentura Meldulen, Regens in Conuentu Parmæ.
Martialis Peregrinus, Calaber, Regens in Conuentu Ferrariæ.
Antonius à Cubalo. Beltren.
Andreas Schynopius, de Amandula, cum Reuerendiſſimo D. Cathanzario.
Balthazar Criſpus, Neapolitanus, cum Reuerendiſſ. D. Tropien.

*Theologi Ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini.*

Thadæus Peruſinus, cum Reuerendiſſimo D. Saluiato, nunc Procurator Generalis.
Ioannes Paulus Recanatenſis, cum Reuerendiſſ. D. Quinque Eccleſien. Oratore pro Regno Hungariæ.
Simon Florentinus, cum Illuſtriſſ. Card. Seripando. Legato.

Cheru-

Cherubinus Lauoſius de Caſſia, cum Reuerendiſs. D. Vercellen.
Gabriel Verratellus, Anconitanus.
Ambroſius Veronenſis, Prior conuentus S. Marci in vrbe Tridentina.
Ioannes Baptiſta Burgos, Valentinus, Hiſpanus.
Antonius Mondulphenſis. qui eſt cum Reuerendiſſimo D. Pragen. Oratore.
Ægidius Volaterranus, cum Reuerendiſs. Epiſc. Thininien.
Eugenius Piſaurenſis, in præterita Quadrageſima Concilij Prædicator celeberrimus.
Adamantius Florentinus, qui eſt cum Illuſtr. Card. Madrutio.
Aurelius Corinaltenſis, cum D Oratore Heluetiorum.
Balthaſsar Maſsanus, cum Reuerendiſs. Epiſc. Catanien.
Sebaſtianus Fanenſis, eiuſdem Ordinis ſcriba.
Chriſtophorus de Sanctotis, Burgenſis, Hiſpanus.
Simon de Brazzolatis, Patauinus.
Angelus Ferrus, Venetus, cum Reuerend. D. de Oſma.
Petrus Luſitanus, cum Reuerend. D. Leirienſ.

*Theologi Ordinis Fratrum Carmelit.*

Io. Iacobus Cherecatus, Vincentinus, Prouincialis Venetiarum, nunc Procurator Generalis Ordinis.
Theodorus Maſius, Mantuan. cum Reuerendiſs. D. Cremonenſi.
Silueſter, Confeſſor Illuſtriſs. Card. Mantuani.
Lucretius Aſolanus, cum Reuerendiſſimo D. Patriarcha Venetiarum.
Nicolaus Gallus, cum Reuerendiſs. patre Generali.
Eraldus Gallus, cum Reuerendiſs. patre Generali.
Laurentius Lauretus, Venetus, cum Reuerendiſſimo patre Generali.
Angelus Ambroſianus, Venetus.

*Theologi Ordinis Fratrum Seruorum.*

Stephanus Bonuntio, Aretinus.
Amans, pro Congregatione Seruorum, cum Reuerendiſſimo D. Sibinicen.

*Officiales Sacri Concilij Tridentini.*

Epiſcopus Cauenſis, Commiſſarius.
Epiſcopus Theleſinus, Secretarius.
Lodouicus Bondonius, Magiſter Cærimoniarum.
Antonius Manellus, Depoſitarius.

*Cantores Sacri Concilij.*

Simon Bartholinus, Peruſinus.
Ioannes Aloyſius de Epiſcopis, Neapolitanus.
Bartholomæus Conte, Gallus.
Matthias Albo, de Fulgineo.

Fran-

Franciſcus Buſtamente, Hiſpanus,
Ioannes Antonius Latinus, Beneuentan,
Franciſcus Druda, Callienſis.
Lucas Longinquus, Giſonen.
Petrus Scorteccius, Aretinus.

*Notarij.*

Marcus Antonius Peregrinus, Comenſis &
Cynthius Pamphilus, de S. Seuerino.
Hieronymus Gambarus, Brixienſis Forenſis.

*Curſores Sanctiſſ. D. N. & ſacri Concilij.*

Nicolaus de Matthæis, & Iacobus Carra — Allobroges.

---

# NVMERVS PRÆLATORVM CVIVSCVMQVE NATIONIS,

## *qui ad œcumenicam Tridentinam Synodum conuenerê.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Prælati | Itali | 187. | per Procuratores | 2. |
| | Galli | 26. | per Procuratores | 1. |
| | Germani | 2. | per Procuratores | 4. |
| | Hiſpani | 31. | per Procuratores | 4. |
| | Luſitani | 3. | | |
| | Græci | 6. | | |
| | Poloni | 2. | | |
| | Vngari | 2. | | |
| | Angli | 1. | | |
| | Hiberni | 3. | | |
| | Flandri | 2. | | |
| | Croati | 1. | | |
| | Moraui | 1. | | |
| | Illyrici | 3. | | |

FINIS.

Kkk

# BVLLA S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

## Super declaratione temporis ad obſeruanda decerta ſacri œcumenici & generalis Concilij Tridentini.

## PIVS EPISCOPVS,

### *SERVVS SERVORVM DEI,*

### *ad perpetuam rei memoriam.*

SICVT ad ſacrorum Conciliorum decreta ac Canones, auctoritas atque confirmatio Apoſtolicæ Sedis & debet & ſolet accedere; ita ſi qua ſuper eis exorta ſit dubitatio, eiuſdem Sedis iudicio & declaratione tollenda eſt. Ad aures noſtras peruenit, multos eſſe qui dubitent, ex quo tempore cœperunt decreta ſacri generalis Concilij Tridentini ad reformationem & ius poſitiuum dumtaxat ſpectantia, eos ad quos pertinent obligare, illa præſertim, quę tempora certa præſtituunt ad prouinciales diœceſanasque Synodos celebrandas, ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, ad Religionem profitendam, ad parochiales Eccleſias, aliáque beneficia Eccleſiaſtica, quæ eiuſdem Concilij decretis retineri prohibitum, ſit, reſignanda, & ad complures huiuſmodi exequendas, ac alias omnes ad prædictam reformationem iuſque poſitiuum tantum ſpectantes, quæ obſeruari aut euitari debeant. Nos itaque vt omnis controuerſia dubitatioque tollatur, Motu proprio eam rem provt rationi, iure & æquitati conuenire cenſuimus, duximus declarandam. Nam etſi ipſius Concilij decreta, etiam de venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, in Conſiſtorio noſtro ſecreto confirmata à nobis fuerunt ſub finem Menſis Ianuarij, & ab eo etiam tempore apud hanc ſanctam Sedem obſeruari cœperunt: quia tamen non parum temporis in eis Romæ diligenter emendatéque imprimendis neceſſariò conſumptum fuit. & iure etiam communi ſancitum eſt, vt Conſtitutiones nouæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant, æquum nobis & iuſtum viſum eſt, prædicta decreta omnia ad dictam reformationem iuſque poſituum dumtaxat ſpectantia, Kalen. Maij proximè præteriti omnes obligare cœpiſſe, neque poſt eam diem excuſationem

tionem cuiuſquam, quòd ea ignorauerit, admittendam, atque ita Apoſtolica auctoritate declaramus ac definimus, & ab omnibus iudicari debere mandamus atque ſtatuimus. Decernentes irritum & inane, ſi quid ſecus à quoquam, quacumque dignitate, auctoritate & poteſtate prædito, contigerit iudicari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, aliiſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, mandati ſtatuti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, apud ſanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quarto, Quintodecimo Kalen. Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto.

*Fed. Card Ceſius.*

*Ca. Glorierius.*

*H. Cumyn.*

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

ANNO à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quarto Indictione ſeptima, die vero vigeſima menſis Iulij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pij, diuina prouidentia Papæ Quarti, anno quinto, retroſcriptæ litteræ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Vrbe, & ſancti Ioannis Lateranen. necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ, per nos Iacobum Carra, & Iulium Parinum, Prælibati S. D. N. Papæ Curſores

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

# MOTVS PROPRIVS S.D.N.D. PII,

## DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

*per quem deputantur octo Reuerendiſſ. Cardinales, qui faciant obſeruari reformationes ab ipſo editas, necnon decreta ſacri, œcumenici, & generalis Concilij Tridentini.*

## PIVS PAPA IV.

MOtvs proprio, &c. Aliàs Nos nonnullas conſtitutiones
& ordinationes, reformationem maioris Pœnitentiarij, ac
ſacræ Pœnitentiariæ noſtræ, ac Vicarij noſtri, ac eius of-
ficij, necnon Camerarij & Cameræ Apoſtolicæ, ac illius
cauſarum Auditoris; necnon palatij Apoſtolici cauſarum Audito-
rum ac Gubernatoris, & Capitolinæ curiarum, & Contradictarum,
aliorumque almæ Vrbis noſtræ ac Romanæ Curiæ tribunalium &
officiorum concernentes, edidimus: quæ tamen (vt intelleximus)
ab eorumdem officiorum & tribunalium præfectis ac officialibus
minus diligenter obſeruantur. Cum autem enixæ noſtræ volunta-
tis ſit, vt illa & pariter decreta ſacri Concilij Tridentini, in his quæ
ad eorum officia ſpectant ab eiſdem omnino obſeruentur: Nos pro-
pterea conſiderantes, parum eſſe iura condere, niſi ſint qui ea exe-
cutioni demandari faciant, & in præmiſſis, prout ex debito paſtora-
lis officij nobis (meritis licet imparibus) iniuncti obligamur, ſalu-
briter, & vtiliter prouidere, præfataſque conſtitutiones & ordinatio-
nes ac decreta Concilij, quas & quæ hîc haberi volumus pro expreſ-
ſis, inuiolabiliter obſeruari volentes: Venerabili fratri noſtro Ioanni
Epiſcopo Tuſculan. Marono Io. Michaëli Sanctæ Anaſtaſiæ Sarace-
no, ac Io. Baptiſtæ Sancti Clemẽtis Cicadæ, necnon Michaëli Sanctæ
Sabinæ Alexandrino, Clementi Sanctæ Mariæ in Ara cœli, & Ludo-
uico Sancti Cyriaci in Thermis Simonetæ, ac Carolo Sancti Marti-
ni in montibus Borromæo presbyteris, necnon Vitellotio Sanctæ
Mariæ in Porticu Vitellio nuncupatis, titulorum, diacono, Cardina-
libus committimus & mandamus: quatenus ipſi, ſeu eorum maior
pars, coniunctim vel diuiſim, eorum arbitrio, etiam tanquam execu-
tores dictarum litterarum, conſtitutionum, & decretorum prædi-
ctorum: conſtitutiones, & ordinationes, ac decreta præfata iuxta
tenores eorum, ac litterarum deſuper confectarum, per quoſcum-
que Pœnitentiariæ Vicariæ, & Cameræ, ac Rotæ curiarum, ac tribu-
nalium prædictorum iudices & officiales, ſub excommunicationis
latæ ſententiæ, ac priuationis officiorum, & aliis eiſdem Cardinali-
bus

bus bene viſis, etiam pecuniarum, eo ipſo incurrendis pœnis, firmiter obſeruari faciant & cum effectu: niſi tam in executione dictorum Concilij quàm dictarum litterarum noſtrarum, aliqua dubietas aut difficultas emerſerit, quo caſu ad nos referant, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, ac eos, qui litteris & decretis prędictis, & eorumdem Cardinalium mandatis non paruerint, ex tunc prout ex eadem die, & è cōtra, illorum officiis priuatos, necnon ad illa & alia Romanæ curiæ officia in poſterum obtinenda inhabiles, ac ipſis ab eiſdem officiis ſic priuatis, illa tamquam per priuationem vacantia à Datario noſtro vendi, & à quibuſuis perſonis idoneis pro pretio conuenienti emi, liberè & licitè poſſe auctoritate noſtra curent, nuntient, decernant, ac declarent, prout nos harum ſerie nuntiamus, decernimus & declaramus. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus Apoſtolicis ac Pœnitentiariæ & curiarum, necnon tribunalium prędictorum ſtatutis, &c. etiam iuramento, &c. roboratis, priuilegiis quoque, indultis & litteris apoſtolicis illis, ac dictis officialibus & Tribunalibus ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, etiam motu ſimili, &c. & alias quomodocumque conceſſis, &c. Quibus omnibus, &c. illorum tenores &c. hac vice latiſſimè derogamus, eaque aduerſus præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus: cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Placet, Motu Proprio. I.

Dat. Romæ, apud S. Marcum, 4. Non. Aug. An. 5.

# BVLLA S.D.N.D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

## Contra quoſcumque Eccleſias, & beneficia Eccleſiaſtica quæcumque in Confidentiam retinentes ſiue recipientes.

*PIVS EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam*

ROMANVM Pontificem in excelſa militantis Eccleſiæ ſpecula conſtitutum, vigiles mentis oculos non ſolùm in abſentium extendere, ſed potiſſimum in præſentium domeſticorúmque fratrum, & filiorum ſuorum mores diligenter perſcrutandos, aliquando reflectere, ac eos, præſertim quos in Apoſtolicæ ſolicitudinis partem euocauit Altiſſimus, nedum ab omni pactionis illicitæ contagione, verum etiam ab eius omnimoda ſuſpicione vacuos & immunes conſeruare decet, vt qui cæteros illuſtris officij ſublimitate antecellunt, eoſdem priſca etiam illa morum integritate præſtare dignoſcantur. Sanè, licet dudum, cùm certam Simoniacę prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum Confidentiam vocant, in Rom. Cur. atque adeo in ſacrum venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium collegium quaſi per cuniculos irrepſiſſe, ac nonnullos ex ipſis fratribus nimia quadam facilitate, ſeu potius importunis amicorum familiariúmque precibus adductos, beneficia Eccleſiaſtica in Confidentiam huiuſmodi recepiſſe, & frequenter recipere intelleximus, hanc illicitam beneficentiæ exercendæ, ſeu amicitiæ colendæ viam à tanto ſaltem Collegio prorſus eliminare cupientes, eoſdem fratres in Conſiſtorio noſtro ſecreto non ſemel admonuerimus, huic aliena beneficia cuſtodiendi modo ne aſſueſcerent, neve, illa hoc pacto reciperent, vtque ſic recepta dimitterent. Nihilhominus nuper ad aures noſtras peruenit, eorum aliquos, monitionis noſtræ, immo potiùs ſuimet oblitos, ea quæ cuſtodienda receperant, beneficia nondum tamen dimiſiſſe. Et inſuper illos, & nonnullos alios, etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Eccleſias, monaſteria, dignitates; & alia beneficia huiuſmodi, in ſui fauorem reſignaſſe, vel aliàs dimiſſa acceptaſſe,

aut

aut de illis per obitum, vel aliàs vacantibus à nobis & prædeceſſoribus noſtris,ſeu etiam ab Ordinariis, & aliis inferioribus collatoribus etiam ad patronorum præſentationem, ad alterius commodum ſibi prouideri obtinuiſſe, illáque ac etiam alia aliter vacantia ſibi, in titulum, commendam, vel adminiſtrationem, aut aliàs dicta auctoritate conceſſa, quandoque in reſignantium vel cedentium, ſeu etiam aliorum fauorem ceſſiſſe, vel aliàs dimiſiſſe. Ac ſibi propterea penſiones annuas, ac fructus, reditus, & prouentus Eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum huiuſmodi: in toto, vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas & illos transferendi, ac etiam collationem, prouiſionem, præſentationem, & aliam diſpoſitionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad earumdem Eccleſiarum, monaſteriorum, & dignitatum Prælatos pro tempore exiſtentes, ac alios huiuſmodi beneficia pro tempore exiſtentes, ac alios huiuſmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium,necnon regreſſus, ſiue acceſſus, & ingreſſus ad Eccleſias,etiam Cathedrales, monaſteria, ac alia diuerſa beneficia Eccleſiaſtica, ſibi reſeruari procuraſſe, & obtinuiſſe, ad hoc videlicet, vt confidentes ſic decimarum Apoſtolicarum, vel communis dicti Collegij, & annatæ, aliorúmque iurium dictæ Cameræ debitorum, ſolutionem eludant integríſque beneficiorum, etiam in menſibus Apoſtol.vacantium, aut aliàs diſpoſitioni Sedis Apoſtol.generaliter reſeruatorum,collationibus,ac interdum vt beneficia ipſa, tempore procedente,in aliquorum,tunc forſan de iure inhabilium, & incapacium,vel nondum adhuc natorum, fauorem cedantur,ſeu reſignentur, vel vt perſonæ inhabiles & incapaces huiuſmodi, etiam laici, penſionibus ac fructibus, reditibus & prouentibus Eccleſiaſticis fruantur & gaudeant, ſeu potius illis & facultate transferendi prædicta abutantur in animarum ſuarum periculum, & pernicioſum exemplum.

Quare nos hanc Cardinalium eorumdem, in monitionibus noſtris parendo incuriam, & tam illorum quàm cæterorum Prælatorum, etiam Clericorum, ac aliorum quorumcúmque indignam fallaciam conniuentibus oculis diutiùs minimè diſſimulandam, ſed huic errori, ne radices altius agat, occurendum tandem eſſe cenſentes. Et quoniam hanc ipſorum, qui, monitioni noſtræ non parentes, beneficia huiuſmodi in Confidentiam, vt præfertur, retinuerunt, & fructus ex eis indebitè vel percipiendo, vel per alios nomine ſuo etiam per ſimulatas illorum locationes, & fictas de receptis quictantias, ac donationes, & remiſſiones percipi ſinendo, grauiter exceſſerunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga ſuos indulgentia, quàm aliquo præceptorum noſtorum ſpretu proceſſiſſe facilè reputamus, idcirco omnes & ſingulas, Eccleſias, etiam Metropolitanas, & alias Cathedrales, ac monaſteria, etiam conſiſtorialia, prioratus, præpoſituras,præpoſitatus dignitates etiam maiores & principales,

etiam conuentuales,perſonatus, adminiſtrationes,& officia,cæteraque beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, ſæcularia & quorumuis Ordinum regularia, etiam de Iurepatronatus etiam laicorum,etiam nobilium & illuſtrium, etiam ex fundatione & dotatione exiſtentia per eiuſdem Romanæ Eccleſiæ etiam Epiſcopos, Cardinales, & quoſcumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiſcopos,& alios Epiſcopos, ac etiam eiuſdem Cameræ Clericos, in titulum, commendam vel adminiſtrationem, aut aliàs in huiuſmodi confidentiam iure prohibitam, cuiuſuis perſonæ, vt præfertur, contemplatione vel intuitu, quouis modo recepta, illorum liberam collationem & diſpoſitionem nobis & Sedi Apoſtolicæ harum ſerie reſeruantes, ipſo iure à die receptionis eorumdem vacauiſſe & vacare, ac fructuum & penſionum reſeruationes ac facultates transferendi, & collationis beneficiorum conceſſiones, eis, vt præmittitur,factas, ac regreſſus ſiue acceſſus, & ingreſſus conceſſas huiuſmodi ceſſaſſe, & ceſſare,ac extinctos eſſe. Et eoſdem Cardinales ſeu quoſuis alios, à prima die receptionis beneficiorum huiuſmodi citra fructus, reditus,& prouentus earumdem Eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum, ac penſiones prædictas indebitè percipere,ſuoſque facere non potuiſſe, neque debuiſſe, ſed illos omnes & ſingulos ad Cameram eamdem deuolutos fuiſſe & eſſe, illique deberi,ac ipſos Cardinales, & alios ad quorum manus quomodolibet peruenerunt, & eorum hæredes, ad integram illorum reſtitutionem, in vtroque foro teneri, & ad id opportunis iuris remediis compelli debere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus & declaramus.

Et inſuper vniuerſis & ſingulis, tam eiuſdem Rom. Eccleſiæ Cardinalibus etiam Epiſcopis, quàm Prælatis & Clericis,& aliis prædictis, præſentibus & futuris, ne deinceps vllo vmquam tempore, aliquas Eccleſias, monaſteria, dignitates, vel alia beneficia etiam de dicto Iurepatronatus (vti præfertur) exiſtentia, aut fructus vel penſiones,aut regreſſus, ſeu acceſſus,in confidentiam prædictam,aut ad effectum reſeruationum huiuſmodi, ſibi poſtmodum cedentibus procurandarum, recipere præſumant: Cardinalibus verò, & aliis Prælatis huiuſmodi, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſię,reliquis verò ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per contra facientes eo ipſo incurrenda, à qua niſi à nobis,aut Rom. Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui nequeant, diſtrictiùs inhibemus.

Ac quaſcumque, collationes prouiſiones,præfectiones commendas,reſeruationes, facultates, etiam transferendi,ac regrediendi ſiue accedendi & ingrediendi, ac alias diſpoſitiones, de Eccleſiis, monaſteriis,dignitatibus, & aliis beneficiis, eorumque fructibus & beneficiorum collationibus per nos & alios Rom. Pontifices ſucceſſores noſtros, etiam Motu proprio, ſeu Conſiſtorialiter, aut etiam per

Ordina-

Ordinarios & alios inferiores collatores,& ad patronorum eorumdem præſentationem, & aliàs quomodolibet cum interuentu confidentiæ huiuſmodi expreſſæ, ſiue occultæ, ac de iure præſumptæ & alias contra præmiſſas pro tempore factas, nullas & inualidas, nulliuſque roboris vel momenti fore, neque cuiquam ſuffragari. Sed Eccleſias, monaſteria, dignitates, ac alia beneficia huiuſmodi, ipſo iure vacare, ac noſtræ & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſeruata, fructúſque & penſiones Cameræ Apoſtolicæ applicatos, vt præfertur,eſſe & cenſeri.Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis,per quoſcúmque Iudices, & Commiſſarios, etiam ipſius Eccleſiæ Romanæ Cardinales, ſublata eis quauis aliter interpretandi & iudicandi facultate,etiam per præſumptiones & coniecturas legitimas,& eorum arbitrio (cum alias confidentias huiuſmodi in lucem erui & probari non poſſe conſtet) procedendo, iudicari & definiri debere: Ac quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit,irritum & inane ſimiliter decernimus: Non obſtantibus fœl. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus diætis, ac aliis conſtitutionibus Apoſtolicis necnon Collegij præfati, iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcúmque. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem.Et ne quiſpiam vllo vmquam tempore præſentium ignorantiam prætendere poſſit, Volumus, & eadem auctoritate decernimus,quod ipſæ præſentes litteræ ad Baſilicę Principis Apoſtolorum de Vrbe valuas per aliquem ex Curſoribus noſtris, illarum copia ibi affixa & dimiſſa, & etiam in Cancellaria Apoſtolica de more publicentur, ac in eiuſdem Cancellariæ Quinterno, ad maiorem partium, illas in iudicio producere volentium, commoditatem, deſcribantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reſeruationis, declarationis, inhibitionis, decreti & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.Dat.Romæ apud ſanctum *Petrum*,Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo ſexageſimo quarto, Decimoſeptimo Kal. Nouemb. Pontificatus noſtri Anno quinto.

*Viſa de Curia M. de Enciſo.*

*Ca. Glorierius.*

*H. Cuwyn,*

Anno à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quarto, Indictione ſeptima, die verò quarta menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pij, diuina prouidentia Papæ IV. anno quinto, ſupraſcriptæ litteræ Apoſtolicæ publicatæ & affixæ fuerunt ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem in ſupraſcriptis locis ſupraſcriptarum litterarum copiis affixis, vt moris eſt, per nos Iulium Parinum, & Bernardinum Andreutium, prælibati Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

BVL-

# BVLLA S.D.N.PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

## Super forma iuramenti profeſſionis fidei.

*PIVS EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

INIVNCTVM nobis Apoſtolicæ ſeruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus omnipotens, ad prouidam Eccleſiæ ſuæ directionem, ſanctis Patribus, in nomine ſuo congregatis diuinitùs inſpirare dignatus eſt, ad eius laudem & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilij Trident. diſpoſitionem omnes, quos deinceps Cathedralibus, & ſuperioribus Eccleſiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, curam animarum habentibus, prouideri continget, publicam Orthodoxæ fidei profeſſionem facere, ſeque in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere, & iurare teneantur: Nos volentes etiam, per quoſcumque quibus de monaſteriis Conuentibus, domibus, & aliis quibuſcumque locis, Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, quocumque nomine vel titulo prouidebitur, idem ſeruari & ad hoc, vt vnius eiuſdem fidei profeſſio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaque & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſollicitudinis partes in hoc alicui minimè deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam publicari,& vbique gentium per eos ad quos ex decretis ipſius Concilij & alios prædictos ſpectat, recipi & obſeruari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contrauenientes latis, iuxta hanc & non aliam formam, profeſſionem prædictam ſolemniter fieri, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, huiuſmodi ſub tenore: Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines,& propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus

eſt

eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, *Et homo factus eſt*, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris: & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes & conſtitutiones firmiſſimè admitto & amplector. Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque, ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe, Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto. Omnia & ſingula quæ de peccato originali & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro viuis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, vnâ cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi, Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vnâ cum Chriſto regnantes, venerandos atque inuocandos eſſe. eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici, beati

Petri,

Petri, Apoſtolorum Principis, ſucceſſoris, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro, Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. Volumus autem quod præſentes litteræ, in Cancellaria noſtra Apoſtolica, de more legantur: & vt omnibus facilius pateant, in eius Quinterno deſcribantur, ac etiam imprimantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. Idibus Nouembris, Pontificatus noſtri Anno 5.

*Fe. Cardinalis Caſius.*

*Cæ. Glorierius.*

LECTÆ & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ litteræ Romæ, in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. die vero Sabbati, 9. menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pij Papæ IV. Anno 4.

A. Lomellinus Cuſtos.

DECLA-

# DECLARATIO,

*Quod gratiæ de non reſidendo, & percipiendo fructus ratione ſtudij, non valeant ſine conſenſu Ordinarij.*

SANCTISSIMVS in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Pius, diuina prouidentia Papa IV. ad cuius aures nuper peruenit, nonnullos curata, vel alios ſacros Ordines, aut perſonalem reſidentiam requirentia beneficia obtinentes, ſub prætextu quod litteris operam dare cupiebant, poſt confirmationem Concilij Tridentini, per Sanctitatem ſuam factam, & publicatam ſecum, vt litterarum ſtudio in loco vbi illud vigeat generale, actu inſiſtendo ratione beneficiorum per eos obtentorum huiuſmodi vſque ad quinquennium vel aliud tempus tunc expreſſum, dummodo intra primum illius annum ſubdiaconi fierent, ad reliquos ordines promoueri teneantur, & tam iidem interim, quam alij, etiam ad eoſdem ordines vel eorum aliquem ſeu aliquos promoti, quod ſimiliter ſtudentes beneficiis per eos obtentis per Vicarios idoneos per locorum Ordinarios, etiam congrua fructuum beneficiorum huiuſmodi portione illis aſſignata, vel aliàs deputandos in diuinis deſeruiendo, animarum curam illis imminentem exercendo, & alia incumbentia onera ſupportando, vſque ad ſimile tempus perſonaliter in eiſdem beneficiis reſidere non tenerentur, & nihilhominus interea omnes eorumdem beneficiorum fructus percipere poſſent, per ordinariam Sanctitatis ſuæ Signaturam, ſeu Pœnitentiariæ ſuæ officium diſpenſari, ſibique pariter indulgeri obtinuerunt, nullum in his vel fraudi, vel circumuentioni locum, præſertim quoad abſentes à Romana Curia, de quorum qualitatibus facilis notitia haberi non poteſt, quantum humana ratione prouideri poteſt, relinquere volens, Concilij etiam Tridentini decretis inhærendo, huiuſmodi diſpenſationes, & indulta hactenus conceſſa ac tam ipſius Pœnitentiariæ quam Apoſtolicas, & aliàs deſuper confectas, & conficiendas litteras, proceſſuſque habitos, & habendos per eaſdem dictis abſentibus nullatenus ſuffragari niſi ſingulorum Ordinariorum locorum in quibus ſingula beneficia huiuſmodi conſiſtunt, conſenſus gratis præſtandus ad id accedat, Apoſtolica auctoritate declarauit, decernens irritum, &c.

Placet. publicetur & deſcribatur. I.

LECTA & publicata fuit ſuperſcripta Regula Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. die verò Veneris, 24. Nouembris, Pontificatus præfati S. D. N. Papæ, Anno 5.

A. Lomellinus Cuſtos.

BVLLA

# BVLLA S.D.N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

## Super reſidentia Prælatorum, Parochialium, & aliorum curam animarum habentium, & reſidere debentium.

*PIVS EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

IN ſuprema militantis Eccleſiæ ſpecula, meritis licet inſufficientibus, diuina diſpoſitione conſtituti, cunctos non ſolum vigilantiæ noſtræ commiſſos Dominicos greges, ſed etiam ſingulorum Paſtorum ſuorum actus intenſa noſtræ mentis acie colluſtrantes, ſtudium efficax, operamque ſedulam ad hoc omnino ſtatuimus adhibere, vt quemadmodum operoſum ſacri Concilij Trident. progreſſum, fœlicémque exitum, Domino cooperante, præſtitimus, ita ſanctiſſima illius decreta, ipſorum præſertim, qui in Apoſtolicæ ſolicitudinis partem vocati ſunt, Paſtorum officium concernentia non tepidè neque diſſimulanter, exequamur. Sanè licet in Concilio præfato ſaluberrima fuerit ordinatione decretum, quod omnes, & ſinguli venerabiles fratres noſtri, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alij beneficiati, apud Eccleſias ſponſas ſuas reſidere teneantur, nonnulli tamen, quod non ſine animi noſtri mœrore referimus, adeo ſui gregúmque quos olim deperditos Saluator noſter proprio ſanguine redimere dignatus eſt, ſibi creditorum obliti ſunt: vt etiam nunc in Alma Vrbe, vel alibi commorantes, & ſacroſancta ſpiritualis Matrimonij inter eos ſuaſque Eccleſias ſolemniter contracti, iura confundentes ſponſas ſuas in longa quaſi viduitate relictas, ac prædictas Eccleſias quomodocumque ſibi conceſſas inuiſere, & apud illas, vt probos, & prouidos patresfamilias decet, reſidere non curent in perditionem animarum ſuarum, & ſubditorum ſuorum, ac pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum: Nos hanc illorum contumaciam alicuius, etiam temporalis pœnæ metu frangendam ſeu conuincendam eſſe cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus & ſingulis Patriarchis Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis præfatis, ac alijs quibuſcumque, etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu, vel præ

eminen-

eminentia præfulgentibus, prædictas eccleſias in commendam, vel adminiſtrationem, aut alio quouis nomine obtinentibus, & aliis quibuſcumque beneficiatis curam animarum habentibus, qui iuxta decreti ſuper reſidentia in Concilio prædicto promulgati tenorem, perſonalem in ſuis Eccleſiis reſidentiam facere tenentur, in virtute obedientiæ & vltra pœnas in dicto decreto Concilij contẽtas, etiam ſub priuationis eorum à regimine, & adminiſtratione Eccleſiarum ſuarum, ac aliis noſtro, & pro tempore exiſtentis, Romani Pontificis ſucceſſoris noſtri, arbitrio imponendis pœnis diſtrictè pręcipiendo per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omni mora ceſſante in eiſdem ſuis Eccleſiis iuxta formam, & tenorem dicti Concilij perſonaliter reſideant. Et nihilominus, ſi quos mandato noſtro huiuſmodi, quod abſit, non parere contigerit, ne etiam tale abſentes melioris in hac parte conditionis, quã cæteri in ſuis Eccleſiis reſidentes exiſtant hac noſtra perpetuo valitura ſanctione per præſentes ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps omnia & ſingula mobilia, immobilia, etiam in Vrbe, vel eius diſtrictu exiſtentia & ſe mouentia, res & bona, iura & actiones cuiuſcumque qualitatis, quantitatis, & valoris, ac vbicumque locorum conſiſtant, ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos & alios quoſcumque etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu & præeminentia præfulgentes, Eccleſias prædictas in titulum vel commendam ſiue adminiſtrationem, aut alio quouis nomine obtinentes, & alios quoſcumque beneficiatos curam animarum habentes, qui extra prædictas Eccleſias & Diœceſes, etiam in Rom. Curia aut alibi degentes, & iuxta decretum & formam Concilij huiuſmodi non reſidentes deceſſerint, pertinentia, & per illos ſuarum Eccleſiarum, ac quorumcumque Monaſteriorum, Prioratuum, præpoſiturarum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium & regularium, quæ illi quomodolibet obtinuerint, ac fructuum, redituum, & prouentuum Eccleſiaſticorum: Necnon penſionum annuarum ſibi ſuper ſimilibus fructibus, reditibus, & prouentibus reſeruatarum & aſſignatarum occaſione quæſita, etiam facultatem ſpecialem de illis, aut eorum parte teſtandi, & aliàs liberè diſponendi à nobis & quibuſuis aliis Romanis Pontificibus, prædeceſſoribus, & ſucceſſoribus noſtris etiam cum clauſulis, quod facultates huiuſmodi reuocari nequeant, aliiſque irritantibus decretis obtinuerint, & in vim illarum litterarum deſuper confectarum de rebus & bonis huiuſmodi iam diſpoſuerint, tanquam ſpolia, ad Cameram Apoſtolicam legitimè pertineant, liceátque dilectis filiis, moderno, & pro tempore exiſtenti Commiſſario noſtro generali, & ſuis, dictæque Cameræ deputatis, in euentum deceſſus huiuſmodi, ſolitum inuentarium ſuper rebus & bonis præfatis conficere, illáque prout de reliquis Clericorum ſpoliis fieri ſolet, ad dilecti filij noſtri, moderni, & pro tempore exiſtentis generalis Theſaurarij manus redigere, dictæque Cameræ applicare, cuiuſuis licentia deſuper minimè requiſita.

quiſita. Ac facultates, & deſuper confectas litteras prædictas, etiam motu & ſcientia ſimilibus, etiam in recompenſam laborum & obſequiorum, etiam nobis, & Eccleſiæ Romanæ, dictæque Sedi impenſorum, quomodolibet conceſſas, & etiam iteratis vicibus approbatas, illarum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, in euentum obitus huiuſmodi etiam ſi in Vrbe, aut eius diſtrictu, vel alibi extra ſuas Eccleſias, vt præfertur, contigerit, ex nunc provt ex tunc & è contra in dictæ contumaciæ pœnam eiuſdem poteſtatis plenitudine & tenore reuocamus, caſſamus & annulamus. Ac tam eas, quàm earum prætextu quomodolibet, pro tempore condita factáque teſtamenta, codicillos, legata, donationes & alias diſpoſitiones quaſlibet etiam ad pias cauſas, vel in remunerationem ſeruitiorum, nulla & inualida, nulliúſque roboris vel momenti fore, neque quidquam contra præſentium tenorem ſuffragari. Et ſic per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in quauis inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiri debere. Ac quidquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Per hoc autem noſtris & Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum ordinationibus, reſeruationibus: & decretis, quoad Prælatorum, & aliorum, beneficiatorum, etiam in ſuis Eccleſiis, aut diœceſib. reſidentium, & ibi decedentium, quæ etiam ampliamus & extendimus ad habentes Eccleſias in Vrbis diſtrictu, ibique reſidentes ac decedentes, ſpolia Cameræ Apoſtolicæ applicata, hactenus emanatis, nullatenus præiudicare, neque quidquam in eis alterare intendimus, ſed ea in ſuo robore, vt antea, manere volumus, præterquam, quoad eos qui in ſuis Eccleſiis iuxta formam prædicti Concilij reſederint. & ſpecialem licentiam teſtandi habuerint, hanc enim tantum ſaluam eis eſſe volumus. Ita vt generalis licentia teſtandi eis, quamquam reſidentibus, mnimiè ſuffragetur, ſed ſola ſpeciali, ſi quam habuerint tueri ſe poſſint. Cæterum, vt præceptum, mandatum, ſtatutum, ordinatio, reuocatio, caſſatio, decretum, & alia præmiſſa, præſenteſque litteræ ad eorum quorum intereſt notitiam deducantur, nullúſque poſſit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excuſationem allegare, ſed illa perpetuò firma illibata permaneant, volumus & mandamus, quod eædem præſentes in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ noſtræ valuis, ac Acie campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris affixæ copia illarum ibi dimiſſa, ab ea die omnes perinde arctent, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent. Non obſtantibus præmiſſis, ac in fauorem curialium per fœ. re. Sixtum IV. Leonem X. Iulium III. & quoſcumque alios Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac etiam per nos editis, & approbatis: necnon aliis litteris, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino

hominum liceat hanc paginam noſtri præcepti, mandati,ſtatuti ordinationis,reuocationis,caſſationis,annullationis, decreti, ampliationis, extenſionis, intenſionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius,ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quarto,ſeptimo Kal.Decemb. Pontificatus noſtri Anno quinto.

*Ca. Gloriterius.*

*Viſa de Curia M.de Enciſo.*

*H. Cumyn.*

ANNO à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quarto,Indictione ſeptima, die vero quarta menſis Decembris Pont. Sanctiſſimi in Chriſto patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quarti,Anno quinto, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe,ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ,& in Acie Campi Floræ dimiſſis in præfatis locis præſentium retroſcriptarum litterarum copiis,affixis, vt eſt moris, per nos Iulium Parinum, & Bernardinum Andreutium, prælibati ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

MOTVS

# MOTVS PROPRIVS S.D.N.D. PII, PAPÆ IV. SVPER EXECVTIONE Concilij & litterarum eiuſdem Sanctiſſ. contra Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, & alias perſonas Eccleſiaſticas, non reſidentes in eorum Eccleſiis.

## PIVS PAPA IV.

MOTV proprio, &c. Cum tam per ſacroſanctum œcumenicum Concilium Tridentinum, quàm etiam per noſtras litteras ſiue Bullas etiam deſuper emanatas, & inter alias ſub dat. Romæ, apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ M. D. LXIIII. ſeptimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno quinto, mandatum ſit omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, & aliis, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro eis ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium exemplo paſcere, pauperum aliarúmque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & ſignanter munera paſtoralia, & eis diligenter incumbere & aſſiſtere, aliáque facere, quæ in d. S. Concilio & in dictis noſtris litteris ſiue Bullis continentur. Quæ omnia nequaquam ab eis præſtari & adimpleri poſſunt, cum gregibus ſuis non inuigilant neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more oues ſuas deſerunt: & propterea debuiſſent, & deberent omnes & ſinguli Epiſcopi, Archiepiſcopi, & alij in dignitatibus Eccleſiaſticis conſtituti & præfecti, & quibus animarum cura exiſtit iuxta diuina præcepta, & prædicti œcumenici Concilij, ac prædictarum noſtrarum litterarum ſeu bullarum vim, formam, continentiam & tenorem, ad eorum reſpectiuè Eccleſias, diœc. ac alia beneficia quib. perſonalis reſidentia requiritur, ad effectum in eis perſonalem reſidentiam facien. ſeſe contuliſſe, ac omnia & ſingula in eiſdem præceptis Concilio & litteris ſiue Bullis reſpectiuè contenta adimpleuiſſe & obſeruaſſe. Attamen, ſicut accepimus, multi & multi præfatorum præceptorum & mandatorum contemptores, animarumque ſuarum propriæ ſalutis immemores, & in dictis dignitatibus Eccleſiaſticis quibus cura animarum imminet, ac Epiſcopalibus & Archiepiſcopalibus reſpectiuè conſtituti præmiſſa facere & adimplere hactenus minimè curarunt, ſed diſtulerunt & differunt in graue animarum ſuarum, gregumque ſibi commiſſorum periculum, & ouium ſuarum pernicioſum exemplum & ſcandalum, ſententias, cenſuras, & pœnas propterea ſibi inflictas temerè, & damnabiliter incurrendo.

Quæ omnia cum non ſint cõniuentibus oculis aut impune prætermittenda, ſed grauiter, vt cæteris tranſeant in exemplum, cum iam per tot menſes inobedientes fuerint, cenſuras præfatas ſuſtinent. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, déque poteſtatis noſtræ plenitudine Dilecto filio noſtro Alexandro Riario, Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori cui aliàs etiam, ſeu prædeceſſori ſuo viuæ vocis oraculo commiſimus, vt dictos Epiſcopos; Archiepiſcopos & alias perſonas Eccleſiaſticas animarum curam haben. non reſid. pœnas præfatas in dicto Concilio & litteris ſiue Bullis noſtris contentas incurriſſe declararet, & ad illarum effectualem executionem, aliáque grauiora procederet, viuæ vocis oraculo commiſimus. Tamen quia nonnulla monitoria contra certos Epiſcopos & alias perſonas præfatas in vim commiſſionis noſtræ huiuſmodi ſibi factæ tunc decreuerat & relaxauerat, ne in poſterum de illius iuriſdictione dubitari contingat, denuo eidem Auditori noſtro nunc officium Auditoratus exercen. auctoritate noſtra committimus, & mandamus quatenus ſtatim tam contra Epiſcopos, Archiepiſcopos & alios quoſcumque Prælatos, tam in Vrbe quam alibi & vbiq; locorum exiſtentes, & in propriis diœc. non reſiden. conſtituto ſibi, quantũ ſufficere videbitur ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſola veritate inſpecta & manu regia, de inobedientia propria vſque ad ſententiam excluſiue procedat, & deinde nobis referat, vt nos in Conſiſtorio noſtro ſecreto de fratrum noſtrorum conſilio, vt moris eſt, ad ſententiam priuationis & depoſitionis Prælatorum inobedientium huiuſmodi procedere valeamus. provt procedere intendimus, quo vero ad alios curam animarum habentes, vſque ad ſententiam incluſiue procedat & exequatur iuxta formam & tenorem dicti Concilij & litterarum noſtrarum prædictarum cum eiſdem facultatibus vt ſupra, ac alia faciat & exequatur, pro vt in dictis literis ſiue Bullis continetur, cum poteſtate citandi, inhibendi, excommunicandi, ſuſpendendi à diuinis, declarandi, interdicendi, aggrauandi carcerandi, & brachium ſæculare, decernendi, relaxandi & exequendi, aliáque faciendi neceſſaria quomodolibet & opportuna Contrariis quibuſcumque non obſtantibus, & quod præſentis noſtri Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, ac vbique fidem faciat in iudicio & extra, regula contraria, & aliis quibuſcumque, omnibus expreſſe derogamus, non obſtantibus.

Placet, Motu Proprio. I.

Præſentetur. *Amerin Regens.*

# BVLLA S. D. N. PII, PAPÆ IV.

## REVOCATORIA PRIVILEGIORVM,

Exemptionum, immunitatum, facultatum, conſeruatoriarum, indultorum, confeſſionalium, Maris magni, & aliarum quarumcumque ſimilium gratiarum, quibuſcumque locis & perſonis conceſſarum, in his, in quibus ſtatutis & decretis ſacri Concilij Tridentini contrariantur.

## PIVS EPISCOPVS,

SERVVS SERVORVM DEI,

*ad perpetuam rei memoriam.*

IN Principis Apoſtolorum Sede, meritis licet imparibus, diuina diſpoſitione conſtituti, nihil neque vniuerſali Eccleſiæ, curæ & ſolicitudini noſtræ commiſſæ, ſalubrius, neque iniuncto nobis Apoſtolicæ ſeruitutis officio decentius præſtare poſſumus, quàm quod prouidentiæ noſtræ miniſteria œcumenicum Concilium Tridentinum, ſicut noſtri potiſſimum auſpiciis, ſummaque ſanctorum Patrum concordia per Dei miſericordiam fœliciter abſolutum fuit: ita, per vniuerſos, qui Chriſtiana pietate cenſentur, vbique ſuſcipiatur, & remotis, quibuſlibet obſtaculis, ab omnibus æqualiter obſeruetur. Cum itaque in eodem Concilio quam plura ſalubria & ad vniuerſalem morum reformationem valde vtilia decreta atque ſtatuta, maturo præſentium ipſorum examine præcedente ſunt edita, quibus multa atque diuerſa priuilegia, exemptiones, immunitates, diſpenſationes, facultates, conſeruatoriæ, indulta, & vt vocant, confeſſionalia, & Mare magnum, & aliæ gratiæ, quæ variis tam Cathedralibus, etiam Metropolitanis, quam collegiatis Eccleſiis, monaſteriis, conuentibus & aliis religioſis, etiam Fratrum mendicantium domibus & Ordinibus, necnon ſancti Spiritus in Saxia ſancti Ioannis Lateranenſis, ac Incurabilium de Vrbe, ſancti Antonij Viennen. & ſancti Bernardi Iuren. aliiſque Hoſpitalibus, Militiis eorumque Capitulis & conuentibus, ab Vniuerſitatibus, etiam Studiorum generalium collegiis, tam ſecularib. quam Eccleſiaſticis, Confraternitatib. Societatibus, & tam Principis Apoſtolorum de Vrbe, quàm aliis Fabricis, ſanctæ Cruciatæ aliiſque

piis locis & operibus,necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Præpoſitis & aliis Eccleſiaſticis tam ſęcularibus,quàm diuerſorum Ordinum & militiarum regularibus,ac etiam laicis cuiuſcumque dignitatis & ſtatus,ac gradus & excellentiæ, ac etiam Ducali, Regia, Imperiali dignitate fulgentibus, vtriuſque ſexus perſonis, necnon aliquibus Notariis, & etiam de latere Legatis,atque Nunciis, tam perpetuò quàm ad tempus per plures Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem Apoſtolicam, eiúſque Legatos hactenus, etiam Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum principum contemplatione & intuitu, etiam de fratrum conſilio, diuerſimodi, variiſque temporibus in genere vel ſpecie, ex quauis etiam honeſta cauſa conceſſa, & etiam pluries confirmata & innouata fuerunt, in pleriſque contrariantur. Nos quibus in primis cordi eſt,tam ſancta & Eccleſiæ Dei ſaluberrima decreta ſuos, vt par eſt, effectus vbique conſequi,& ab omnibus obedienter obſeruari,priuilegiorum,exemptionum, immunitatum, facultatum Conſeruatoriarum, Indultorum, Confeſſionalium, Maris magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcumque Apoſtolicarum & aliarum litterarum deſuper confectarum, proceſſuúmque decretorum, & aliorum inde ſecutorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & plenè inſertis habentes: Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine quod eadem omnia & ſingula priuilegia, exemptiones, immunitates, facultates, diſpenſationes, Conſeruatoriæ, Indulta, Confeſſionalia, Mare magnum, aliæ gratiæ in his omnibus & in ſingulis, in quibus illa ſtatutis & decretis Concilij huiuſmodi contrariantur, ipſo iure reuocata,caſſata, & annullata, ac ad ipſius Concilij terminos atque limites reducta ſint & eſſe cenſeantur, nec quidquam aduerſus ipſa decreta & ſtatuta, quominus vbique & apud omnes obſeruentur,in aliquo ſuffragari poſſe,ſed ea perinde haberi & reputari debere,ac ſi nunquam emanaſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus, ac etiam ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes nihilhominus, omnia & ſingula quæ vigore priuilegiorum, exemptionum,immunitatum,& diſpenſationum,facultatum, Conſeruatoriarum, Indultorum, Confeſſionalium,& aliarum quarumcumque gratiarum huiuſmodi,poſt id tempus quo Cōcilium obligare cœpit, facta & geſta quomodolibet fuerunt & in poſterum fient, in his in quibus dicti Concilij decretis aduerſantur, nulla inualida & irrita eſſe & cenſeri,ac nemini,etiam quantumlibet,vt pręfertur,qualificato tam in foro (quod aiunt fori) quàm conſcientiæ ſuffragari poſſe & debere. Et ita per quoſcumque locorum Ordinarios alióſque Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes,etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales,ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, in vtroque foro iudicari

&

& definiri debere, ac quidquid ſecus, à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, ſtatuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Domininæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quinto. Decimo tertio Kalend. Martij. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

*Ca. Glorierius.*

*P. Epiſcopus Narnien.*

*H. Cumyn.*

Anno à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quinto, Indictione ſexta: Die vero vigeſima quarta menſis Februarij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. noſtri, Domini Pij diuina prouidentia Papæ Quarti, Anno eius ſexto, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in Acie Campi Floræ, & valuis Cancellariæ Apoſtolicæ, per nos Nicolaum de Matthæis, & Camillum Cherubinum, S. D. N. Papæ Curſores.

*Philibertus Chapuis, Magiſter Curſorum.*

# ORATIO HABITA IN SESSIONE NONA, ET VLtima ſacri Concilij Tridentini,

## Celebrata duobus continuis diebus, tertia & quarta Decemb. M.D.LXIIII. ſub PIO VI. PONT. MAX.

*A R. P. D. HIERONYMO RAgazono Veneto, Epiſcopo Nazianzeno & Coadiutore Famaguſtano.*

Hîc ſummatim recenſentur omnia in Concilio Tridentino definita, quæ & ad piè credendum & ad bene viuendum pertinent.

AVDITE *hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Tridentinum Concilium iam diu cœptum, aliquando intermiſſum, diſtractum variè atque diuulſum, nunc demum ſingulari Dei omnipotentis beneficio, ſumma atque incredibili omnium Ordinum ac nationum voluntate, connectitur atque perficitur. Dies hæc quidem fœliciſſima Chriſtiano populo illuxit, in qua templum Domini diſturbatum frequenter ac diſſipatum reficitur, & abſoluitur: & nauis hæc vna bonorum omnium ex maximis ac diuturnis turbinibus atque fluctibus tuta in portu collocatur, quam vtinam conſcendere nobiſcum ij voluiſſent, quorum in primis gratiâ hæc ipſa nauigatio inſtituta fuit: atque ædificij huius conſtruendi participes extitiſſent, qui hoc nobis negotium exhibuerunt; maioris nunc profectò lætitiæ cauſam haberemus. Sed noſtra id certè culpa non accidit.*

NOS *vrbem hanc in Germaniæ faucibus, id eſt, in domus illorum ferè limine poſitam elegimus: nos cuſtodiam nullam nobis, ne ſuſpicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus: nos eam fidem publicam illis conceſſimus, quam ſibi ipſi compoſuerunt: nos hîc illos perdiu expectauimus, neque hortari ac rogare vmquam deſtitimus, vt ad veritatis lucem cognoſcendam accederent. Verum illis etiam abſentibus ſatis, vt puto, à nobis conſultum eſt. Etenim cum duo eſſent, in quibus ægris atque infirmis illorum animis medicina fuit adhibenda: alterum fidei Catholicæ ac verè Euangelicæ illis in rebus quæ in dubium ab ipſis vocantur, quæque opportunæ his temporibus viderentur, explicata & confirmata, diſiectis omnibus ac diſſipatis errorum tenebris, doctrina: alterum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cuius potiſſimum deprauatione illi ſe à nobis, fuit, defeciſſe affirmant, reſtitutio?*

tutio?

*tatio? vtrumque, quantum in nobis fuit, pro temporum horum ratione, cumulate præſtitimus.*

PRINCIPIO *enim ſancta hæc Synodus (facta ex laudabili maiorum noſtrorum conſuetudine ſuæ fidei profeſſione) vt quoddam quaſi fundamentum futuris actionibus poneret, & quibus teſtimoniis atque præſidiis in dogmatibus ſanciendis nitendum eſſet, oſtenderet, veteris ac noui Teſtamenti libros, qui eſſent ſine vlla dubitatione recipiendi, antiquorum Conciliorum probatiſſimorum exemplo, piè & prudenter enumerauit: ac, ne de verbis quidem vlla ex variis verſionibus oriri poſſet difficultas, certam ac definitam de Græcis & Hebraicis tranſlationem approbauit. Hinc omnium hæreſum caput, atque arcem aggrediens de humanæ naturæ corruptis initiis ea ſtatuit, quæ veritas ipſa, ſi loqui poſſet, exprimeret. De iuſtificatione deinceps (res magna, & cum antiquis, tum à noſtri temporis hæreticis mirum in modum oppugnata) ea definit, quibus & pernicioſiſſimis eo in genere opinionibus occurreretur, & rectè ſentiendi ratio miro quodam ordine, atque admirabili ſapientia (vt in illis Dei ſpiritum facilè agnoſcas) demonſtraretur. Præſtantiſſimo hoc poſt hominum memoriam decreto hæreſes ferè vniuerſæ iugulantur, & quaſi caligo Sole diſcutiuntur ac diſpelluntur: eáque claritas iſque ſplendor veritatis apparet, vt tantùm lumen quin videat, diſſimulare iam nemo poſſit. Subſecuta eſt ſalutaris ſeptem diuinorum Eccleſiæ Sacramentorum tractatio: primum ſimul de omnibus, poſt de vnoquoque ſeparatim. Hic verò quis non videt, quàm diſtinctè, explicatè abundanter, illuminatè, & (quod caput eſt) verè tota cœleſtium horum myſteriorum ratio contineatur? Quis in tam magna multiplicíque doctrina quid aut ſequendum aut fugiendum ſit, poteſt vllo modo deſiderare? Quis in illis omnibus errandi locum aut occaſionem inueniet? Quis denique de Sacramentorum horum vi atque virtute dubitare in poſterum poterit cum gratiam illam, quæ illis ipſis quibuſdam quaſi ſtillicidiis in fidelium quotidie mentes illabitur, tunc nobis affuiſſe tam copioſè perſpiciatur? Acceſſerunt ad hæc de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, & de Communione ſub vtraque ſpecie & paruulorum decreta: quibus quidem nihil ſanctiùs, nihil vtiliùs, vt de cœlo lapſa, non ab hominibus compoſita videatur. Adiungetur his hodie certa de Indulgentiis, de Purgatorio, de Sanctorum veneratione, Inuocatione, Imaginibus & Reliquiis doctrina, quæ non ſolùm hæreticorum fraudibus & calumniis obſiſtetur, ſed piorum etiam Catholicorum conſcientiis planè ſatisfiet.*

HÆC *de rebus ad ſalutem noſtram, pertinentibus quæ, dogmata, appellantur, & fauſtè ac fœliciter erunt peracta: neque aliud quidquam præterea eo in genere à nobis hoc tempore expectabatur.*

IN *eorum autem quibuſdam adminiſtrandis cum nonnulla eſſent quæ non ritè omnino ac rectè, ſeruarentur, accuratiſſimè, Patres ampliſſimi, curaſtis, vt purè illa & caſtè, atque ex more inſtitutóque maiorum tractarentur. Ita omnem ſuperſtitionem omnem quæſtum, omnen (vt dicunt) irreuerentiam à diuina Miſſarum celebratione abſtuliſtis: vagis, ignotis & criminoſis ſacerdotibus ſanctum hoc offerre ſacrificium interdixiſtis: rei huius ſacratiſſimæ vſum à priuatis domibus & profanis in ſacra & religioſa*

*loca reuocaſtis : molliores cantus & ſymphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes à templo Domini ſummouiſtis. Ita Eccleſiaſtico vnicuique gradui leges illæ à vobis præſcriptæ ſunt, vt tradito illis diuinitus ordine, abutendi nullus vtique locus relinquatur. Ita nonnulla Matrimonij impedimenta, quæ anſam quaſi quamdam ad violanda Eccleſiæ præcepta dare videbantur, remouiſtis : facilem veniæ conſequendæ viam minus legitimè connubij fœdus ineuntibus interclusiſtis. Quid de furtiuis tenebricoſiſq; Matrimoniis commemorem? Equidem ita ſentio, ſi alia nulla cauſa conuocandi Concilium fuiſſet, ( quæ multæ & maximæ fuerunt ) propter vnam hanc id omnino fuiſſe faciendum. Nam cum res hæc ad omnes ſpectet, neque vllus in orbe terrarum vniuerſo angulus reperiatur, quem labes hæc non inuaſerit; curandum meritò fuiſſet, vt communi huic malo, communi etiam conſilio prouideretur. Innumerabilium, Patres ſanctiſſimi, & grauiſſimorum delictorum ac ſcelerum occaſio, prudentiſſima iſta veſtra ac prope diuina ſanctione penitùs ablata eſt, & Chriſtianæ Reip. gubernationi ſapientiſſimè conſultum. Accedet ad hæc vtilis in primis ac neceſſaria multorum in Purgatorij, Sanctorum Inuocationis, Venerationis Imaginum & Reliquiarum, atque Indulgentiarum ratione abuſuum interdictio, qui rerum ipſarum pulcherrimam faciem inquinare atque turpare mirum in modum videbantur.*

ALTERA *verò pars, in qua de labenti ac prope cadenti Eccleſiaſtica diſciplina fulcienda erat agendum, diligentiſſimè etiam abſoluta fuit atque perfecta. Eligentur in poſterum ad Eccleſiaſtica munera obeunda, qui virtute, non ambitione, præſtent; quique populi commodis, non ſuis inſeruiant, & prosint potiùs, quàm præſint. Enuntiabitur atque explanabitur frequentiùs & ſtudioſiùs verbum Domini, omni ancipiti gladio penetrantius.*

ADERVNT *ſuis gregibus, & inuigilabunt Epiſcopi, cæterique, quibus animarum cura commiſſa eſt; neque extra creditam ſibi cuſtodiam vagabuntur. Nihil cuiquam proderunt aut ad impurè & flagitioſè viuendum, aut ad malè & pernicioſè viuendum priuilegia: nullum ſine pœna crimen, nulla ſine præmio virtus relinquetur. Pauperum & mendicantium ſacerdotum multitudini optimè prouiſum eſt: certæ vnuſquiſque Eccleſiæ, ſtatutóque operi vnde ali poſſit, aſcribetur.*

AVARITIA, *quo nullum vitium eſt tetrius, præſertim in domo Dei, ab ea omnino tolletur: gratis Sacramenta omnia, vt par eſt, conferantur. Ex vna Eccleſia plures, ex pluribus vna, vt populi commodum & ratio poſtulabit, conſtituetur. Eleëmoſynarum quæſtores (vt appellant) qui ſua, non quæ* IESV CHRISTI *quærentes, magnum noſtræ religionis damnum, magnam infamiam afferebant; ex omni hominum memoria (quod ſummæ fœlicitatis loco ponendum eſt) penitus euellentur. Hinc noſtra præſens calamitas ſumpſit exordium: hinc serpere infinitum malum, manaréque in dies latius non deſiſtebat: neque occurri illi adhuc multorum Conciliorum cautionibus ac prouiſionibus potuit. Quamobrem quis non niſi ſapientiſſimè factum dixerit, vt membrum hoc in quo ſanando diu ac multum fruſtra laboratum eſt, ne reliquo corpori noceret, excideretur.*

POR-

*Porro Deo cultus tribuetur potiùs & accuratiùs, atque ita, quì ferunt vaſa Domini, mundabuntur, vt ad ſui imitationem alios trahant: in quo præclarè illud fuit excogitatum, vt qui ſacris eſſent initiandi, ij moribus atque litteris in vnaquaque Eccleſia à prima ætate inſtituerentur, vt quoddam quaſi virtutum omnium ſeminarium illud exiſteret. Iam vero Prouincialibus Synodis reſtitutis, Viſitationibus ad populorum vtilitatem, non ad quærelam & ſumptum renouatis: tradita Paſtoribus regendi ſuos, atque paſcendi commodiùs facultate: Pœnitentia publica in vſum reuocata: Hoſpitalitate tum Eccleſiaſticis hominibus, tum piis locis indicta: in Curatis Sacerdotiis inferendis memorabili ac pœne cœleſti ratione cõſtituta: beneficiorum (vt aiunt) pluralitate ſublata: hæreditaria ſanctuarij Dei poſſeſſione prohibita: modo excommunicationibus impoſito ac terminato: primis iudiciis iis in locis vbi lites oriuntur, aſſignatis: ſingularibus certaminibus interdictis: omnium hominum, ac ſacrorum in primis luxuriæ, cupiditati, atque licentiæ freno quaſi quodam, quod excuti non facilè poſſit, iniecto: Regibus ac Principibus ſui muneris diligenter admonitis: aliiſque rebus huiuſmodi prudentiſſimè ſancitis, quis non videt veſtras vos, P. optimi, hac etiam in re partes cumulatiſſimè executos? Actum ſæpe eſt in ſuperioribus Conciliis de fide noſtra explicanda, moribuſque corrigendis: ſed neſcio an vmquam diligentiùs atque diſtinctiùs. Hic, præſertim hoc biennio, ex omnium populorum ac nationum, in quibus Catholicæ religionis veritas agnoſcitur, non ſolum Patres, ſed Oratores habuimus. At quos viros? Si doctrinam ſpectemus, eruditiſſimos; ſi vſum, peritiſſimos; ſi ingenia, perſpicaciſſimos, ſi pietatem, religioſiſſimos; ſi vitam, innocentiſſimos. Numerus hic quoque fuit, vt, ſi præſentes Chriſtiani orbis conſiderentur anguſtiæ, frequentiſſima hæc omnium, quæ antea fuerunt, Synodus appareat. Hic ſingula omnium vulnera detecta, mores expoſiti fuere: nihil diſſimulatum eſt: noſtrorum aduerſariorum argumenta & rationes ita tractata, vt eorum tum cauſa, non noſtra, agi videretur. Tertium nonnulla, atque etiam quartum diſcuſſa: ſumma ſæpe contentione certatum: eo ſcilicet conſilio, vt, quemadmodum igne aurum, ita quibuſdam quaſi luctationibus veritatis vires ac nerui probarentur. Quæ enim inter idem ſentientes idemque ſpectantes, diſcordia potuit exiſtere?*

*Quæ cum ita ſint, licet optandum (vt initio dicebam) ſummoperè fuiſſet, vt vnà cum illis hæc agerentur quorum potiſſimum cauſâ tractata ſunt: abſentium tamen etiam incolumitati atque ſaluti ita prouiſum eſt, vt alia ratione prouideri, ſi affuiſſent, non potuiſſe videtur. Legant illi quæ de fide noſtra ſtatuimus, vt Chriſtianum hominem decet, humiliter: &, ſi lumen eis aliquod fulſerit, ne faciem auertant: &, ſi vocem Domini audierint, corda ſua non obdurent. Ac, ſi ad communem matris Eccleſiæ complexum, vnde ſe illi diſtraxerunt, redire voluerint, clementiam ſibi omnem ac miſericordiam tribuendam non dubitent. Sed præcipua illa ratio eſt, P. A. diſſentientes à nobis animos conciliandi, conſentientes in fide atque officio retinendi; ſi quæ hoc in loco verbis ſancimus, re ipſa in noſtris Eccleſiis præſtemus. Leges etſi optimæ ſunt, mutæ tamen res eſt. Quid Hebræo populo Dei ipſius ore latæ leges profuerunt? Quid Lycurgi leges Lacedæmoniis; So-*

lonis

*lonis, Athenienſibus; ad libertatem retinendam, quam ob cauſam erant conſcripta, vtilitatis attulêre? Sed cur externa atque antiqua nimis commemoro? Quę ad benè beatéque viuendum inſtituta atque pręcepta ex vnius* Chriſti Domini *noſtri vita atque doctrina deſiderare aut poſſumus aut debemus? Quid item fuit à maioribus noſtris omiſſum, quod cum ad rectè ſentiendum, tum ad pręclarè agendum pertineret? Medicamentum quidem ſalutare compoſitum ac paratum tamdiu habemus: verum ſi morbum debet expellere, ſumendum eſt, ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc ſalutis nos primum inebriemur, cariſſimi, & viua atque loquentes leges ſimus & norma quaſi quadam ac regula, ad quam aliorum actiones & ſtudia dirigantur: atque ita ſibi vnuſquiſque perſuadeat, nihil è Chriſtianę reip. commodo ac dignitate ſucceſſurum, niſi, quantum in ſe ſit, ſtudioſè pręſtiterit.*

I D *curandum nobis cum antea fuit: tum multo erit in poſterum accuratius. Etenim, ſi magiſtri noſtri ac* Saluatoris *exemplo facere prius debebamus, quam docere: poſtquam docuimus, quin faciamus, quę eſſe poterit excuſatio? Quis ferre nos ac pati poterit, ſi, cum non furandum eſſe demonſtrauerimus, ipſi furemur? ſi cum non mœchandum, mœchemur?* Sanctos à ſancto Concilio: *innocentes atque integros ab integritatis pręceptis & innocentia: firmos in fide atque conſtantes à fidei noſtrę firmata doctrina diſcedere minimè conuenit. Ac tales quidem expectant nos populi noſtri, qui noſtrum iam diu reditum ſuſtinentes, ea ſe ipſi ratione conſolabantur: fore, vt hanc temporis vſuram maiori pręſentes ſtudio ſarciremus. Sed fiet id à vobis, vt ſpero,* Patres *ſanctiſſimi, diligenter: & quemadmodum hoc in loco feciſtis, ita etiam domi ſatis* Deo *atque hominibus facietis. Nunc (quod huius temporis eſt)* Deo *primum ipſi maximo atque immortali, maximas atque immortales gratias & agamus & habeamus, qui non ſecundum peccata quę fecimus nos, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis: ſed diem hunc lętiſſimum, quem videre multi concupiuerunt, nobis non ſolum videndum, ſed etiam celebrandum, incredibili cum totius* Chriſtiani *populi aſſenſu atque approbatione, ſua magna benignitate conceſſit.* P I O *deinde* I V. *ſummo noſtro atque optimo* Pontifici *gratię perpetuę ac ſingulares habendę ſunt: qui, cum primum beati* Petri *ſedem aſcendit, tanto* Synodum *hanc inſtaurandi deſiderio exarſit, vt in eo ſuas omnes curas & cogitationes defigeret.* Nuncios *ſtatim, viros probatiſſimos, ad indicendum illis nationibus atque prouinciis* Concilium *miſit, pro quorum in primis ſalute conuocabatur. Hi Aquilonis partes prope omnes peragrarunt, rogarunt, obſecrarunt, obteſtati ſunt: tuta omnia atque amica promiſerunt: atque id etiam egerunt, vt in Angliam traiicerent:* Legatos *poſtmodum pietate ac doctrina pręſtantiſſimos, cum intereſſe illi* Synodo, *vt mirum in modum cupiebat, non poſſet, huc miſit: ex quibus duos (quorum memoria in benedictione eſt) ſtatuta di[e] tametſi nulli ferè* Epiſcopi *conueniſſent, hic eſſe voluit. Hi, atque additus eis paulo poſt tertius, nouem menſes, atque eo amplius, iuſtum ad* Synodum *inſtituendam* Epiſcoporum *numerum hoc in loco nihil agentes expectauerunt: cum interea nihil aliud,* Pontifex *ipſe aut ageret aut meditaretur, quàm vt* Patres *quamplurimi*

quam-

*quam optimi, & quamprimum huc accederent, & Chriſtiani nominis Reges omnes ac Principes ſuos huc Oratores mitterent: vt communi omnium voto atque conſilio communis hæc cauſa grauiſſima omnium atque maxima tractaretur. Quid vero poſtea omni cura, ſolicitudine, ſumptibus prætermiſit, quod ad Concilij huius amplitudinem, libertatem & commodum pertinere aliquo modo videretur? O ſingularem Paſtoris ac Patris noſtri pietatem atque prudentiam: ô ſummam etiam eiuſdem fœlicitatem, cuius auctoritate atque auſpiciis iactatum hoc diu, & agitatum Concilium conſtitit & conquieſcit. Te Paulum III. te Iulium, mortuos appello: quamdiu, quantoque ſtudio videre, quod nos videmus, exoptaſtis, quot in eam rem ſumptus, quot labores inſumpſiſtis? Quamobrem verè tibi atque ex animo,* PIE *ſanctiſſ. ac beatiſſ. gratulamur, quod tantam tibi lætitiam, tantam tuo nomini laudem (id quod maximum diuinæ in te beneuolentiæ argumentum eſt) Dominus reſeruauit. quem nos precibus omnibus, ac votis ſupplices oramus, vt te nobis incolumem, pro Eccleſiæ ſuæ ſanctæ commodo atque ornamento & quam citiſſimè reddat & quam diutiſſimè conſeruet. Sereniſſimo etiam Imperatori gratias agere & gratulari iure optimo debemus. Ille potentiſſimorum Cæſarum, qui propagandæ Chriſtianæ religionis miro quodam deſiderio flagrarunt, animum, vt locum, referens, vrbem hanc ab omni periculo liberam conſeruauit, & nos vt tutam tranquillamque pacem traheremus, ſua vigilantia perfecit, magnamque noſtris animis ſecuritatem, aſſidua trium ſuorum Legatorum ſummorum virorum præſentia ac prope pignore, attulit. Ille de noſtris his rebus pro ſua eximia pietate ſollicitus mirificè fuit.*

ILLE *à ſe atque à nobis diſſentientes homines, ex obſcuriſſimis, in quibus verſantur tenebris, eruere, atque ad ſanctæ huius Synodi clariſſimam lucem aſpiciendam adducere maximopere laborauit. Regum præterea Chriſtianorum ac Principum in Concilio hoc ampliſſimis ſuis legationibus ornando, & ſuos veſtræ auctoritati faſces ſubmittendo, pia maximè voluntas grata nobis memoria proſequenda eſt. Iam verò quis eſt, Illuſtriſſ. Legati & Cardinales, qui ſe vobis debere plurimum non fateatur. Vos noſtrarum actionum duces optimi ac moderatores extitiſtis. Vos, ne noſtra aut in dicendo libertas violari aliquis ex parte videretur, incredibili patientia ac diligentia curaſtis. Vos nulli corporis labori, nulli animi contentioni pepercistis, vt ad optatum res exitum, quod alij multi veſtri ſimiles fruſtra tentauerunt, quamprimum perduceretur. In quo præcipuam quamdam ac propriam lætitiam habere tu,* MORONE *Illuſtriſſ. atque ornatiſſime debes: qui cum vigeſimo ab hinc anno primum præclaro huic ædificio lapidem poſueris, extremam nunc manum poſt alios multos huic operi architectos adhibitos, fœliciter, pro ſumma tua ac prope diuina ſapientia, impones. Factum hoc tuum egregium ac ſingulare omnium ſermone perpetuò celebrabitur, neque vlla vmquam ætas de tuis his laudibus conticeſcet. Quid de vobis dicam, Patres ſanctiſſ. quàm bene de Chriſtiana republ. veſtris his præſtantiſſimis actionibus meruiſtis? quanta veſtrûm vniuſcuiuſque nomini commendatio, quanta gloria à Chriſtiano populo vniuerſo tribuetur? Vos verè patres, verè paſtores & agnoſcent omnes & prædicabunt: vo-*

*bis*

*bis ſuam vnuſquiſque vitam atque ſalutem acceptam libentiſſimè referet: ô diem illam populis noſtris iucundiſſimam atque lætiſſimam, in qua primum reuiſere illis nos atque amplecti à templi Domini ædificatione redeuntes contigerit.*

*S E D fac, tu Domine Deus noſter, vt tam eximiæ de nobis opinioni egregiis factis reſpondeamus, & ſemen hoc, quod in agro tuo ſeminauimus, vberem fructum afferat, fluatque vt ros eloquium tuum: atque quod fore aliquando pollicitus es, ſiat temporibus noſtris, vt vnum ſit omnium ouile, & vnus paſtor, atque is potiſſimum* P I V S I V. *in tui nominis gloriam ſempiternam. Amen.*

# F I N I S.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

feret:
pri-
eum-

egre-
nus,
d fore
uile,
riam